RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES
TOMUS DECIMUSNONUS.



RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES
AB ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ QUINGENTESIMO AD MILLESIMUMQUINGENTESIMUM,

QUORUM POTISSIMA PARS NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT

EX AMBROSIANÆ, ESTENSIS,
ALIARUMQUE INSIGNIUM
BIBLIOTHECARUM CODICIBUS.

LUDOVICUS ANTONIUS
MURATORIUS
SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS

Collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit,

NONNULLOS IPSE, ALIOS VERO
MEDIOLANENSES PALATINI SOCII

Ad MStorum Codicum fidem exactos, summoque labore, ac diligentia castigatos, variis Lectionibus, & Notis tam editis veterum Eruditorum, quàm novissimis auxere.

ADDITIS

Ad plenius Operis, & universæ Italicæ Historiæ ornamentum, novis Tabulis Geographicis, & variis Langobardorum Regum, Imperatorum, aliorumque Principum Diplomatibus, quæ ab ipsis autographis describere licuit, vel nunc primùm vulgatis, vel emendatis, necnon antiquo Characterum specimine, & Figuris Æneis.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

TOMUS DECIMUSNONUS.



Antonius Gregolini inv. del. *Hieronymus Rossi*

MEDIOLANI, MDCCXXXI.

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ
IN REGIA CURIA.
SUPERIORUM FACULTATE.



I.Ferroni delin.

Fran. Zucchi Orno e Sculp. Venezia

SERENISSIMO. PRINCIPI.

JOSEPHO. MARIAE.

GONZIACO.

WASTALLAE. ET. SABULONETAE. DUCI.

BOZOLI. ET. S. R. I. PRINCIPI.

OSTIANI. MARCHIONI.

POMPONESCHI. ET. REGIOLI. COMITI.

&c. &c. &c.

IN. QUO.

EXIMIAM. ATAVORUM. GLORIAM.

OB. RES. DOMI. FORISQUE. GESTAS.

FOELICIBUS. E. NUPTIIS. RENASCENTEM.

ITALIA. UNIVERSA.

ET. INSUBRIUM. AMOR. EXPECTAT.


MEDIOLANENSES. PALATINI. SOCI.

GRATULATIONIS. TESTIMONIUM.

TOMUM. HUNC.

RERUM. ITALICARUM.

D. D. D.



SERENISSIMO PRINCIPI
JOSEPHO
GONZIACO
WASTALLÆ DUCI
&c. &c. &c.

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS
S. P. D.

C*Rescente in dies Rerum Italicarum congerie, quam plures in tomos eximius earum Collector* Ludovicus Antonius Muratorius *digessit, varia hucusque in Italicos Principes officia persolvimus, quæ pluribus cuique de causis debebamus. Hos inter vel à familiæ splendore, vel à vetustate imperii, vel à rerum pace bello-*

que gestarum laude, celebratissimo GONZIACO *nomini juremerito erat à nobis acclamandum, quod,* PRINCEPS SERENISSIME, *officii nostri potissimum est argumentum in XIX. hujus tomi dedicatione. Sanè si quem decet umquam in* GONZIACOS PRINCIPES *encomium, Mediolanensibus certè Sociis Palatinis, quorum nomine librum offero, aptissima fuerit in eam causam antiquorum temporum recordatio, cum fortunæ Mediolanensis ex adhærentium* GONZIACORUM *virtute in melius auctæ splendorem; ipsis verò in alienas partes concedentibus, prope labantis vicissitudinem ex patriis historiis quisque cognoverit: quod si alibi frequenter occurrat, in Scriptoribus his, qui primùm in lucem prodeunt, & in hoc tomo nuper impresso offerimus, frequentissimum fuerit, non sinè Serenissimæ Gentis Tuæ gloria, testimonium. Clara ibi majorum tuorum facinora recensentur, & bellicæ artis peritia commendatur, ex qua partum primò, deinde firmatum imperium, ad hanc usque diem inter perpetuos Italiæ motus divinâ providentiâ servatum gaudemus, & in ævum feliciter permansurum ominamur.*

Erat, SERENISSIME PRINCEPS, *duplex olim ex Gente tua gaudium in* MANTUANIS DUCIBUS & GUASTALLENSIBUS*; at placuit Superis ætate nostra primùm tollere, ut decus omne in te unum coalesceret,*

à

à quo reparandam felicibus nuptiis jacturam, & in seros Nepotes avitam gloriam amandandam speramus. Hæc ego præcipue ferventioribus Votis à Deo optimo Max. implorare non cesso, gratumque SERENITATI TUÆ *futurum augurium nostrum & exiguum hoc munus ex animi Tui benignitate non dubito; quod ut facias obsecro, obtestorque humili demissus obsequio. Vale.*

Dabam Mediolani Kalendis Martiis Anno MDCCXXXII.

ELENCHUS
TOMI DECIMINONI.

HISTORIA
FRATRIS
ANDREÆ BILLII
PATRIA MEDIOLANENSIS,
ORDINIS EREMITARUM SANCTI AUGUSTINI

IN NOVEM LIBROS DIGESTA,

Ab Anno MCCCCII. usque ad Annum MCCCCXXXI.

NUNC PRIMUM PRODIT

E MANUSCRIPTO CODICE PERGAMENO

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ,

CUM DUOBUS ALIIS MANUSCRIPTIS CODICIBUS,

UNO NOVARIENSI,

ET ALTERO ORNATISSIMI VIRI

COMITIS CAROLI PERTUSATI

COLLATA.

IN ANDREAE BILLII HISTORIAM MEDIOLANENSEM

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

MEdiolanensi Urbi, & Seculo Quintodecimo, circiter Annum 1420. non leve ornamentum fuit *Andreas Billius*, illustri loco natus: quippe illius Familia, adhuc Mediolani florens, & quidem inter Optimates, jam tum inter Patricias ac nobiles numerabatur. Adolescens Religioso Ordini Eremitarum Sancti Augustini nomen dedit, atque in eo instituto adeo pietate, reliquisque virtutibus claruit, ut post mortem titulo *Beati* apud Mediolanenses ac Senenses fuerit auctus. Ego dimissis illis, quae ad ejus pietatem spectant, & quae a Scriptoribus Augustiniani Ordinis peti possunt, de ejus eruditione verba tantum faciam. Recensendus sane Billius inter praestantissimos sui temporis Scriptores. Ingenio enim vivacissimo Eloquentiam non vulgarem, & usum Latinae Linguae conjunxit, qualem vel hoc tempore, si non invideas, certe commendes. Memoratur is Vossio de Historicis Latinis Lib. III. Cap. 5. & Jacobo Philippo Bergomensi in Supplement. Chronic. Lib. XV. cujus verba utpote a Scriptore ejusdem Eremitarum Ordinis, & ipso quidem, quo Billius floruit, Seculo, literis tradita, repetere heic juvat: *Andreas de Biliis* (ita ille scribit) *natione Mediolanensis, nostri Ordinis Philosophus ac Theologus celeberrimus, per hoc ipsum tempus & docendo & scribendo ac disputando in tota Italia admodum clarus effulsit. Nam non solum eruditione & tenacissima memoria, sed & Sanctitate & gravitate morum admirabilis fuit. Qui quum Latinam, & Graecam, atque Hebraicam Linguas optime nosset, etiam ad multorum eruditionem complurima composuit Opuscula. Incipiens enim ab ipsa Grammatica in omnibus liberalibus Disciplinis conscripsit, atque in Theologia Tractatus plurimos exstantes non solum doctos, sed & elegantes edidit. Qui quanti fuerint, absque nostro testimonio ipsi peroptime ostendunt. Insuper & Aristotelis Animam, & Ethicorum, Latinos fecit. Ferunt, hunc tantae memoriae tenacitatis fuisse, quod quidquid bis vel ter legisset, statim memoriae commendaret. Qui tamdem quum Christi Ecclesiam, suamque Religionem & scriptis & praedicatione & exemplo plurimum juvisset, apud Senam Etruriae Urbem beato fine quievit.* En luculentum elogium Billio nostro, cui supervacaneum foret alia adjungere. Quare id solum peragam, ut quos ejus Libros MStos, ac nondum editos Ambrosiana Bibliotheca servat, mihi olim inspectos, sigillatim enumerem. Itaque in uno Codice haec leguntur: *Paniscolaria ad Alphonsum Regem Aragonum adversus Schisma Benedicti*. Ejus initium ita se habet: *Nullo adduci possum, Rex fidelissime Alphonse, ut credam vera esse, quae paucis ante diebus ex Regno tuo per omnem Italiam sunt vulgata. Atque ego sane levem potius rumorem existimavi, quam credendam tanti mali famam, ut ipse quicquam in rebus Ecclesiae innovare cuperes: quum, ut ferunt, plerique tuam dignitatem, nescio an fidem, pro Aegidio quodam solicitent, qui Paniscolae dicitur a paucis in locum Benedicti substitutus* &c. Creatus est in Antipapam Aegidius ille, Canonicus Barcinonensis Anno 1423. & sub Clementis nomine habitavit Paniscolae. Quare quo Anno haec scripserit Billius, & quare *Paniscolaria* appellarit, intelligas. Ibi vero Martinum V. Papam tuetur & laudat, & in Pseudopontificem Clementem invehitur, ubique Aragonum Regem ad unionem Ecclesiae compellans. Mihi visus est Tractatus luce dignus. Sequuntur in eodem Codice Libri duo *ad Reginaldum Remensem Archiepiscopum de concordia ac meritis Ordinum super generali indulto Alexandri Papae*. His verbis exorditur: *Multum, Pater honoratissime, dignitatem tuam vererer, nec mihi hanc scribendi curam sumerem, si non illud ante omnia meminissem, Christianum esse hominem, ad quem Christianus scribo* &c. Ordinem autem suum in Remensi Civitate non ab Archiepiscopi tantum Curia, sed & ab aliis Magistratibus vexatum tueri conatur; neque enim praedi-

candi

candi munus Eremitae Augustiniani impetrare ibi poterant. Itaque Billius plurimum in sui Ordinis laudes excurrit. Ad haec legitur: *De Disciplina Ordinis Admonitio habita in Capitulo* Bononiensi, cujus haec prima verba: *Neminem puto ex vobis, Patres sanctissimi, qui non facile intelligat, quam maxime ob rem huc hodie conveneritis* &c.

Post haec in eodem MSto Codice occurrit *Admonitio ad Fratrem Manfredum Vercellensem Ordinis Fratrum Praedicatorum*: Ita vero exorditur Billius: *Nolo aut tu, aut quisquam alius, propterea quod haec scribam, ira aut odio commotum putet* &c. Sunt autem duo Libri, quos proëmii loco praecedit Epistola ad *Jordanum Ursinum Nobilem Romanum & S. R. E. Cardinalem*. In his Libris arguit zelum, sed non secundum scientiam, Fratris Manfredi, qui religionis obtentu mulierculárum greges secum in peregrinationem abducebat. Succedit aliud Opus *De Institutis, discipulis, ac doctrina Fratris Bernardini Ordinis Minorum*. His verbis incipit: *Forsan quidem ego nequaquam ex te, Frater Bernardine, tantum concepi, ut satis inde ad scribendum excitari possim, nisi me multi, quos viros bonos existimo, ad hoc officium impellerent* &c. Ille, ad quem haec scripta sunt, erat Bernardinus Senensis, cujus spectatissima virtus & sanctitas ita se Populis & Romanae Ecclesiae commendarunt, ut is post mortem in coelitum album relatus fuerit. Et quidem Bernardini tunc viventis, & ob suas praedicationes per Italiam, ac praecipue Langobardiam, celebris, vitam, mores, ac virtutes Billius extollit. Verum ejus in praedicando verbo Dei consuetudinem ac ritus minime probat: quae cantilena fere semper & ubique eorum aures tundit, qui sacris Missionibus dant operam. Tum scandala prodit, quae propter ejus discipulorum inordinatum zelum per Italiam exorta fuerant. Superstitionem vero a praedicatione virtutum arcendam monet. Sunt duo Libri, quibus revera acriter invehitur in Bernardinum, virum alioqui sanctitate vitae conspicuum. Si licet dicere, facile videatur Billius ex abdita aemulatione talia in Religiosum Ordinem Minorum congessisse. Immo non longe a vero abeat, qui suspicetur, Andream Billium ex iis fuisse, qui tot ac tantos accusationum turbines in piissimum virum Bernardinum concitarunt, ut iste Romam tamdem fuerit evocatus, & apud summos Pontifices & Curiam Cardinalium se purgare compulsus, uti jam pridem testati sunt, qui Sancti Bernardini Vitam literis consignarunt. Post hosce Libros succedit Opusculum aliud *Ad Barchinonenses de Litera H in nomine XHI*. Incipit: *Omnes, ut existimo, sententiam Salvatoris audivimus, qua non tantum eruditi quid credendum sit* &c. Est autem veluti appendix ad duos superiores Libellos. Nam & heic scandala innuit propter praedicationem Bernardini, ejusque discipulorum excitata. In eodem Codice post haec legitur *de concessione & translatione B. Monicae matris beatissimi patris Augustini Sermo*. Ejusmodi est exordium: *Gaudeo mihi quoque, religiosissimi Fratres, laetitiam hanc communem esse, quae hodie vestrum universum Ordinem contingit, quod ejusdem parentis estis matrem adepti, cujus & vos secundum spiritum filii esse debetis* &c. Verum hic sermo a Billio compositus quidem videtur, sed non sibi compositus; ipsum quippe recitavit summus Pontifex Martinus V. ut ex fine etiam deprehendi potest, ubi haec leguntur: *Explicit Sermo de concessione & translatione beatae Monicae tamquam ex ore Domini Pontificis Martini, & impositus Fratri Andreae Mediolanensi*. Et revera haec in eo occurrunt, uni Papae aptanda: *Nec sane mirum, si & ipse vobiscum in Domino Frater dici velim, qui me secundum unius Magistri vocationem & gratiam Servum omnium appello*. Et infra: *Quod Princeps Apostolorum, cujus locum tenemus* &c. Ibidem vero legitur & illa eadem narratio de translatione Corporis Sanctae Monicae, quae edita est in Actis Sanctorum Bollandianis ad diem IV. Maji. Denique in laudato Codice Ambrosiano habetur Tractatus *ad Fratrem Ludovicum, de Ordinis nostri forma, & propagatione*, cujus initium ita se habet: *Non sane videtur hoc tempus* &c. In hoc Opusculo Billius longo sermone persequitur originem, formam, praestantiam, ac propagationem Ordinis Eremitarum. In altero Codice MSto ejusdem Ambrosianae Bibliothecae nonnulla pariter Billii nostri Opuscula continentur, nempe: *Querelae Pacis Fratre Andrea Billio*. En prima verba: *Etiamne me ex omnibus terris propellitis* &c. Declamationis instar est, ibique de bellis eo tempore flagrantibus non pauca habet, ac praecipue de Bohemis. Sequitur *ad Alphonsum Regem Aragonum de Pace cum Philippo Mediolanensium Duce componenda*, cujus initium tale est: *Si ut plerisque hac praesertim hominum aetate, mihi quoque Regium nomen parum honori aut venerationi esset, profecto nihil ad te scriberem* &c. Deinde ibi legitur: *In exsequiis Johannis Galeaz Vicecomitis Ducis Mediolanensis Laudatio funerea*, quae ex his verbis incipit: *Novum sane, ac perdificile onus subiisse videor* &c. Tum aliud Opu-

scu-

sculum se offert cum hoc titulo: *Ad Jordanum Ursinum Presbyterum Cardinalem pro suscipienda in Bohemos expeditione*; quod ita incipit: *Nihil puto inane pro hac mea cura* &c. Accedit post haec *In Castris Philippi Ducis Mediolanensium Oratio militaris*, quam exorditur ab his verbis: *Viris equidem me loqui puto, seu vestri nominis, seu veteris fiduciae memor* &c. Tamdem Oratio habetur, cujus initium: *Mihi quidem, Princeps divinissime, gratissimus est hic omnium coetus, quem ad audiendas beatissimi Augustini laudes convenisse video* &c. Quibus ex verbis argumentum intelligas. Et haec quidem habui, quae de Operibus mihi notis, & nondum editis Andreae Billii commentarer. Si Vossio credimus & Pamphilo, scripsit etiam *Tractatum de detrimento Fidei Orientis, sive de Origine Turcarum*. Sed nescio quibus bonis testibus, aut Auctoribus, Opusculum hoc Billio tribuatur.

Venio nunc ad Historiam, quam publici juris facio. Scribit memoratus Vossius, a Billio compositam tum *Historiam Langobardorum*, tum *Historiam Mediolanensem*. Ego nullam aliam praeter hanc vidi; mihique paene certum videtur, Historiam Mediolanensem eamdem esse cum Langobardica. Antiquissimum Codicem MStum, ubi Historia haec legitur, Ambrosiana Bibliotheca ostendit, cujus exemplum mihi humanissime communicavit Marchio *Theodorus Alexander Trivultius* Patricius Mediolanensis, nempe ille, quem vetustum quidem Familiae decus illustrem, sed illustriorem jam chorus omnis Musarum, & carum cunctis effecit, & cui in primis multa debere me fateor, quum potissimum illius cura & opera ipsa haec mea Collectio in publicum Mediolani prodierit. Attamen ut nihil deesset Historiae huic, atque omnia castigatiora prodirent, ubi intellexi, pervetustum, ac vivente fortassis Auctore scriptum, ipsius Historiae Codicem adservari apud nobilem ac ornatissimum virum *Carolum Comitem Pertusatum* in Supremo Hispaniarum Consessu Regentem, qui Vindobonae agens, magnifica jam sibi comparata Bibliotheca, ardua negotia cum Musis conciliare pergit: continuo per literas egi, ut liceret mihi praesidio ejusmodi uti ad instruendam Billii editionem. Protinus impetravi; quid vero e collatione textus illius in rem nostram emerserit, quicumque haec leget, animadvertet. Demum Ambrosianum Codicem, cujus jam memini, suppeditavit *Clariss. Saxius* eidem Bibliothecae Praefectus, quem edendum curavi. Alterum quoque Billianae Historiae exemplum, illudque vetustum reperi in eo ipso Codice Canonicorum Novariensium, appellato *il Valisone*, unde Chronicon Mediolanense depromsi, editum Tom. XVI. Collectionis istius. Horum igitur omnium Codicum ope varias Lectiones *Philippus Argelatus* adornavit, adeo ut spes mihi sit, fore, ut Billii Historiam Respublica Literaria accipiat, quantum fieri potuit, germanam atque expurgatam. Ceterum exorditur Billius narrationem suam a funere potentissimi Principis Johannis Galeatii Vicecomitis primi Mediolanensium Ducis, hoc est ab Anno 1402. eamque deducit ad Annum usque 1431. Auctor certe gravis, eloquens, & judicio subacto praeditus. Quare non Mediolanensis tantum Civitas, sed universa Italia habet, unde & illi reviviscenti, & mihi de ejus immortalitate solicito, gratuletur. Ceterum Billius diem postremum obiit Senae Anno 1435. quum Vicarii Provincialis munere fungeretur, ibique tumulo traditus fuit in Sancti Augustini. Coronidis loco adjungam quae Anno 1504. literis mandabat Chronicon Oldenburgensium Archicomitum, editum a Meibomio Tom. II. Rer. German. Script. pag. 164. *Venerabilis*, ait, *Magister Andreas de Biliis de Mediolano tam universalis homo fuit, ut Graecam, Hebraicam, Latinamque Linguam haberet optime cognitam. Hic e duabus primis in nostram multa traduxit, & in arte Oratoria alter Cicero, in Philosophia secundus Aristoteles, in Theologia patris sui Augustini pedissequus perfectus erat. Quaestiones de Anima, Interpretationes Evangeliorum, Longobardorum, & maxime Mediolanensium Historias, & alia multa apte & distincte composuit. Juvenis e vita discessit. Qui si diu vixisset, aeternum posteris reliquisset nomen.*

PHILIPPUS PUCINELLUS
In Athenæo Literatorum Mediolanenſium, Italicâ Linguâ ſcripto, hoc de Andrea Billio texit Elogium pag. 28.

ECcomi a rallegrarmi con voi, o Padri Eremitani di Sant' Agoſtino, poichè al voſtro numero è arrollato quell' Andrea Biglia, che e ne i lumi della nobiltà nativa, ed in quelli delle ſcienze acquiſtate doppiamente riſplende. Poſſeſſore d'una fioritiſſima latinità, fece ſicuro acquiſto delle lingue, Ebraica, e Greca: laonde in Latino trapportò i libri d'Ariſtotele de Anima, *e quelli* Ethicorum. *Filoſofo di gran fama, e Teologo d'ammirato valore, l'anno* 1432. *fu Reggente di Bologna, e di Siena l'anno* 1435. *Vicario Provinciale dotato di così degne parti, che pareva un giojello de i Sacri Chioſtri; Laonde Giacomo Filippo di Bergamo proteſta che foſſe,* ſcientia, & opere divinus. *Tenaciſſimo di memoria, ciò che due volte aveva letto, inamiſſibilmente conſervava. Morì in età fiorita; e pure con ſanti eſempj, e con dotte prediche ſi reſe degno di memoria eterna; avend' anco ſcritto molti volumi, che ſi conſervano manuſcritti nella Libraria di S. Marco, cioè:*

Pro ſuſcipienda in Boëmos expeditione.
Paniſcolaria ad Alphonſum Regem Aragonum adversùs ſchiſma Benedicti lib. 1.
De Concordia, & meritis ordinum ſuper generali indulto Alexandri V.
De Diſciplina Ordinis.
Admonitio ad Manfredum Vercellenſem.
Ad Barcinonenſes de litera H. in nomine IHS.
De Conceſſione, & translatione B. Monicæ.
De Ordinis Auguſtinianorum Propagatione.
De Pace, & Victoria Rom. Eccleſiæ.
De Amore, & magnitudine Crucis.
Commentarium Hiſtoricum, de detrimento Fidei Orientis.
De non neceſſario mortis metu lib. 1.
Hiſtoriarum Mediolanenſium lib. 1. (*corrige* IX.)
De inſtitutis diſcipulis ex doctrina Fr. Bernardini de Senis lib. 2.
In primum Sententiarum.
Expoſitiones in quatuor Evangelia lib. 4.
In Hexameron, ſeu de mundo.
Sermonum diverſarum materiarum lib. 3.
Dominicale, & feſtorum aliorum lib. 2.
Annotat. in Evangelia Quadrageſimæ.
Lib. octo Phyſic. Ariſtot. lib. 3. de Anima, & decem Ethicorum ex Græco in Latinum converſi.
Hiſtoria Longobardorum lib. 1.
Querelæ Pacis lib. 1.
De Pace cum Philippo Mediolanenſium Duce componenda.
Exordia ſuper practica Rhetorices.
Orationum, & Epiſtolarum lib. 2.
Grammatices, ſive de 8. partibus orationis lib. 8.
De Arte dicendi lib. 3.
Expoſitio univerſalium Porphyrii, & lib. Perihermen. Ariſt.
Comment. in 3. lib. Ariſtot. de Anima.
In lib. de Cœlo, & Mundo.
Quæſt. in 3. lib. de Anima.
Quæſt. in 8. lib. Phyſic.
Quæſt. Metaphyſicorum.

In Siena, Città di Toſcana fece una ſanta morte, come rapporta Giacomo Filippo ſupplem. Cronic. lib. 15. *& Antonio Poſſevino, Apparat. Sacr. Di lui fa degna memoria l'Alfabeto Agoſtiniano; Salvator Vitale, Gio. Battiſta Cariſio nel Teatro ſacro, Gio. Giacomo Friſio nella Biblioth. Siſto Seneſe nella Bibliot. ſanta.*

AN-

ANDREÆ BILLII HISTORIÆ PATRIÆ LIBRORUM IX. SUMMARIA.

SUMMARIUM LIBRI PRIMI.

Mors primi Ducis. Ejus filii legitimi, & ex pellicibus. Pompa exequiarum. Tutores dati filiis. Divisio Dominii inter filios. Inter amicos, & socios reliquit Venetos. Florentini *hostes. Ætas filiorum. Nominat capita factionum, quæ quietem rerum conturbarunt. Mors* D. Joannis *de* Cosate, *unde postea tanta mala provenere. Nominat copiarum Duces primi Ducis, & quæ in* Tuscia *evenere, & de* Senensibus. *Novitates in* Brixia *per* Carrarienses. *Longo bello occupant* Florentini Pisas, Gabriele *expulso. Quæ gessit* Facinus Canis *contra* Bononienses. *Quæ occurrerunt* Veronæ, Vincentiæ *& in aliis Civitatibus. Bellum contra* Paduam, *&* Carrarienses *per* Venetos, *post longam obsidionem Victores, qui necarunt sinè ulla misericordia patrem, & filium veniam petentes.*

LIBRI SECUNDI.

Laudes primi Ducis. Creverunt Veneti, *&* Florentini *nostris malis. Gesta Regis* Ladislai. *Revertitur ad calamitates nostras* Mediolanenses. *Civitas* Comum *prædæ exponitur per* Pandulphum. *Mors crudelis Abbatis S. Ambrosii à populo, factiosis instigantibus, & Monasterium prædæ expositum. Decapitati duo fratres milites de* Porris, *&* G. Aliprandus. *Recedit Ducissa è* Mediolano, *vadit* Modoëtiam, *& ibi capta, & postea veneno interfecta in Arcu Portæ Romanæ.*

Post tantas (proh dolor) exortas in Mediolano *calamitates exemplo pernicioso per diversos Tyrannulos occupatæ sunt aliæ Civitates* Mediolano *adjacentes. Occurrentes discordiæ in* Mediolano. *Conflictus* Facini *per* Ottonem *apud* Miramundum.

Hestor Modoëtiam, & Jo. Piccininus Canturium *de progenie* Bernabovis *occupant*. Facinus Canis Vercellas, Alexandriam *& alia. Dux* Philippus *solam tenebat* Papiam, *sed Potentes* Beccariæ. Carolus Malatesta *Gubernator expugnat Castrum* Mediolani. *Mors* Gabrielis *in* Janua. *Mors* Antonii *Vicecomitis primarii auctoris tantorum malorum.*

Vindicta de captivitate, & morte primæ Ducissæ. Buccicaldus è Janua Mediolanum *venit. Rex* Franciæ *capitur à Rege* Angliæ. *Prædæ* Facini *de Civitate* Papiæ.

Laudes castri Papiensis. Dura servitus Philippi *sub* Facino. *Dux* Joannes *interficitur à conjuratis. Nomina eorum, quorum memoria hodie in Civitate extincta est.*

Hestor, & Joannes Picininus *capiunt* Mediolanum.

Mors Facini, *ejus Testamentum, Laudes, & Vita.*

LIBRI TERTII.

Felicia gesta Philippi. *Ejus connubium cum* Beatrice Facini, *è qua habuit* Vercellas, Alexandriam, *&* Novariam.

Ductore Carmagnola *intrat* Mediolanum. Hestor *fugit*.

Capitur Modoëtia. *Mors* Hestoris. *Capitur Castrum*, Comum, Canturium. *De concilio* Pisano. *De electione* Alexandri *Papæ, & ejus morte. Bella* Ladislai *contra* Florentinos. *Intrat* Romam *pulso* Joanne Papa. *Mors* Ladislai, *ejus morientis verba. Gesta in concilio* Constantiæ. *Creatio* Martini V. *extincto Schismate. Felicia facta* Philippi. Tricium *capitur*. Crema *recuperatur. Ductores* Philippi, *major* Carmagnola. *Mors* Castellini, *&* Lancelotti *de* Beccaria.

Furcis suspenduntur illi de Arcellis, *inspectante filio.*

Crudelitas Ottonis Tertii. *Ejus mors, & execranda de eo.*

Parmam *recuperat* Philippus, *Regio* Nicolao *dimisso.*

Initium Belli cum Pandulpho. *Recuperatur* Pergamum.

Papa Martinus *venit* Mediolanum *& dedicat Ecclesiam.*

De Beatrice *Uxore* Philippi, *& ejus morte.*

Facta Braccii, *&* Cabrini. *Capitur* Carolus *ab* Angelo *de la* Pergula.

Gesta Carmagnolæ *in territorio Cremonensi.*

Induciæ Philippi *cum* Venetis *ad annos decem.*

Victoria Philippi *capto* Ludovico Firmano.

Recuperatio Brixiæ. *Conflictus contra* Suecios. *Eorum strages.*

Concordia Philippi *cum* Florentinis.

Initium Belli cum Januensibus, *Duce* Carmagnola.

Dominium Januæ *acquirit* Philippus.

LIBRI QUARTI.

Initium Belli cum Florentinis *propter* Forlivium. *Conflictus contra* Florentinos. *Decernunt* Florentini *Bellum contra* Philippum. *Gesta in* Neapoli, *& de navali potentia.* Guido Torellus Neapolim *recuperat*.

Alfonsus *intrat, & prædatur* Massiliam.

Gesta per Philippum *in* Romandiola. *Capitur* Carolus, *fuso ejus Exercitu à* Philippo. *Ejus in* Carolum *Clementia.*

Mors Sfortiæ. *Mors* Braccii *in conflictu.*

Franciscus Sfortia *venit ad stipendia* Philippi.

Recessus Carmagnolæ *à* Philippo, *unde tot mala.*

Transitus Carmagnolæ *ad* Venetos. *Adversa* Philippo *fortuna, maximè ob æmulationem* Oldradi, & Zanini.

LIBRI QUINTI.

LIBRI SEXTI.

LIBRI SEPTIMI.

LIBRI OCTAVI.

LIBRI NONI.

F. AN-



F. ANDREÆ DE BILLIIS
RERUM MEDIOLANENSIUM HISTORIÆ
LIBER PRIMUS INCIPIT, ET PRIMO PROOEMIUM.

QUæ sum scripturus, nec oculis quidem perspecta dicere ausim, nec tamen longè repetita, aut quasi per alienas relationes imaginario quodam sensu audita; ferè enim præterita relegentes, vel quæ Seniorum verbis accipimus ea in præsens velut exemplaria cogitatione conferimus. Quæ verò ex præsentibus, & conventantibus audiuntur, quasi intuentes percipimus. Accedit Varietas sermonum, & famæ frequentia, qua fit ut vulgo quoque ac negligentes omnia rescicant. Ego verò quemadmodum dixi, ista nec præsens, neque omnino peregrinus refero ab tempore potius quàm (*) ultra ex hominibus cognita. Neque quæ cis triginta annos acciderunt, qua ætate partim ipse me me è medio rerum sustuli; reliquum ferè dimidium puerulus egi, cùm jam non liceret per ætatem facta comprehendere; tametsi, ut ferè liberaliter educati, non ignavus, nec iners ingenium (**), & domi audiebam multa, & in Civitate, atque in ipsa Dominorum aula, res novari, atque agitari videbam. Post itaque memoriæ deditus eadem vi quadam cogitationum revolvens, plus fortasse intellexi, ut quondam majores à pueris imbibita doctius recensemus. Ergo hæc potissimùm patriæ conscribimus, cujus primùm mihi res curæ est, tum nostræ quoque ætati, si quæ intervenerint, ne penitus interierint, potius quàm ut scientes doceamus; nec discedemus abs Vicecomitum nostrorum familia, ea modò, ut diximus, relaturi, quæ, ut ajunt, jam claudicantibus nunciis, per omnium voces jactata suscepimus.

TUm (1) itaque inter curandū Johannis Galeaz funus omnibus consiliis tutores atque amici agebant, qui res ita confirmarent, ne quæ novandi causa, aut occasio cuiquam foret. Ante A omnia, aperto testamento, legunt vel quæ Johannes de se, hoc est de corpore fieri voluerit, vel erga filios. Hi duo legitimi erant, Johannes ac Philippus; duo ex pellicibus, Gabriel atque Antonius. Omnibus præter quàm ultimo, additum nomini Maria. Funus Mediolani quàm magnificentissimè, atque opulentissimè apparatum est; verùm in speciem, nam corpus ex Melignano, ubi per secessum positus obierat, Viboldonum per subitationem Jure majorum rerum translatum erat (Monasterium illud humiliatorum est) ibique cum magnis divitiis conditum ac

(*) *Pertusat.* vel ex. (**) *Pertusat.* ingenii.

(1) *Pertusat. & Novar.* Cùm.

ac sepultum. Undique ex omni dominatu Nobilissimi concurrerant, convenerantque ex Regibus, & amicis significando, ac celebrando mœrori. Plurimæ legationes, omnium proceres ac primi maximorum ordinum lectum è Castro in majorem Ecclesiam gestarunt; plus triginta hominum millibus sequebantur, omnibus indutæ tetræ ex aula pro cujusque merito, aut ordine dilargitæ. Trecenti in equis, versis vexillis, variis insigniis adoperti comitabantur. Defuncti laudationem non minimè pro illo tempore infacundam habuit Petrus (2) Papiensis, homo nostri ordinis frater; cæteris (nam multi orationes dederant) eo maximè prælatus, quia stirpem Ducis nominatis gradibus in usque Æneam produxerat. Tum ita sedentibus Principibus apertum Testamentum: Tutores lecti Petrus Mediolanensis Archiepiscopus, quem ille in Minorum ordine educatum, per Vicentiæ, Brixiæ, Novariæ (3) Episcopatus in eum locum provexerat. Alter Karolus Malatesta Ariminensium Dominus. Inde Jacobus Vermius. Ii præcipui nominati erant; ita cæteris primoribus filii commendantur: Corpus ipse in partes legaverat; locis Christianissimis, celeberrimisque sepulchri Sancti Jacobi, atque Antonii ubique Ecclesiæ construerentur, velut ipse, quoque jam concedente Babylonio, Hierosolymis instituerat. Horum nihil præ rerum difficultate observatum est; Corpus delatum ubi diximus. Legata filiorum erant hujusmodi. Johannes natu maior Dux Mediolanensium declaratus. Subjectum Imperio utrinque Alpium, hinc Pergamum, Cremona, Brixia, Verona, ac Vicentia: inde quoque Pannoniis Feltrum ac Civitale, non ignota oppida, cum aliis obscurioribus Castellis. Inde per Laudum ex Placentia usque Bononiam, atque in ipsas Alpes per omnem Apeninum; In Tuscia Senas, egregiam Urbem, ac Perusiam dedit. Alteri nato Philippo Papiam legat, Comitemque decernit. Inde Novariam, Vercellas, Alexandriam, Terdonam, & quidquid in ea regione tenebatur. Gabrielem tertium, ex nobili, ac familiari pellice natum, Pisarum Dominum constituit, Lunamque, ac Saressanam cum plerisque ejus litoris Castellis conjungit. Quartum vix dum natum, quem ex rustica sustulerat, præterivit, cæteris modò infantulo commendato, ac neque in bonorum parte numerato. Reliquit sanè amicos ac pæne socios Venetos; Paduanum ex relaxatione filiorum, quos Bononiæ ceperat, jam ante constitutum vectigalem, is erat Franciscus, cognomen ei ex Villa Carrarius: Mantuanum itidem consertum in amicitiam. Quid opus est alios dicam? Non in Italia modò, verùm etiam ex Gallicis affinitatibus, quibus sibi & Germanos & Francos Duces adjunxerat; universum pæne terrarum orbem (tantum erat Ducis nomen) notum ac suffragatorem reliquit. Solus adhuc in Italia supererat Florentinus hostis, quem tamen malè affectum ægrè se tuentem, videbatur, si paulò plus superstes fuisset, confecturus, vix ut ajunt, unus atque alter hostem juvabant: imminentibus capiti plus ferme sexdecim equitum millibus, nec minore peditum numero, imperium modò expectantium, qui in agros irrumperent, ac pæne ab latere Senensium propinqui ad muros evaserant. Cæterum omnia unius hominis fatum abrupit, de quibus rebus dicturus, non ita quasi majora narraturus bella. Nam ferè quæ hac ætate aguntur casus potius rerum sese circumvolventium, quàm virorum gesta sunt. Non incommodum tamen fuerit tantam mutationem potentiæ, quam paulò ante omnis Italia spectaret, miraretur, loqueretur, agnovisse.

Relicti igitur impuberes (nam à decimo & infra decimum tertium claudebantur cum Matre in aula) præcipuorum hominum magisterio, alebantur. Nulli tamen contigit ad aliquarum literarum studium egregiè evadere: tum penuriâ nobilium Grammaticorum, quæ hoc tempore, ac dudum jam fuit; tum malignitate rerum, de quibus referemus. Quod primum est potentum vitium & quasi venenum, aulæ primores diffidebant: Consilia rerum Mediolani in Castro habebantur: id ferè consultabant quod minimè erat necessarium: quonam modo res Mediolani quietæ essent, quasi, ea arce immota, omnia illis tuta essent. Unus erat in aula Franciscus, cognomen Barbavaria, quem dudum Galeaz potentissimum voluerat; ad hujus invidiam cæteri ambiebant, ægrè ferentes tot Proceribus prælatum, quem pæne purgandæ aulæ ministrum meminissent. Illum tamen Dux, ita à viro monita, singulariter audiebat observabatque: Id verò etiam magìs curiam incendit, multæque per angulos coitiones ad unius hominis eliminandam potentiam factæ. Primi illi ab Duce nominati, quibus altior sensus esset, ut videre jam non se per has seditiones consuli, verùm tanquam Procuratores potius, quàm familiæ tutores, aut rerum administratores haberi, discesserunt, ultro aula abstinentes. Jacobus tamen summæ rerum intentus extra spectabat. Solus Archiepiscopus Mediolani restitit, ne pedem domo elaturus. Ille ire Bononiam pergit, quam eodem anno universi exercitus Legatus ceperat. Propositum erat, relictis in Tuscia copiis, quæ res curarent, reliquas in Provinciam, ac Mediolanum contrahere. Verùm ubi audivit Brixiæ non nihil è partibus timeri, eo ex itinere divertit, sequeintra munitiones, quæ castrum cingunt, locat. In aula jam discordiæ erant. Johannes (4) Linprandus cum fratre Giavaccio, juvene ad omne facinus prompto, unà & consobrinus Galeaz, Porri duo fratres Galeaz, atque Antonius, militiam gerentes; Saxus Arisius, Andreas Bagius, cum Johanne & Paulo fratribus omnes nobilissimi, proindeque ægrè memores non omnia dudum potuisse, hi curiam agebant, palàmque & Francisco & Viduæ adversabantur: quæ ut melius inimicitiis firmarent, Franciscum Vicecomitem in Urbem inducunt. Hunc turbulentissimum hominem Dux ingenii gnarus non quidem exulem, verùm expertem curiæ semper habuerat, huic erat frater Antonius, minus sanè malus, sed cui nec bona solerent valde placere. Primum hunc in curiam mittit, patiturque ire in castrum, & si minus provisurum, tamen ut de suo nomine sæpius referretur. Ipse paulatim in Civitate partes regionis Ticinensis ad sua consilia instruebat. Erat unus Johannes Casatius miles, ac scelerum

(2) *N. addit* de Castello. (3) *N. addit* Placentiæ.

(4) *N.* Liuprandus. *P.* Limprandus.

lerum infons, hujus etiam frater Georgius Manfredo, Barbavariæ Francisci fratri filiam desponderat. Johanni potissimum dati erant curæ pueri, quos optimis moribus imbueret. Soli tamen duo penes hominem erant. Nam spurius cum matre Agnete jam Pisas emigraverat, neque ita multo post Philippus Papiam ad destinatum Dominium concessit. Constitutum itaque inter aulicos primum hunc Johannem tollerent; ita demum Ducis ipsius potituros, quem si à matre abstraherent, nihil deesse, quo minus regerent omnia. Nec mora, parati qui operam pollicentur. Die Johannis festo innoxium trucidant: partim his, quos dixi, agentibus, partim jubentibus, aut consciis. Cæsus est in vico stricto contra S. Georgium ad Palatium. Illuc ad Antonium Vicecomitem perrexerat, nonnullos complicum alloquuturus, quos inter, & Barbavarios pacem tractabat. Vir integerrimus, sanctissimusque, & abs quo rite initium fuerit tot casuum ac nefandarum calamitatum, quæ post Civitati acciderunt. Hæc de curia agebantur. Verùm quod accidit, perturbatis Rectoribus, nec foris res stetere. Jam ex morte Johannis secundus annus vertebatur, quum interea Florentini nullo in loco defuerant, quin ubique semina sererent, Civitates modò ad societatem, modò ad libertatem modis omnibus ad (5) desciscendum vocarent, atque incitarent; copiarum duces vel ad se pollicitis stipendiis, vel ut quaqua dilaberentur elicerent. Nec difficile id factum est: quum malignè stipendia ex Mediolano præberentur, ab Jacobo, qui erat omnium ductor, ad Dominam mittebantur, cui vix ex domesticis seditionibus parebatur, filio jam in alienam potestatem facto, ex arce à matre in avitam aulam, quæ ex eo Galeacea dicitur, transferat, in dies apud potentes, quàm apud matrem, frequentior. Ipsi copiarum Duces ubicumque restiterant, stationes scires, quamquam ægrè tutabantur. Pandulphus præsidio Senensium datus, inde Florentinorum eruptionibus nec animo, nec robore satis firmo resistebat. Pisanos Johannes Columna itidem magno equitum numero tutandos habuit. Ergo Florentini ut vident parum adversùs utrosque (6) profici, malèque tutum domi bellum, convento in fœdera Bonifacio Rom. Pontifice, simul in provinciam nostram exercitus transmittunt. Præsens inter copias Janellus (ita vocatus frater Pontificis) earum Duces Paulus Ursinus, alter Mustardus atque alii ignotiores, ductore omnium Nicolao Ferrariensi. Hoc modo translatum in fines nostros bellum: ac fortuna mutari videbatur. Primùm in agris Parmensibus stetere; nec segniter his Otho Tertius repugnabat, undique tumultuariis certaminibus, ut erat armorum ferox nunc lacessens, nunc propellens. Tandem ad colloquia est ventum. Ibi tum Karolus pro Mediolanensi Duce respondebat. Janellus pro Ecclesia. Perusiam ac Bononiam petere Florentinus, tanquam ex composito in Societate Bonifacii usque adeò ausus fertur popofcisse licere, dum viribus posset; Senenses, Pisanosque ad jugum detrahere. Id Karolus sevocatum Janellum, tanquam ne Ecclesiæ quidem conduceret tam potentem socium fieri avertit. Ita concessum Bonifacio de his,

(5) *P.* desidendum. (6) *N.* proficisci.

A quæ ad Ecclesiam pertinerent, hoc est Bononia, Perusia, Ascisio, atque aliis, nulla in fœderibus Florentinorum mentione. Reditum inde in Tusciam, facta Janello Perusinorum potestate, quorum ille secum exules habebat. Hæc erat factio Nobilium, quos adversi, Raspantes dicti, non multo ante trucidatis super centum, & quinquaginta hominum, Civitate ejecerant, optimorumque illa cædes fuit, qua omnis ferè Nobilitas extincta, pauci, qui restiterant, spe potiundi reditus Janellum nunc adversùs exactores comitabantur. At illi sumpta reddendæ Civitatis pactione cum Janello pacem occupant, auspicibus Andrea Ubertino, & Antonio
B Sumano; qui tum in Civitate pro rebus Vicecomitum, alter Prætor, alter Quæstor fuerant: nobiles exclusi, omnique spe elusi, quaqua potuerunt, abiere. Senenses inter hæc tumultum fecerunt, non quo minus Duci afficerentur; sed res ex discordiis initium cœpit. Præfectus erat Senensium Georgius (7) Carrettanus, Vir fortis, ac sapiens. Is intellexit Franciscum quemdam ex familia Salimbenum res novare. Hunc haud dubium Florentini, quamquam spe ad libertatem populi, re tamen, & adversùm factionem Domini, & in urbis servitutem pecunia ita alebant, ut nunquam deessent Domi quotidiana convivia, quibus jam certa ac proxima sedi-
C tio oculis cernebatur; quum jam & conferri arma, & vulgo conveniri manifestum esset. Id ut Georgius comperit prius pæne quàm sensisse, aut suspicari potuisse putaretur Franciscus, ad domum hominis pergit inermis, nec multorum Comitatu. Itaque hominem salutat, pæneque interrogat quicquam ne novi in Civitate, quamobrem arma induerit: titubans ille ac ferè trepidus pauca sub vultum versus respondet: ut rem potius detegere quàm sese excusare videretur. Gubernator prehensum manu ad Palatium invitat, ne qua in re dubitet non ab se juvari, omnia ibi melius statui posse, quæ pro Civitate benevertant. Sic leviter nunc
D dissimulantem, nunc tergiversantem, fratre etiam reclamante, ut erant in equis, (8) pedetentim per descensum Salariæ in plateam, atque in palatium versùs perducit. Cernit ibi Franciscus, (quod primum illi admirationem, ac timorem dedit) per plateam frequentiores armatos atque ipse tamen armatus erat; in Palatium plures dispositi; rerum Ducis fautores non tamen pro numero adversæ partis, si audaces convenissent; hic recusantem ingredi Rector habenis prehenso equo visus est arripere; ita dum tumultuatur, plures concurrunt: Unus ex porta Prætorii refugere volentem levi veru-
E to rectus in faciem percussit; id fecisse ferunt (quamquam res obscura est; nam quis civili cæde glorietur?) Memmum Gazagium filium Thomæ, quem ex Senensibus Johannes carissimum atque honoratissimum fecerat. Eaque cædes paulò post etiam vulgo probata, quibusdam asseverantibus composuisse illum de Civitate Florentinis tradenda; quamquam ferè id non creditur. Ego potius cum aliis existimaverim nobilissimum Juvenem occasione novarum rerum sibimet dominatum (9) parare voluisse. Non restitit tamen in uno partium audacia. Erectus statim

(7) *P.* Cajetanus. (8) *P.* pedetemptim. (9) *N.* parere.

tim nocte insequente populus reliquos ejusdem factionis persequitur, juvante maximè Præfecto. Qui ex ordine Novem dicuntur, alios, qui appellantur duodecim, palatio ac potestate depulerunt. Ita qui se populum vocant, omnem Nobilitatem depressere: quatuor familiis acerbissimè mulctatis. Rubeorum, Ptolomeorum, majoribus atque æmulis, duabus quarum altera Salimbene, altera nomine opposito Maleversi (10) dicuntur. Hos verò non contenti Magistratibus dejecisse, etiam conati sunt penitus extinguere. Plerisque per id tempus in Civitate, vel privata nece, vel publica damnatione interfectis, reliquos Civitate expulsos dimissis cum præmio sicariis semper ex eo tempore ad internitionem persecuti sunt. Eoque (ut intelligas vulgus nunquam mediocriter insanire) furor erupit, ut illorum ædes quoque verterent, quibus nihil erat in tota Urbe nobilius. (11) Quin & postera die fertur idem qui Franciscum occiderat spe potiundi Episcopatus ipsum Civitatis Episcopum Domi pluribus confossum vulneribus pro interfecto semianimem reliquisse; nam lecto incubans senex corpus paululum cervical complexus obtexerat. Florentini ut videre Senensium rem non satis ad votum cogitatis fraudibus impelli, arma parant, bellumque in Senenses decernunt. Moxque illi, ut viribus impares, cum Janello, vel de Societatis fœderibus, vel commendanda Ecclesiæ Civitate colloquuntur. Quod veriti Florentini ne novum, magnumque hostem exciperent, pacem Senensibus non iniquis (12) conditionibus dederunt. Tum emisso placidis (13) conventionibus Præfecto, se se auctoribus, ac pæne Magistris Florentinis ad Remp. titulo populi componunt, eam usque ad hunc diem continua cum Florentinis pace tenuere. Paulò inde post literæ ex Mediolano referuntur, quæ Senenses suis legibus dimissos faciant, restituta omnium libertate (sic enim poposcerant) ac relata Castellorum signa, quibus visis præsidia facesserent, quorum tamen alia vi, alia pretio, alia favore educta erant. Ad omnia Florentinus juvabat, modò (14) videret Vicecomitum nomen pulsum ex Etruria; quod nec difficile, tutante nullo, obtigit.

Brixiæ quoque per id ferè tempus alius tumultus excitus, ac sedatus. Potentes montani paulò superbius se ab Johanne dudum habitos, duce quodam Johanne Viro audacissimo, & Cognomine Rocionum Nobili, omnem montanam regionem ad desciscendum cogunt, vocatoque ad Dominium Francisco Patavino, Urbem sub infestis signis intrant; interiores quoque munitiones, cui Urbeculæ nomen est, aggressi. Intus (quemadmodum diximus) sinè tamen præsidio Jacobus erat; sed eam partem Gibellini habitant; cùm ferè reliqua Guelforum esset. Is itaque evocatis ex Bononia auxiliis, in Urbem ex munitione egressus, hostes non magno labore ejecit. Johannem quoque in Monte cæsis compluribus, aliquotque obviis villis partium odio incensis, persequutus, Patavino Carrario minatus fertur. Quod postea in odium Venetorum lapso effecit. Atqui ne ex Etruria infecto negotio discessisse videamur; Pisanis gravior fortuna incubuit. Eam Urbem (quod ante diximus) Gabriel tertius filiorum Johannis in sortem patris testamento habuerat: sive igitur spurium Pisani contempsere, sive illos inverecundia Officialium irritavit (quam rationem ipsi quoque videre volunt) sive & civitas novitati rerum prospiciebat, & Florentini dolis invaluere, aut denique fata Urbis illius exitium petebant, erecti in arma sub signis populum ad libertatis spem vocaverunt. Juvenis ut qui nec virium, nec industriæ rationem haberet, dilapsus fuga protinus Genuam petiit. Mater (nam eam quoque secum habuerat) Agnes dicebatur, intra munitiones concessit. Quæ cùm à Pisanis expugnarentur crebroque & balistæ, & machinæ, ac tormenta utrinque jacerent, illa, dum spectat, ictu ruptæ machinæ percussa interiit. Amici juvenis sumpto de rebus consilio, nusquam apparentibus auxiliis, nihil aut tempori aptius, aut (15) perfidia Pisanorum arbitrati dignius cum Florentinis de retentis munitionibus, & Civitatis jure paciscuntur; parte pecuniæ numerata (super dimidium enim præter pactionem tenuere.) Mox amici Gabrielis cum tenui, si quæ erat, gaza abeunt, Florentinorumque introductum præsidium, frumentum, ac reliqua rerum copia importata. Ne verò Pisani citius ferè ab Domino, quàm ab se ipsis descivere. Quippe interim postea quàm libertatem conclamarant, revocatis exulibus, quorum plerique etiam nobilissimi, dato, acceptoque osculo in pacem quandam conjuraverunt. Non lætum id facinus Urbi: quo scias nihil ad perfidiam plus quàm fidem posse. Nam paulò post alii alios nihil tale ob pacis fiduciam verentes trucidavere. Hinc ad expugnandas munitiones conversi nec dies, nec noctes intermittunt. Tantus animorum ardor populo præsertim pollicitationibus decepto, ut nihil neque mœnia, neque arces ad obsidendum valere viderentur. Rapta cum incredibili furore, & comprehensa triremis, quæ per Arnum ad inferendos obsessis commeatus subibat. Multi juvenum nando ensibus ex summa aqua ad carinam suspensi pugnavere. Ita paucos dies frequenti oppugnatione adjecta munimentorum Pisani potiuntur. Incensi eo pudore Florentini exercitum instaurant; conductis undique stipendiis; auctæ copiæ; res uni Civium Gino cognomen Caponi commissa. Is ductores ad muros ducit; ibi triplicibus Castris Urbem cingunt. Multæ tamen eruptiones, multaque certamina fiebant; in dies verò fames acrior Civitatem premebat. Nihil verò aut tam Florentinos juvit, aut delevit Pisanos, quàm quod Genuenses lucro liburnarum Florentinis adhæserant; acceptis inde triremibus Arni ostium custodiebatur, ne quid inferri posset. Quo malo super modum Pisani afflicti; frustra Burgundionum Duci se dedunt. Quippe missum ad id nuntium Ginus in fluvium præcipitem dedit. Quamquam eas res post aliquot annos negotiatoribus Florentinis Parisius magno stetit tempore, uti forsan deinde referemus. Inventus tamdem proditionis auctor Johannes, cognomen Gambacurta, Patriam Florentinis vendidit. Infelix mercator, egregiam Urbem

(10) *N.* Malversi. *P.* dicitur.
(11) *P.* Quin etiam. (12) *P.* conventionibus.
(13) *P.* conditionibus. (14) *P.* videretur.
(15) *P.* Pisanorum perfidia dignius arbitrati.

bem ludibrium, quod vix hodie cernimus, esse dedit. Captis inde quoque per agros Castellis, Florentini intra annum, Pisarum quod nunquam speraverant, facti Domini, quamquam tanta pecuniæ effusione, ut in archivis (16) sumptum Pisanum montem pro magnitudine contracti ex Civibus æris nuncupatum habeant. Hic verò finis vexandæ armis Tusciæ. Reliquum belli in pacatos congerenda undique pecunia, tot inde annos per fas, nefasque, perque omnem mortalium, atque immortalium injuriam valet. Nec Bononienses, ut jam Cisalpina facta referamus (sic est illius populi ingenium) quievere; tum cernentes ex Mediolano res parum integras referri; itaque ad arma concurrunt. Præerat (17) Facinus munitioni, qua Dux ante Lombardiam versùs magnam partem Urbis non sinè gravi civium, quorum ædificia, aut includebantur, aut fossarum causâ diruebantur, detrimento cinxerat. Is ut sensit tumultum, omnibus copiis, quas super decem millia hominum ferè equitum habebat, Oppidum aggreditur. Vias omnes illi interjectis impedimentis quæque ex domibus potuerant objicere usquequaque sepserant. Ægrè tandem circuita per aliquot vicos Urbe in platea substitit, nonnulli quoque suorum pluribus locis ignes conjecerant; quod facinus omnibus ferè maximo periculo constitit. Quippe incensus illis flammis populus, qui tum numerosissimus erat, obsesso omni in plateam aditu, universos conclusit. Inde ex circumforanis domibus stantes, balistis & jaculis incessebant, quibus ictibus cùm plerique essent vulnerati, irritati alii, effracturi propinquarum ædium fores subierant. Ita jam crudescente ad viarum exitus pugna, prope erat, ut futura magna cædes videretur. Quod ut videre capita populi, sive Urbi timuerunt, sive movit verecundia, quod illius exercitum impugnarent, à quo essent paulò ante honorati (nihil enim re vera habebant quo justum imperium accusarent) in medium processere, simul ac vocatis copiarum Ducibus, convenerunt, ut innoxii intactique abirent. Dirempto eo modo prœlio facti ipsi usque ad portas comites, tutos dimiserunt. Nec difficile post ab Duce præsidii munitiones quietis conditionibus receperunt; momentoque & aggeres & turres, ut ne vestigium quidem superesset, diruerunt. Inde erectis populi insignibus, Magistratus suos, donec animis mutarentur, creaverunt. Nam paulò post ea quoque vertit Baldasar, cognomento Cossanus, Cardinalis, ac vir ferox, datus à Summo Pontifice Bononiensibus Gubernator. Amissus hoc modo intra paucos menses externus ille dominatus, quem Johannes tot bellis, tantaque auctoritate paraverat. Reliqua enim si qui per Alpes restiterant, alia Florentinorum fuere, alia Genuensium, alia demum subortis Tyrannulis (quorum sanè copia est) paruere. Nec Venetia felicius retenta. Non contentus Franciscus vectigalia negavisse, Brixiam vexavisse; Lombardiam in arma suscitavisse, undecunque posset, bella conducit. Ergo revocat ex Gallia Gulielmum cognomine Scalæ, quondam Veronensem Dominum. Duos tum filios hic habebat, unus iste Brunorius erat, qui hodie quoque apud Imperatorem versatur. Illico affuit Gulielmus admodum sanè parvis auxiliis, sed favori Civium fidens. Hi statim ad Tutricem Dominam scripserant, quo in loco res esset. Responsum factum quod sibimet providere videbantur, aut si quo pacto possent auxilia ab se expectarent, quæ mox submitterentur. Hæ tamen Jacobi potius quàm Ducis pollicitationes erant. Nam infensissimus Patavino, cujus potissimum auxiliis fretus Gulielmus movebat arma: Idem accessit ad Venetos cum mandatis Elisabeth, quibus postulabat sibimet Veronæ, ac Vicentiæ, Feltri quoque ac Cividalis curam susciperent, donec foret præsentibus periculis occursum, aut meliore loco sese filiorum (18) fortuna componerent. Non expectatis ejusmodi literis, ac legationibus, Veronenses veterem Scalanum unà cum Carrario in Urbem accipiunt. Non nihil adjuvit (19) Karolus quondam ex Mediolano in patris captivitate pulsus, aliquot millibus florenorum. Hos post ingressum Urbis repetens, postero die inventus est mortuus. Nonnulli tamen ferebant non ob restituendam pecuniam esse necatum, verùm quod uno verbo videbatur, ægrè tulisse insignia Vicecomitum fœdari, quæ omnibus in locis eruebantur. At meliore judicio quo malignior erat ejus mortis suspicio, eo sanè verior. Nec multo lætior Gulielmo ingressus fuit, nam simili parricidio, quamquam dicebant insueto, ac nimio armorum labore, paulò post extinctus est. Auxit suspicionem quòd Patavinus pro impensis arcem ab adolescentibus accepit. Paulò deinde pollicentibus pecuniam civibus rogatus redderet, in Urbem vênit, adolescentulisque per speciem solatiorum missis Patavium, sese Veronæ Dominum constituit, ereptâ nihilominus pollicitatoribus pecuniâ: qua confirmatus viribus contendit ut dominatum servaret. Juvenum solus Brunorius ex Padua in Germaniam defugit. Ipse dehinc Vincentinos petit. Illi quum ex Mediolano aut nihil de auxiliis responderetur, aut ad Venetos remitterentur, sæpius a Venetis repulsi, tandem metu Carrariensis potentiæ, quæ nimis apparebat, sponte dedit, liberalissimis fœderibus accipiuntur. Mox illi (20) in castra ad Franciscum tubicinem mittunt, qui jubeat deditiitiis abstinere, ægrè ille ac tandem respondet, obsidionem soluturum. Cæterùm ejus quoque pœna rebus debebatur. Filius nequior patre, atque avo adolescens, cui nomen Franciscus Tertius, veniens in castra, nuncio obvius auditum quid referret, contra jus gentium trucidat, neque ingressus castra à patre est increpitus. Audito Venetiis flagitio, nulla fuit mora, quin Patavino bellum decerneretur. Itaque coacto exercitu, missoque super Paduanos agros, Franciscum ex Vincentina obsidione ad tutandas res suas convertunt, neque ita multo post Veronenses (21) Vincentinis ad Venetos succedunt. Ibique captus optimus filiorum Francisci Jacobus, quem Venetias ductum in vincula conjecerunt. Patavii bellum summa vi geritur. Ductor armorum pri-

(16) P. sumptuum montem Pisanum.
(17) P. Fazinus.
(18) P. fortunæ.

(19) P. Karolus Bernabovis.
(20) P. ad Franciscum in castra.
(21) P. Vincentinis succedunt: ibique.

primus Malatesta Cæsenaticus, vir impiger, omnia perturbat, facilèque ex agris in Urbem compellit: eo & maximus agrestium numerus convenerat, quibus Franciscus (nam paucos habebat mercenarios) pro defensoribus utebatur. Vix est in Italia Urbs usque adeò mœnibus, & aquis munita, quibus & ipse multa adstruxerat, ducta per agros multorum millium fossa plus triginta pedes lata, & profunda, qua hostes accessu ad Urbem Venetias versùs quinque millium spatio arceret. Dehinc in agris longius ab Urbe diversis locis aggeres, & castella communierat. Verùm quod semper accidit, omnia penetrat, ac diruit validior, numerosiorque armatus. Nihil igitur ista profecere, quin mox intra muros cogeretur. Paululum tamen segniorem fecit obsidionem Ducum mutatio. Malatesta Domum revocatus, ad majores Neapolitani tum crescentis Ladislai spes discessit. Huic suffectus Sabellus Paulus acerrimè munimenta instaurat. Castra erant contra Portam Sanctæ Crucis, quo ab exterioribus subsidiis (nam inde plura Castella in fide tenebantur) prohiberent. Ex his visus est, qui in arce Montis-scilicis præsidebat, velle se dedere. Ad id constituto die Missus Galeaz Mantuanus, castraque magna parte equitum nudata. Quod ut Franciscus advertit, sive (ut vulgo ferunt) à Præside Arcis ictu tormenti monitus raptim eductis ex Urbe quicumque arma ferre possent, castra adoritur. Nec spes eo die dissipandi belli fefellisset, ni revocatus Galeaz, (nam paulùm aberat, decem enim millibus Castellum ab Urbe distat) redisset auxilio: castris jam se se ægrè tuentibus: vexilla ductoria in manu hostium erant, captaque ad Franciscum delata, ac pleraque ex tormentis in Urbem trahebantur. Commotus ad injuriam Dux, simul irritati omnes ad demendam Ducis, castrorumque ignominiam, Galeaz fortissimè rem gerente, in hostes feruntur. Nec diu illi certamen sustinuere: compulsi fugâ in oppidum recurrunt, tantusque fugientium tumultus fuit, quum undique in portas ruerent, illique instarent tergo, ut relatum sit plus trecentis ex ponte in amnem lapsos cecidisse, ex quibus multi in gurgite extincti, multi ad hostes ex cursu fluminis ducti, nec pauci inter vias per tumultum oppressi cæsique. Fuit is finis prodeundi oppidanis: simul exteris castellis spes auxilii dempta. Itaque uno die Mons-silicis, ac Montagnana, & nonnulla ejusmodi Castella in potestatem Venetorum concessere. Ita deinde sub mœnibus perseverat obsidio. Verùm paucos post dies Sabellus morbo implicitus moritur, vir per omnia suæ ætatis egregius, summus nobilitate Romana, neque scio an hoc dicam Virgilium de his loquutum, ut, qui primi ex Romanis stirpibus fuere ultimum hunc verè Romani generis arma gerentem habuerint. Sed hæc alieno proposito. Subjectus Regimini Galeaz, vir quantum eo tempore militaris roboris esset acerrimus. Eo itaque in dies spectabat, si quid facinoris edere posset, ut castra ipse rexisse putaretur, denique statuit in muros rem experiri. Hac igitur succedit, qua minùs defensa videbantur, reperitque minùs opinione resisti, erectis igitur crebribus scalis, inde in suburbanum (oppidum Sanctæ Crucis vocant) irrumpit. Adhuc tamen urbs integra restabat, quanquam asperrimæ res erant. Primùm annona laborabatur, nam Franciscus quum primùm Veronam cepit, eò ex Patavio omne frumentum convexerat. Tum aliud commune, atque irreparabile obsessorum malum, pestilentia gravissimè urgebat. In Urbem, ut diximus, ex agris passim confluxerant. Ita multiformi contagione morbi vagabantur; corpora item multa fame conficiebantur, ut ferme ipsa debilitate tabem contraherent; imbecillioris sexus atque ætatis corda continuis pavoribus exanimabantur, quo sanguinis, ac viscerum motu pestis inurget. Denique omnium Civium animi diurnis, nocturnisque præsertim insuetis laboribus afflicti vexabantur: quæ omnia solent ejus generis morbis fomitem dare. Sæpe ipse intellexi per id tempus habitam rationem plus quadraginta millium capitum, quæ tum absumpsit pestilentia; quo fiebat, ut per muros rariores, ac segniores essent vigiliæ: ne portæ quidem firmis, nec fidelibus præsidiis custodiebantur. Quibus rebus non tam victus, quàm desperatione prostratus ille ferox Francisci animus, ipse quoque potiùs mortem, quàm salutem quærebat. Auditus nonnunquam, quum per muros visendis custodiis circuiret, quasi amens Diabolum ad sese interficiendum nomine invocans, quandoquidem ab omni humana divinaque ope exclusus videretur. Interim tamen plerique civium haud minùs Civitati quàm Domino solliciti inter se legationem eo auctore ad Venetos statuunt, si quo pacto possint ad Civitatis miserationem flectant, ipsique Domino, si quæ via sit, veniam ab hostibus precentur. Quamquam fertur, & huic legationi adversatus tertius, quem diximus Francisci filium, quum ille in castra (22) petitum isset, imperatos quoque pro se Legatos Venetias mitteret. Audita benignè pro Civium respectu legatio, hominis temeritatem, quantum fieri poterat excusantium, qui potiùs temporum, quàm suo sensu in id bellum incidisset, quippe qui semper Venetum nomen coluisset: quem ipsi hactenus continuis beneficiis coluissent; facilè eâ fiduciâ elatum, nunc armatum fuisse, quum illi de Vincentinis nova statuissent, quæ si omnino credidisset, nunquam fuisse arma retenturum. Nec dubium captam quoque (23) Vicentiam fuisse Venetis, quando ita voluisset, largiturum. Maximè verò orabant, Civitati innoxiæ parceretur, quæ jam tot cladibus exhausta, & consumpta esset: vix superesse populum, cui pax, ac salus detur: tot corporibus morbo extinctis: huic tamen qui supersit, necessitate rerum communem esse cum Domino fortunam: simul (24) utrisque aut concidendum, aut (25) vivendum. Postremò ut meminissent, hunc Civem Venetum esse, quem à prima ætate pæne in delitiis habuissent: hanc esse paratam, dignamque eorum clementiæ materiam, ubi si vellent, uno veniæ beneficio, & præterita omnia & quæcunque sperari possent, cumularent. Hæc ferè Patavinorum fuit oratio. Facta dehinc consultatio. Venetorum nulli sanè id placuit manere Patavino, post tot commissa, Dominium, eruendum potiùs, quàm

(22) *P.* peditum.
(23) *P.* Vincentiam Venetis.
(24) *N.* similiter.
(25) *P.* convivendum.

[illegible] sæpiùs habendum hostem. Ita commissum Duci, qui legatis rem planam faceret: omnino Venetis constare, & persequendum tyrannum, & habendum Civitatis imperium. Dux Venetorum (id enim caput est omnium apud illos magistratuum) erat Michaël, cognomen familiæ Stennus. Ergo revocatis legatis, ferè in hanc sententiam ex omnis Senatus voluntate respondit: Non esse Venetis cum illorum Civitate bellum, quam semper ut sociam, & bona fide junctam habuissent; nec se id bellum quæsisse quod Vincentinorum miseratione suscepissent; coëgisse unius hominis, qui se Civem Venetum ferret, non temeritatem (26) modò, ut illi dicerent, verùm amentem quandam, ac sceleratam perfidiam, quæ jam non posset diutiùs ferri. Neque oportere eo loco præsertim apud benevolentes proferri, quantum ex illo dudum pertulissent. Nunc scirent statutum Venetis, aut perimendam illius ferociam, aut Veneto Dominio esse omnia incommodanda. Proinde renuntiarent, sibi priùs fuga, aut morte consuleret, quàm eorum vinculis teneretur; tum id civibus referrent, omnibus parci, nec secus quàm optimorum amicorum loco fore, si se, illo vel ejecto, vel trucidato, ad Venetos meliores Dominos, quibus velint fœderibus, composuerint. Illi cum his responsis Patavium redeunt, non ultra Venetias reversuri, nisi ut de Civitate referrent. Quibus de rebus dum inter Cives agitur: nihil pro tempore disponebatur: nihil jam pæne obruto sensu metuebatur: ut erant omnibus malis affecti, vigiliæ quoque in portis negligentissimæ erant. At contra hostes ingentibus præmiis desponderant, quisquis muros primus ascendisset. Erat in Castris quidam Florentinus, seu nomen, seu cognomen, Quadragintaocto vocatus. Hic primùm conspicatus nullas nocte fieri vigilias, statuit scalis rem peragere. Itaque quum eo tempore imber quoque gravis omnia obstupefaceret, facinus aggreditur, uno solo super pontem constituto, quem & ipsum dormientem mox jugulat, dehinc socium, quo uno erat comitatus, in castra remittit, qui Imperatori nuntiet urbem in manu esse. Nec cunctatus Galeaz auxilia submittit: momento pluribus erectis scalis: Porta ad Sanctam Crucem capitur: serisque perfractis, pontem relaxat, ac Dux cum omni exercitu ingreditur. Franciscus ex Aula in Castrum per viam tyrannicam se recepit, ubi jam & re, & spe destitutus, vocato ad colloquium Imperatore, de salute sua ultimum consilium exquirit. Ille refert, nihil se scire, aut habere, quàm si ex Venetis imploret; tutus eat, præter vitam multa fortasse impetraturus. Itaque ea spe inductus, relicto eidem ad custodiam sub fide Castro, versùs Venetias per amnem proficiscitur. Nec dum Oriachum dimidium itineris attigerat, quum pœnitentia motus consilium, ut erat animi impos, revocat, præsertim nuntiantibus quibusque ex ripa obviis, vix, si iret Venetias evasurum, quin à pueris discerperetur, aut obrueretur lapidibus. Quo pavore attonitus jam prorsus amens Patavium revertitur, castrumque ingressus vacuum reperit. Nam Galeaz, ne iterum opus esset pugnam nova obsidione extrahi, omnia effuderat. Quippe locum, vel magnitudine fluminis, vel ambitu murorum munitissimum, omnium rerum, quæ ad vitam suppeterent, copiâ refertum, machinis præterea ac tormentis instructum intellexit vix unquam posse expugnari. Frustra ille depositi fidem quærens, summa tandem desperatione admonetur, qui se ad Venetos referat, non passuros diutiùs ad genua pro salute deprecantem. Sic ille nec fidens, nec sperans, neque aut divina aut humana satis cogitans, Venetias navigat, secum habens filium, cujus pæne temeritate in eum locum venerat, auspicatus nescio quid fiduciæ ex consuetudine Venetorum adolescentium, qui Venetias plerumque euntem gratissimè comitari assueverant. Non tamen permissus eo die Civitatem ingredi; in noctem apud S. Georgium, quæ est Suburbana Insula, custoditur. Factumque interim consilium quidnam de eo fieret. Longè sententiæ variabantur, quum demum Jacobus, quem ante diximus ab illo intra munitiones Brixiæ coactum, jussus sententiam dicere, multis commemoratis, multaque forsan ex eodem capite si viveret futura referens, qualemcumque hominis mortem decrevit. Tum ab cæteris præcipuè Senioribus, qui meliùs pericula, ac mala meminerant, in eandem sententiam itum est, frequentique consilio mors hominis decreta: verùm ut priùs in præsentiam vocaretur, locoque judicii publicè corriperetur: de his rebus Michaël Venetorum Dux verba faceret. Itaque in Senatum per custodes introductus ante ipsum Ducem paratæ damnationis non inscius stetit. Ille (ut est visum) in tyrannum per summam acerbitatem multa est loquutus, è quibus hæc ferè emanarunt: *Si te*, inquit, *crederem posse, quicquam his quæ dicturus sum referre, priorem certè locum dedissemus, qui verba faceres, seu velles errata excusare, seu undecunque sperandam veniam precari. Nunc quum te omnes intuemur, qui neque ex omni ætate quam vixeris, neque modò si veniam demus, sanitatis spem facere possis: nempe ex majoribus accepta malè gerendi indicia majore ipse animo es persequutus. Neque adhuc tua pro ultimis habenda essent, quum ipsum filium edideris, qui jam planè se paternis odiis superesse velle adjuret, multis facinoribus eam voluntatem protestatus. Quid itaque expectaverim ipse priùs in causa sermonem haberes? aut quid ego velut accusationem reo detulerim, cui nullus satisfaciendi locus, nulla justa deprecandi spes, aut ratio supersit? Ne tibi quidem vita potiùs, quàm ingenium officit: omnia dudum suscipienti ac paranti, quæ crederes Venetorum paci, ac nomini fore adversa. Nec satis erat, quòd erga immeritos unus inimicitiam gereres; quoscunque unquam potuisti hostes huic dominio* (27) *quibuscunque artibus, atque auxiliis reddidisti, tanquam patri tuo hanc operam deberes, qui totius generis invidiam graviore odio ulciscerere. Taceo quotiens in Italiam peregrina arma advexistis; quotiens barbaris hostibus ad perdendos nos fœdera, ac manum conjunxistis; quotiens ipsi impiis bellis Venetum nomen lacessistis. Quis nescit patrem tuum Germanici tumultus auctorem fuisse? Simul & mendacibus literis auxilia adversùm Gallos petentem à nobis, & illos ultro nefariis pollicitationibus evocantem? Ita demum Transalpinis bellis affecti, Tarvisium amisimus. Nec diu pater tuus dissimulavit ejus facinoris auctorem, quum parvo evoluto tempore eam* Civi-

(26) P. modò, verùm.

(27) P. quibusque.

Civitatem ab Duce Austriorum emit, & quidem pecuniâ ex vendito Venetiis frumento per dolum coactâ. Quid referam Genuensium bellum, in quo & si nobis victoriam Deus contulit, eo tamen loco, ac periculo res Venetiana fuit, ut pæne crederetur (28) nunquam ultra in hac Civitate Dominium fore. Neque ipse ignoras, patrem ejus belli causam, ac Ducem fuisse, quam si fortè illi audissent (quamquam piget ea pericula reminisci) dudum de nostris rebus actum esset. Dedimus tamen veniam petenti: actu ipse meminisse debes, qui patris loco (nam ob admissum Venetiis parricidium noster interdictus erat) huc ad pedes nostros orandæ veniæ interpres advenisti. Possem eodem modo & clades nostras, & pericula, & casus memorare, quibus stirpem vestram infensam semper habuimus. Tandem coacti in Societatem Joannis Galeaz Mediolanensium Ducis succedere, quo bello vobis Patavium ademit, restituto nobis ex fœdere Tarvisio, patremque tuum in Arce Modoëciana coëgit mori. Nos te tamen paulò post ex Germania redeuntem læti vidimus, atque accepimus, auxilioque, ut restituereris benigni fuimus. Verùm quid nostra in te repetam beneficia, qui semper & te, & patrem, & cæteros tuos non sanè ut vicinos, aut finitimos, tanquam optimos certè, & honoratissimos Cives coluimus, semper maximisque beneficiis, ac lætissimis honoribus impios, & ingratos homines persequuti; ut si ipse possis verum fateri, non neges profectò majora esse dona, quæ ex Venetis nobilibus ipse abstulisti, majora inquam fuisse opibus tuis. Nec tamen unquam nostra liberalitate vesanas tuorum existimationes ad justam benivolentiam flectere potuimus, quin te ipse potissimum hostem gravissimis suspicionibus declaraveris. Jam plures annos eo semper intentus, quasi contra potentiam nostram fines tuos custodires. Jam denique optimo & æquissimo omnium rerum Judici Deo gratias agimus, qui sive furiis tuis finem facere instituit, sive nobis pro tot frustra in malignitatem tuam collocatis rebus merita referre, te ipsum sub potestatem nostram dedit; eos fortasse Venetos ad perniciem tuam (29) inventurum, quos nunquam ad (30) salutem accipere noluisti. Illi nec vultus, nec animus inter hæc steterat, qui posset vel de objectis, vel de vita, ac spe verbum referre. Nec sustinuere diutiùs præsentiam Seniores. Jussum duci in vincula: paulò post ex eodem decreto in carcere cum duobus filiis necaverunt. Dein reliquam stirpem, si qui fortè in manus venerunt, simili exitio confectati. Ita Veneti quod nunquam antea pæne (ita dicam) speraverant, maritimo Imperio terrestrem quoque dominatum è nostris cladibus adjecere; id perpetuâ curâ observantes, ne quis pulsorum in eas Civitates reverteretur: vetusto more populos haud minùs severis quàm æquis legibus, tamen in pace, continentes. Sed ipse ea deinceps velut aliena, intentior domesticis præteribo.

(28) P. nunquam in hac.
(29) P. incenturus.
(30) P. salutem tuam.

F. B. ANDREÆ PATRIÆ HISTORIÆ LIBER PRIMUS EXPLICIT.

SECUN-

SECUNDUS VERO FELICITER INCIPIT.

LIceret quidem simul cum his quæ scribimus, & patriæ fortunam queri, sæpeque etiam malis nostris deplorandis lachrymas dare. Quandoquidem jam nostræ calamitates in manu sunt, quibus ferme numquam par fuit illa antiqui Ducis nostri gloria, tametsi ille omnem Italiam, aut imperio, legibus, aut more & societate, aut metu, ac fama continuit. Ea verò si quæ fuerunt bona, non modò cum ceteris communia erant, verumetiam apud exteros potiora, ut nulli non relatarum Civitatum defectio sua aut deflenda, aut certè pœnitenda fuerit. Soli Senenses quieta pace integri stetere, semper tamen memores, contentique per id tempus optimo Domino paruisse. Nostra omnia pro perniciosis calamitosisque habenda sunt, si id tamen satis credi potest: Nullum tam magnum malum esse, quod non discordia paret. Verùm scio aliud officium, tempusque historiæ esse, aliud querelarum, præsertim ne quis putet minorem fuisse locum vero, ubi memoriam (1) luctus exceperit. Itaque interim facessendum lachrymis, dum acta referimus: gratiæ habendæ divinitati, quæ nos, si patiamur, levioribus malis ad se collîgat. Sed hæc satis. Illud malim intelligi mutatione nostrarum rerum Italiæ statum conversum esse. Veneti hoc modo nomen suum latè vulgaverant, nostris rebus ampliores. Florentini quoque haud dubios totius Tusciæ administratores ostenderunt, accedentibus ad auctoritatem compluribus Etruriæ Populis, & Castellis. Reliquum Etruscorum Perusiam, atque inde Romam versùs, mox, ut ferè consueverat, multa tyrannorum segete, pullulavit. Cui & Benedictus Romanus Pontifex vulgata Ecclesiæ potestate haud exilem materiam præbuit. Nec passus tamen Deus Italiam capite orbatam videri, sublato inter Neapolitanos Ladislao. Hic fuerat Karoli Potentissimi Viri filius, quem Patre mortuo in eum locum fortuna redegerat, ut pæne cogeretur omnem paterni nominis memoriam ponere. Nutritus apud Gajetanos, qui soli ex omni Apulia fidem retinuerant. Factus inde adolescens mox de paterno regno cogitat. Nec tamen visum posse in tanta rerum malignitate consilium succedere, cui nec facultas esset, neque auctoritas. Primùm igitur statuit facultatibus, si quæ essent, viam dare: nihil verò ad rem concurrebat, quam adversùs perfidos, & simulatores simulatione fidei uteretur. Ergo ex fraude conjugii initium capit quæsita in uxorem filia Manfredi Clarimontani longè Siculi nominis hic Princeps erat. Eam verò, factus paulò potentior, quòd non diceretur regiæ stirpis, manu prehensam uni Comitum suorum Ludovico Capuano uxorem adjudicat. Cui illa: *bene*, inquit, *exulta miles, qui Reginam pellicem tuam habes*, quo mœrore confecta propediem moritur. Aliam respondet sororem Regis Cypri, quæ & ipsa non multo post diem obiit. Petiit inde matronam comitem, ut diceba-

(1) *P.* locus excepit.
(2) *P.* emerserunt.

tur, Liciam. Hæc uxor fuerat Raymundi Ursini, vidua locupletissima, ac gemina prole superstes. Ille Nolanus Comes, ac Princeps Tarentinus; nec dubium quin conjugio fœminæ ac divitiis puerorum Ladislaus regnum adeptus sit. Hodieque vidua cum filiis Maria vocata, retento etiam Reginæ nomine, Tarenti vivit. Jam igitur Ladislaus partem regni occupaverat; jam Neapolitani Regem sperare cœperant, quum per Calabriam, & Apuliam multa possideret. Eodem consilio ad cetera intentus, comites qui dicebantur Sancti Severini, dolo aggreditur, tanquam velit in regno primos esse. Læti favorem accipiunt, ut qui cuperent super Ursinos videri, quorum erat magnum in illis oris nomen. Denique ad unum ferè singulos astu in regiam convocatos, comprehensosque obtruncat; sic deinde ceteros ejus ore tyrannulos aut vi, aut pari dolo conficit. Quamobrem factus omnis illius dictæ quondam Majoris Græciæ Princeps, Regem Neapolitanum paternis nominibus, ac titulis profitetur. Quæ ita mihi visa sunt commemoranda, quòd & nostris temporibus inciderunt, cujusmodi de rebus decrevimus nonnulla referre, præsertim quæ è nostro discrimine (2) emerserint, & magna ex parte casibus nostris maximèque hujus Philippi, de quo plura dicenda (3) sunt, consilia extiterant. Itaque ad nostra redeo, tametsi vix modus referendæ calamitati haberi potest. Johannes, ut ante diximus, abreptus à matre in potestatem Francisci Vicecomitis, ac totius conjurationis venerat. Vidua in Castro auxiliorum, consiliorumque inops versabatur. Nullum itaque hinc responsum subditis vectigalibus dabatur, nec ullum in Civitatibus regimen. Omnia seditionibus in partes divisa; tum, ut quique plus poterant, ita ad se contrahebant omnia. Infelix Comum inter Victanos Rusconesque feralia familiarum, ac partium nomina, agebatur, quum alii Guelphos, alii Gibellinos profiterentur. Eo omnes montani Incini, Galbianenses, Leucenses, ad prodenda facinora vocabantur. Missus ex Mediolano Pandulfus, auxilio Rusconum introductus, omnes simul in prædam dedit: quæ pro tanto oppido fuit incredibilis: quippe & nobilissimi, & ditissimi negotiatores incolebant, opportuno loco siti ad lacum Larium, qui inde in Alpes Gallicas magno tractu porrigitur, quasi publicum totis Alpibus forum, ac Mediolanensibus quoque permagno questui, quà ad Germanos transitus est. Itaque gravi dolore qui sana cupiebant, socios direptos acceperunt. Tanquam ex integro autem seditiones in Aula ebulliebant. Non contenti hominem, de quo supra diximus occidisse, aut ipsum dominum in suam potestatem traduxisse, matrem quoque statuunt Urbe pellere. Primùm in Barbavarios, velut qui temporibus Galeaz gravandorum tributorum auctores fuissent, plebem concitant. Itaque ad singulos discursum, direpta Domus Francisci, quæ Palatium Curiæ contingit, non inven-
tus

(3) *P.* sunt. Itaque.

tus ipse jam pridem ingressus castrum, unde nec pedem efferebat. Tum ad alios, ut quique opibus eminebant, itum: maximè autem Guelfi premebantur, quo tempore & familiæ nostræ (hæc (4) Bilia vocatur) ingens periculum fuit, tum affinitate (5) Casatium, ac Barbavariorum, tum divitiarum famâ. Juvit tamen & innocentia nominis, quod in plebe erat, & unius familiæ capitis Jacobi prudentia (6) simul, & audacia. Quem, nisi metuerem propinquitatis arrogantiam videri, profectò dicerem primarium fuisse hac ætate, & principem nostræ Civitatis. Unus sæpe totius vulgi furorem repressit: unus in ea perditorum rabie plurimas domos servavit. Sic statutum erat neminem superesse, quem non adversæ partis facerent, modò esset locupletior, ac pulsos aliqua amicitiæ parte contigisset. Nec ante destitere, quàm tractum ex summa Ecclesiæ turri Sancti Ambrosii Abbatem trucidarunt. (7) Omnium maximè auctores Bagii, ac Luprandi. Itaque etiam impellunt plebem ad oppugnandam urbeculam, quæ castro adjacebat. Ejus munitiones justæ Urbis circuitu ad usque Portam Vercellinam tendebantur: vix ulla vi expugnabiles, ni vidua sponte diruendas tradidisset. Vix nunc apparent tot fastigiorum ruinæ. Non tamen impunè id omnibus actum quippe comprehensos in castro geminos fratres Porros, simul item Galeaz Luprandum, cujus manu erat Joannes interfectus, truncos (8) capite prima luce summo cum stupore omnium in forum misit. Quamobrem territi partium principes, quòd adversùs Dominam nequibant, in cives quoscumque appetissent, crassabantur. Illa verò seu metu quo rabidos absens mitigaret, seu etiam commodiùs provideret, ex Castro Modoëtiam adversis omnibus commigrat. Non visum Barbavariæ velut ad certam perniciem sequi super Novariam ad Vallem, cui nomen Siccida ex amne, ubi illi datorum ab Duce Castellorum Comitatus erat, pergit. Hostes columbam in pullarium introisse rati, per arcem, cui Johannes Posterlanus præsidio erat, in oppidum introducti viduam capiunt, simul plerosque Civium nobilissimorum, qui aulam comitabantur. Pandulfus vix è strato nudus perfugit; Tricii, ut erat altero pede incalceatus, recipitur. Hinc acceptis cum signo literis Brixiam tendit, seque oppido, ac munitionibus traditis, Brixiensem Dominum appellat. Illi captivam in arce paucos post dies veneno extinguunt. Nihil enim verò tum in fide mansit, cuique Castello suus Dominus. Bergamum Suardi, prima ejus oppidi familia, obtinent. Tricium Cogliones ex Bergamo profecti, occiso per dolum Præside, occupant. Cremensibus Georgius cognomine Benzonus se tyrannum constituit. Laudi Johannes ex macellario Rex factus. Nunquam tamen non ante mutua cæde parentatum (9) quàm posset quisquam oppressis cæteris dominari. Cremonæ latior cædes. Primùm Jo. (10) Ponzonus maternæ nostræ consobrinus Vir, quum Dominium cepisset, juvenis ingenio mitior, extinguitur. Succedunt rebus dicti Cavalcaboves. Verùm & his interveniens cognomen Fundulus, Pisgutinensis diverso favore inductus, sceleratâ audaciâ dominatum capit. Tum eosdem aggreditur, à quibus acceptus erat. Nonnunquam sanè audivi septuaginta ex ea Domo, aut prope, quanquam diversis temporibus occidisse, quorum ferme sex militaris ordinis, quos uno noctis principio necatos in putorium locum demersit. Tot mala nostræ clades meruerunt. Mediolani quoque omnia incrudescebant, bacchantibus in Civium cædem scelerosis, quo metu abibant multi. Casates cuncti cessere, Cusani, Raudenses, currentes, quorum nobis cum quatuor avunculis avus, multi alii facti ob eadem pericula exules. Magna pars Laudum, alii Tricium, aut usque Brixiam contenderunt. Denique plures collecti ad urbem veniunt. Nec mora, per Portam novam accepti intrant principes factionis. Hinc Otho ex Rusconibus, inde Joannes Laudensis, verùm ea spe ut ingressis Guelfi occurrerent. Præcipuè verò putabant nostram Domum, quæ captæ Portæ sat propinqua erat, mox ad tumultum erigi. Quod si fecissemus, haud dubitem eo die de omni Gibellino nomine in ea Civitate actum esse: tantus erat affinitatum ordo, tantus Clientelarum numerus, qui rem juvissent. Quippe soli in ea Civitate, omnique Italia metallicum artificium componimus. Noluit Jacobus tantæ ruinæ viam dare, seque ac suos continuit. Nec tamen suppressum vulgus, quin pulsis illis ad Domos prædaturi venerunt. Memini puer eo die sub tectis nostris cœptam cum popularibus pugnam, obstructâ firmissimis trabibus, & catenis utrinque viâ; nec dubium magnam futuram fuisse hominum cædem, ni se Jacobus furori auctoritate interposuisset; hac sola prohibuit, ne ab illis interficeretur, quos velut concionabundus nunc hos, nunc illos compellans longè sequutus erat. Latè dehinc manavit furor, comprehensi, aut fugati quique ad eam Portam spectabant. Nec modus usque cædibus, aut rapinis: affecti variis suppliciis multi: coacti alii se ex vinculis pecuniâ redimere, ac plerique tamen soluti vinculis mox obiere mortem jam ante in vinculis cœptam. Nobilissimi plures publicè damnati, ac perempti. Unus inventus scelerum minister, Marcus, cognomine Pilotus. Hunc tandem ferunt dixisse Francisco: *Tu mihi hominem dederis, meus labor sit mortis causam invenisse*. Itaque laxata in Guelfos judicia, ut nemo insons haberetur, præter quem extrema calamitas tutum faceret. Soli, ut planè ita dixerim, ex omni factione restitimus. Exules identidem omnia extra Urbem vastare, alii ex Laudo, alii ex Tricio, quique in suas regiones discurrentes; nec cædibus, aut ignibus temperabatur, dum partes occurrissent. Deleta per id tempus ferè omnis, quæ ad Orientem spectat, Regio, nec vicorum, aut castellorum numerus referri potest, quæ tanta nunc cernuntur exusta. Comum item Ruscones ceperant, tametsi paulò ante mi-

(4) *P.* Billia. (5) *P.* Casacium.
(6) *P.* simulatque.
(7) *Hæc Glossa adest in solo MS. Clar. V. Apostoli Zeni*. Immo de alta turri Fratrum Minorum ibi vicina Abbatem Joannem de Lampugnano amicum J. Barbavariæ Monasterii Sancti Ambrosii in prædam ponentes illud tam celebre Monasterium, quæ puerulus vidi.
(8) *P.* capita. (9) *P.* qua.
(10) *N.* Benzonus.

mirabili præda consumptum. Complices igitur quo paulùlum vesaniam occultarent, & quasi gratificarentur puero, in exteros quoque bellum parant, conducto in stipendium Galeaz, Mantuano. Hunc paulò plus mille equitibus, ac pari peditum numero adversùs Tritienses mittunt, quo sanè major exulum vis convenerat. Verùm nihil pro forma castrorum agebatur. Itaque (11) Abduam transit, velut in Montanos profecturus; sed rapiebat hominem, armorum illa ætate illustrissimum, in aliquem abditum fortuna. Nam ibi, dum fortè ignoti cujusdam vici malè hærentem parietem expugnat, claustrum pro foribus objectum refringens, rejecta ob oculos galeæ specula (*mox sagitta, quam vulgo verretonum nominamus*) verreculo per eum locum ictus cecidit. Miserabilis casus tanti hominis, quo nemo ferè me puero audacior dictus. Secuta inde pestis gravissimè Civitatem afflixit, quippe agricolæ undique ex agris in Urbem coacti, & penuriâ rerum, & corporum malè suetis contagiis ubem concipiebant: ita in vulgus, ac demum in cæteros vulgata pestis tumulos coacervabat, ut ferme aliquot diebus sexcentum corporum mortes narrarentur. Neque ita paulò post Mediolanum, appellatam à Græcis quoque Urbem populosissimam, sed desertam quandam Coloniam diceres. Mirum dictu, quo numero per id tempus Cives veluti per fugam exibant. Proinde vicissim in unam Urbem provincia commutata, ne qua ut cerneres non ubi Mediolanenses occurrerent. Tum & Facinus Mediolanum commigrarat, ne quid vel factioni vel sceleri deesset, ac per ipsum omnia ferè tractabantur. Gabriel quoque ille spurius, quem Pisis pulsum diximus, Mediolani à fratre acceptus ignavâ adolescentiâ partes fovebat. Ductor copiarum, quæ tum erant, institutus, non tam fortasse qui decus referret, quàm qui haberet locum in facinoribus. Jam igitur exules, quum nullam pro se ad reditum spem haberent, tanquam verè exules ad Jacobum cognomine Vermem confugiunt: Si quid fortè illum tantæ calamitatis miseratio moveret. Refert nescire, quid in se auxilii esse possit, qui nec exercitum, nec arma, aut pecuniam habeat. Quærit tamen, si quo pacto ad eam rem præstare possit. Othonem illum cognomine Tertium Parmensem edocet, quo in loco res Mediolanensium constitutæ sint, meminisse debere stipendiorum, quæ in omni Vita pro illa Civitate gesserit. Porrò hanc fidem servandam manibus Galeaz, quem penes sit tantis muneribus, atque honoribus functus, se quidem paratum mortuo quoque beneficiorum vicissitudinem rependere, quippe frustra totiens pro ea Civitate pugnatum, si non præsenti quoque periculo servetur. Unà cum literis plerique (12) exulum ad Othonem iere precibus apud Imperatorem supplicantes, ne miseros cunctaretur eripere, cujus unam opem cœlitus crederent servatam destitutis. Si quid unquam de illo Mediolanenses bene meruissent, hoc unum beneficium esse quo simul omnia, quæ unquam ex illo speraverint, possit implere. Primam quidem hanc esse Mediolanensium necessitatem. Quod si latiùs cogitare velit totius Guelfi nominis; si ob hoc nomen pulsos ita fari liceat, rationem videri; neque pecunia resistendum, quam abundè hostes præbituri (13) sint, se quoque corporibus, & totis viribus in exercitu affuturos, qui primi in omnia pericula viam aperiant. Quibus ille permotus, qui præsertim speraret omnem adversam factionem in potestate habere, de auxiliis quantum ad se attineat, ultro spondet. Simul itaque coactis viribus Otho ac Jacobus, magna manu exulum comitante, Mediolanum versùs properant. Paulò minus quatuor millia equitum fuere, idque omnem adversam partem exterruit. Nec ausus Facinus Mediolani expectare, se se prope Ticinum subducit non longè à Monasterio (Miramundum incolæ vocant) victum se ferens, qui cum vel sapientissimo hujus ætatis vel audacissimo ductore esset pugnaturus. Eodem & gemini gubernatores exercitus Gabrielis convenere, ambo Romani. Hic Strabo, ille Citulus vocati: Franciscus ex Mediolano, quæ ad exercitum opus erant, suppeditabat. Ut igitur constitere propinqui, jamque esset premente Jacobo dimicandum, Facinus sanè metuens, ne totus obrueretur, dolum parat; se se in eo loco aciei constituit, unde & bellum, & fugam tentare possit. Vix pugna inita est, deprehensum quæ acies labaret. Itaque Jacobus, mox aliquot ex acie delectos equites ad signa hostium mittit, nec prius circumversi cœpere, quàm Facinus terga nudaverat, seque ultra Ticinum ponte ad id navibus parato abstulerat, ac sui ferè eodem ponte trajecti: nullum verò in acie discrimen fuit, quo minus qui restiterant omnes caperentur. Nemo tamen pugnando occisus. Solus nescio quis Marchoaldus Othonis desertor, cùm in propinqui Castelli foveam tempestiva fuga præreptus se se trajecisset, ab ipso ductore extractus, trucidatusque est. Facile erat tum, si vellet, Othoni Facinum delere: cæterum dudum noti, qui in eisdem Castris militaverant, habitis colloquiis, tanquam nullæ essent inter armatos offensiones, discessere. Nec dubium Jacobo, quin statim portas Mediolani ingrederetur. Dux ipse puer lætus, quasi patronis, ac tutoribus occurrit. Factio, quæ hactenus aulam servaverat, Duce Francisco, omnes (14) diffugiunt. Otho, & ab Jacobo, & ab exulibus conventa exigit dari sibi reliquæ partis domos in prædam. Id verò Jacobo nec fas, nec tutum videri: meliùs, & faciliùs eosdem cogi, qui se persolvendis exactionibus redimant, quem morem ipsi prius induxissent. Hæc indicta gravis maximam pecuniam Othoni conflavit, quem numerum ipse tum puer in ærario versatus confeci. Nec contentus argento sævus Imperator majores rapinas petebat, quæ cùm ad votum non præstarentur, indignatus non ita, ut vellet, ab Jacobo exaudiri, minabundus ex Curia, atque ex Urbe proripitur, non multo post ad versanda omnia rediturus. Moxque trajecto Pado, Parmam fertur. Jacobus cum Principibus factionis de reliquo statu, deque omni rerum firmitate consultat. Et primum quidem Aula novis hominibus repletur, factaque circa adolescentem alia familiarum turba. Magnifici habebantur Antonius Vercelini Vicecomes, Christoforus (15) Casateus,

(11) *P.* Adduam. (12) *P.* exulum iere. (13) *P.* sunt.

(14) *P.* defugiunt. (15) *P.* Casatius.

teus, Johannis olim perempti filius, (16) Galeotus eidem propinquus, tum alii, ut quisque erat Duci gratior. Jacobus seu ægrè ferret, Johannem illorum contubernio gubernari, seu gerendis rebus parum intenti viderentur, simulata expeditione, pontem in (17) Abdua construit, quo prætervectus domum abiit, nec ultra est Mediolani versatus; prius tamen advocato Karolo Ariminensium Domino, eodem adolescentis paterna legatione tutore, ex illo iterum alia administrationis forma quæsita. Cæterùm qui adversæ factionis aut cesserant, aut pulsi erant, ipsi quoque in agrestes Colonias, & Castella dividuntur. Modoëtiâ in potestatem Hestoris datâ. Hic fuerat quondam Bernabovis ex pellice filius, quem isti ad accipiendam dominationem evocaverant. Alteri quoque Johanni cognomine parvo, ejusdem Bernabovis nepoti, Canturium vênit, utraque ferme, & numero hominum, & copia divitiarum præclara municipia. Alii ad Aquilonem urbis Castella communiunt. Cæteri ad Facinum bellum facturi colliguntur, qui jam in ea circumpadana ora tyrannus constiterat. Atque ut ante diximus, Philippo illa contigerant; neque illi res integræ steterunt, de cujus etiam fortunis pauca hoc loco referenda sunt, nam posteriora hujus voluminis ejus sermoni debentur. Nec passus ille quidem domi tantam partium rabiem, ut cui minor esset malorum materia, & ipse sanè quietioris ingenii paulò moderatius imperabat. Verùm defuere continendis potentioribus vires. Jam Placentiæ omnia diffidebant, colluctantibus familiis, cui potius vastanda patria contigisset; nec parum juvabant partes Laudensis, Cremonensisque, eo quidem studio, ut alter ejus Urbis potiretur. Tandem Laudensis pro æquiore Domino introductus, cùm diu essent variis malis conflictati. Alia quoque ex parte Vercellensium seditio Facinum excivit, illeque per factionem (18) Gibilinam ingressus universum oppidum præter paucos perfidiæ auctores in prædam dedit. Iisdem dolis Alexandrinos occupat, cùm alii alios variè pepulissent, utrosque publicis rapinis populatus est. Id sanè mirum dictu, potuisse ab illo Franciscum Barbavariam seduci, quem ante diximus apud Siccidenses versari, nam data illi spe potiundi . . . . (19) fraude circumventum unà cum Bonifacio Cive Mediolanensi militarique capit. Et hunc quidem obtruncat. Franciscum verò ereptis ferè quæ in ea regione possidebat, tandem emittit . . . . (20) Castellaciensium. Hi quatuor millibus ab Alexandria sunt propinqui. Obstinatior fuit obsidio, (*) quam vix ut queat hominum virtus enarrari. Prope tres annos obsessi perseverarunt munitionibus vallati nulla auxiliorum spe, nullo agrorum fructu. Tandem voluntarios accepit, nec cuiquam populorum benignior visus est, quanquam partium discordia infestissimos habuisset. Ita Philippo sola Papia obtemperabat. Nihil verò damnosius quàm quòd domesticos habebat Beccarias, quæ est familia quondam Papiæ Potens: Princeps Castellinus malarum partium nequissimus; nec Philippum fallebat quam suis rebus essent inimici; multa tamen simulantem, quæ post oblata opportunitate retexit. Contra frater Mediolani Dux à patre relictus, feriocioris ingenii; multum verò addiderant, qui fuerant apud illum præcedentibus annis versati: quamquam omnia suis capitibus paraverunt, ut jam ad nostra conversus referam. Nempe Karolus, ut antediximus, curæ Mediolanensium præfectus, novandis rebus operam dabat; verùm difficilis expeditio, quod & omnia turbata offendit, nec paratum ullum exercitum quo ad subitaria uteretur. Quam difficultatem auxit perfidia (21) Stranghelini cujusdam Paludani. Hic collegam in exercitu Baptistam (22) Montiflorium dolo interfecit, fugitque ad Facinum. Quamobrem omnes copiæ dissipatæ. Coactus igitur ex delectis partium exercitum conficere, ac primùm Mediolanensem arcem ex præsidibus repetit illi: negant; Christophorus, ac Vincentius cognomine Stratarius, ille ex Villa Marlianus: aggressus oppugnationem Karolus circumclusis per fossas aquis, latè omnia in castro fecit inundare. Tum omnibus machinis ac tormentis extrinsecus parietes concutit, introrsus diruit tecta, nihil ut in tanto spatio tutum superesset. Magna quoque impensa munitiones in pomerio extruxit, quibus prohiberet auxilia. Nec spes tamen dabatur potiundi, nisi se illi ultro salvis omnibus tradidissent; præter (23) quod pauci principum in potestate venerunt. Gabriel (nam ipse quoque eodem confugerat) dimissus Genuam petit, ubi summa illi pecunia erat, ex divendita Pisana arce, in publico locata. Eam fuisse causam puto, quamobrem ignoti Criminis insimulatum occiderunt. Antonium Vicecomitem tenuere, ut Cassianum traderet, quo admissi pedites invenere Hestorem illa nocte Castrum cepisse per cuniculos veteres, quos ex (24) Abdua cripta quadam in Castrum penetrare didicerat. Paulò post obsessum Castrum ad deditionem cogitur. Traditum inde Johanni meo propinquo, qui accepto præsidio omnem eam oram servaret. Ibi astrictus vinculis Antonius paucis post mensibus ab Duce necatur. Frater quoque Franciscus eodem pæne tempore Somaliæ prementibus malorum furiis tandem morte obiit. Tum primùm Johanni in mentem vênit superesse matrem vindicandam, cujus facinoris Johannes Posterlanus in primis reus dicebatur. Hunc è Castro Mediolanensi eductum, tormentis agitatum, canibus lacerandum tradidit; sic plerosque juvenes clarissimarum familiarum Gibellinæ partis obtruncat. Præterea genus illud nefandæ necis, quæ canibus urgebatur, adversùm plures intendit, tam ferme sanguinis sitiens, ut nullum ferè diem per id tempus incruentum fineret. Quod si fortè occidendi homines deessent, necesse erat vel ex feris cruorem emittere, quæ res haud dubium Karolo acerbissima videbatur. Factum itaque Consilium jungendæ adolescenti uxoris, quo pacto forsan trux ille animus mitigare-

(16) P. Galleotus ejusdem.
(17) P. Addua.
(18) P. Ghibellinam.
(19) *In MS. Clar. V. Apostoli Zeni legitur*: meliorem statum.

(20) *Idem MS. addit*: ad obsidionem.
(*) P. ut vix queat.
(21) *N.* Strangelini.
(22) P. Montifflorum.
(23) P. quam. (24) P. Addua.

garetur. Advecta ex familia Malatestum puella ejusdem Karoli ex Cæsenatico neptis. Paululum desævit ille furor, non tamen cessit; tametsi Pandulfus, & socer festivitate nuptiarum omnia (25) agerent. Quæ quidem Mediolani velut per ocium transiguntur, nec tamen aula erat concors, Casate Christophoro, ac Vicecomite Antonio Vercellini rem omnem ad hujus Philippi, qui tum dicebatur Papiæ Comes, societatem trahentibus. Spes facta erat habendorum ex Gallia auxiliorum, si se (26) Bucicaldo Gubernatori Genuensium conjungerent. Id verò Malatesta horrebat, à Karolo ad res generi tutandas relictus. Plus verò illi in aures Adolescentis poterant, nec injuria quidem. Nihil enim ferè aliud Karolus in administratione gesserat, quàm eductis in agrum Papiensem copiis fratrem fratri infestum reddiderat, paulùmque abfuit, si vera ajunt, quo minus ab altero hic Philippus per speciem colloquii opprimeretur. His igitur dum dissident aliqui equites Gallorum (numerus trecentorum erat) Mediolanum perveniunt, quorum interventu aula factioni permissa. Verùm paulò post Pandulfus majore exercitu suburbium Portæ Cumanæ ingressus in aulam deducitur. Nec diuturna potestas: nam inde parvo tempore exacto, cùm hi ferè tepuissent, Galli ductore ipso Bucicaldo acriores redeunt. Philippus tum ejus amicitiæ interpres erat, qui cum gente prior convenisset. Interea Facinus ubi intellexit Bucicaldum Mediolani versari, sollicitatos Genuenses ad desciscendum compellit: severius quàm oportuisset imperasse dicebant. Rectorem cepere Marchionem dictum Montisferrati. Rector ex Mediolano Genuam properat, sed obvius illi apud Gavium Facinus iter avertit. Quamobrem revocatus ab Rege Franciæ Bucicaldus malè actæ administrationis damnatur. Hoc modo gens ex Italia pulsa, nec ultra Genuensibus ex ea descitione periculum fuit. Ortis in Regia summis contentionibus, quarum initium Aurelianensis Ducis cædes. Hic & Regis frater erat, & nostrorum Ducum Sororis Vir. Continuata inde mala, tracto ad auxilia Rege Britanno, debellata pars, super triginta hominum millia in acie cecidisse feruntur. Ibi verò omnis Gallica Nobilitas interiit. Captus Rex ipse atque in Britannos ductus, quamquam demens moritur. Multi quoque potentissimi in vincula conjecti. Urbs Parisiensis in potestatem Britannorum vênit. Nec cessatum post Gallicis certaminibus, donec ipse quoque Britannus cum magna suorum cæde (27) Scotiorum manu occubuit; relicto impubere ex capti Regis Gallici filia. Quin & Genuenses adventanti in Italiam ad capiendum Apuliæ Regnum Ludovico Massiliensium Regi navibus occurrunt; paucique non aut interfecti, aut capti: ex quo Ladislaus tutum semper id Regnum habuit. At hæc ferè peregrina: nostra jam in alias calamitates transeunt. Quippe dum hoc modo aula Johannis fluctuat, nec cuiquam rei aut periculo satis providetur, exules ad Facinum collecti jam graves copiis in dies magìs magìsque urbi propinquant. Denique Johannes ut circum se silentium vidit, nec esse, qui ire adversùm pergat, Facinum ad Portam Romanam castra habentem ultro ipse cum exulibus evocat. Cæteri ut quique sibi plus timuerant, effugiunt. Ita rursum negotia alium locum repetunt. Facinus Mediolanum tenet, datâ factiosis licentiâ, undecunque ex partibus ut velint rapiant: sibi quidquid pecuniæ publicum esse potest relinquant; nec tamen id æquè omnibus licebat. Quæ res fecit aulicos aliena cogitare. Bagii maximè, ac Posterlani omnia poterant. Exclusi rebus alii, quorum Princeps Johannes Luprandus. Hic Ducem secretò subornat, quid tamdiu se subjectum patiatur; semel ausit, non deesse vel Cives qui facinus sequantur: Facinum si oppresserit, omnia in tuto esse, quando ille omnia in potestate habeat. Plerique existimant, hujus Philippi consilium fuisse. Papiam enim alterius factionis exules diverterant. Itaque id fidelibus internuntiis velut oraculum ad aures; quod ut importunè, ita debilem eventum habuit. Johannes, seu juvenili impetu, quod rem majorem ingenio esset aggressurus, seu consuetudine amicorum Facini quibuscum versabatur, non lætus accederet; tamen consulto nullo, venienti ad se prima luce Facino, inquit, captivus es. Nec ille moratus ad verbum, ut erat in equo, habenas vertit, solusque Porta puellari elapsus, ceteris vestigia persequentibus Rosatum petit. Nec verò id prius factum, quàm facti adolescentem pœnituit, rejectâ in alios causâ, qui facinus suasissent. Itaque mox Legationes ad Facinum cœpere, quæ veniam deprecarentur adolescenti, qui non tam odio, quàm temere ausum movisset. Ille suppressâ interim erga Johannem iracundiâ, nequiorem se adversùs Philippum parat: morbumque astu simulans de occupanda Papia cogitat; nec secus ac voluit traditum negotium. Cum Beccariis perfidiam componit, ac per illos nocte, quæ diem Domini Natalem præcedebat, in oppidum est introductus. Beccariæ mox ingressi quemque adversæ factionis locupletiorem occupant. Quod intelligens Facinus: ergo, inquit, mihi nihil prædæ relictum? Falsò existimatis (28) Gibililinis parcendum, postquam vobis Guelforum opes contraxistis; utrosque ego simul jubeo diripi. Ad eam vocem in omnes domos discursum, momentoque omnia armis occupata. Hoc modo Papia Civium suorum proditione in rapinam cessit. Philippus paulò ante admonitus in arcem redierat, cùm illum Castellinus ad hostes ducere (29) tentasset. Verùm in arce parum & præsidii, & spei erat, ubi nemo (30) Philippi jussa curaret; ita omnia minatus Facinus diruptururum, ni Philippus descendat; pollicitus tamen, si id faciat, haud aliter ac dominum habendum. Quod itaque inter notos res agebatur, paucorum interventu castrum Facino aperitur, locus ferme quo nescio an hodie sit in terris quicquam pro eo opere magnificentius. Nec multo post Facinus Mediolanum advocatur, ut nihil jam illi ad utriusque dominium præter nomen deesset. Omnia uni parebant: omnia pro illius imperio statuebant, ne tanto quidem ad impensas juvenum relicto, quòd

(25) P. ageret.
(26) N. Bucicando *semper*.
(27) P. sociorum.

(28) P. Gibellinis. (29) P. tentaret.
(30) P. jussa Philippi curaret. Itaque omnia minatur Facinus diruturum.

quòd vitæ satisfaceret, quo minus magnificentiam decorarent. Additum quoque sceleri flagitium. Juvenem his monitis imbuerunt, ut jam uxorem si non repudiatam, certè pro dissociata haberet. Vulgus quidem annonæ copia delinitum; ceteri quicunque bonorum civium loco essent, intolerandis tributis gravabantur. Alterius factionis nemo non pro nocente habebatur. Multi vel publicâ, vel privatâ odiorum licentiâ interfecti, nec majus unquam familiæ nostræ periculum stetit. Quo tempore ipsi tantorum malorum tœdio in hanc religionem confugimus. Inter hæc Facinus, dum Papiæ versaretur (sive illum tutela arcis, sive amœnitas delectabat) in extremum morbum decidit, magna adolescentium expectatione, quos ille ad summam inopiam redegerat. Id enim constat, nec Johanni licuisse ministris uti, nec quid ad vitam suppeteret uxori datum: & hunc Philippum, ut uno verbo dicam, (31) subtegentibus eguisse; tanta vel Facini avaritia, vel factiosorum rapacitas. Instituit tamen adversùs Pandulfum bellum, omnia per legatos agens. Jamque ademptis compluribus Castellis, haud dubium fuisse, tandem provincia pulsurum. Namque Bergamum, captis suburbanis, oppugnabatur, quod oppidum ille pridem ab Suardis emerat. Verùm, ut ante diximus, morbo gravatior in desperationem vitæ cecidit. Quæ res Mediolani intellecta magnificos illos, qui libidine partium dominabantur, maximis curis incendit, ne iterum Johannes adversos exules revocaret. Itaque aliud facinus statuunt, quo simul totius rei summam commutent. Hæc erat mors adolescentis: inde ut Civitatem atque imperium ad Bernabovis prolem traducerent. Idem Papiæ Beccariis de Philippo, si Facinus moreretur, agendum erat. Mediolani quidem flagitium perpetratum. Conscii Otho ex familia Vicecomitum, Andreas Bagius cum fratre Paulo (ille majorem natu Johannem prius occiderat) Johannes (32) Pusterlanus laniati patrui memor, atque alii præcipuè ex Domo Mainorum, quorum item geminos fratres Dux obtruncarat. Hi juvenem altari inter celebranda sacrificia circumsistunt, perfossumque multis vulneribus, ac pæne trucidatum ex aula in Ecclesiam majorem jubent efferri, ne quid velut in vivente spei cuiquam superesset. Sub idem tempus parati ad Urbem Hestor, simul ac Johannes parvus, vix duodecim famulorum comitatu ingressi; Civitatem occupant nullo labore nec metu cujusquam Domini constituti. Sic illi primam Galeaz stirpem eruerunt, adolescentem, cui fermè (quod ad ingenium attinet) nihil paternæ indolis, deesse videbatur, modò consimiles ingenii Magistros accepisset, ac non corruptorem Franciscum; tum ceteros, quorum formatus institutis & se & omnia secum perdidit. Non tamen cessit res Hestori integra; quippe castrum superfuit. Huic præerat Vincentius (33) à Facino ante in eum locum restitutus; nec ab Hestore aut pretio, neque promissis, aut denique supplicationibus vel compelli potuit, vel induci, ut arcem traderet, quam se stirpi Galeaz, ubicunque esset, debere affirmabat. Nec eodem modo Papiæ adversùs Philippum successit, tanquam majoribus fatis servaretur. Rem quidem ferunt nuntiatam Facino, quum pæne extremam animam traheret: Vociferasse perfidos, qui perpetrassent, nec defuturum se vindictæ, si longior esset spiritus, qui tanti Ducis prolem violassent. Verùm in ultimo vita erat, quamvis illi non videretur; propterea fabulam, & quidem veram referunt; nuntianti mortem Antonio cognomine (34)) Bossio, minitatum necem intra unius horæ spatium, dum posset novissima confiteri: ubi cùm ille anxius anhelaret: ergo, inquit, eodem modo puta mihi tuo nuntio evenisse. Tum ad Bartholomæum designatum Mediolani Archiepiscopum conversus ait. *Quoniam ut cerno jam me extrema superant, atque ego te semper unum in omni nostra factione habui, nunc te per fidem, per dexteram, per tuam illius animi magnitudinem oro, ut hæc memineris, creditaque & tanquam mandata retineas: primum id quantis possum precibus, expetiverim, Beatricem meam curæ ac fidei tuæ commissam putes. Dein ut verè es (35) Gibilinus omnem factionem suscipias: verùm ante omnia Philippus incolumis sit: Quamobrem vide, ne è castro pedem efferat. Hic se tutum existimet, unde etiamsi quæ fuerint providenda, gubernet. Denique & armigeros socios qui mecum sunt tot annos enutriti, quoad potueris, serves, beneque acceptos disponas; quanquam in primis fratrem, tum & propinquum Ludovicum honoratos præbeas. Hæc mihi ultima fuerit rerum cura, si hoc præterea tenueris & nostri corporis sollicitudinem & nominis memoriam. Vale.* Nec plura loquutus animam reddidit: (36) vir (præter hoc quod armorum strenuus aliquando) omni vita nequitiæ cultor; cui nec fides satìs probata esset, nec humanitas servata. Itaque creditum non aliam ob rem passum adolescentes Dominos vivere, quàm quòd vel ipse carens liberis, frustra esset paraturus, quæ videret relinquenda nulli; vel quòd partibus non satìs fidendum putaret, si se intellexissent principatum struere. Id constat unum fuisse, in quem & servandæ, & delendæ provinciæ potestas venerit. Nec tamen aut fides, aut pietas obstitit malignitati, quamquam hoc sibi assumpsisset, nihil integrum sinere, quod perdere posse (37) viderentur. Verùm habendus lachrymis finis, quando jam reliqua proniore sidere spectanda sunt.

(31) P. subteguminibus.
(32) *N.* Posterlanus.
(33) *N. addit* Marlianus.
(34) *P.* Boscio, minitatur.
(35) *P.* Gibellinus.
(36) *N. addit* Creatori.
(37) *P.* videretur.

F. B. ANDREÆ PATRIÆ HISTORIÆ LIBER SECUNDUS EXPLICIT.

TER-

…TERTIUS INCIPIT FELICITER.

INcertum facit, quid in his probem, ipsa fortunæ varietas, tum nostræ spei labilitas; ut tanquam in fraudem nati videamur, dum nihil superest, ubi paulum liceat fiduciæ præstare: sive (1) noluimus ipsi optima complecti, sive cupientibus hodierni fati iniquitas obstat. Hoc sanè certus dixerim, nihil adesse quod optemus, ac satis fore quæ quidem in hoc Vitæ cursu accidant toleranda adipisci. Verùm certiora omnia fient spectato rerum exitu, maximèque interim referendæ Divinitati gratiæ, cujus beneficio, ac per unius Philippi sortem datum est, paululum ab intestinis partibus secedere; quæ mala jam decem annos continuos duraverant. His ferme, nec Domino caruisse, nec Gubernatorem quempiam rebus extitisse dixerim. Ceterùm jam ex Philippi institutis negocia sunt in hunc diem referenda. Erat hic Papiæ, ut ante diximus, adolescens: hoc solo ex confraterna nece servatus, quòd intra arcem servabatur. Facino mortuo quod minimæ curæ habitum est de tumulando corpore (2) fuit. Delatus in propinquum arci Ordinis nostri Monasterium; posteaquam tertium diem insepultus, ac nudus jacuit instantiâ Fratrum, cùm nemo intenderet, humi obrutus est: quo in loco Vicecomitum reliquiæ sunt, & antiqui Galeaz, & patris Philippi, Johannis itidem Galeaz. Nam ex Viboldundo metu Triciensium, qui eam oram procurrebant, Papiam est relatus, quamquam divitiis ablatis, quas prius contumulatas narravimus. Primum omnium arcis Præsidem Philippus rogat, velitne illi pro fide gratificari. Is Antonius Bozerus Cremonensis dicebatur, persamiliaris Bartholomæi (3). Nec cunctatus Philippo respondet, nihil pro illius salute facturum. Ergo inquit Portas obsera, ne quis nostro injussu aut ingredi possit, aut egredi. Factum id protinus, observante omnibus vestigiis Philippum præside, ne quis improvisus contingere, aut accedere posset, id planè cavens, quòd ex Beccariis intenti suspicabantur. Papienses quoque ob ejusdem memoriam de flagitio dubitantes armantur, petuntque ex arce Philippum ostendi, ac demum non planè incolumem credentibus ipse in conspectum vênit, jussitque bono animo esse, brevi optimum rerum statum visuros, nec se aliud satagere quàm ut Cives atque amicos servet: sic cetera, ut est humanè facundus, in bonam spem conclusit, Deum illi orarent, qui se rebus præsentem faceret. Quibus alacriores facti animis, corporibusque in obsequium parati, domos redeunt, ponuntque arma. Tum inter se Bartholomæus, atque Antonius de statu rerum conferunt; quid in præsentia saluberrimum videatur. Denique ita visum: Philippus Beatricem uxorem accipiat: eo pacto futura illi tanquam pro dote integra omnia quæque fuissent Facini, cujus item nomen majore uxoris conjugio superfit honoratum. Nec Beccariæ abnuunt, rati hoc modo Philippum adhuc inter partes fore, neque illi futurum dolo quicquid intendissent, quando participem haberent veterum consiliorum Dominam. Contra verò est factum, nam nullos unquam illa suspectiores duxit, cui ferme ingenia hominum essent notissima. Itaque pepigerunt; tametsi Beatrix parum ætate congrueret, facilè adolescentis Mater, quum ille nec dum esset vicesimus. Ceterùm quid verbis opus est? præsentibus consulebatur, quorum nisi per eam nihil statuebant. Nec Civitates quicquam dubium fecere ultro in fidem venientes; quin læti Vercellenses, Alexandrini, & Novarienses imperium acceperunt. Pleraque Castella in potestate propinquorum erant. Nam Ludovico Cani Burgenses erant subditi. Hic pecuniæ ingens summa erat, cujus partem tradidit Philippo in usus præsentes, eo pacto, ut Castellanorum ipse possessionem teneret. Beccariani quoque potentes erant, aliquot circumpadanorum municipiorum Domini relicti demum omnia tenentibus in præsens concedebantur. Tum ubi majus rerum discrimen erat, curâ intentâ Mediolanum in arcem ad Vincentium missæ literæ, quæ & acta docerent, & ad fidem hortarentur: citò affuturum cum exercitu Philippum, qui obsessum eximeret. Hestoris, ac Johannis non tam lætum, quàm facile primo adventu Imperium fuit; quos inopes cernerent, nec satis præsidii ad res firmandas habere, præsertim assueti Ducibus, quum etiam nunc in dies Philippi fama augesceret. Id pæne in medio erat, qui prior Facinianum exercitum occupasset; rerum is futurus Dominus videbatur. Et quidem in castris tumultuatum, frementibus sociis, non ultra velle se oppressos pati, qui hactenus Facino ob rapinarum mercedes serviviffent. At causæ erat æs alienum, quod cum illo contractum habebant. Jamque erat non longe, ut discederent alii ad Pandulfum, alii ad Hestorem abituri: nam undique novorum stipendiorum spe tentabantur. Melius successit quod paucis in mentem vênit, multitudini meliora consulere. Fertur Siccus Paduanus novo ac salubri argumento socios monuisse, quid datam fidem irent perditum? quasi immemores non Facino modò, verùm etiam Beatrici jusjurandum præstitisse, an verò id dicere parvâ pecuniâ tot benemerita stipendia corrumpere? Denique expectarent dum literæ ex Beatrice haberentur: futuros forsan eo loco, ut nihil pœniteat in officio perseverasse. Haud (4) mora, sermone facto Papiam literas conscribit, quis sit multitudinis animus, quæve expectatio; ipsi provideant quonam modo velint exercitum contineri: Mox Philippi literis respondetur, quæ sint ex morte Facini acta: sibi in animo esse exercitui omnia largiri, cujus spe eam fiduciam ceperit, qui paterno jure in locum fratris succedat: debitorum nullam velle rationem, quin novis pecu-

(1) *P.* nolumus.
(2) *P.* Fuit delatus.

(3) *MS. Zeni addit* de la Capra.
(4) *P.* mora, Papiam.

pecuniis stipendia instauraturum: Itaque ad se veniant, non jam ductorem Facinum, aut Papiensem Comitem, sed prorsus Mediolanensem Ducem sequuturi. Ut igitur vênit exercitus numeratis protinus stipendiis ex Papia Mediolanum movet. Hîc Hestor cum Johanne iam rebus diffidens per Urbem aliena moliebatur, conjectis aliquot Civium in vincula, unde pecuniam exigeret. Magna tamen celeritate Castrum munitionibus sepserat, fossa, atque aggere objectis, nec minus interea convivia obibat, quasi ludicrum Imperium possideret. Philippus itaque statim cum exercitu adest, directo ad castrum itinere, ubi in conspectum prima luce factus munitiones aggreditur, parvaque dimicatione turrim valli, quæ ad suburbanum erat, capit: inde in castrum cum exercitu est acceptus. Jam Hestor frænatis sub Porta Cumana equis in profectione erat, præsertimque ex Civitate jam tumultus audiebatur. Quippe paulò ante Solis ortum ad Jacobum propinquum venerat, quòd in nostris domibus intellexerat armatos convenisse. Quamobrem ingressi plerique domum Jacobi clausis foribus rapinam conclamant. Ad quam vocem exilientes domestici, nam Jacobi educti sex filii erant, tum & ex fratribus nepotes, hi cum omni famulorum clientumque turba ingressos invadunt, nec temperatum esset à cæde, ni se prostratis illis ad veniam Jacobus opposuisset. Quâ audaciâ compressus Hestor cœpit æquioribus verbis uti: nihil responsum, præterquam ob tutelam domus arma induisse. Hinc ille abiit ingredientis jam Philippi metu revocatus, atque ex obviis, quos armatos comperit, plerique ab illo occisi, uno etiam reste suffixo. Actum denique intelligens, paucis comitatus effugit, cursu Modoëtiam raptus: sequuti complices cum Johanne. Nec ferè postea verbum ullum pacatum ex Hestore potuit audiri. Philippus Urbem lætam accepit, gratumque id omen plebi simul ut est ingressus eodem momento tanta spes, atque alacritas civium fuit: annona tertia parte vilior est facta. Nihil per eos dies aliud quàm de confirmandis rebus egit; cùm undique omnes vel Faciniani, vel veteres fratris amici ultro omne obsequium pollicentes ad hominem convenirent, atque ille nunc universos, nunc singulos fiducia implebat. Paulus Andreæ Bagii frater, unus è numero eorum qui Johannem occiderant, inventus in arce Portæ Romanæ publico judicio laniatus, membraque locis illustrioribus pependere. Nec multo post profectus Modoëtiam oppidum positis castris obsidet. Ibi primùm Franciscus Carmagnola Philippo simul ferè cognitus gratusque extitit. Quod dum Hestorem ad munitiones egressum in oppidum pellerent, ille ante cæteros evectus paulùm absuit quo minus caperet. Ac jam in manu habebat, fuso in præceps equo frustratus corruisset. Hic Philippo habitus carior copias ducere cœpit. Alis nonnunquam præfectus ita sensim ad honores prolatus est, donec is evasit, quem sequentibus voluminibus referemus. Hoc modo ferè ex minimis primordiis eminentia maximarum rerum exempla oriuntur. Nec ille se aut ingenio, aut fide inertem rebus exhibebat; ingens item viro cunctis honoribus superandis animus.

Quamobrem ferunt rogatum aliquando Facinum, cur non altius hominem efferret, digito hunc demonstrantem, respondisse, si honores unquam ille erit nactus, nullis satiabitur, quippe quo nemo sit rusticioris arrogantiæ. Nec passus Facinus, tametsi eo pro tempore ad egregia facinora utebatur, (5) se ductore ultra quàm decem equitum caput videri. Quin dum Hestor imperaret, ex Bergamo ab reliquo exercitu Mediolanum vênit, majora petens stipendia; negavit Hestor super quindenum equitatum mereri. Quid te oro, tam cœca es fortuna, nisi te ille in hominibus regit, qui ultra hominum omnium oculos videt? Jam hoc ductore igitur Philippea succedunt negotia. Primum omnium ubi Castra erant, Modoëtiâ captâ, Hestor ex oppido in arcem coactus oppugnatur, animum ad omnia obstinatum servans. Demum ut crebro movebantur machinæ, dum pæne sub divo spatiatur, etiam unum ex Comitibus, qui cavendum monuerat, ludens, ictu lapidis percussus, indeque in stratum delatus tertio die occubuit: Juvenis sanè qui & animi, & corporis robore, ac magnitudine Bernabovis filium fateretur, nec vitio absimilis, ut qui esset in fœminas proclivior; itaque nec tam consiliis, quàm viribus acer: corpus omni habitudine ad justissimam formam; visu tamen habetior, pæne intolerabilis in quemcunque lanceam direxisset, ex eo apud Gallos intrepidi militis nomen sortitus. Receptâ Modoëtiâ Canturium mox itum est. Jam inde Johannes abscesserat, ad Regem Ungarorum profectus tanquam injuriarum repetens, qui nequivisset in paterno dominatu permanere. Vix igitur tacta oppugnatione oppidani, & quidem libentes sese Duci tradiderunt. Comanus interea ipse quoque in fœdera vênit, tanquam non oppidi Dominus, sed Philippi procurator hactenus fuisset; filius (6) enim erat Franchini Rusconum familiæ, humanæ indolis juvenis, corpore item super fidem speciosus. Quamobrem habitus liberaliter à Philippo; datum illi ex reliquis castellis, ubi pro majorum dignitate vitam duceret. Hoc medio tempore cum Triciensibus, Laudensibusque conventa pacis habebantur. Atque ipse Johannes Laudi Dominus pro se Mediolani habitabat. Quo nescio an ab re fuerit referre, unde se isti ex tyrannis Dominos sunt professi. Nempe Sigismundus Rex Hungarorum, atque à Gallis Cæsar nuncupatus, quo de post futurus est major sermo, statuerat, si quo pacto posset Ecclesiam convenire; ea tum discissa erat, ut ferme tres Pontifices dicerentur. Quum esset Translapinis omnibus Benedictus Lunensis, tametsi Germani minus parebant. In Italia Gregorius Venetus (*) familia Coriariorum, ac Johannes Cossana Neapolitanorum familia hunc ante diximus legatum pro Bonifacio Bononiam accepisse: qui hoc modo provenere. Gregorius cùm esset Lucæ, neque de Concilio constituere videretur, plerique Cardinalium ab homine (7) Pisas secessere. Inde coactum Pisis concilium; quo quum Gregorius venire recusaret, absens damnatus est. Substitutus Alexander olim Petrus Cretensis, quem à Patre Philippi ex inope per gradus Mediolanensem Archiepiscopum factum ante retulimus. Cùm omnis igitur circum Romana regio bellis,

ac

(5) P. se ductorem. (6) P. enim Franchini. (*) N. familiæ Corarorum. (7) P. secessere.

ac periculis titubaret, Bononia quoque crebros motus fecisset hortante Cossano, qui in ea Civitate Legationem habuerat, eo perducitur læto Bononiensium occursu. Brevi cognitum est, id salubre fuisse. Nam ex Transalpinis mox legati venere, Aquilonaris fidem atque obedientiam ferentes. Sola Betica Benedicto paruit, tanquam illum non judicio, sed quasi cognationis affectu colerent, cujus præsertim arbitrio Tarraconensis regnaret, quem in Imperio constituit: tanta erat hominis in omni Hispania auctoritas, repudiato Federico, quem id Regnum cum omni Sicilia contingebat. Ergo Alexander tanto favore auctus sublimis conspicitur. Quod verò ad Italiam spectaret primum haud dubius Mediolanensium Pastor. Veneti quoque repudiata Gregorii severitate in fidem concesserant, eandem colebant Florentini. Ladislaus restabat, jam potentia regni ferox, qui Gregorium sustentaret, continuatus inde per Brutios, atque Umbros Anconam usque, & Ariminum favor. Ibi Gregorius apud Karolum versabatur. At pauco interjecto tempore Alexander diem Bononiæ obiit. Homo in primis optimus, atque ita doctus, ut pæne eo tempore literarum parens haberetur, ex his præcipuè qui sunt hac ætate Doctores cathedrati. Plus tamen valuit existimatio, quàm de illo Philippi Pater conceperat, tum tantarum dignitatum successus, quàm eruditionis copia. Nihil vitiorum habuisse diceres, si non tanta cura invigilasset ventri, ut sæpe inhærens mensæ, juberet ex mercato, quod forte in mentem venisset emi & concoqui. Ita sanè dimidium temporis conviviis trahebatur: levitatis id modò notatum, plus quadringenti vernaculæ uno vestitu insignes in domo versabantur. Verùm hæc imputanda Græciæ, ex qua oriundus dicebatur. Cæteris enim rebus professam Religionem in usque ultimum diem summa pietate coluit, etiam ingemuisse dictus quo die (8) factus Pontifex togam mutavit. Hunc hodie quoque fratres sui Bononiæ sanctum colunt, quem ad locum est Galeaz Duce summæ benignitatis gratia provectus. Mortis tamen ejus, quòd inter omnes constabat, atrocissima veneni suspicio. Nec dubium notatus Balthassar Cossanus, quem mox creatum Pontificem Johannem salutavere. Neque ille fuit in gerendo quàm in sumendo Pontificatu felicior; plus enim delectabant hominem scuta, & cristæ quàm pallia, aut apices, ut omittam fusum Bononiæ civium cruorem, cæsum Hestorem Dominum Faventinum, atque alios in ea provincia trucidatos, sese etiam implicuit gravi, atque inutili bello Ladislai, adjutoribus Florentinis. Quamobrem irritatus magno exercitu in Tusciam venit. Senenses tum socii erant Florentinorum, pro quibus nihil eo tempore belli, aut periculi detrectavere: Portas igitur tanquam communi hosti clauserunt, neque ille (9) inde ausus est in Florentinum agrum progredi. Conversus Aretium omnia hostilia invenit. Cortonienses pulso Domino Regem accepere, runt. Ibi eum Paulus cognomine Ursinorum, quo nullus erat inter ductores illustrior, prodidit, nec multo post ingressum Romam

(8) P. Pontifex.
(9) P. ausus est inde.
(10) P. Forojulensi.
(11) N. Clericus pudor.

A capto magno Regiorum numero ejecit. Quibus detrimentis afflictus nullo dedecore permotus, Cortonienses vendidit Florentinis, pæne ita dicam meritos diuturno premi servitio, qui meliores Dominos pepulissent. Quanquam ea non civitatis, quæ nunc omnia sub Florentinis patitur, sed paucorum, hoc est potentium, culpa. Eodem pacto Jadram precio tradidit Venetis omni cum jure, quod illi in (10) Foro Julienses erat. Quod solùm facinus potuit quoque hominem justissimum cæteris rebus infamem facere. Regressus inde in Regnum se iterum novis copiis instruit, quibus cinctus adhuc Romam occupat fugato cum paucis Johanne. Hic verò (11) dejectus pu-
B dor, nempe omnes, qui deprehendi potuerunt, spoliati; Urbs quoque direpta ac pluribus locis incensa, volitantibus per flammas omnis generis literarum scriniis. Id verò infandum, quod nec sacris abstinuit, nudatis auro, atque argento sanctorum reliquiis, undecunque extrahi potuerunt, stabula passim Ecclesiis prostituta. Sævitum præterea in multos, quicunque Ecclesiasticæ professionis essent. Perusini quoque ad eum versi, factio, quam Raspantes vocant, Dominum consciverunt. Demum pari fraude circumventum Paulum, quem in gratiam receperat, misit in vincula. Omnia verò ille seu consilia, (12)
C seu auxilia adversùs unum Florentinum parabat, ac jam magnas partes in Civitate Florentina conciliaverat, tanquam Dux partis Guelfæ declaratus, quam illi unicè, ac pæne religiosè colunt; itaque vix dubitant fuisse evasuros Florentinos. Sed juvenem (13) prærnatura mors præripuit, tradito Johanni Regno, quem postea regnantem vidimus, atque ejus mors hoc modo traditur. Nempe coactis coram copiis cùm Ductores omnes ad se jussisset convenire, ibi tum (14) inducto sacrarum literarum dicto: *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud, en morior*, inquit, *mox in tuo complexu soror, cùm tu sis futura tanti regni heres; nec me aut hæc arma, aut divitiæ aut medicamina servare pos-*
D *sunt. Tu verò hoc primum tenebis, ne quid è rebus, aut civitatibus captis Pontifici unquam reddas, quod genus (15) familiæ nostræ usque adeò semper infestum fuit. Romam tamen jussu nostro liberam facies, quo vel ipsum Mundi caput dicar excemisse. Heu verò amarum hujus diei exitum, nec nobis sanè quantum arbitror vel fatis, vel ætate debitum, quippe qui vix mediam ætatem conspeximus, & ea in animo erant, quæ jam pudet hactenus tacita nunc morientem proferre. Verùm res ipsa, ac fortuna testimonio fuerit, quæ jam Florentinos eo loco dedisset, ut, seu civium favore, quos ipsi per honores aluimus, seu nominis atque armorum metu, jugum pæne implorare viderentur. Venetis ut necessaria, ita non dubi.*
E *nostra amicitia. Tum ex reliqua Italia fuisse nemo, quin facilè datas leges acciperet, quand nobiscum arma, & vires collectas haberemus, ne quicquam horum tam gratum nobis, quàm quò in Galliam animos trajeceramus, accipiendi jam pro Ungarorum regibus, quod regimen Sigismun dus uxoris nomine dudum ægrè tuetur, parati urbibus, ac populis, quem adolescentem vocavere, nunc domestico potentem Regno legitimum Dominum*

(12) P. sive.
(13) P. mors immatura. (14) P. indicto.
(15) P. usque adeò familiæ nostræ infestum semper fuit.

num cognoscunt. Atqui tot vota, tot parata, tot consilia quis audit? quis perficit? quis confirmat? Hoc salubre (16) *soror carissima tibi crede interim, ut sis hoc regno contenta, cui super familiarem Græciam, Campaniam omnem, magnamque & Etruriæ & Piceni partem relinquimus. Hac dote felicem ut te ducas, si primùm Neapolitanos cives nostros, tum reliquos socios, atque ante omnes hos nostros exercitus incolumes, beneque fidos, & meritos regia Nobilitate servare volueris.* Quibus facto fine, ruentibus in lachrymas universis, animam reddidit. Itaque ad Sigismundum redeo. Hic indicto Constantiæ Concilio in Italiam vênit; verùm ullo armorum comitatu, quo minus timendus videretur. B Cui Johannes Laude occurrit, ibique habito de (17) statuendo Pontificatu colloquio Johannes operam pollicitus est. Unde cùm vellet reverti, ita ut ne quid Venetiani juris attingeret, statuit per agrum Mediolanensem transire. Nec quod maximè cupiebat potuit Philippum latere. Factus igitur obviam improviso ad tertium lapidem, qua iter supra Lambrum erat, trium millium equitum comitatu pedite multo Cæsarem salutat, invitatque ad Urbem. Ille verò negat, stupensque (18) inde abiit. Nec Philippus ultra cupiverat, quàm erga illum potestatem ostendisse; qui nunquam Ducem honesto sermone appellasset, post ad Iberos profectus Tarraconensem (hic Rex Aragonum dicebatur) rogat, C aut Benedictum ad Concilium (19) perpellat, aut fidem illi, tutelamque abroget. Datum item Vincentio cuidam fratri Ordinis Prædicatorum, qui in populis disserat, abrenunciandum Benedicto. Ille tametsi ad eum diem alia, rem nihilominus efficit. Sic est nostri temporis Prædicatorum Levitas. Benedictus undique abjectus se se in arce Paniscole abdit. Concilium interea cogitur Constantiæ, de quo nunc non est opus plura enarrem. Hæc modò super digna memoratu. Ibi duo Boëmæ gentis pro perfidis in hæresi comprehensi ignibus traditi sunt. Quamobrem gens omnis irritata excusso fidei jugo religionem vertit. D Nec expectandum sermone, quanta jactura fuerit tot Ecclesiarum ruinis, tot rapinis Monasteriorum, tot cædibus, flammisque hominum, neque adhuc tantis malis modus, qui in circum debacchati, nullo adversùs ferociam resistente, omnia vastent. Johannes ex Italia frustra ab omnibus monitus Constantiam vênit. Ubi cùm præter spem de omnium renuntiatione agi videret, fugam meditatus non longè ab oppido capitur, conjectusque in Vincula quatuor ferè annos (tot enim concilium mansit) regio mandato est custoditus. Quo tempore, ut ipse ex eo audivi, vix hominem aliquando nactus est quocum liceret humano sermone conferre. Karolus quoque E eodem accessit, datis ab Gregorio commissis pro se omnem auctoritatem in Concilio poneret. Benedictus postremò publicis literis accitus venturum se negat. Ob id constitutus Pontifex Martinus; hic Romanus stirpe Columnæ, quamquam supremi ordinis novissimus haberetur. Alia dehinc, si quæ rebus nostris occurrent, sequente stylo referemus. Nunc, quod cœperam, quemadmodum Philippus reliquam provinciam bellis paraverit; id primum ratus malè tutum se esse,

(16) P. tibi soror carissima.
(17) P. constituendo.

A dum quid inter utrumque fluvium Abduam, Ticinumque alienum teneretur. Itaque Mediolani Laudensem occupat, deditionem oppidi exigens. Quamobrem ductus Laudum ostenditur filio, qui arcem servabat, præterea & pecunia offerebatur, si mox omnia traderet. Dum verò ille super his cunctatur, tanquam velit patrem priùs liberum videre, quàm de arce, atque oppido statuat, simul adversùs injuriam querens, quòd patrem fœderibus fretum vinxissent, hunc demum esse datæ Civitatis fructum; Equites interim per adversam oppidi partem muros scandunt, indeque perfractis foribus omnes subeunt. Tum responsum juveni frustra jam querelas miscere, quando illi rem in potestate habebant. Direptum eodem die Oppidum, Vallumque ac monumenta objiciunt arci, quæ intra paucos dies expugnatur. Juvenis Mediolanum cum Patre est ductus, nec multo post ambo judiciis necati. Ad Tricium quoque castra posita. Verùm locus munitissimus saxo impositum Castellum Abduam despectat; ponte quoque flumen tum superabatur, unde facilis ad Martinenses transitus. Ex his sæpe auxilia, & commeatus veniebant: quæ Carmagnola ut arceret ipse quoque ligneis pontibus transilibat. Hi utrinque funibus ripis colligabantur. Unus inventus est hostium, qui subter fluvium natans incisis funibus sæpiùs pontes dejecit, quamobrem impediebantur opera, nam longe priùs defluxerant, quàm sentiri possent; donec obtensis retibus adolescens in morem piscis est captus. Hoc illi supplicium fuit, unam noctem in ponte ipso vinctus, nudusque relictus, habiturus vitam, si nocti superesset. At illum hyems ante lucem confecit; denique quum videret Carmagnola non posse satis prohiberi, quominùs in Castellum multa ex ponte trans Abduam commearent, statuit pontem diruere. Opus ferme, cui nullum ejus generis par; quippe omnem gurgitis amplitudinem uno fornice complexus altissimè tendebatur, nec quamvis lateritius ullo ferro solvi poterat, super modum arctissima calcis coagmentatio. Castellum olim cum ponte Bernabos extruxerat; ipseque a Patre Philippi captus eodem in loco carcerem, ac mortem habuerat. Hunc pontem Carmagnola exteriore planta succisum diruit. Longior tamen videbatur futura obsidio, ni captus in certamine unus Castellanorum Paulus pro redimenda salute arcem tradidisset; atque omnes (20) liberaliter inde à Philippo accepti, aliisque rebus donati, quibus haud indecoram vitam agerent. Paulum dehinc Leucenses ipsi quoque super Abduam positi, ponte in nostrum agrum transmisso in potestatem venêre. Sic Cremæ inventus nepos, qui Georgium ab oppido excluderet, mox introductis, qui pro Philippo Populum acciperent. Atque hoc modo ille omnium, quæ intra geminos fluvios simul atque Alpes continebantur, potitus, alia jam spectare cœpit. Quo verum vulgo dictum affirmare possis, qui Mediolanum teneat, oportere illi omnem provinciam parêre. Exercitus is erat, qui latè spem facere posset. Equitum ad quatuor millia, ac super tantundem militis; tum ex vectigalibus quoque delectus, habebantur,

(18) P. abiit. (19) P. propellat.
(20) P. proinde liberaliter.

tur, ut non difficilè unis castris, quum opus esset, viginti hominum millia convenirent. Equites trifariàm diviserat, alios qui tanquam familiares dicerentur, id verò electissimum hominum genus nullo admisso, qui non quinque annos gestasset arma; hi tum septingenti fuere, tanquam ad corporis custodiam locati. Alios conduxit totidem numero, quem postea duplicavit collectis Brachianis. Hos vocari jussit lanceas laceras, ac neutras voluit cuiquam ductori certo subesse; verùm cui ille Viros pro tempore regendos commendavisset. Et primi quidem quina, aut ad plus septena capita habebant, etiam majore stipendio aucti, præter quod sæpe, & privatis muneribus cumulabat. Hi quòd plus tricena habebant capita, quibus licebat Philippeis insignibus decoratos ire, cæteri jam conductitii erant. Quos tamen ita demum sibi devinxit, ut nemo pæne ductorum secessisse inveniatur. Contraxit ex Apulia Fabricium, qui cum Ladislao ductor fuerat. Accessit Guido Torellus, qui etiam cum Patre quondam acies ductaverat; Nicolaus Tertius, Othonis filius aliquot turmas habens paterni equitatus tanquam in perpetuum stipendium successit. Sic alii ignotiores inter alas dispositi, ut nulli in Italia conspectiores essent. Dehinc & peditum sortes erant mille stipendio præcipui, qui totis armis lucerent. Inter hos velut Tribuni plerique visebantur, quibus licebat equis incedere, quos etiam jumenta gerendis armis, & sarcinis sequebantur. Ubi locus certaminis venisset, in pedes descendebant. Stataria hæc potiùs, quàm ad excurrendum acies erat. Hoc sanè imitatus, aut etiam supergressus majores Philippus, quorum familiaris mos componendis exercitibus fuit. Primi ferè qui majorum memoriâ Italos militiam docuerint, quum antea consuessent Transalpina stipendia nostris bellis conduci. Verùm nescio an ex nobili principio rem ortam aut renovatam dixerim, quæ fuerit omni Italiæ ad perniciem futura, continuo jam armorum, & bellorum studio, quid dicam an furore, ut nihil malorum non hinc proficisci putem. Ac copiarum omnium ductor Carmagnolanus. Hunc verò Philippus non exercitus modò ac belli, verùm etiam aulæ primum fecit; data item una ex propinquis uxore, quæ fuerat Francisci Barbavariæ, qui paulò ante reductus à Philippo in curiam quum ad Consilia summus haberetur, jam pæne excrescens rerum mortem obierat. (21) Dignatus est hunc quoque cognationis nomine, (22) ut Vicecomitum diceretur. Ita plurima erat ejus Viri gratia atque auctoritas. Habitavit Mediolani in Vico stratæ ad Portam (23) Cumanam, conceptis maximis ædibus, quas tamen explere non potuit. Immensæ verò opes pro Philippi magnificentia his favoribus accessere; Et quidem in consiliis haud minùs quàm in regendo exercitu homini erat fides, itaque omnis cura vel domi, vel foris ad eum veniebat. Felix sanè, si ut cæterarum rerum, ita invidiæ esset Dominus constitutus, hæc passim subigebat æmulos Zaninum Hericium olim Facini scribam, Oldratum cognomine Lampugnanum. Hic Philippi à puero præceptor

A fuerat, sic alios per gradus, ut fit suggerebat, de quibus nos postea referemus. Nunc de rebus (24) in ampliando imperio gestis dicendum. Primùm ultra Padum occupatâ Placentiâ, eam Philippus Arcellanus cepit Ducis nomine, opportuna ad id nactus; quippe Sigismundus ita decreverat Marchionem Ferratum Placentiæ Dominum; verùm ut solet irritum est Imperium, quum non adsunt vires. Hoc modo incertum, ac pæne titubantem cujusnam esset, Arcellanus idem Placentinus civis oppidum tradidit Philippo. Quamobrem inter primos habitus ipse quoque apud Ducem versabatur. Nec longa ejus

B gratiæ consuetudo, dum ægrè fert Carmagnolam priorem videri, tandem æmulationis importunitate victus abscessit, pro sequenti iterum Placentiam capit. Nec verò unquam in oppido hi motus fiebant, quin simul & rapinæ, & cædes essent, ut hinc causas intelligas, quamobrem Placentiam quondam nomine ipso lætiorem, nunc pæne dirutam videmus. Ob id commotus Philippus Dux Carmagnolam jubet cum exercitu ad oppugnandum inimicum ire. Atque ille cupidus expeditionem suscipit. Arcellanus interea societatem inierat cum Pandulfo, tanquam utrique oporteret manus jungere, qui uno Philippi proposito peterentur. Sic scire ab

C illo decretum, ne præter se quisquam in provincia pedem haberet. Admoti quoque fœderibus Genuenses tyranni, quippe Thomas cognomine Fulgosius Dux creatus Genuensium, qui est apud illos velut apud Venetos caput Magistratuum, Dominum se constituerat juvantibus quinque fratribus, quorum imperiis non difficilè omnia tenebantur: earum rerum cæteri impatientes profecti ex Urbe tyrannis obsistebant. Hæc una erat omnium familiarum conjuratio. Visum igitur Philippo, data exulibus parte copiarum, posse tyrannos comprimi. Præterea & cum Beccarianis bellum eodem tempore geri oportuit. Ex his Philippus comprehensum Castellinum in vinculis necaverat, incluso

D nihilominus filio, quem adhuc in arce Papiensis vinctum servat. Ejus frater Lancellotus, adjuncto Ludovico Facini propinquo, aliquot municipiorum Dominus, hinc Terdonensem agrum, hinc Alexandrinum infestabat. Interim Carmagnola pulso Arcellano Placentiam occupat. Verùm supererat utriusque Castri dimicatio, nam geminis castellis tanquam è diverso spectantibus oppidum munitur. Verùm capto uno, ad alterum, quod vocant Castrum Sancti Antonii, vires conversæ, ubi quum longior ea dimicatio videretur, nam simul & munitiones Castello adjunctæ expugnandæ erant, omnibus machi-

E namentis contendit: multi in dies variis certaminibus cadebant. Utrique enim maxima vi pugnabatur. Relicto demum Castro solo, nam munimentorum potitus est, ipse objectis ad diuturnam obsidionem aggeribus adversùs Beccarianos aggreditur, brevique pluribus municipiis spoliat. Lancellotum intra Serravallem obsessum capit, qui ductus Papiam publico foro per ignominiam in patibulo est suspensus. Hic finis eorum, qui vel ad matris, vel fratris Philippi, quin etiam ad ipsius necem tetenderant, quasi eru-

(21) P. dignatus hunc.
(22) P. Vicecomitum.

(23) P. Comanam.
(24) P. ampliando.

erudiente fortuna, ne quid unquam sceleratè audeatur. Perempti fratres in patria, cujus diripiendæ, ac deserendæ auctores fuerant. Captum inde Gavium ab Serravalle tribus millibus distat tanquam geminæ ad Appenninum fauces, eæ sunt quibus inde in Genuensem agrum pervaditur. Impositus cum præsidio Johannes propinquus noster, qui omnem eam oram ab tergo exercitus tutam redderet. Quæ dum adversùs tyrannos geruntur, conjuncto exulibus Carmagnola, Pandulfus ægrè ferens Placentiam ad Philippum venire, quasi post hæc ipse in manus venturus esset, pacta cum Arcellanis societate auxilia parat, quibus Castellum ac simul Urbem obsidione liberet. Ubi id Philippus audivit, novâ curâ visus est implicari, quum tot locis (25) esset bellum. Itaque in ancipiti casu ipse quoque difficile consilium capit, misso Placentiam cum navibus Georgio Valperegensi jubet omnem populum in naves transferri. Miserrima quidem unius gentis comploratio, quippe in modum commigrantium, velut nunquam patriam visuri, mœnia è navibus prospectabant abeuntes. Datæ Sedes potissimum Papiæ, ac Laudi, dein permissum, quo quemque sors aut voluntas tulisset. Mox venêre ex Pandulfo auxilia, nec fuit mora, quominus oppidum pateret. At ubi videre solitudinem, nec præter Domos vacuas quicquam restitisse, quum alii gentis calamitatem miserarentur, alii ut spe prædæ (26) lusi incendendam Urbem censerent, non ultra quàm pervagato oppido, quà venerant reverterunt. Carmagnola interim Genuensem agrum populatur, sæpeque sub muris ipsis pugnatum, dum in suburbanis, quæ vocant Besamnium, castra (27) locat. Quò quum Bartholomæus Arcellani frater simul ac Ludovicus cum exercitu ad ferendum auxilium venirent, cœpto ex Cremolino itinere imperiti viarum, quà initium est Porcimbriæ (*), Ducem sequuntur. Hic verò obviam manus exulum velut iniquis faucibus comprehensos occupat; ad unum ferè capti; cædes fuit paucorum. Nam agricolæ, qui sunt in ea ora nequissimi, certamini assuerunt. Missis tamen cæteris (28) Gibilinæ partis beneficio Bartholomæus unà (29) cum altero adolescente fratris filio in vinculis servatur, ut tanquam hoc pretio Placentinum castrum redimeret. Thomas igitur nuntio audito fractus, de fœderibus incipit, si quomodo apud Philippum possit veniam promereri; neque Philippus negat, qui videret hinc Malatestam in bellum paratum. Intercessit grandis pecuniæ mulcta, qua maximè succursum exercitui, nam exules stipendium spoponderant, quiscum etiam pax valuit, addita spe, ut in Patriam reducerentur. Bartholomæus cum nepote jussus ad fratrem duci, si fortè captivorum misericordiâ Castellum traderet, atque inter verba suspensuros minitabantur. Ille, ut erat linguæ procacissimus, ultro etiam (30) contumeliis à Philippo missos appetit; renuntient, non esse tanti animi, qui tam illustrem Virum contingere ausit. Ea ad Philippum relata haud secus quàm dignum erat animum moverunt, multis quoque, ut fit, apud Dominos injuriam exasperantibus; denique, seu planè, seu dissimulanter ab Duce extorquent, quasi significatum, de captivis agerent quid vellent, ni castrum redderetur. Nec moratus Carmagnola, cum eadem ex Arce hostis responderet, captivos in patris, fratrisque conspectu furcis suspendit. Id verò non dubium veteri inimicitia Carmagnolam fecisse: nec gratum Philippo supplicium, neque putaverat levi nutu tantum facinus ausuros. Nempe necatum Juvenem, quo nec virtute, nec viribus quisquam illustrior haberetur, sive prudentia hominem existimes, sive ipsa humanitate percenseas. Supra modum verò & forma & robore præstabat. Itaque nemo non cum luctu eam mortem solitus audire. Matri verò peracerbum id spectaculum, nam è speculis castri rem tuebatur, quod ubi peractum vidit, non sinè rabie ad Philippum versa pæne in oculos involat, proditorem vociferans & fratris, & filii, quos per nequitiam infandæ neci tradidisset: tum orare Deum, qui ab eo pœnas similes exigat, nec sinat tanto sceleri superesse. Hæc atque alia hujusmodi inclamitantem, quum non posset Arcellanus sustinere, nocte ipsa proxima Castro excessit, statimque facta deditio. Ille tanquam exulatum ad Venetos abiit, nec diu post persequentibus usquequaque furiis Tarvisii morbo correptus interiit, tanta, ut ferunt, victus desperatione, qui in morte diceret, se se ultro animam inferis dare. Vir sanè aliquando egregius, magnæque fortunæ proximus, si se paululum tolerare potuisset. Nec dubium, si Duci obsequeretur, futurum fuisse superiorem Carmagnola, quippe juvenem nobilissimum, cui frater inauditæ virtutis esset, pater ea probitate apud Philippum spectabilis, ut profecto ad rebellionem filio nihilominus in suscepto Magistratu perseveraret. Tum verò captâ Placentiâ, restitutoque in suas domos populo, Orlandus Pallavicinus petendum jam se arbitratus, sponte ipse quoque tradito Burgo Sancti Donini vênit in fœdera. Sic deinde Rubei, Peregrini, atque alii nobilissimarum familiarum Comites in agrum usque Parmensem se se Duci obtulere. Atque idem facturi Parmenses videbantur, tametsi Nicolaum Ferrariensem dominum habebant, in cujus potestatem hoc modo venerant. Otho ille Tertius, quem ante diximus cum Jacobo Facinum in Mediolanensi agro profligasse, ex Mediolano per indignationem egressus, eundem furorem gerens sese in Parmensem agrum tulit, ibique omnia infesta reddens concitis quibuscunque turbulentis, ac perditis, nullo armorum præsidio obsistente, demum pro se Parmam cepit. Nobilissimum quidem ac vetustissimum oppidum agro super modum fertili. Ejusdem nominis torrens urbem dividit planis, ac montibus, pascuis ac sylvis. Non arva, non vineæ, non prata desunt, crebris quoque & fontibus & fluminibus. Vetustissimæ præterea incolarum familiæ, quorum maximè cognominatos Rubeos Otho persecutus pæne funditus delevit. Siquidem necesse erat exercitum, quem stipendiis non poterat, latrociniis alere. Quisquis erat ditior, inter partes habebatur, atque

(25) *N.* peragendum. (26) *P.* delusi.
(27) *P.* essent.
(*) *N.* Procimbriæ.

(28) *P.* Gibellinæ. (29) *P.* cum adolescente.
(30) *P.* contumeliis missos appetit, Philippo renuntient &c.

que in ipso Oppido multorum factæ cædes, ut ferme uno die quatuordecim cadaverum carros ejectos referant, posito Edicto, ne quis Rubeus servaretur. Oblatum jam evoluto tempore parvulum, qui per misericordiam indolis servatus erat, mox arreptum pedibus parieti illisit. Eadem in Pallavicinos molitus, Doninenses obsidet. Oppidani crudelibus exemplis admoniti oppidum tutati sunt; itaque relictis adversùm munitionibus vix mille passuum intervallo, adhuc enim apparent fossarum vestigia, in alteram partem contra Regienses proficiscitur, nec multo post ab Nicolao malè defensos capit. Jam Mutinensibus imminebat, ipsique Ferrariensi jam inde transiturum Padum minabatur; nec forsan vana foret superbia ni Sforcius, hic erat armorum Marchionis ductor, aliud consilium reperisset. Dat Nicolaus spem tamquam venturum in fœdera, quæ Othoni Tertio placeant. Quamobrem dictus colloquio dies, qui ut est factus, non longè à Mutina in campestri (31) cedula conveniunt, execrante Othone, quòd in Ecclesiam esset vocatus. Inito igitur colloquio (32) Sfortius, ut erat cum paucis comitibus armatus, ex insidiis Othonem aggreditur, frustraque oblatrantem quòd inermis in fidem venisset, trucidat. Hominem ferme, si tamen hominem, humani generis parricidam convenit appellari, quem diu (33) cæsum oportuit; ita miserandam provinciam, quæ tot perditos in suam perniciem aluerit. Nos omnium præda fuimus: nos cuique scelerato (34) jugulum objecimus: nobis tot annos jam nefandi, & crudeles imminent, ne quidem nunc ob præsentem rerum statum occupatamque armis provinciam meliora sperare licet. Hanc verò ille mortem obiit, quem pæne dixeris sæpiùs sancta blasphemavisse, quàm de ulla re unquam locutum. Atque ego hæc scripserim, quòd nequeam, o Cœlestis Virgo, impurissimum adversùm te hominem sinè indignatione præterire. Peracta cæde Nicolaus, ductorque è sacello exiliunt, corpus accurrentibus quibuscunque laniatum, ut sanè constet mulierem ob memoriam cæsi viri, heu fœdum dictu! cordis particulam manducavisse. Neque exercitus amisso ductore constitit. Alii in diversum aut Philippum adeunt, alii se Nicolao adjungunt, alii (35) veniente cum exercitu Sfortio capti atque oppressi. Quo uno facinore Nicolaus non se modò è tanto lapsu recepit, brevì quoque & Parmæ, & Regii est Dominus appellatus. Sfortius tamen inde in Apuliam longè ad Ladislaum est profectus, seu pudore rei, quam etiam vulgo cecinerunt, seu, quod evenit, majorum stipendiorum opportunitatem quærens. Nunc igitur Philippus tot rerum potitus Parmenses quoque, ut ante diximus, cepit, ut qui non inviti (36) veterem dominum recognoscerent. Nec longè aberat quominus idem facerent Regienses, ni mediis (37) intercessoribus, quorum præcipui Veneti; Nicolaus cum Philippo in amicitiam venisset, quæ gratia hodie quoque in eandem benevolentiam studentibus perseverat. Versa hinc ad Pandulfum arma. Primaque in Bergomensem agrum profectio. Pleraque ex municipiis sese audito Vicecomitum nomine statim dediderunt. Nec Bergomenses ipsi diu obsidionem pertulere, ut ferme quibus res inopiæ sit non frequentantibus Mediolanum, ac necesse sit externis commeatibus ali. Ex eo in castella Brixiensium ductus exercitus, multaque visis castris in pristinam fidem veniebant. Valles illæ Martinensium cupientibus incolis non magno certamine occupatæ. Tum jacentia in planis castella deditiones sequebantur, ut facilè appareret cessurum Malatestam, ni successum rerum Martinus Faventinus parumper impedisset. Hunc ductorem Veneti submisere, virum armis egregium. Octingentis ille equitibus labantem Malatestam visus est restituere; non ut aperta acie decerneret, verùm omnibus locis castra tentabat, nunc à tergo vadentes feriens, nunc impeditis occurrens, atque ita cum reliquis copiis agebat, ne facilè possent obsidiones tendi. Quæ dum geruntur, Martinus Constantiæ declaratus Pontifex jam inde profectus ex Taurino in Italiam adventat. Primùm à Philippo eximiis honoribus susceptus, ibique primus novello celebratu Mediolanensem Ecclesiam dicavit. Neque id forsan non ad Civitatis nomen, ac pietatem pertinet, quod quum à Martino impetratum esset, ut id facere dignaretur, (dies erat Sabbati) atque in sequentem Dominicum dicandum altare (nec dum verò constructum erat) occupante locum fornice hemicyclo: hic sanè plus triginta cubitis altus, latusque erat, ubi priùs adorabatur: necessarium itaque hunc erui omneque illud tectum, quod fornici imminebat, diversis fulcimentis aptari. Nemo sanè credat una nocte opus factum, transportatamque inde ducentos passus maceriam: sic tectum illius domicilii ante lucem renovatum, ut incredibilis fieret spectantibus admiratio. At licet forsan hoc facto deprehendi, quis plebis nostræ numerus, quæve hominum religio. Sed in præsenti omittamus. Quamobrem de Martino dixi, ea causa est, quòd ex Mediolano proficiscens, Brixiam erat iturus, qua Mantuam procederet, inde ut alio itinere quàm per Bononienses (nam rebelles transitum negabant) Florentiam perveniret. Ante igitur profectionem Philippum precibus coëgit cum Pandulfo in fœdera, ut ille certum stipendium in præsens daret exercitui, tum ad recognitionem parvum annuum tributum penderet, ita vivò remaneret Brixia, quæ post illum defunctum in imperium aut Domum Philippi reverteretur. Incidit hoc medio tempore Philippo casus domesticus, quem ita referam, si non nihil putetur ad hominis vitam, ac fortunam pertinere. Nempe, quod ante diximus, conjugium illi Beatricis erat, annosæ jam mulieris, cujus nec illecebræ jam delectare possent, neque uterus naturæ officium præstare. Quamobrem dudum ab illa vir abstinuerat. Adolescens erat illi familiaris, Michaël cognomine Orombellus, cui ferme nihil ad artes lasciviæ deesset, seu canere, seu fidibus, aut fistulis pulsare velis: totus denique ad aulæ mores compositus, quamquam hæc vulgo urbanitatis, & elegantiæ officia dicuntur.

(31) N. cellula.
(32) N. Sforcius semper.
(33) P. cæsum esse.
(34) P. jugum.
(35) P. adveniente.
(36) P. dominum.
(37) P. & N. intercessionibus.

tur. Relatum denique, ac propterea creditum, juvenem cum Beatrice consuetudinem habuisse; auctæ quoque veneficii suspiciones, quòd sub thoro ejus rei instrumenta reperta sint. Itaque ut statutum est facinus publicari, mulier comprehenditur, inde in arcem Binaschi deducta, eòdem & juvenis vinctus perducitur, ubi demum habitis, ut ferunt, quæstionibus utrique capitalis sententia indicta, primus juvenis traditus supplicio, jussus ante præsente Domina crimen fateri, id ille sive tormentis conflictatus, sive alicujus spei credulus supplicio astans, quamquam trepidus, ac verbo ipso nutabundus fecit. Enim verò mulier, ut erat eximii, & ad constantiam animi, & ad omnem honesti sermonis elegantiam docta: *tibine, Michaël*, inquit, *eo loco videmur, cùm mendacia valere possint, aut quicquam debeat plus metu divinitatis movere? Ipsa quidem, ut mihi rectè sum conscia, nullis unquam tormentis adigar ea fateri, quæ tu perfidè nescio an trepidè es mentitus, nec me ut veriora dicam, tam parvi unquam duxi, ut si non pietas, certè amor nobilitatis à flagitio revocaret. At mihi nunc tandem nequissimus videris, qui in ipso parandæ gloriæ momento veritati scelus anteponas. Quando igitur nec mundana in testimonio supersunt, neque ipse injuriæ particeps iniquam confessionem vereris. Te unum, Deus meus* (quæ dicens oculos in Cœlum sustulit) *invoco, te meum obtestor, qui & vides, & facis innocentem, nunquam me suscepti thori fidem* (38) *violasse. Hoc ipse nosti, qui mihi semper eam mentem dederas, qui propositum atque institutum meum his rationibus, consiliisque imbueras, qui mihi denique in omni vita timorem tuum præstiteras. Idem nunc oro confessionis meæ testis sis, quo uno servasti ex omni scelere integram, ut ne in familia quidem potuerim ullum impudicitiæ vestigium pati. Ejus modò sive peccati sive erroris abs te Deus veniam precor, quæ me imparem Philippo conjugem tradiderim; quæ non uno vinculo contenta fuerim, quæ non provecta reliquam omnem ætatem tibi soli subjecerim. Quanquam mei hujus utcunque facti auctorem habeo Mediolanensem Archiepiscopum. Si parum est, quòd illi pro dote salutem tuli, quòd egenti* (39) *Terdonam, Novariam, Vercellas, Alexandriam, quæ meo nomine tenebantur, mecum tradidi, quòd postremò una tot rerum dominum constitui. Aut verò in quo ego me conjugem potiùs, quàm nutricem dedi? nunquam negatos complexus questa: postremò nec ancillæ pro te, ut scis, nomen atque officium fugi. Omnia ille habeat, omnia possideat, quæ per me ipse tuis beneficiis paravisti. Nihil jam queror, nec mortem misera lugeo. Tuum fuerit, omnipotens Deus, ut servasti insontem, sic reliquam commissæ innocentiæ memoriam tueri.* Quibus dictis sumptum, ut diximus, de juvene supplicium. Atque illa omni religionis tenore servato cruciatis palmis cervicem præbuit. Fœmina quidem, si vitæ ac morum ratio spectetur, nullo conjugio indigna: felicior tamen, ac verè Beatrix futura, si post unius viri mortem restitutis Philippo omnibus unà cum ambitu conjugii curam posuisset. Nec certa quidem, aut simplex ejus mortis opinio. Atque id sanè constat, juvenem potuisse captâ dominâ effugere, cui multi in aures susurrabant, illum quæri. Nec destitit quominus de more in Castrum iret, se omnis facinoris nescium publicè professus. Neque egomet, si non illi in aula immutatum ingenium sit, de juvene perfidiam suspicer, nam ferè puerilibus ludis socii fuimus, cujus sanè indoles, ut est liberalis vitæ consuetudo, ad virtutem egregiè ex ætate proficiebat. Itaque & plures existimant hoc Philippum fastidio egisse, qui paulò post nobilem puellam eandem Civem Mediolanensem pellicem traxit, si tamen hoc nomine culpanda est, quæ vim potiùs perpessa ad consuetudinem deducta est. Ego id factum odio arbitror Facini, ne inultum nomen remaneret, cujus usque adeò memoranda esset injuria. Atque huic (40) indicio extitit; quòd ex eo omnia Facini insignia ac monimenta omnibus locis abrasa sunt. Patefecit alio aditu fortuna viam potiundæ Brixiæ, ac pæne auctoribus Florentinis, quo omnes intelligant divinis consiliis humanam imperitiam gubernari. Quippe Florentini Braccium favoribus atque auxiliis juvabant, quum antea alterius partis fuissent. Is verò unà cum nobilitate Perusiam oppugnabat, quæ factio jam secundum ac vigesimum annum exulabat; & pauci quidem ejus partis supererant, maximo numero, ut ante retulimus, in ipsa exactione trucidato. Adversi Karolum Ariminensem in auxilium vocant, ad quos ille juvandos profectus est, magno coacto exercitu, comitante Angelo Pergulano, futurus sanè omnium judicio victor, si nihil egisset priùs, quàm se in Urbem contulisset. Ille verò, ut erat temeritatis audacissimæ, nihil omnino actum videri posse credidit, ni priùs hostem ex obsidione depulisset. Concursum in ripa Tyberis, atque in ipso oppidi conspectu, tracto pæne in medium diem certamine. Ubi dum Karolus subductis ex acie præsidiis aquatum vadit, nam æstu conficiebantur, Braccio ex propinquis vicis commeatibus abundante, *nunc* inquit Jacobus, cui cognomen Tartalia, *tibi Bracci res agenda est; ipse quanta vi potes aciem divide, ego meis copiis in signa illa, quæ deserta vides, incurram*. Nec secus factum est, quàm dixit. Itaque in eo stetit victoria; captus cum nepote Karolus, ductores ferè universi præter Angelum cum omni exercitu capti, ille paucis comitantibus aufugit. Ea res Malatestam confecit, uno ex ipsis fratribus, qui Johannis socer fuerat, præ tantæ jacturæ dolore mortuo, nam ante ipsum periculum dudum ægrotus jacuerat. Nec destiterat literis, & precibus (41) fratrem monere, neve se, antequam esset Perusiam ingressus, pugnæ committeret. Ipsi Karolo demum maximo pecuniæ numero detrimentum fuit jussus gravi redemptione exigi, quam quum difficilè præstarent, nescio an id dicam, quod vulgo sæpe audivi suspectum haberi, nacti occasionem tamquam Martinus, quem ductorem habebant, adversùs Dominos infanda moliretur, hominem comprehendunt, nec multo post quasi statutæ proditionis reum capite puniunt. Non dubium id est, ingentem divitiarum cumulum ex Martini nece ad Dominos venisse. Verùm ea quamobrem ante dixi, & Malatestarum ruina fuit, & Philippi potentia, quam paulò post Florentini sunt experti; ne dicam

(38) P. violavisse.
(39) P. Terdonam, Vercellas.
(40) P. indicio astitit.
(41) P. monere,

dicam Braccio, dum vixit, semper obnoxios fuisse, quem Perusiæ factum Dominum gravem finitimis crescentem videbant. Inter hæc Pontifice jam ex nostra Gallia in Tusciam profecto, Philippus adversùs Cabrinum, Cremonæ se Dominum ferentem, (42) ducit exercitum, tametsi is quoque ab Sigismundò, quem domi cepit, nescio quid legitimi nominis erat nactus. Verùm & potentia, & nomen Philippi in præsens superabat. Itaque ut Carmagnola in agris fudit exercitum, primi Piscigutones tolerata parumper oppugnatione traduntur. Dein Suncinenses, atque alii, ut ducis castra (43) esse videbant, haud gravati accipiebant imperium. Quæ videns Cabrinus, ad proximum Malatestam fugit, atque ille est pollicitus eo pacto, si Cabrinus Cremonam traderet, accepturus ab eo Salonem cum adjacentibus vicis præter Benacum, quamobrem honoratus, ac tutus degeret. Ea verò tametsi fuere parum firmata, tamen Philippo simul & iracundiæ & querelæ adversùs Pandulfum causam dederunt, quibus justè illi objiceret solutum pacis fœdus, quam Martinus composuerat; nec jam se teneri, quominus cùm vellet, inferret illi justum bellum. Itaque eo acriùs Cabrinum premit. Nec longè erat, ut oppidum caperent, cùm ille se in arbitrio Philippi futurum dixit. Concessum igitur traditâ Cremonâ Castellioni possessionem haberet. Divitiæ, atque opes remissæ, quarum ferme immensus cumulus fuit. Quippe assiduus prædo quorumcunque hominum rapinis locuples erat factus. Verùm hæc, quemadmodum postea referemus, servabantur, non adimebantur Philippo. Interim tamen amicus, ac socius appellatus. Ne verò immemor recentis injuriæ Philippus contra Pandulfum statuit. Verùm qui sciret Venetos paululum fovere Malatestam, novam viam excogitat, si possit cum Venetis pacisci, dum hoc bellum parat. Quibus consiliis mirum dictu quàm eodem tempore caleret. Felix futurus, si post eandem consuetudinem in maximis bellis servavisset, ne in multiplices hostes solus congrederetur. Percautè hoc visum, tanquam dissimulato Pandulfo Mantuam paululum irritaret, quo ad Venetos fugiente eosdem ad fœdera contraheret. Nec minùs id factum, quàm meditatum, postulatis à Mantuano municipiis, quæ in Cremonensem, aut Brixiensem agrum vergebant. Franciscus hic erat Mantuæ Dominus; mox id Venetis significat, petere à se Philippum municipia, quæ patris fuisse referat. Non negant modò illi, verùm etiam interdicunt, ne quo pacto postulatis concedat, præsertim quòd Piscaria petebatur, oppidum in ore Mincii, unde è lacu Benaco exit, opportunissimè situm, nec plus quindecim millibus à Verona distans. Capta hinc legatorum occasio, ut inter Philippum ac Venetos de novis rebus referretur; ac multis ultro citroque jactatis, demum pactæ, ac firmatæ in decem annos induciæ, quæ Philippo cum Venetis atque omnibus sociis essent: verùm ita, ne se illi Brixiensi bello opponerent, illos ipse, quotiens transalpinis bellis vexarentur, auxilio juvaret. At Veneti eo faciliùs Pandulfum reliquere, quòd ægrè tulerant, cæsum Faventinum, quem ab se ductorem accepisset. Primùm igitur ut bello iterum pulsari se agnovit Pandulfus, nec esse in Venetis spem, Genuensem pertentat, si possit ad renovandum bellum impellere, facilè distracturos Philippum, ne simul possit utrimque vires sufficere. Paululum Genuensis annuit, quamquam domesticis exulum inimicitiis impeditus. Carolus quoque idem Pandulfi frater pro se legationem ad Florentinos suscipit, simul atque ad Martinum Pontificem, singulos obsecrans, atque obtestans, ne fratrem desertum paterentur, qui sit unus in Gallia partis Guelfæ princeps, præsertim quem modò Philippus tantâ injuriâ persequatur. Nempe ille Brixiam haberet, quàm primùm à Matre Philippi quasi justo pretio accepisset, servatam deinde è maximis periculis, continua item pace gubernatam, quando nemo esset quem aut clementiæ, aut justitiæ Pandulfi pœniteret. Philippum nunc perturbare omnia, nihil esse quod non referat fuisse Patris, tanquam uni debeantur omnia, quæ cupiat. Denique ipsos superesse, ex quibus mox sit Pisas (44) repetiturus; propterea jam decernant, inde potiùs Philippo nunc immaturis adhuc viribus resistendum, an paulò post in Tuscia bellum gerendum. Martinus Malatestam potiùs corripere, quàm auxilia polliceri: quid oportuisse Pandulfo ad Cremonensem, qui Brixiam tanta pace possideret; itaque nunc consulere eidem, illatam Philippo injuriam quibusque modis redimat, ac se, utcumque possit, ad certiorem quietem confirmet. Florentini quoque seu gratum præsens otium, seu Philippi vires aut formidatæ, aut neglectæ, responderunt: Nihil hoc tempore ad se pertinere bellum, quod ultra Alpes gereretur. Tum de Pisis satis provisum, quam Urbem eo loco statuerint, ut ne quidem audeat in Gallia prospicere. Pandulfus, si nequeat in Lombardiæ ora Brixiam tueri, quam omnes audierint Vicecomitum perpetuam fuisse, Fanum in domesticam possessionem revertatur. Hæc malè grata Carolus ad Pandulfum scribit, rebus suis quocunque pacto provideat, cui solo in se spes relicta sit. Inde tamen in Picenum usque peragrat, multisque coactis delectibus, Ludovicus Firmanus cum auxiliis ductor copiarum accessit. Verùm infelici exitu, nam ipsi quoque ut in Brixiensem agrum venêre, latis campis nimis palabundi ab Carmagnola excipiuntur ad eum locum, ubi media est amplæ latitudinis fossa. Nec diu ambiguum certamen fuit, quanquam numerosæ acies erant (ad octo hominum millia fuisse referuntur) omnes profligati. Ludovicus ipse captus, nec multo post à Philippo domum remissus, ut ne captum, sed Philippi cumulatum muneribus diceres, tanquam gloriæ haberet dominos & facere, & dejicere. Quibus Pandulfus veluti de tradenda Brixia acceptis, cum Philippo in fœdera componitur, quibus Brixia simul, ac munimenta, & quæque in agro Brixiensi restabant, ad Vicecomitem rediere. Eo itaque incremento, & potentatu, ac nomine auctus, Philippus, primum omnium Carmagnolam clarum, & honoratum facit, quo parandis tot rebus legato erat usus. Atque eo tempore Pergulanum Angelum ad se ductorem vocat,

(42) *P.* ducit, tametsi. (43) *P.* videbant. (44) *P.* reperturus.

cat, quum eſſet in agro Bononienſi Urbi infeſtiſſimus, quæ ſe auctore Antonio cognomine (45) Bentivolio jam Summo Pontifici dederat. Ille verò occuparo caſtro, quod vocant S. Petri, meritum anteacto tempore ſtipendium repetebat, neminem vel à Martino, vel è Bononienſibus audiens. Hunc igitur Philippus in ſuam ſtipendiariam conduxit, ſtatimque oblata rei gerendæ neceſſitas. Philippus media proxima hyeme (46) Berinzonam, ac Domuſſolam tyrannis eripuerat. Hæc ſunt gemina oppida locis, ac mœnibus, & populis munitiſſima inter Alpes Germaniam verſùs, velut ad primas fauces diſpoſita. Quondam ſanè Vicecomitum fuerant, ac, dum nives immenſa altitudine extarent, ante occupata ſunt, quàm domini intervallo medio ſentirent. Suecii locis finitimi id ægrè ferre, præſertim, ut ajunt, multiplici impoſito tranſeuntibus tributo, nec remittente Philippo, quod jam pluribus legationibus tentaverant. Ut igitur reſponſa acceperunt, tum quidem per hyemem impediti quievere, pari fraude priùs ſe primo tempore Philippum invadi. Nec potuerunt tantum pati, quominus erumperent; collecti prope ad hominum octo millia ſeſe è ſuis locis effundunt, nequiverunt tamen latêre. Cùm primùm egreſſos Philippus audiret, miſſis eò Carmagnola, & Angelo cum turmis ſuis, quæ tum fortè Mediolani erant, additis Zenone, ac Brixienſi ductoribus peditum. Nihil verò tam ſaluti fuit, quàm barbarorum impetus, quippe dum ſe concitant, cupiuntque alii alios prævenire, factum eſt, ut in agros noſtros primùm tranſirent. Circiter dimidium turbæ fuere, ceteris poſtridie ſequuturis; Nihilominus qui tranſierant procurrunt, effero quodam more debacchantes; nam inconſulta gens eſt; clamores undique diſſoni è vallibus horribiles reſultabant. Major quoque numerus exiiſſe dicebatur, ut ipſi item numero plures apparebant, ut ſanè referant, Carmagnolam ad ineundam pugnam ſubſtitiſſe. Ceterùm occaſionem præbuit inſania, quòd nihil de noſtris cogitantes nocte ſub Birinzonæ mœnibus ſubſtitere. Quos noſtri manè adorti improviſos in bellum urgent, id ferente Angelo: *Ceterùm patiemur Belluas ex Alpibus deſcendere, eo uſque dum Philippus mugitus auribus accipiat? quin ingredimur ferro. Ne dubita, ductor, ferocia hæc, quam vides, emiſſo cruore concidet*. Barbari nihilo territi in armatos veniunt, quos quia minùs poterant, corporibus ſeſe equis ſubmittebant, tranſacto per coſtas mucrone labentem armatum ferientes, nec nunquam equorum crura complexi, ſimul equum, atque equitem præcipitabant. Itaque facto primo concurſu in acie Philippi equorum, atque hominum cædes. Quod ubi Angelus perſpexit, majus periculum ruentibus fieri: *Cernitis*, ait, *ſocii perimi equos veſtri ordinis, virtutiſque auxilium, ſequimini hac vadentem, ut pedibus, corporibuſque pedes & corpora conferamus*. Sic tenſo conto pedes in hoſtem vadit, primumque obvium emiſſo per latera ferro tranſverberat. Ceteri idem juſſi faciunt. Nec Carmagnola cunctatur, eo præſertim furioſior, quòd cariſſimum ex ſociis amiſerat. Pedites quoque pro ſe operam ſequuntur. Primores maximè quos ante diximus, eo die celebrati. Ita undique fit hominum ſtrages, nec tamen priùs quiſquam fugit, quàm pæne omnes ceciderunt, atque inter aciem tamen unum è Ducibus ſuis trucidavere, quòd viſus fuerat inconſulto exercitu de fœderibus ſignificare. Tandem coacti in quendam tumulum reſidunt verſis in terram mucronum & jaculorum cuſpidibus, quod illis ſignum erat dedentium ſeſe. Quorum orata ut Philippi ductores accepere, inito conſilio rogatus ab Carmagnola Angelus cenſet parci capitibus, captivoſque abduci: primum humanum, tum ſpecioſum illum Philippo gentis triumphum, ac militi quoque ad reſtaurandam equorum ſtragem queſtum percommodum, factâ corporibus mulctâ. Licere quoque inde ſciri, ſua ne temeritate, an alieno nutu ſedibus eruperint. Inquit tum Carmagnola (ejus utpote primi ductoris potior erat ſententia) poſſe id ignavum, ac timidum videri, quando in acie vicerint, potiùs parentanda omnia ſanguine. *Ergo*, inquit Angelus, *ne me formidaſſe putes, ſanguinem hominum fundamus*. Datoque ſaltu equi ſtrictum enſem ad hoſtes detegit. Quo illi perſpecto ſublatis mucronibus in cervicem, præcipites fremitu barbaro per diviſas acies ſeſe ad Ticinum educunt (nam inde haud longè ex Alpibus oritur) atque eo vadis trajecto paulò ſecus comitibus occurrunt, qui ex pabulationibus redibant. Tum omnium lachrymæ, ac variæ complorationes, ita ſimul ad notiores agros revertuntur, cùm multi paſſim ex vulneribus ſaucii, & gurgite madidi, ac graves miſerabiliter caderent. Cæſi utroque certamine, qui aut in bello, aut in flumine, ac per calles ceciderunt, ſuper duo millia referuntur. Neque incruenta Philippeis victoria, aliquot equitum amiſſis capitibus, major ab latere Angeli jactura, pluribus ſuorum occiſis. Atque id magno fuit detrimento, ſuper quadringenta equorum corpora ex Angeli turmis perfoſſa cecidere. Spectaculum certaminis fuit homo miræ magnitudinis, & corpore, & audacia barbarus: hic poſtquam & hominum, & equorum ſtragem dederat, ab uno equitum lancea eſt transfoſſus, quem dum ille premeret, ferunt per lanceam tendentem vix ſpirante vita cum hoſte pugnaviſſe. Relatum Duci corpus (47) . . . . . . ac ferunt ipſum Domi ejus magnitudinis adoleſcentiorem fratrem reliquiſſe. Multi dubitant talem exitum futurum fuiſſe certamini, ſi omnes, ut erat ſtatutum, conveniſſent; intolerabilis enim primus gentis furor, quod ſæpe Auſtrini duces ſenſere, in quos projecto jugo pugnaverunt; jam nec tyrannum aut dominum norunt. Unum abeuntibus è Domo decretum jurejurando omnibus firmatur, qui nec ex acie fugiant, nec hoſti pareant (48), nec ſi oppida, aut terras ceperint, fœmineum corpus violent. Glorioſum illis arma cum vita ponere. Nec multo poſt iterum alia multitudo prodiit, verùm non ultra, quàm quòd direptâ Domuſſulâ, priuſquam occurreretur, rediere: ſæpiùs idem facturi, ni Philippus extructis per juga foſſis, ac munimentis viam omnem periculis obſediſſet, donec qui ſuus mos eſt, eorum pri-

(45) *P. & N.* Bentevoglio.
(46) *P. & N.* Birinzonam, ac Domuſſulam.

(47) *N.* ad ſe efferri jubet, & Mediolanum in Caſtrum detulitur, ac &c. (48) *P.* parcant.

primoribus per munera collectis gentem placavit, hodieque Mediolanum ultro commeantes pacem tenent; id tamen impetravere, ne major esset, quàm Galeaz temporibus transitus coactio. Nunquam inter hæc cessaverunt exules Genuensium Philippum sollicitare, qui bellum adversùs Tyrannum (sic Thomam vocabant) gereret, id planè significantes, quo nihil magìs optabat, pulso illo futurum Genuensium Dominum, nec magno labore tantum imperium constare, quippe hostem superiore bello confectum, nec amicos jam hec auxilia habere; facilè cogi posse, ut Civitatem deserat, ubi ab nullo jam desideretur. Primi petitores Fliscorum, ac Spinolarum factio. Hi in agris amicitiis potentes, hi pecunia, ac divitiis freti. Non ingratum negotium Philippo tanta spe gloriæ, quam præter unum Johannem Archiepiscopum nullus majorum habuerit. Et quidem super hanc exulum instantiam causa quoque movendis armis suberat, quòd cum Pandulfo occultis fœderibus (49) composuisset. Eo igitur Carmagnolam cum exercitu destinat, cui adjuncti exules protinus ad ipsa mœnia succedunt. Nec præter Urbem quicquam in potestate relictum. Dum tamen id bellum geritur, ad Florentinos legationem mittit, eandemque etiam honoratissimam, quòd soliti essent dicere, non valde cupere Philippum Florentinorum amicitiam, quam nulla legatione peteret. Hactenus enim cum solis literis Viatores commearant. Nec facile erat Florentinos in eum locum trahi, ut se Philippo jungerent, qui dudum omne Vicecomitum nomen horrerent. Subeunt tamen legati, singulique ut diversos cives notos habebant, nuntios interponunt, quibus ad se venire precantur, tum quibus rationibus possunt, animos explorant, eove maximè nituntur, qui suspicionem (50) pellant, ac faciant credi paratam, (si velint) cum Philippo, ac Mediolanensibus optimam pacem; nec dubitare (si fandi publicè locus detur) in manu esse concordiam. Denique igitur placuit legatos audiri, præsertim qui non ultra haberent, quàm de pace referre. Sic fuit omnis Legatorum oratio: Lætos se, & alacres Florentinis pacis nuntios advenisse, cujus nulla mentio jam ante viginti annos extitisset. Nunc id Philippum pro se cupere, ubi speret diuturnæ concordiæ initium dari, ac propterea eo legatorum numero honorem rei detulisse, in qua existimaret maximam Italicæ salutis partem contineri: Atque id tempus præcipuè opportunum esse, quum neutri partium ea pax necessaria sit: proinde nihil præter honesti rationem relictum, cujus nemo nescit primum officium esse, ut inter mortales benivolentia valeat, nempe qua una vulgo jam (51) difinitum sit omnibus rebus gloriam splendoremque accedere. Quid autem timendum, posse occurrere, aut quid unquam adversum posse in Italiam irruere, si cum Mediolanensibus Veneti pariter, ac Florentini agant? Philippo quidem in animo esse, quo ad se spectet, Italiam ab omni Transalpino motu tutam præstare. Florentinos hîc tamquam in medio orbe quieturos, nec sensuros unquam arma, dum eam voluntatem servaverint. Proximam habere gloriæ facultatem, modò juvandis (52), servandis, regendisque Ecclesiæ, ac Summi Pontificis Martini opibus curam dedant, sic denique omnes Romanæ gloriæ auctoritatem tueantur. Tunc si huic concordiæ obtemperetur, nihil posse suspecti intervenire, quandoquidem ea Philippus habere se existimat, quæ tanquam paterno jure, ac majorum suorum titulo (53) quærere debuisset. Finitum regnum Alpibus facilè Florentinis dare, quidquid ultra Apenninum teneant; nec jam plus gloriæ aucupari, quàm quod servandis Lombardiæ Urbibus paraverat, nunc etiam fovendis, atque augendis intendere, omnem reliquam operam amicis peracturum. *Itaque ne dubitate*, inquit, *Florentini optima fide Philippum justissimoque desiderio vestram amicitiam petere, ut fœderibus confirmetis, quam dudum rebus probatam tenet. Nec sanè majus adhuc experimentum quærit, quàm est in eo intellectum, dum ad vos nomenque vestrum Karolus pro juvando fratre confugit: ipsique rectissimè negastis auxilia, quæ ille adversùm Philippum non rectè peteret. Quid verò æquius aut veris amicis dignius, quàm in tantis nostræ Provinciæ tempestatibus nihil nos unquam movisse, nihil Florentinos pro veterum temporum simultatibus cogitavisse, jam inde consueti, & coalefacti nobiscum Mediolanenses, simulque ut publicè privatimque benivolentia obsecundet. Mandatum postremò, ne plura hujus rei verba faceremus, qui essemus apud amicos maximæ prudentiæ, ac virtutis, non minùs quàm fortunæ principes loquuturi*. Quæ ubi sunt dicta, cæterique in suo ordine legati, (nam Johannis Aretini communi sex majorum legatorum jussu fuit oratio) nihil se ad id velle adjicere significarent. Florentinus, quem tum summi Magistratus præsidem habebant, nihil supra respondet, quàm omnino se credere, placuisse verba Senatui, quibus intelligerent Philippum constituendæ pacis, firmandæque concordiæ consensum exquirere, id esse rei sanctissimæ consilium, nec Florentinos (54) aliud unquam his rationibus molitos. Itaque etiam nunc brevi responsum daturos, in præsentia habendum Senatum, quo id publicè decernatur. Ita legati datis comitibus ex palatio in hospitale domicilium perducuntur. Post tres, aut quatuor dies revocatis, jussus Nicolaus cognomen Ozanus pro Florentinis respondere; homo in ea Civitate, & dicendi princeps, & natu gravis, proindeque & omnium quæ quondam inter Florentinos Vicecomitemque extiterant, probè memor; multa ille de rationibus & commodis pacis loquutus, quam omnes scirent bonorum nutricem, atque (55) unam præcipuè rebus humanis jocundam, unam item æquitati, fidei, bonitati, pietati denique, doctrinæ quoque, & dignitati peropportunam; itaque dolere se à Philippo tanto officio præventos, nunc verò acturos studiis, qui amici voluntatem æquent. Eam inde satis fidere utilitatem atque incolumitatem fore, quam optimè res præstare soleant. Tum memorat quæque Florentinis cum illa Vicecomitum Domo antiqua fuerint, quid interea concordia amicis præstiterit, quantum malorum in omnem Italiam duorum populorum dissensiones invexerint: Dignam modò rem & Florentinorum, & Philippi gloria, atque in

(49) P. & N. opposuisset.
(50) P. tollant. (51) P. diffinitum est.

(52) P. regendisque. (53) P. debuisset.
(54) P. unquam. (55) P. præcipuè.

in primis debitam, & gratam Deo, inter se ut tanti populi conveniant, nec duarum Civitatum potentia omnis Italiæ quietem sollicitet. Jam se demum supernæ clementiæ fidere: arma recessura, dum ipsi rerum Principes concordiam foveant. Quod verò ad Florentinos attineat, Romanæ Ecclesiæ, Martinique salutem & gloriam curæ fore, ipsos quoque Mediolanenses, quotiens Florentiam venerint, civium loco habituros. Postremò in id deinceps Florentinum contendere, qui Philippi nomen, ut omnium Vicecomitum semper extitit meritis & honoribus cultum, ac decoratum suscipiat. Multa in eundem modum Nicolaus. Quamobrem factum pacis decretum, moxque percussa, & conscripta (56) fœdera, quibus maximè videbantur, Florentini, ac Vicecomites alternis rebus abstinere. Tum ne Philippus pedem ultra Taruntiam, hic fluvius ex Appennino cadens, oppidum Pontis-tremuli appellant, prætervectus, Parmam inter ac Regium fluit; efferret: sic ad aliud Alpium latus ne Macram Lunæ flumen transiret. Ne Florentini quidem, quæ ultra hos fluvios essent, quærere deberent. Quæ sunt hoc modo per legatos inter Florentinos ac Philippum constituta. Bellum interea pro foribus Genuensium ab Carmagnola legato Philippi exercitus unà & cum exulibus magna vi geritur. Nec Thomas in animum inducebat Civitatem tradere, quamquam omnem agrum amiserat, conversis ad Ducem (57) Fliscis, quorum præcipua ope hactenus regnaverat, contentus maritimis auxiliis, & commeatibus. Verùm cùm inopia pecuniæ laboraret, quam necesse erat stipendiis tribui, jam omnibus, quæque rapere potuerant, expilatis, non est veritus Florentino Liburnas, hoc est portum Pisanum, vendere centum, ut ferunt, ac viginti auri millibus acceptis. Ejus magna pars Florentiæ coactis stipendiis effusa. Quamobrem multis visum jam non integra esse, ac pro violatis posse haberi, quæ paulò ante Duci promissa erant. Omnia tamen pro tempore dissimulata. Cœptum inde Philippo, atque exulibus aliud consilium, non posse solo terrestri bello Thomam ex urbe pelli: itaque missus Barcinonam qui stipendiarias naves conduceret. Novem venere triremes, quibus ductor datus Baptista cognomen Montaldus inter exules potens. Totidem erant Thomæ, ductore fratre illius Baptista. Ita utrique satis viribus confidere, quando essent numero navium pares, atque eo melior Thomas, qui solis Genuensibus armatas haberet. Cæterùm ut ferè Genuensium est, fide potiùs, quàm virtute laboratum. Non longè à Genuensi portu concursum; neque enim poterant tyrannicæ naves nisi per certamen portu egredi. Ut factum est igitur pugnæ initium, duæ ex triremibus Thomæ subsistunt, paululùmque ad latera subducuntur. Atque id animadversum cæteras terruit, ne plures in facinore essent. Malè igitur jam æquatâ pugnâ congressus Fulgosius vincitur. Quatuor è reliquo numero constantiores captæ. Ductor quoque in potestatem exulum factus paulò post ad Philippum perducitur. Superatus haud dubium eo certamine Thomas Fulgosius, cùm nec terra, nec mari spem relictam videret; non pacto usquequaque Philippo auxilia externa exspectanda, non socii ex agris, qui exulum erant, non denique in urbe amici supererant. Quippe etiam inventus qui turrim mœnibus adjacentem hostibus tradidit. Verùm in arduo ad hostes sita, reque adhuc pæne incerta, ne quid proditores fallerent, prius recepta est, quàm illi succurrerent. Solus Brixiensis maximo periculo ingressus non minor ad suos rediit. Ob eas res coactus Thomas de tradenda Civitate componere. Quod modò faceret, à Philippo est jussus petere quæ vellet fœdera, juvante præsertim Carmagnola, qui cùm anteactæ pacis tempore, & compaterna necessitudine conjunctus fuerat. Ad eam itaque rem missus in Urbem Guido conventa ad Carmagnolam refert. Atque ipse Thomas vestigia sequitur. Ibi constituto Carmagnolæ, ac Philippi vices agenti sceptrum, quod manu tenebat, tradit, eo indicio Philippum & Urbis, & omnis Dominatus Principem designans. Tum navi ad id parata cum omni domo, atque universis opibus, quas sanè immensas pactis obtinuerat, (58) Saressanam citus navigat, eam quasi necessariam vitæ possessionem cum paucis ejus oræ Castellis Philippus habendam tradidit. Ferunt illum nocte, quæ abscessum præcessit, jussisse omnium navium, quæ in portu erant, temones obrui, quos, postea quam pervenit (59) Saressanam, literis, retexit. Nec tamen ita animo unquam privatus fuit, quin se tyranum fuisse meminisset; enimvero Philippo è tantis fortunæ favoribus non illustres modò tituli, verùm etiam alterius vitæ rationes accessere. Namque eodem Imperio factus circum Genuam Savonæ, atque Andegavii cum innumerabilibus Castellis continuo littore super centum & octoginta passuum millia Dominus, trans fretum quoque Chios insula nutriti Achillis fama celebris, sub ditionem vênit; dehinc quam vocant Peram in Thracia oppidum Constantinopoli finitimum adeptus. Ita quoque appellatam Caffam Civitatem, qua nulla ferè hoc tempore populosior memoratur, clarum omnium, quæ ad Euxinum pontum spectant, portorium, ut jam toto, ita dicam, Ægeo Anguis insignia per littus navigantibus cernantur. Ipse præter solitudinem diu cœptam suspicionem quoque addidit vitæ, ut jam nulli videretur, rarissimusque esset accessus in conspectum, ac tanquam ex oraculo illius mandata haberentur. Exædificata in Mediolanensi castro ad angulum sinistrum arce munitissima, ibi velut in custodiam datus cœpit vitam degere, adhibitis corporis custodibus, qui per vices cubiculum asservarent. Ita per agros quocunque secessus erat, munitiones distinxit, palatia tutissima fabricatus, cujus rei est non cupidissimus modò auctor, verùm etiam ingeniosissimus artifex. Nihil ut tam credatur ad sequentem fortunam offuisse. Quippe natura super cæteros benignus omnem eo genere vitæ humanitatem abdidit. Nec dubium ob eam rem & descivisse plerosque amicorum, & negotia cessavisse, & denique aliarum rerum percrebuisse rumores. Cæterùm nos his literis, quæ sunt publicè gesta, consectamur.

(56) *P.* pacis fœdera. (57) *P.* Fliescbis. (58) *P.* Sarezanam. (59) *P.* Sarezanam.

F. B. ANDREÆ PATRIÆ HISTORIÆ LIBER TERTIUS EXPLICIT.

QUAR-

QUARTUS VERO FELICITER INCIPIT.

A Hinc jam fatale bellum scripturi initium faciemus tanquam elato extra provinciam pede aliena sequamur; rem sanè difficilem, & qua nostra ætate nulla est audita illustrior: nempe & inter potentissimos (1) certatum est, & fortuna ita suo jure variavit, ut qui propinquiores fuere victoriæ, hi postremò ciciderint. Et quidem initium belli ad Philippum pertinet, finem, ac fructum cepere, qui tanquam spectatores futuri videbantur. Modò hoc Philippus est consequutus, planè ut intelligere potuerit, fortunam optare se illi gloriam dare, si
B cæteri consensissent. Nemo autem Mediolanenses Duce Philippo ac Florentinos viribus conflixisse mirabitur, qui vel Florentinorum ingenium, ac naturam perceperit, vel temporum, ac majorum, quantum ad hos attinet populos, gesta acceperit. Quippe Florentini nunquam non in alienos successus intenti: Philippus in id semper intendere, qui se conspicuum videri faceret, idque à majoribus acceptum novis successibus augere. Florentini identidem majoribus consiliis obstare, præcipuèque huic Vicecomitum nomini infestiores, quibus pridem detrectare consueverint. Universos si enumeres, qui in hac familia
C memoriâ patrum claruerunt, neminem reperies, qui non Florentinum hostem habuerit: ut ipse hujus belli initio, quum Florentiæ essem, commemorasse recolo, plerisque civium præsentibus, tum me pæne nihil arbitrari melius cum Philippo acturos, quàm cum superioribus egerant. Sed ea aliàs: huc etiam accedebat, quòd Florentini diutina pace vix opulentiam sustinebant, tanquam necesse foret materiam dari, in quam cumulatas opes effunderent. Nec segnior fortuna casum obtulit. Forlivienses Dominum amiserant; relictus heres infantulus. Huic Mater erat filia Ludovici tyranni Imolensium. Atque is
D audita Generi morte Forlivium contenderat, tutelæ specie simul & puerum, & Dominationem recturus. Quæ res & plerosque Civium per indignitatem offendit, & eos in primis, qui dudum curiæ ministeria gessissent. Idem omnibus videbatur, Forlivienses Imolanis subjectos ire. Conjurant itaque plures Principum Urbem puero eripere. Jam avus traditis filiæ regulis, ne extra Castrum cum impubere egrederetur, domum redierat. Factum consilium de tradenda Ecclesiæ Civitate. Romanus Pontifex Martinus, cui bellum atrocissimum hinc cum Braccio Perusinorum Domino, inde ex Apulia cum Alphonso Ara-
E gonum Rege, non ausus deditionem ad se palàm recipere, rem ad Philippum remittit, qui, si videtur, Forliviensium negotium suscipiat. Neque ille, ut qui jam magna ex parte Ecclesiæ patrocinium suscepisset, respuit, nec forsan nescius Florentinos in id contenturos. Locus præterea visus idoneus transmittendo ad Braccianum bellum exercitui, nam antea Florentini transitum negaverant. Re igitur composita, Siccum unum ex ductoribus Forlivium mittit, dato levi exercitu, quo minùs consilium sciretur, ne quave iter posset impediri. Illi magnis itineribus profecti, Forlivium pervenere, moxque in foribus conspecto signo, quod convenerat, oppidum traditur. Conscii exercitum introduxere, quanquam est in portis paululum titubatum. Erat enim paucis notum facinus, nec apertè ferebatur, quem Dominum acciperent; nullius enim nomen sub signis prodebatur. Itaque ut fit, æmuli partium parumper restitere; mox verò ut intellexerunt exercitum Philippi esse, nemo visus est asserendæ puerilis fidei auctor. Ita Forlivium cujuscunque nomine capitur. Vidua mox tumultu audito ex Castro in Forlivium populi, quinque inde millibus distans, unà cum infantulo transiit. Ingressis Urbem nulla prior cura, quàm ut Castrum obtineant. Nec longa fuit obsidio, tolerata paucorum dierum oppugnatione Sicco deditur, Dominum adhuc prodebant neminem. Nunc Philippo, nunc Nicolao Ferrariensi, nunc Martino captum oppidum referebant. Pulsi mox ad Florentinos literis concurrunt, præcipuèque maternus pueri avus solicitat, ultroque instigat, rem suscipiant, nec sociam Urbem Philippi integram fieri patiantur, posse parvo impetu dejici paucos, qui erant ingressi: Florentinos movet, tum periculum, quod rebus suis proximum, ac pæne præsens vident, tum amici respectus, nam patrem pueri Georgium dilexerant, paulò ante quum ex Florentia ob pestem illuc defugissent, summa caritate accepti. Itaque statuunt, quisquis tandem eam Urbem ceperit, defendere. Lecti decem principum, qui bellum consiliis suis curent. Eorum primus Nicolaus Uzanus, Pallas Strozzius, Joannes Medicus; cæteri obscuriores, data his more ejus populi summa, quod ad bellum pertineret, rerum potestas. Unum tamen omnibus suspectum erat Philippi nomen. Idque vulgò ingenti cum superbia fremebatur. Quod ubi Philippus intellexit, se unum ejus rei auctorem Florentiæ citari, nec adversùm se minùs, quàm adversùs Urbis captores Forliviense bellum decerni, primùm tentat, si possit Florentinos ea opinione verbis absolvere. Atque ipse Nicolaus Ferrariensis misso Joanne Strozzio idem agere nititur. Jussus quoque Pileus dictus Genuensis Episcopus ex Roma venturus per Florentiam iter facere, Florentinosque illa eadem docere, non subesse fraudem facto, nec captum Forlivium, præterquam beneficio Ecclesiæ, qua copiæ ex Mediolano adversùm Braccium pergant. Vix auditi, quum hæc referre vellent, nec nisi per minas paucis responsum. Præter hos Philippus Franchinum (2) Castellionem ad hanc unam rem legatum mittit, qui certos faciat Florentinos, non sibi Forlivium usurpavisse. Testes dare Venetos, testem Romanum Pontificem, testes eosdem ipsos, si consilium experiri velint. Daturum Urbem cuivis servandam, dum sibi liceat inde transitum exercitui habere. Verùm, ut opinor, hoc fatis debebatur. Nihil enim tantorum virorum legationes, aut verba valuere. Omnes arrogantibus responsis dimissi: Florentinum satis nosse, quis esset facino-

(1) *N.* fortissimos.

(2) *P.* Castilionem.

cinoris auctor, quæve causa sibi in animo esse innoxiam pupilli ætatem juvare; itarem omnem detecturum: neminem ratione credere posse, Florentinos decipi posse, qui jam in Philippo majorum imaginem recognoscant; nec aliter passuros de concordia agi; quàm si in suum locum Forlivienses restituantur. Additum quoque, ne quid ad concitandum bellum deforet, velle Genuensibus libertatem aut priorem Dominum, qui esset Thomas Fulgosius, reddi. Alia subinde ad terrorem spectantia & in Palatio legatis objecta sunt, & vulgo jactata, ut est dicendi procacissimum: re autem vera in eum dicebantur, quo nemo nugas minus curat. Tandem missis omnibus, responsum: ituros ex Florentia legatos ad Philippum, qui coram hominis animum cognoscant, certumque ut faciendum sit referant. Paucos interim stipendio conductos Castrocarum, Forliviumque populi, Forliviensem inde agrum infestaturos mittunt. Nec tamen bellum geri videbatur; pauci enim stipendiis sese offerebant, atque ex paucis pauciores legebantur. Desueti jam complures annos bello Florentini ægrè erigebantur, quos vix mercenarii crederent, posse bellum capere, nec temerè si vellent, conductitii occurrebant, omnibus diverso bello occupatis. Aliud visum est opportunius, si possent Bononienses bello innectere, quibus tum præses ab Summo Pontifice erat Gabriel Venetus, Gregorii illius quondam Pontificis nepos, ac Philippi, quantum rebus apparuit, inimicus. Itaque non invitus, audito Florentinorum legato, annuit, seque, ut tum ferebatur, & inconsulto Martino, & adversùs consensum populi, in societatem Florentinam dedit; Quæ dum aguntur, non nihil tamen certaminis Forlivii erat, Florentinis sæpe ad mœnia procurrentibus. Vix septingenti equites erant, ductoribus Christoforo Lavellano,& Lucano exule Ludovico; nec multo segnior Siccus arcendis excursoribus, quantum quingentis equitibus poterat; id enim eo tempore Forlivii erat præsidium. Denique statuit ante exitum æstatis aliquid peragere, quo doceret Florentinos ejus belli pœnitendum, cui & tempus opportunitatem dedit. Vindemiæ erant, ut non sinè magno discrimine unus mensis negligi posse videretur. Nec hostes tum maximè unum diem quietum dabant. Quo igitur die visum est, ante lucem trecentos mittit in equis, ac totidem ferè pedites, quos jubet Castrocarum versùs paululum ex via locum insidiis capere, non ante exituros, quàm ab se signum tubarum acceperint. Tum sub diem agricolis mandat, si velint vindemiatum ire, sese subsidio affuturum. Atque illi jugatis carris maximo numero procedunt, equites non multi in (3) speciem sequuntur. Quod ubi sunt conspicati hostes, ut qui ex alto vicini essent, mox armati velut ad communem prædam egrediuntur. Siccus ipse non longè, aliis supra ducentos; plerisque etiam civium assumptis, sequebatur. Mox in conspectum venêre hostes, seque inter carpenta effundunt, primi, qui dati erant præsidio, ægrè impetum sustinent, ac parvo certamine in fugam pelluntur, ductori, qui jam proximus erat, occurrentes. Ille, ut videt hostem cogendæ prædæ impeditum, simulque & equiti peditem, & boves, uti pellebantur, exercitui permixtos, effuso impetu sese in hostem ducit, simul dato signo insidiis, ut alia ex parte adorirentur. Ita utrinque Florentinus hostem habet. Ductores, quoad possunt, & animis & viribus succurrunt, sed impar erat tanquam in alieno agro animus: magnâ pertinaciâ ad tres horas certatum est, usque adeò ut nonnulli eminus jactis mucronibus invicem appetisse referantur. Tandem superior Forliviensis, nam ex oppido multi quoque erant, audita carpentatorum trepidatione egressi. Itaque hostes funduntur, super dimidium capti in potestatem venêre; pauci per agricolarum iram cæsi; reliqui, quò quemque fuga tulit, in agros dispersi. Atque is fuit Florentinis eo anno infestandi Forlivii finis. Verùm alio itinere quærunt si possint adversùs Philippum tumultum agere, quandoquidem cernunt non esse paci modum, nec recuperando Forlivio spem; ac jam palàm Philippo ejus belli originem tradunt. Itaque omnia legationibus concitant, ac primum omnium Thomam Fulgosium contra Genuenses armant. Atque ille & ferox animo, & partium favore potens statim omnem illam Genuensis litoris oram in perturbationem conjecit. Ad Philippum quoque legatos mittunt; princeps legationis Bartholomæus Valorius. Is præter quæ in mandatis habebat cum Philippo de restituendis Forliviensibus, etiam dicebatur quasi gloriabundus alia jactare, quæ se suo jure coram dicturum minaretur. Ac Florentini interim, quamquam res fortè dictu exigua est, quo intelligi facerent, se id bellum in patrocinii spem suscipere, tum primùm publicis insignibus, quæ in palatio servantur, Clypeum intulere Romanis literis inscriptum S. P. Q. R. tanquam Florentino nomini relicta esset Romanæ libertatis hæreditas. Bartholomæus mandatis, ac minis plenus in Galliam contendit. Ubi verò Laudum pervênit, audit negari ultra progressum. Philippum statuisse, ne quis ex Tuscia profectus intra Abduam admittatur, hunc esse morem, undecunque pestem audierit, qua tum Florentia haud minimè laborabat. In eoque loco mox parati fuerunt, qui pro Philippo legationem audirent. Florentinus negat præterquam ad Philippum mandata se habere, ei omnia relaturum, si coram fari detur, nec accessurum propius corpori, quàm ut possit audiri, non se pestem, sed pacem illi, si velit, afferre. Quæ frustra identidem locutus ex Laudo abscedit; nullis enim verbis potuit aditum obtinere, sive id Philippus pertinaciâ decreti, ac vero, ut consueverat, pavore, sive ut ferunt, non inscius minarum, quibus ille dicebatur gloriatus, egit. Bartholomæus recto itinere Florentiam revertitur, undique bellum ferens, ut vix abstinere videretur, quin erga obvios iram funderet. Eodem furore, ut attigit Florentiam, concitus Senatum ingreditur. Nec visum est opus quærere quid referret: intellexere omnes non admissum colloquio. Sic ille fremente concilio pauca per iram retulit. Non jam Florentinos infensos Philippo haberi, sed pro victis superbè contemni, qui ne legatos patiatur audire. Hoc dudum repetitis lega-

(3) P. spem.

legationibus Philippum quæsivisse, Florentini legatum mitterent, quem deluderet. Tum se cogitent auditum iri, si vincantur, qui nunc integri pacem petentes sermone arceantur, inventam dissimulationem quasi pestem timeat, qui Florentinum genus odit. Non esse hunc Philippi morem, sed malignam erga Florentinos superbiam, quorum ne conspectum quidem sustinere possit. Quid pluribus opus esse? aut jam Philippo cedendum, aut viribus tuendum nomen, quod ille pridem constituit eruere; idque fore ut in oculos objiciatur, quod sentire auribus non potuit, quippe armatos allaturos quod ex legatis noluit accipere: sed quidem ad conveniendam pacem profectum. Nunc si Bartholomæi consilio utantur, belli nuncium, atque auctorem revertisse. Nec dubia vox fuit; omnes cum pedibus streperent, occurrendum superbiæ, quando jam Philippus, erga Florentinum nomen destinatam tyrannidem ageret. Nec aliud, si in præsentia dissimulent, hoc videri, quàm quòd viribus conferre non audeant. Eadem concilio dimisso in vulgus exeunt, omnesque bellum conclamant. Itaque coacto universo, quod populare vocant, concilio, jactis sententiis bellum decernitur. Vix reperti, qui dissentirent, viginti; hos creditum quemque Civitatis optimum fuisse, quum supra trecentos essent, qui periculum probarent. Multi eo anno, ad Magistratus novi acciti erant veterum bellorum aut immemores, aut sanè expertes. Primi leguntur decem superioribus subrogati. Ante omnes Bartholomæus ipse, quibus permissa ex more publica potestas; inter cæteros notissimus, ac pæne princeps Laurentius (4) Rodulfus. Hi quidquid virium cogere possunt, Bononiam destinant, indeque per Bononienses agros castella Florentinis militibus occupantur, ne quis sit Philippo ad tuendum Forlivium transitus. Ille verò hoc bellum ægrè respiciebat, uni intentus Neapolitano Regno, ut inde Aragonensem pelleret, Ludovicusque Massiliensium, ac Provinciæ Rex id regnum acciperet. Verùm ante omnia ut Martinum Pontificem liberum, ac tutum videret. Quippe magno in periculo vertebatur, quum inde Aragonensis magna Iberorum manu ex Gadibus usque profectus Neapolim teneret. Hinc Braccius Aquilam obsidens, Romam quoque ipsam terreret, ac magnis viribus quæcunque ad Ecclesiam spectarent, vexaret. Alfonsus erat non multo ante Neapolim vocatus, Regina pollicente ejus Regni deditionem. Verùm quum malè Iberi mores cum Græcis convenirent, Principibus quoque Apuliæ molestè peregrinum imperium ferentibus, Rex ab Urbe in arcem pellitur; nec longè ab obsesso erat, ni Catelani (hi sunt Barchinonenses) magno navium numero Regi succurrissent. Nec tamen id præstiterunt, nisi magnis acceptis ab Rege Civitati suæ, quæ illi parebat, remissionibus. Per arcem itaque introducti ejectâ Reginâ, Sfortioque cum omni præsidio in periculum deducto, multis occisis, captis, ac fauciis pluribus, omnem eam Urbis partem, quæ Castro (5) objacet, cremaverunt. Inter hæc Philippus Romani Pontificis misericordiâ motus, sexdecim armatis magnis navibus, Triremibus sex ac viginti, magnoque aliarum navium numero, dato Guidone copiarum ductore, ex Genua ad liberandam Apuliam mittit. Numerus, magnitudoque erat navium, ut facilè toti pelago hac ætate possent terrori esse. Parum tamen læti Genuenses in bello erant, qui non assuescunt fluctibus, præterquam domestico Duce pugnare. Itaque ingressi Neapolim, peragrato omni litore, Apuliam liberaverunt. Alfonsus magna adversùs Philippum animi indignatione ex Græcia ad Iberos Valentiam revertitur, nec sinè (6) damno Ludovici; nam ex itinere appulsis navibus, oblata occasione, mœnia uno impetu cepit, oppidumque ingressus magnam prædæ, ac hominum copiam abduxit, rapto secum Beati Ludovici capite. Hoc modo regnum repetit, spe omni Neapolitanæ ditionis posita, quamquam in hodiernum usque Neapolitanum Castrum mari imminens suo nomine servatur. Ne verò ultra ab exercitu Philippi est processum, quàm ut Reginæ regnum restituerunt, quamquam videtur Romano Pontifici veriùs quàm Johannæ stare. Et quidem magnum ex his rebus Philippi nomen erat, ac jam vulgo ferebatur, Ludovici sororem despondisse, quasi hoc præcipuè Regium nomen meritus, quòd Regnum Italiæ liberum fecisset; quod jam illi secundum conjugii nomen fuit. Res, ni fallor, gratissima Deo futura, si spem implesset puellæ, qua nulla per hanc ætatem dicta est aut facie honestior, aut sanctior pietate. Ac sanè præclara in ea re Philippi virtus, qui sibi nihil præter gloriam è tanto labore, ac periculo servavit. Nec tamen classis priùs Genuam reducta est, quàm Hispani in bellum redierunt, concitantibus maximè Florentinis, quum jam Fulgosii suo nomine suburbana omnia, ut ante dictum est, perturbarent, quibus etiam nunc additi (7) erant Pliesci novi exules, atque alia Genuensium factio. Hi simul terra, marique Urbem premebant. Quæ res Duci maximo detrimento erat, qui cogeretur copias in ea loca partiri, nec sinè gravissimis sumptibus id bellum regebatur. Cui tamen præses datus Obicinus Mediolanensis, vir, quo nemo poterat dari tantis rebus aptior; consiliis, nobilique audacia bellum administrabat, solus Civitatis curam tractabat. Hocve modo res Genuæ sese habebant. Verùm apud Forlivium Florentini novos tumultus parare scribendis exercitibus intenti, quum jam ecce Philippo se offert unus ex domesticis Ludovici, Imolam daturum pollicitus, si se sequatur. Nam eo tempore ab Ludovico contentionibus discesserat. Missus ad eam rem Angelus duobus equitum millibus, qui, si fortuna gratificaretur, operam transigeret. Is per Padi ripas occultis itineribus profectus, ne quid Florentini exercitus, quos Legatus Bononiensis in finibus acceperat, moraretur, in Ferrariensem agrum, quà maximè Imolam spectat, pervênit. Proxima igitur nocte paucos equites adjuncto pedite Imolam præmittit speculaturos, proditorne, ut convenerat, rem in manu haberet. Neque ille flagitium neglexerat. Ejus erat illius noctis custodia, quam dies festus Purificationis Virginis sequebatur. Ludovico nihil minùs curæ, quàm Castrum, in quo esset, posse

(4) P. Rodolfus. (5) P. adjacet. (6) N. magno. (7) P. Flieschi.

A posse per fraudem capi, & muris prealtum, & vallatum latissimâ fossâ, cujus præter aquas cœnum esset altissimum. Sed hæc omnia hyems plana fecerat constrictis immenso gelu fossis, nec eo anno, ut consueverat, perfractæ glacies erant. Ac vide, quid fata possint, ubi Deus contendat. Ferunt Ludovicum pridie quàm id eveniret monitum contempsisse. Mox igitur qui venerant vocato proditore submissis funibus suspensi murum scandunt, indeque ad Tyranni cubiculum progressi hominem nudum capiunt. Atque ita Angelus accepto rei gestæ nuntio sub ipsam lucem patentibus portis ingreditur, momento Philippi nomine totius oppidi potitus. Nec fuit qui pugnaret, nullo jugum recusante, sive odio tyranni, sive, ut fit, novarum rerum cupiditate. Id factum mirè turbavit Florentinos, nam & potentem amicum amiserant, qui fuisset præcipuus ejus belli auctor, & hostem jam prope suos fines videbant. Quippe & Antonius Faventinorum Dominus ad Philippum concesserat, multa ejus liberalitate in amicitiam adductus, ut imperio subjectus videretur. Non tamen minore animo rem suscipiunt, ac ne susceptæ pœnitere posset, coacto concilio publicum decretum de Mediolanensi bello faciunt, ultro, (tanta erat odiorum acerbitas) capitali pœna indicta, si quis de pace Florentiæ verbum referret. Philippus interim apud Summum Pontificem queritur, quòd cum hoste Bononienses societatem teneant, ipseque ex terris ab se Ecclesiæ servatis bellum patiatur, nec saltem communes esse, ut hosti, quas suo beneficio Ecclesia habeat: Nec scire, quamobrem sibi Florentinum anteponat, nec meritis, nec voluntate parem, tum videat, ne sibi eam necessitatem det, qui cum Bononiensibus haud gratum bellum gerat. Quibus literis Martinus tametsi plerique ferunt, tum cœpisse Florentinorum pollicitationibus inclinare, adductus tamen est recentibus maximisque Philippi beneficiis, ut fortunam præsentem sequeretur, præsertim Bononiensibus vulgò eam societatem recusantibus, ac proinde adversùs Legatum frementibus. Hunc itaque & ipse mandatis admonet cœptam societatem destituat, seque Mediolanensi non ut ad bellum adjungat, verùm ad communes (8) commoditates insinuet. Ille verò, ut erat propositi (9) constans, nihil literis movebatur, nec adventanti Legato, quem successorem imperio Martinus destinaverat, cessurus videbatur; ni Bononienses partim Philippi favore aut metu, partim Summi Pontificis decreto consilium de inducendo Præside fecissent. Multi referebant, idem nunc Florentinos quærere, quod superiore bello cum patre Philippi gesto, quum paululum abfuit, ne Florentinorum gratiâ Bononienses delerentur; imminere nunc itidem Philippum capiti plus quinque equitum millibus, hinc Ferrariensem æmulum, inde Imolanos hostes, nec amicos Mutinenses armigeros nihil aliud spectare, quàm se in Bononiensibus agris locupletent. His rebus commotus Præses multa vel de Martini promissis, vel de sua injuria, quòd non tertium legationis annum ex more impleverit, questus Urbe egredi-

(8) *N.* utilitates. (9) *P.* constantia.
(10) *P.* advinctus.

tur, altero in palatium accepto. Hic erat Ludovicus Arelatensis Episcopus & genere, & factis Gallus. Primùm igitur sibi quibus modis potest Civitatem conciliat, totumque, se salvo belli respectu, Philippo tradit; neque id leve commodum erat patenti itinere, quo Imolam Forliviumque omnia usui rerum necessaria ex Mediolano submittebantur. Florentini tamen neque hoc detrimento aversi aliud bellum parant, exercitumque undecunque possunt cogunt. Malatestæ ad rem cupidissimè favebant. Primùm Carolus, quem nulla unquam opinio æquavit, Pandulfus quoque omni conatu (10) adjunctus, nec acceptis modò stipendiis, verùm etiam collatis, adjuvabant. Nicolaus Tolentinus inter ductores erat, tum omnis illa Anconitanæ Marchiæ ora ad Florentinæ pecuniæ odorem concurrerat, dominis quoque eorum locorum ad stipendia conductis. Fit itaque brevì circa Forlivium (11) mira castrorum species, erectis undique tyrannulorum tentoriis. Carolus Imperium tenebat. Solus erat Forlivii Siccus, vix quadringentis equis oppidum ægrè tenens, quorum tamen nunc per eruptiones, nunc è muris pugnando super numerum virtus eminuit. Missus tandem est ex Lombardia Angelus, haud multo minus quatuor millium equitatu. Hic quò averteret ex Forlivio bellum, ex Imola ad Loucum progreditur, idque quàm maximis viribus potest oppugnat. Erat huic vicinum castellum, Sagonoriam vocant, ubi maximè cum præsidio locatus erat Albericus. Itaque intra muros coactus è castris auxilium implorat, in diem certum deditionem pactus. Carolus spondet prope diem affuturum. Quo illucescente, quod non ante fieri potuerat, sublatis signis ad obsidionem contendit, magno per totum pæne diem imbre fœdatus. Jam itaque in vesperam dies ibat, quum hostes fluctibus atque armis graves propinquant: ergo hoc conspicatus Angelus ut propinquos hostes vidit, jamque super munimenta (his enim se sepserat) adesse, ipse acie instructa intra vallum residet, paucis emissis, qui si (12) possent levi certamine Carolum ab tramite, quo ad arcem tendebat, averterent; inde enim Castello sinè labore succurrebatur. Nec secus factum, quàm providit, ut simile hoc Perusino diceres. Egressos inde pulsos Carolus intra Vallum persequitur, quo portâ ad id dispositâ receptum Angelus omni suo exercitu circumstat, coactumque omnibus locis fundit. Nam præter quàm iniquo loco res gerebatur hosti, disparibus quoque animis, ac viribus hinc fessi, hinc pæne recentes pugnabant. Certatum tamen usque in extremum diem, noxque ipsa prœlium, ac victoriam diremit. Florentinorum omnes fusi, maximaque pars capti; non in acie modò, verùm per totam noctem confluentibus quoque agricolis, è sentibus, ac fossis rapiebantur. Carolus ipse semper aut vincere, aut capi solitus, dum ceteris fugientibus in medio cœno pedibus stat, vivus in potestatem vênit. Pandulfus per devia quæque actus equo incomitatus aufùgit. Ursini duo clari duces, alter, dum præceps equo in fossam ruit, premente galea est demersus, alter vivus captus, mox, quia neptem

(11) *P.* mirorum.
(12) *P.* possint.

neptem Martini habebat uxorem, dimissus. Nicolaus vix consumpta per fugam nocte in Cæsenati agro apparuit. Ingens, atque omnino læta victoria, si modò eâ Dux per fortunam uti voluisset. Carolus Mediolanum ducitur, tandemque ante Philippum stetit: nunc primùm, postquam tutor parvuli discesserat, ex eo tempore, quo eundem Philippum pro fratre oppugnaverat, conspectus. Philippus verò tutorem potiùs, ac pæne parentem habere voluit, quàm aut captivum, aut hostem meminisse. Nec sanè velim hoc loco existimare quemquam, me nunc de Philippo vera per adulationem scribere. Res in aperto est, nec quemquam fallere potest factorum memoria, ut quæ intra decimum annum gesta sunt. Non contentus enim Philippus Carolum apud se vinculis (13) liberum servare, ultro etiam summo cum honore vidit, quæsitosque omnes vernaculos non secus ac domesticos curavit, nulla re demum prætermissa, quæ ad (14) colendum ac fovendum parentem pertineret. Ita denique, ut visum est illi locupletem, atque ornatum domum ad suos remittit, singulis quique ex familia fuere, equos dilargitus. Ipsi super omnia unum argento undequaque phaleratum, tum alios complures magnis pretiis sericatos, tum arma, indumenta omnium, pecuniam his sumptibus parem, quibus pæne haud scias Philippum ne suo more magnificum, an ludicro fortunæ aliud spectantem dixeris, & amicis, & hostibus rem projectam vulgò referentibus. Regresso Ariminum omnia mandavit restitui, quæque ante bellum illius fuissent. Quippe Angelus profligata acie ipso impetu circa Ariminum omnia ceperat, nec longè erat quin oppidum caperet. Nec verò postea cuiquam pepercit Carolus, quemcumque audire potuit periculis cessisse, qui fuit illi ingens damnatorum quæstus. Non dubium verò ejusmodi victoriam fuisse, quæ Florentinos è statu rerum dejicere potuerit, si cætera victores essent sequuti. Verùm (15) ita fit. Quibus fortuna nimis indulget eos ad se sectandam negligentes facit. Rogitabant omnes exercitum Florentiam duci; nec secus illi trepidabant, quàm si in portis hostem haberent. Undique per Florentinorum agros palmæ ad cœlum tendebantur. Aretini, Cortonienses, cæteri quique signa Ducis implorabant. Sed citò reperit fortuna remorandis tot fatis remedia. Primùm Antonius Faventinus ad Florentinos descivit. Multi causam putant, quod non satis ægrè ad animum tulisset Philippus, à Carolo, qui erat Avunculus, Mediolani extremis conviciis lacessitum; Quo tempore Nicolaus, cui cognomen Parvus, ab rusticis captus est, ductusque ad Faventinum. Multum ille hunc juvit, (16) qui se ad Florentinorum societatem accelleraret. Id enim verò certum est, nihil potuisse eo tempore Florentinis gratius accidere. Itaque etiam publico decreto, ac monimento est honoratus, primusque inter Florentinorum socios nuncupatus. Angelo quoque non idem animus ad finiendum bellum, qui ad tuendum, & confirmandum fuit. Ante omnia restitutis Carolo, quæ Philippus jusserat, (17) Gradaram pergit, castellum Malatestæ; (18) Pisauri ejus oræ opulentissimum. Ibi à filio Domini comiter exceptus, ut intra muros extitit, manu prehensum captivum nuntiat Philippi; inde cæteri irruptione ingressi momento Castellum diripiunt. Fama exiit partim Carolum ita instituisse, partim culpatum, quòd cum Florentinis fœdera ac societatem tractaret. Magna ejus castelli, & gravis rapina, nec rebus aut corporibus abstinuere; ubique præda, ubique vincula, ut stupra omniaque infanda taceam; donec paulò post literæ ex Philippo venêre, quæ juberent, reliquis Malatestæ rebus parci, ut multi existimaverint inscium ejus injuriæ Philippum. Angelum suo consilio id fecisse, (19) vel inductum à Carolo, vel quòd, ut dixi, audisset Malatestam Florentinis studere. Hinc ergo in Alpes tandem effunditur, omniaque aut socia Florentinorum, aut obnoxia, vi, metu partim in deditionibus in potestatem deducit. Mixta tamen phana, ac prophana non religioni, non pudori, non naturæ cautum: quidquid apud inopes liberum esse debuerat, in scortum, ac impudicitiam traxere. Spectabamus Bononiæ raptas Virgines, quas singuli ex hostilibus agris referebant. Manavit ea pestis ex (20) Pisauro in Alpibus Aretium usque: uno in loco paulisper bellum hæsit. Arcem dictam Sancti Cassiani expugnabant, ibi quum multos dies frustra consumpsissent, unus pœnas dedit sceIerum Zeno rector peditum, vir, quantum in pedestri bello nunc constat, expertissimus, dum subit incautior, balista ictus cecidit, quæ res omnem exercitum perturbavit. Florentini, ut videre bellum minùs hostiliter tractari, quippe Angelus non parvo abducto equitum numero ad Philippum reverterat, ad pecuniam iterum versi, non difficilè aliam manum conflaverunt, coactoque novo exercitu, agros jam non impares tutabantur, ductore maximè Berardino, nec videbantur ultra nostri aliud in Tuscia facturi. Id verò perlatum Philippo induxit, ipse quoque ut alium exercitum in eas oras ex Mediolano mitteret. Datus his Torellus rector, homo minimè dolis, aut insidiis captandus. Itaque ut in Tusciam vênit, primùm labantes, ac deficientes confirmat, tum prope pergit in hostem. Consedit in Burgo Sancti Sepulchri, quum Florentini Anglariæ starent. Utrique insidias spectabant, quis alterum circumveniret. Non ita multo post quum aliquot dies levibus certaminibus consumpsisset, in æquiores campos (21) ingressi manum conseruere. Varia paululum primo certamine acies fuit. Verùm ubi cœpere nostri, quorum magna pars ex familiaribus Philippi lanceis erant, velut per iram in prœlium incendi, omnis ibi Florentina acies fusa est: captaque super dimidium ex omni exercitu; pauci interempti, quos ex delectu provinciæ in bellum traxerant, nec armis, nec usu ad præstandum in acie validos. Captus ipse Berardinus, simul cum eo plerique ductorum. Solus tamen vinctus ad Philippum est deductus, atque in Castro Papiensi Johanni Cognato nostro, qui jam senior castrum servabat, custodiendus traditus. Accessit huic Florentinorum malo non con-

(13) P. liberum ultro.
(14) P. colendum favendum pertineret.
(15) P. (ut fit) quibus.

(16) P. qui ad.
(17) P. Gradariam.
(18) N. Pensauri.
(19) P. id inductum.
(20) P. Pensauro.
(21) P. egressi.

conversio tantùm rerum, verùm & animorum ad Philippum. Nempe Nicolaus Perusinus, seu spectatâ fortunâ, seu majores alas cupiens, Philippi stipendia accepit, quanquam Florentinis fidem accusantibus. Ipse semper ac publicè (22) se retulit emeritis stipendiis Florentinos reliquisse. Adjunctis Johannes Camerinus, sequutus. Arditio Carrarius, nam illum Martinus Pontifex Esculo ejecerat, Esculanis uno pæne tempore simul ac Firmanis ad rem Ecclesiasticam conversis. Ultroque ipse alios inter hoc consuetis possessionibus pepulit, potentiorem quemque suo loco ejiciens. Castellani præterea Philippo favebant, alii quoque paulùm eminentiores quondam à Florentinis humiliores habiti, fortunam aut sequebantur, aut præstolabantur. Sic undequaque lucebant pro Philippo fata, ac liberum pæne erat, modò intendisset, ad Florentina mœnia proficisci. Unus Nicolaus Tolentinus paulùm ab superiore bello erectus nonnunquam fines ab eruptionibus tutabatur. Cæterùm quo sæpe fit in Castris Philippi luxuria simul, ac avaritia regnabant, nec præter aurum, ac libidinem quicquam spectabatur, & quod omnium caput erat, nihil referebatur ad Ducem. Interea & (23) Franciscus Sfortia dimissus ab Summo Pontifice novo stipendii fœdere cum Philippo est junctus. Erant illi omnes paterni stipendiarii, si quidem Sfortius in Nigra vocato flumine quum adversùs Braccium tenderet, suos ad tranandum timidiores conspicatus, ipse armatus socios convocans non semel ultro citroque enavit. Quod dum sæpiùs faceret, explorato amnis vado, tandem sonipes inter natandum uno pede per habenas correptus, dato in præceps sub gurgite ductore, vix ipse longo excursu evasit. Stetere filio remisso quidquid socii debebant patri, cum quibus mox apud Aquilam in acie conflixit, ubi ipse Braccius postquam diu humana, ac divina terruerat, à Papali exercitu est interemptus. Res utrique & Philippo, & Martino lætissima. Occisus vir omnium ferè hac ætate armorum incomparabilis, nec minùs astu quàm viribus potens, animus illi multo super genus fortunamque immensus, omnium ferè inter Perusiam, ac Romam Dominus & ipsi Romæ imminebat. Creditus de omni Italia concepisse, si ultimum illi successisset. Corpus delatum Romam, quum vix Pontifex interfectum crederet. Atque ex illo res Ecclesiastica & aucta latissimè, & vehementissimè confirmata. Tum itaque, ut qui minùs Martino opus esset, Franciscus Imolam vênit jussus à Philippo Faventinum concutere. Quæ quidem sic pro Duce verùm per ignaviam, & socordiam regebantur. Florentini haud dubium se his calamitatibus deprehensum iri existimabant. Nondum verò supernus ille regnator constituerat, cui ferme necesse est omnia tandem obsequi, nec unquam non eo Judice temeritas humana comprehenditur. Universi Philippi exercitus relictis per vicos, & Castella turmis, ut jam cum amicis bellum gererent, salutatum Ducem Mediolanum contenderant. Franciscus, huic erant quingenti ac mille equites, juventus habita totius Italiæ robustissima. Pariter Nicolaus, Johannes (24) Ardicio, hi super duo Equitum millia ducebant. Quos cupiens Phillippus in vultum pernoscere, per hyemem ad se visendum accersivit. Nec multo ante itidem Christophorus Lavellanus relictis Florentinis advenerat pariter. Antonius quoque Pisanus eosdem fugiens discesserat. Priùs verò quàm cæteram rerum molem attingo, id referendum est, quod tantis rebus certum nomen dedit. Quippe inter hæc, quæ sunt ad hunc locum relata, nullum Carmagnolæ nomen positum est. Ille verò unus aufert omnem hujus, quod modò dicturi sumus, belli gloriam. Post enim eam paratam classem, quæ, ut ante (25) diximus, in Neapolitano Regno res ita gessit, ut ex eo maximè Ecclesia firmaretur, nunquam non Carmagnola ægro animo fuit, quòd alteri ejus belli potentia data esset. Idque in Curiam delatum causam præstitit sollicitandæ inimicorum factioni. Itaque insusurrant Duci, videat, quantum Carmagnolæ credendum sit, quem tam sæpe audiat impacatis verbis uti, nec minùs literis aliena quæri. Hi præcipuè erant Zaninus Hericius, Oldratus Lampugnanus, ac plerique alii, quorum tunc æmulationibus Curia æstuabat. Multo verò Civitati nostræ id salubrius, ejusmodi homines nunquam natos esse, quippe qui fuerint, quantum illorum studiis stetit, omnia in ruinam daturi, per quos nihil ad Ducem referri posset, quàm quod placere arbitrarentur. Sic agebantur omnia malis consiliis, quæ ferme una regeret, & gubernaret ambitio. Non difficilè igitur Philippum suspicionibus impleverunt, qui cuperet Franciscum Carmagnolam paulò inferiorem videri. Is adhuc Genuæ præsidebat, nec minùs tamen pro trecentis equitibus stipendium sumebat. Huic primùm Philippus literas scribit, velle se ex turma equitum alia agere; itaque libitum ei sit stipendia ponere, quem novit hoc tempore castra haud sequi. Ille autem orat, ne se inter arma nutritum armis nudet: non enim fallebat, inimicorum hoc decretum esse, qui, si privatum facerent, omnia viderentur ausuri. Quibus nec quicquam rescriptis, ut sensit non moveri Philippum, ac plus propinquis credere, ne quidem suas literas aperiri, tum postremò dimissionem petit: malle se apud alios fortunam requirere, quàm dudum possessa apud Philippum privari. Nihil verò Philippus obsessis auribus accipiebat, id solum jubens, Franciscum sibi credere, nec quærere aliud, (26) nisi quod præsenti voluntate statueret. Quod ubi Carmagnola intellexit omni Curia definitum, seque conflatis inimicitiis premi, agitatis in omnem partem curis, statuit præsens apud Philippum causam suam loqui; fat fidens posse æmulis (27) satisfacere, quos nihil præter æmulationem offenderet. Dux eo tempore Abbiati in secessu erat. Eò Carmagnola aliquot vernaculis comitatus vênit. Mox itaque ad pontem ire in castrum pergit. Custodes ita jussi paululum aditu interdicunt. Ille primùm miratus mandatum pro omine accepit. Tum jubet nuntiari in Castrum Carmagnolam adesse, qui ad Philippum velit: quem responsum aliis rebus impedi-

(22) *P.* retulit.
(23) *P.* Franciscus dimissus.
(24) *P.* Ardizo.

(25) *P.* retulimus.
(26) *P. & N.* præter quod.
(27) *P. & N.* resistere, quos.

peditum teneri, si quid velit Heritio aperiat, nunc non esse adeundi Ducis copiam. Ægrè ille passus ad alium mitti, cui nunquam limen negatum fuisset, refert pauca se habere, quæ sint ad Philippum necessaria; nihil ad id responsum, quàm cum Zanino loqueretur. Ille identidem majoribus vocibus repetit, si fortè illum possit Philippus audire. Quid hoc (28) miraculum sit, unam quærere eausam, cur non sit ex more intromissus; præverti non posse quin (29) Philippum præsens alloqueretur. Saltem Dominum, ac Ducem suum videre liceat; tum omnia quæque de se ille statuerit; hoc maximè orare fas sit, unum loqui, quamobrem ex Genuâ venerit, protinus abiturum. Verùm ad hæc nihil redditur; mirum silentium omnes obstupefecerat quique ad pontem stabant. Itaque agnovit prorsus negari aditum, jamque æmulos Ducem imbibisse. Postremò igitur elatus in iram, cujus est per superbiam quoque impotentissimus, ad Philippum, quem ut ajunt è balistitiis conspicabatur, exclamat: *Quando apud Dominum & Ducem suum nihil detur eloqui, Deum se innocentiæ & fidei suæ testem facere, qui ne malè cogitati quidem sibi sit conscius, cùm tanta pro Philippi nomine, ac dominatu gesserit, nec aut sanguini, aut vitæ unquam pepercerit, non posse ultra æmulorum machinamenta pati, quibus intelligat Ducem omnia credidisse*. Tum insolentiâ verborum actus perfidos, proditoresque incusat, Deum in caput obtestatus, ni se brevì faciat desiderari, quem nunc vera, & utilia ferentem noluerit audire. Atque hæc dicens simul conversis Equis limine se castri abripit, properatque ad Ticinum flumen. Sequutus aliquot cum armatis Oldratus, qui transitu prohiberet, aut in itinere turbam, ac periculum faceret. Ut sensit furentem per agros vadere, nec impedire ausus est, nec manu congredi. Ille verò cœptum iter non pæne ante destitit, quàm pervênit Ipporediam antiquum Ducis Sabojorum Castellum. Inde se Carmagnolam transfert. Unde item facto cum plerisque potentum colloquio, ad ipsum Ducem pergit. Amadeus, hoc enim nomen Duci, illum haud ingratus accepit. Quippe clarum viri nomen audierat, lætus fortasse etiam hominem raræ, ac celebratæ virtutis præcipuè suum vectigalem apud se videri. Atque hic nihil priùs aut potiùs, quàm querelis agere, referre tanta, quæ pro Philippo summis vitæ incommodis, periculisque egisset; frustra tot annos totque labores in illius salutem, ac potentiam consumptos; dehinc omnes, qui circum Ducem assisterent, criminari, quos præcipuè nunc videat quæsitorum ab se præmia possidere. Nec Philippo videri ea, sed cantoribus, histrionibus flagitiorumque omnium opificibus comparasse, qui per otium, atque ignaviam alienis sudoribus fruantur. Quæ ut vidit Sabojum non omnino aspernari, nec difficilè à Philippo alienum fieri posse, tum secretioribus consiliis hominem pertentat jamdudum & à Florentinis concussum, & à Venetis non multo ante tactum, vellet ne in societatem belli transire, si quid forsitan communiter (30) statuerent. Eadem quoque Carmagnola commemorat, suadetque consilium capere potiùs quàm in eo loco Philippum videat, ut ei salus, aut quies suppli-canda sit. Nimium vicinas superbasque esse tyranni vires, qui in animum induxerit, nulli vel amico, aut socio parcere. Scire præterea quid ille sæpiùs quasi per jocum retulerit. Sabojum jam timore vectigalem esse; itaque non dubium accipiat, oportere aliquando ab eo injuriam pati, abs quo jam per contumeliam spernatur, nihilominus paratum esse quid speret, cui sint in conspectu Vercellæ, Asti, atque Alexandria, multaque alia, quorum, si cupiat, sit facilè potiturus. Non ita parum jam labentem impulit, paravitque ut semper, ex eo quippiam adversùs Philippum cogitaret, jam quidem animo infensus, ut nihil in mora aliud videretur, quàm si quid fortuna ostenderet. Sic deinde gnarus, quidnam erga Dominos opus sit; cæteros, qui sub Duce eminebant, iisdem rebus, consiliisque implet, nec quemquam intactum relinquit, cui possit aut rationibus, aut promissis spem facere, cupiens, si possit, aut in Philippum ulcisci, aut deleri pariter omnia, quo pacto se ipse desertum cerneret. His conspersis seminibus ad Venetos proficiscitur, missis jam antea sæpe, & receptis literis vocatus, ad illos se conferret. Itaque ingressus Alpes, quæ olim Penninæ dicebantur, per Montium dorsa fertur, incognitus quidem, atque obscurus Suetiorum metu, quod sciebat sumpturos pœnas dudum acceptæ cladis, etiam si Philippi hostem cepissent. Ergo itinere paucos dies continuatos Tridentum pervênit. Unde mox Trivisium perlatus, Venetos de adventu suo certiores facit. Philippus interim neque itineris, neque ullius consilii, quod ille egisset, nescius (nam ego ex Leonino Cognato audivi datam sibi operam, qui singula ejus vestigia pernosset) omnia Carmagnolæ bona ad se trahit, non quæ modò fuerat largitus, verùm & quæ ille vel stipendiis, vel patrociniis, vel amicorum muneribus cumulasset. Id enim certum est Carmagnolæ, quo extremo tempore apud Philippum erat, super quadraginta auri millia annuos reditus constitisse; quippe jam annumeratus Comes inter dominos visebatur. Eodem quoque tempore, quo hæc facta descripsimus, fortuna aliud signum dedit. Cabrinus Fondulus Castelioni quietem agebat paucis passibus ab Cremona distans. Is redditus erat Philippo suspectus, quasi habitis cum internuntiis Venetorum colloquiis res novare cuperet. Ac fuit ea cura singularis Philippo, ne quid seditionis homo turbulentissimus intra Cremonam excitaret, nec tamen facile erat consilium adversùm eum, qui neque hoc tempore per vim, nec per fraudem (31) unquam capiendus videretur. Postremò hoc fuit, Oldratus negotium susciperet. Cabrini hic erat compater, itaque solus, qui insidiis locum habere posset. Tum fortè aliud intervenerat, ut necesse foret in Castellis Cremonensibus quippiam provideri. Ad quam rem missus Oldratus, qui in specie id curaret, re verò, si posset, Cabrinum in laqueos traheret. Ille aliquot armatos secum ducens proficiscitur, consultòque juxta Castilionum, tanquam eo loco sonipes ferrum è pedibus posuisset, moratur: ita in Castellum pro accersendo fabro mittit. Quamobrem excitus Cabrinus compatrem vocari jubet, ac respondetur, muros non posse

(28) P. miraculi.
(29) P. præsens Philippum alloquatur.

(30) P. statuetur.
(31) P. capiendus.

posse ingredi, qui iter nimia celeritate destinatum habeat. Tum Cabrinus nihil suspicans ad amicum ire pergit, paucis è domo inermibus raptis. Hunc ut Oldratus vidit, mox cum suis obviam progreditur. Omnes verò cupiditate audiendi, quidnam inter se compatres referrent, utrumque circumsteterant. Nec moratus compater prehensum manu Cabrinum stringendum suis assignat, A hinc nihilo remissiùs intra Castellum nondum tumultu facto contendit, momentoque omnes, qui è familia fuerant, vincti. Tum gaza omnis correpta, ubi præter cæteras res incredibile margaritarum pondus fuisse ferunt. Omnia Papiam in Castrum devecta: eòdemque ipse cum duobus filiis perductus. De eo paulò post Mediolani sumptum publicè capitis supplicium.

F. B. ANDREÆ PATRIÆ HISTORIÆ LIBER QUARTUS EXPLICIT.

INCI-

INCIPIT QUINTUS FELICITER.

Qui mos est bellorum semper ut majora implicent, aliumque rebus finem parent, quàm vulgò est creditum, idem nostris quoque rebus incessit. Est enim hæc (1) superni Conditoris ars, se solum velle prudentem videri, tanquam ferme divinum propriè esse conveniat de futuris judicium facere. Tum, quo nihil est nobis salubrius, omnes mortales docere, qui se audacia, atque iniquo abstineant, quandoquidem unus præsidet rerum omnium Gubernator, cui nisi recta placere nequeant. Sed nihil est, quo non adversùm tendat humana temeritas, quasi non ob id Deus quosque homines concedat in Mundo regnare. Sed nos alia relinquimus. Unum id inter hujus belli causas conferendum est, quod mihi semper est visum, Deum interim Philippum extulisse, qui Florentinos corriperet. Dehinc ita Venetorum quale fuerit judicium, res gestæ docuerint, quarum nunc seriem digerimus, ab societate Venetorum Florentinorumque novum initium sumentes. Quippe, ut ante diximus, quum nihil esset Florentinis non ad dignitatem modò, verùm nec ad salutem tutandam reliquum spei, si se solos cæteris rebus opponerent, legatos iterum atque iterum Venetias mittunt, atque eo pacto, ne ex Venetis, nisi composita societate revertantur. Atque etiam suos Philippus eò miserat, qui Venetis & diuturnam amicitiam, & præsentem adhuc induciarum fidem commemorarent. Hi erant Oldratus ipse cum Johanne Aretino: grandis ferme & apparata equis, & Comitibus legatio. Verùm non iisdem animis, nec simili cura res agebantur, præcipuè Oldratus, tanquam ad rem superfluam, nec ad negotia, sed ad spectacula venisset, Urbem in dies lustrabat: rem sanè Venetis ridiculam, ut pæne se ab Duce ex ea legatione ludi arbitrarentur. Contra verò Florentini, ubi Princeps Laurentius Rodulfus, nec dies, nec noctes obeundis civibus intermittere, nec quemquam quietum sinere, primores ubique manu prehensare, quocunque loco occurrissent, omnibus sese in faciem, atque humanitatem ostentare, denique ut sordidatos diceres, ex singulis, atque universis opem saluti implorare, præcipuè verò ipsum Ducem adibant, nacti hominem factis suis non incommodum. Franciscus erat cognomine Fuscarus, Venetorum Dux, qui est apud illos non rerum princeps, sed ordinum caput. Multa verò ille per facundiam simul, ac prudentiam in Civitate poterat ea virtute, quæ nihil tam appeteret, quàm suo tempore patriam illustrari. Is planè se Florentinis dabat, sive ita existimans fore Venetis necessarium, ne supra Ducem viderent, sive hanc ratus studiis suis materiam. Nec aberat consiliis Franciscus Carmagnola, tametsi (2) nondum omni reconciliationis spe destitutus, minùs negotio incalescebat. Ita demum exploratis omnibus petit ab Senatu Dux, placeatne in consessum

A deduci Florentinorum legatos, qui publicè exponant quidquid habeant pro suis referre; quandoquidem nec Philippi legatos ultra detineri conveniat, quo minùs sciant omnes, quid domum referant. Idque jussum, ac decretum. Introductus Florentinus hæc pæne, ut ferunt, loquutus est: *Non negaverim*, inquit, *Principes Veneti, me propterea ad vos venisse, qui Florentinorum quod maximè intersit, postulem. Neque id puto quemquam succensurum nobis, quòd nostram utilitatem in tempore requiramus: siquidem hoc ita honestum ferunt, dum publicè expetitur. Verùm ego item sic arbitror,*
B *hoc quod modò Florentinis proprium videtur, re ac tempore omnibus commune esse, quicunque libertati student. Semper hæc fuit Regibus, atque Principibus, ne dicam tyrannis, libertatis invidia, ut quantum vi, aut ratione possent, nemo se liberum profiteretur: nec terrarum usquam, aut libertatis, aut Reipublicæ, aut denique populi, ac Senatus nomen haberetur. Ac ne vetera commemorem, quoniam planè licet, si historias referimus, vel Philippum Macedonem, vel Mithridatem vel* (3) *Antiocum antiquos Reges referre. Nos sanè cum universa hac Vicecomitum familia decora exempla sumus, quorum regnavit*
C *nemo ad hunc diem, qui non Florentinam libertatem appetiverit. Cum omnibus bella gessimus, omnium soli Florentini odia tulimus, si à primo ejus familiæ regnatore Luchino petantur initia. Sic Archiepiscopum Johannem, quoniam & Sacerdotes invident, sic Bernabovem, sic Patrem hujus Galeaz triplici bello pæne intra portas accepimus. Hic postremò, ne à majoribus degeneret, eadem sequitur vestigia. Itidem vos Carrariensium insidias pertulistis; totiens illi vestram clementiam irritavere, donec intolerandos justa ultione confecistis. Ita semper utrisque erant patiendæ tyrannides, ni semel æquam libertatem ab illis communi potestate vindicemus. Conspira-*
D *vere illi adversùs omnem Italiam, tanquam debita sit volentibus imperare omnium libertas. Verùm ego vobis forsan videor, Veneti cives, frustra hæc referre. Nec vos periculum formidatis, vel magnitudine potentiæ, vel fiducià induciarum securi. Ne ipse verò Florentinam potentiam Venetæ æquaverim: quantum initio possemus, successus belli docuit, qui in hunc diem plus consumpsimus auri, quàm creditum cuiquam esset, Florentinos posse egerere. Ultro ipsi nos dispoliavimus, ipsi nostras domos diripuimus, denique Italiam Uxorum ac Virginum nostrarum ornamentis implevimus. Aut nullo sumptu Phi-*
E *lippus armatos continet, quos jam dudum crebris facinoribus sibi obnoxios fecit, aut mirum, si cuiquam suorum vita superest. Nos certè hactenus super geminos auri millionas per bellum effudimus, qui minùs quàm parte putassemus confectum in bellum. An verò quieti inducias feretis, quarum ille interea solum exitum spectet, dum nos obtriverit? Nempe cui firmiora esse debuerint, quàm Florentinis fœdera, quiscum ille eodem, quo bellum cœpit, anno pacem composuerat, atque hoc inter conditiones summum erat, ne vel ultra Macram ex Liguria, vel ultra Taruntiam Regium versùs pedem efferret. Nunc* For-

(1) P. supremi. (2) P. nundum.

(3) P. Anthiocum.

Forlivii memineritis, ubi terrarum jaceat, tum inde in fines nostros quantus exierit. Nunquam, mihi credite, ille quiescet, dum inveniat, ubi ponat arma, nec pacem unquam vobiscum servabit, præterquam alio bello occupatus. Nunc, si ita libitum est, fortunam nostram spectate. Verùm si vestrâ veniâ dicendum est, soli post nos eadem arma excepturi, quibus modò nos quatimur. Quòd si vos potiùs Florentina societas juvat, si totiens professum libertatis nomen placet, jungite cum liberis arma, eandem sumite nobiscum publicæ salutis curam, neque ita existimate confectos, ut nihil ad tuendam dignitatem supersit animi: adhuc quidem opulenti, & locupletes societatem petimus, adhuc potentes, fidentesque reliquum bellum subimus, quidvis oneris imponite, quamlibet sociis rerum difficultatem adhibete, tum quidem, si non integram, certè haud levem toleraturis. Hoc denique si placitum fuerit, cætera æternis amicis Florentinis curanda, atque observanda credite, quibus ferme semper futurum præsens hoc beneficium Deus fœderum testis addixerit, idem ut semper arbitrentur Florentinis commodum, quod vobis, Veneti Patres, saluti, ac dignitati fuerit. Sat præsens visum est ex ea oratione periculum Venetis, cum ut est naturalis ambitio, quæ nunquam ab invidia secernitur, tum quod ferè in aperto erat Philippum nimis alas extendere, nec quieturam, si Florentinos oppressisset. Non tamen præter paucos, quibus aut acrior Mediolanensis potentiæ metus, aut futura quæstui, & gloriæ ejus belli administratio, Florentina oratio movit, præsertim quòd suspectum ac pæne invisum habebant Florentinum, qui nunquam ferè socios quærat, nisi ut incommodis implicet. Visum deinde Philippi quoque legatos audiri. Itaque postera & illi, ut verba facerent, introducti. Nec latuit quid antea Florentini exposuissent, multis referentibus, quos & longa Mediolanensium consuetudo, & præsens legatorum amicitia delectabat. Suscepit ejus orationis laborem, concedente Oldrato, Johannes, nec pro Tusca dicendi consuetudine infacundus, & qui diu curialium literarum scriba fuerat, mediocriter eruditus. Ut igitur est jussus loco præcipuo coram assidere, facto silentio, ita loquutus fertur: *Non ad vos, nobilissimi Viri, venimus, qui novam requiramus pacem, aut fœdera iterum petamus inter vos, & Philippum componi, (4) quippe qui nihil aut permanentibus induciis, aut veteri amicitia diffidimus: Verùm ita jussit Philippus ad confirmatos animos, sociosque venire. Primùm ex eo ut de rebus gestis bene nuntiata acciperetis, simulque pro vestra religione apud tantarum rerum largitorem Deum gratias ageretis, quibus ille satis demonstratum putat, quàm iniquè velut per contumeliam Florentini quiescentem ad bellum traxerint. Hanc sanè cogitationem veteri, ac diuturna vestra erga se benivolentia dignam putat. Neque ipse hanc existimationem de vobis unquam mutaverit, quin ex omnibus majoribus probatam, ac acceptam tuendam arbitratur. Neque id Florentini figmentis, & consuetis fraudibus potuerint, qui mutuam hanc vestræ consuetudinis (5) liberalitatem pervertant: nisi putamus uno die nullis interpositis beneficiis plus facturos, quàm inter nos tot probatissimarum rerum tempora ac merita valuerint. Nempe si ab initio hujus familiæ Vicecomitum primordia repetantur, nulla sanè usquam injuria, verùm nec ulla suspicio simultatis audiri, tantum effecit vel caritas illorum, vel vestra benignitas, ne qua re potuerit concordia labefactari, quæ jam per gradus deducta, patientibus Florentinis dicam, ad immobilem, ac securam pacem pervênit. Quodnam enim dici, aut cogitari potest experimentum firmius, quàm quod rebus ipsis probatur? Non passi modò estis, verùm etiam & læti vidistis, & vestris opibus juvistis Vicecomites, qui fierent Veronensium, Vicentinorum, ac Patavinorum Domini. Denique ut usquequaque per hoc vestrum litus ad Dalmatas usque regnarent: post, quemadmodum tempora circumferunt, quum provincia intestinis bellis quassaretur, semper apud vos tutissimum fuit Mediolanensibus refugium. Est hæc nobilitatis lex scire alternam gloriam pati, nec levi suspicione diu beneque cœptam, & servatam amicitiam temerare. Jam igitur videant Florentini, quæ causa tam justis, & erga vos benemeritis Principibus continuos hostes effecerit, ipsine, an Vicecomites pacem turbaverint, quando præsertim apud nobiles nec odium, nec invidia extare potest, aut inter vos, & illam familiam nihil interesse potuit. Ac non cum illis Principes amicitiam tenuissent, quam inviolatam vobiscum servaverunt? Quid enim ad Vicecomites Florentini habere poterant ultra Alpes remoti, quum vos nullis faucibus mediis tot annos continuam benevolentiam servaveritis: illi à finibus quoque tot milibus passuum disjuncti in pace durare nequiverunt, denique hujusmodi hos Principes habuere, quales fecere ipsi; nempe quoniam se omnibus hostes fuisse gloriantur, referant, quis, quum ab Ecclesia dissiderent, ex summis periculis præter unum Barnabovem eripuit, è quo intelligere (6) possint, sese causam præstitisse, quominus cæteros amicos invenirent. Nec jam scientibus Philippum fabulas commemorent Mithridatem, Anthiocum perpetuos populi Romani hostes. Miror non commemorasse Porsennam Etruscorum Regem, quem contendisse ferunt, ut Reges Romanos in Imperium restitueret. At ego quoque, si historias referimus, nonnunquam audivi Reges populi Ro. amicissimos fuisse, ne dicam quòd primi Romæ regnaverint. Referunt sanè Massinissam, quamvis barbarum Regem, Romanam amicitiam super pæne centum annos tenuisse. Nec commemorem Hierones ex Sicilia, non ex Libia Jubas, non ex Ægypto Ptolomeos, aut alios aliis ex gentibus, qui Romanam libertatem non modò dilexerunt, verùm etiam summis opibus juverunt, nec Romanos, nisi regum auxiliis fretos, in Asiam, aut Orientem arma transtulisse; denique, ut cernere ea tempestate erat, multo frequentiora in Romanis Templis Regum, quàm populorum dona. Verùm nescio quæ vis me in hunc sermonem impulerit, præter quod illi tanquam ex superfluo fabulas retulerunt. Id certè fidens, certusque sum nunquam illis Vicecomites nisi lacessitos hostes fuisse. Enimvero Forlivium accusant contra fœdera acceptum, quum non liceret duci pedem è domo efferre, tanquam ipsi ignoretis, quemadmodum Forlivii se res habuerint, quos totiens in eo facto Judices Philippus tum poposcit. Non illi Venetos, non Martinum Pontificem, non Carolum Arimini, non Nicolaum Ferrariæ Dominum, sed arma pro judicibus habere voluerunt. Tantum fiduciæ aurum dabat, quo nunc se exhaustos deflent, sed pax inter utrosque erat, & quidem si non ipsi pecunia ac stipendiis Fulgosios, certè etiam ipsis testi-*

(4) P. qui nihil.

(5) N. libertatem.

(6) P. possunt.

[A] testibus, Genuensium Tyrannos adversùm Ducem juverant; si non Liburnas malè ipsis debitum coemerunt. Quid postremò in Philippum referre possunt, quàm quòd ille pro fovenda, liberandaque Ecclesia egerit, quasi dolendum sit non omne Ecclesiasticum nomen Braccii persecutione interiisse. Credo equidem, mœrent, non sibi Forlivium venisse, quo Pisanum, Volaterranum, Aretinumque excidium ultra Alpes quoque intenderent. At nobis nihil gratius, quàm quòd æquis Judicibus ista loquimur; tum sat fuerit Philippo ipsi, causam intelligatis, quamobrem (7) Florentini vos adversùs veterem, confirmatamque à Patribus vestris amicitiam, adversùm constantes inducias, adversùm (vestrâ veniâ dixerim) jus gentium, nullâ causâ, nulla forsan spe in hoc bello adjutores quærant. Vehemens, [B] magnaque ex parte utilis hæc oratio multis in Venetiano Senatu est visa, simulque & ad Philippi dignitatem, & ad Venetorum causam, & ad communem æquitatem pertinere, multis præterea occurrebat humana, ac fructuosa Mediolanensium hominum consuetudo, quibus tot negotiatores Venetianum forum urbanaque diversoria frequentabant: nec parva ea jactura videbatur tanto quæstu amisso, quem velut ex vecti galibus annuum expectabant. Nec minùs privatæ amicitiæ intercedebant, quæ per familias jam dudum Venetiis morabantur. Erat omnino difficile, ac periculosum cum tanto hoste nullâ satis certâ causâ bellum subire, præsertim quieti assuetis, nec (8) sat maturè belli exitum spectantibus. Verùm omnia abrupit unius [C] Carmagnolæ (sive ille inopinatus fuit, sive consultò paratus) casus. Nempe Tarvisii habitabat Carmagnola, nondum quidem pro ductore acceptus, verùm ad id servatus, quemcumque casum fortuna obtulisset: nec diu laboravit illa, quo minùs aliquid inveniret, quo vel summa turbarentur. Itidem erat Tarvisii Johannes Luprandus parum securus Mediolani, itaque discesserat; ibi tum vulgatum est, hunc unà cum filia Bernabovis (nomen Fœminæ Varenzina) venenum Carmagnolæ paravisse, quo sibi reditum in patriam apud Philippum mercaretur. Quamobrem deprehensus capite mulctatur. Obje[D]ctum quoque illi, quòd vetitas literas accepisset, non quæ de rebus publicis quicquam afferrent, verùm jussus nullas aperire priùs, quàm ad Magistratus detulisset. Id certum est non continuisse ex eo die Carmagnolam, quin statim Venetias citus advolaret, seque totum Venetis civibus offerret omnia suscepturum, quæ vel adversùs Philippum statuissent. Erant verò illi cum Duce maximè consilia, atque hi simul totis pectoribus bellum anhelabant. Florentinorum legati itidem in Civibus serebant, nonnunquam quoque auditi abs Philippo fœdera petituros, si Vene[E]tiis negarentur, nec sibi multo minùs gratiorem Philippi societatem, quàm Venetorum fore. Tum si pergerent Veneti Philippum Regem facere, contensuros Florentinos, qui Imperatorem statuerent. Hæc, seu vera, seu vana jactabantur, causam præbuere Duci, qui in Senatu præferret; placeretne Franciscum introduci, qui coram quæ de rebus præsentibus forsan opportuna consilia haberet loqueretur; ac vocatus vênit, orationemque habuit non planè militarem, ut qui etiam apud Philippum consuesset æqua mediocritate fari. Ea quoque hujusmodi fertur: *Non existimo, inquit, potentissimi Veneti, huc me propterea accersitum, uti de his potissimùm referam, quæ ante paucos dies inter Philippi, ac Florentinorum legatos hoc loco tractata sunt, neque sanè ego me aliud tam nosse profiteor, quàm de rebus, & consiliis Philippi, quippe unus ad omnia, quæ ille gessit, interfui, maximaque pars eorum extiti, quibus ille nunc Florentinos cogit victos vestram societatem requirere, quanquam & id fateor non tam linguæ me esse compotem, ut planè disseram, quemadmodum oporteat consilia illius excipi, quàm fidei & factorum, quibus ille, me excepto, neminem auctorem referre potest. Siquidem is sum Franciscus, quo Ductore, atque auspice Philippus tanta paravit, tantoque nomine hodie triumphat. Primus ego illum perempto fratre in Mediolano firmavi, quum nec ad decimum lapidem aliud quicquam possideret; æmulum, & quasi competitorem rerum Bernabovis Hestorem Modoëtiæ in Castrum, atque in arcem, denique ad mortem coëgi. Illum ego hinc Bergomi, Laudi, Placentiæ, Cremonæ, Brixiæ, Parmæ dominum constitui. Quid deinde Novariam, Vercellas, Alexandriam commemorem? Sed horum nihil à me factum sit, quandoquidem illud satis est quod mihi dignè videor vel cum superbia posse referre, qui Genuæ, ac pæne ita dicam totius (9) Thyrreni Maris Principem feci, uti quod post Archiepiscopum non contigerat, jam in Thracia, ac Phrygia, perque omnem illum maris tractum lucentia anguis signa videantur, propterque hæc jam omnibus terris (10) tremendum feci. Neque negaverim mihi apud Philippum, uno ut verbo dicam, etiam summa licuisse, quem ille summis honoribus semper voluit esse illustrem, quem & in familiam nomenque Vicecomitum adoptatum, domestica, ac propinqua uxore dotatum dedit. Verùm abeant beneficia, quæ non tam ut haberem, quàm his ut interim compeditus essem, tum denique infestus privarer, adjecerat. Nempe id mihi retulisse videor, quòd modò habeo illius inimicitiam, qua est, velut ante paucos dies perspexistis, ad infandam quoque necem persequutus. At, ni fallor, neque vos consilium meum negligitis: magno illius malo, vestræque felicitati servatus sum. Neque me delectat Mediolanensi Civitate aut tantæ domus cognomine donatum. Hinc mihi potiùs Deo referendæ sunt gratiæ, qui me ab ingratis liberum fecit. Reliqua nunc vita apud vos, si conceditis, Veneti cives, agenda est, nec ultra aliam Patriam, aut sedem petiverim, qui mihi penes vos reliquam omnem spem locavi. Habeat ille uxorem, ac filias, quoniam his se putat Carmagnolam in vinculis tenere. Ipse, ubicumque liber sum, ibi me familiam invenisse arbitrabor; aut quæ negotiatoribus civitas tuta est, non eadem Carmagnolæ libera dabitur? Una est ars, quam præstare possum, si mihi arma tradideritis, neque adversùs alium, quàm qui me ad hanc necessitatem produxit; neque existimate futurum unquam tempus vestris rebus opportunius. Novi ipse quid referam, qui & vires illius, & consilia teneo, ni vos illum fortasse eundem existimatis, qui integer ad inferendum Florentinis bellum successit. Mihi Veneti credite, in speciem Florentinos vicit, re vera una, cum bello est consumptus. Quotidiana quidem, verùm exigua Mediolanensium*

(7) P. vos adversùs.
(8) P. sat naturæ.

(9) P. Tireni.
(10) P. tremebundum.

sium, ac totius provinciæ pecunia: eam ille diuturnitate tributorum exhausit. Nempe & qui viderunt retulere, illud omne aurum, quod in Papiensi arce servabatur, in castra magnaque ex parte Genuam deportatum est, ut vix ad reliquum bellum antiqua supersint ornamenta, ac præsertim cui vix ulla est impensæ ratio, modò illius nomine res gerantur; nemo hoc certius me novit qui planè teneo præter bella sua, quibus nec modus extitit, nec numerus in Neapolitanum bellum, quod pro Pontifice Martino gessit, plus quingentorum auri millium emissum est. Ut provincialia ædificia taceam, ut tributa transalpina, ut sumptus legationum, ut quotidiana munera, quibus factum est, ut jam & bello ineptus sit, & pace miser. At de bello nunc conferam. Vobis immensæ, nec inexhaustæ modò, verùm intactæ vires sunt; itaque occurret lassus, defectusque integris. Florentini quoque magnam belli partem conficient, quibus si tanto labore superfuit, spectate, qualis in vos futurus est, ubi unam societatem effeceritis. Ipse præterea suorum animos novi, quos si paululum libertatis nomen titillaverit haud dubitem paratos occurrere. Nihil demum quam ostentando bello opus est præsertim qui copias omnes nunc in Etruria habeat, quas sanè debetis longinquitate, ac negligentia militiæ dispersas, ac ferè nullas cogitare. Atque hoc velim sciatis, non esse illum, qui belli officia curet; jam per alienos tanquam aliena aguntur, quibus dudum non tam publica salus, quàm privata desidia curæ est. Ipse aut in Mediolanensi castro, aut in Villis per domestica latibula diem, vitamque audiendis venatoribus, spectandisque piscariis, aut aviariis consumit. Hæc, ita Deum obtestor, primis belli initiis cognoscetis, meum nihil ultra censeo, quàm, si quid deinceps Venetianæ dignitati proferre possim, id vestro usui paratissimum cogitetis. Habuit oratio Carmagnolæ assensum multorum, vel jam gliscentium bellum, vel facilè credentium, eodem ductore posse confici, qui haud vana ex tot factis polliceretur. Omnes enim audierant quantus ille apud Philippum fuisset; ac proinde pignus fidei esse, quod vel tam indignè ab eo se pulsum, vel ab suis tam fœdè laceratum quereretur, quem præsertim noverant omni anteacto tempore fidum Duci; præterea hominis naturam insolentem, quæ & facilè in iracundiam excitaretur, & nonnisi difficilè susceptam semel indignationem poneret. Itaque verè, dignèque adversùs Philippum irritatum, omnia in ultionem tentaturum. Cum his tamen magna pars bellum horrebant, immensam molem rati, quæ, nunc pacem petentibus objiceretur: hinc suspectum Florentinum; hinc fortasse parùm fidum Carmagnolam, Philippum in oculis fama, fortuna, rebus potentissimum, si quid aliò vertat, nihil præter pœnitentiam superesse. Confirmanda hæc ratus Franciscus, jusso paululum exire Carmagnola, ita disseruit. *Quum vel humanas res, vel præcipuè nostras, Patres Veneti, considero, nihil intelligo publicis imperiis perniciosius, quàm quòd sæpe nimia utuntur clementia. Ac nescio tamen, eam, ne rectè clementiam dixerim potiùs quàm negligentiam. Verùm quòd nomen istorum plus congruat, sæpius exitus docet quàm rati. Id verum commodè atque opportunè cum alieno discitur exemplo, quod ferme* (11) *hodie nobis, si paululum advertamus, Florentini ostendunt, quos ocium timentes Philippus tam ancipiti bello deturbavit. Quid enim Philippo tum ad Forlivienses, & à finibus remotos, & ab negotiis illius prorsus dissidentes, cùm majorum nemo eam Civitatem unquam possedisset? Quoniam id nimis sæpe queritur licere sibi, atque in animo esse quæcunque patris fuerant, repetere: tamquam ea pater legitimo jure, non imperiosa vi tenuisset. Nobis tamen valde superque cogitandum, quid illi non modò in mentem, verùm per omnium possit occurrere: nisi putamus quietiorem Venetis fore, nulla jam finium intercapedine discretis, quam Florentinis, quos inter ac Philippi rura, tam arduis fastigiis Apenninæ Alpes interjacent, atque ea præsertim qua difficilior aditus putabatur. Quod ego propterea adjeci, ut intelligatis, quo animo ille susceptos hostes persequitur. Neque aliò Carmagnolæ Oratio pertinuit, quàm ut hominis mores vobis cogniti essent, ac perspecti, quem & ipsi videtis unà cum Imperio ambitionem extendere. Sic totus ab imis fundamentis crevit, donec solus in hujus citerioris Galliæ dimidio est conspectus. Tum obtulit ei sive fortuna, sive, ut refert, Martinus Pontifex Forlivium, qui forsan fuerat, ni occurrissent Florentini, vestros fines pulsaturus. Meministis ex quo tempore inducias fecimus, ausum petere à Mantuano super Benacum, atque unde Mincius exit, Piscariam, ne quid illi, cùm vellet, ad petendam Veronam spacii interesset, si non eodum vos vestra auctoritate pro Mantuano obstitissetis. An igitur modò malè securi expectabitis, dum post alterum annum induciæ exierint, interimque ille Florentinos atque omnem Tusciam in potestatem redegerit? Tum de jure potenti, atque armato respondebimus, quando ut ab illis Pisas, ita à nobis quidquid continenti possidemus, quasi paterna hereditate repetet. Sic ante paucos annos ab Nicolao Ferrariensi Parmam voluit. Dicet* (12) *forsan, præterea debere sibi quidquid hactenus ex Verona, Vincentia, Padua, ac ceteris rebus quæsivistis: ita convictos sub Prætore Angelo* (13), *aut aliquo ductorum suorum, quasi jure continebit. Vos item pro illius arbitrio servatarum Civitatum tamquam apud Censorem fœnus reddetis. Vestrùm nunc est, prudentissimi Patres, decernere quid eligatis, daturi ne illi Veronam, an, si bene quid dicam novi, Brixiam erepturi. Ne alia referam, quæ in manu esse dicerem, nisi vos vererer posse Carmagnolæ persuasu hæc dicta suspicari. Verùm ego rem ita se habere intelligo, omnia ad salutem vestram pertinere, ut* (14) *pernoscatis quid de Philippi fortuna cogitandum sit. Quid tum, si vos libertatis nomen juvat, Florentinos patiemini publicæ libertatis jugum accipere? At ego non patiar, etiamsi vobis ex Philippo nihil sit periculi, tam angusti, & parvi animi esse, ut satis sit securos vivere, nisi & nomen ipsum, unde securi sumus, tueamur? Nec rectè sanè finitimos Paduæ ac Veronæ tyrannos abstulerimus, qui deinde patiamur Florentinos, alterum in Italia libertatis caput, interire, quasi non id nobis honestum sit libertatis nomen amplum, ac splendidum esse. Nec sanè turpius quicquam esse potest, quàm si minùs ipsi pro tuenda libertate acres fuerimus, quàm pro tollenda alii admittantur. Nec falsò dictum putetis, quod Florentinus retulit, perpetuam esse tyrannis, ac principibus conspirationem, qui liberis libertatem invideant, qui semper suas leges aman-*

(11) P. nobis hodie.
(12) P. forsan debere.

(13) *MS. Zeni addit* de la Pergula.
(14) P. cognoscatis.

amantibus omni conatu insidientur. Juvate igitur, juvante Deo, juvantes se Florentinos; ubique existimate oportere Venetum nomen adesse, ubicunque libertas signa ostenderit, ut nullum sit in terris nomen, quod sanctius esse conveniat. Denique ut omnes intelligant, Venetos amicorum, & sociorum loco habere, quicunque libertatis observantiam profitentur. Haud dubia hæc Ducis oratio, quin protinus ab omni Senatu appareret in sententiam iri. Itaque jactis sortibus, quas illi pallotas vocant, exceptum de juvandis Florentinis decretum, vocatisque in Senatum: mox de societate fœdera sunt conscripta. Scilicet Florentini quatuor equitum millia in bello habeant, nec si quid ex eo ab Duce detractum fuerit, (15) quicquam illi citra Alpes lucrentur. Tum ne liceat de pace inconsultis Venetis mentionem facere. Omnia Florentini confirmant, jurati ultro, nunquam ejus beneficii memoriam posituros, tum in omne tempus paratos fore, si quid unquam laboris Venetos ceperit. Vocati, contractique in eadem fœdera Ferrariensis, ac Mantuanus, quibus haud ferme hic invitus successit; ille, qui jam per consuetudinem Philippo esset devinctus, gravatior visus est. Nec Senenses omnino expertes societatis, quibus cum Florentinis jamdudum essent tolerandis ejusmodi difficultatibus, ac periculis fœdera. Ita simul (16) pluribus locis de bello adversùs Philippum conclamatum. Tum ad externos quoque missum, ut in societatem allicerentur. Quippe Amadeo Sabojorum Duci persuasum: data spe, cùm res succederet, ipse ut Mediolano potiretur. Eodem pacto Rex Aragonum in bello confirmatus facturo liberam Corsicam haberet, quam tanto tempore cupivisset. Undecunque igitur Genuenses lacesseret, essetque auxilio Fulgosius patrium dominium repetentibus. Ita ex integro omnibus è locis adversùs unum Philippum Mediolanensium Ducem conjuratur: tanquam incredibilibus odiis, quod vel ad Venetos, vel Mantuanum attineret, ut nunquam viderentur de mutua benivolentia cogitasse. Hæc & ex multis audita, & legati ipsi Oldratus, ac Johannes Philippo nuntiant. Quid verò ille ageret? ni quantum apud singulos quereretur, his inducias; illi donatum Regium; simul omnibus, præter Florentinos, diuturnam amicitiam: eam potiùs respectent, quàm tantum excidii in omni Italia parent. Non tamen cecidit animus, quin ferunt potuisse Venetianæ societati obstare, si (quemadmodum fit) voluisset aliis legationibus uti; nec quicquam ita Venetos movisse, quàm quòd visi sunt per Oldratum ludibrio haberi, cujus esset unum studium semet Carmagnolæ ostentare, tanquam ad id à Philippo Venetias esset missus. Verùm ut qui animum induxisset nemini supplicem videri, de solo bello cogitabat, nec omnino diffidens suis viribus tot fœderatis obsistere, qua audacia haud minorem periculo gloriam cernere videbatur. Nec vana forsan fiducia, si minùs aut contempsisset hostem, aut se ipsum circumspexisset; quinam essent domestici, per quos necesse foret quasi ad latentem negotia referri. Soli verò apud Philippum poterant, per quos belli tanti initium erat factum, non sanè eo ingenio, ut tam periculum propulsare possent, quàm excitaverant. Ipse tum maximè invisus, atque incognitus intra arcem Mediolanensis castri habitabat, nunquam omnino in Urbe conspectus, frequentior in saltum vicinum castro ibat recreationis causâ, nescias an commentationis. Interim tamen ab armis quiescebatur. Id modò Veneti intendere, si quæ daretur bene inchoandi belli occasio, ut aliquo insigni initio facinus nobilitarent. Neque id longè esse poterat, scrutante omnia Carmagnola, qui omnium, quoscunque Philippus subjectos haberet, animos nosset, atque ingenia. Citò igitur comprehendit fortuna materiam, in quam omnes hujus belli causas conjiceret. Primùm quidem tentati Briscienses, quòd & finibus viciniores erant, & ex his plerique velut in clientelam Carmagnolæ obnoxii, quos ex aulicis Philippi sæpiùs agitatos patrociniis juvisset, præcipuè duo sunt operam polliciti. Cum his Franciscus multa pactus hinc pecuniam, omnium proditionum mercedem, hinc Venetiis Civitatem nobilitatemque. Et rem, & diem componit, quo aut unam portarum capiant, aut, quoniam id omnino in tranquilla Civitate difficile videbatur, nocte muros perfodiant; se cum exercitu affuturum, mœnia aperto aditu ingressurum. Fertur & usque intra arcem proditores invenisse, qui præsidem occiderent. Is erat Antonius Landrianus, non fidissimus modò Philippo, sed ipsi quoque Carmagnolæ quondam amicissimus. Id flagitium si evenisset, haud dubium totius Brixiæ nullo labore potiebatur. Sæpe audivi proditionis ejus Philippum haud ignarum fuisse; verùm neglexisse, qui sciret non posse Brixiam salvis munitionibus capi: futuram hinc causam perdendis compluribus, quos in ea Civitate haberet suspectos. Ita post paucos dies Oldratum Brixiam mittit, qui videat, ne quid tumultus, aut periculi in Civitate oriatur. Nec eo minùs proditores compositum flagitium persequuntur. Carmagnola interim, quod potest, per agrum Venetum Brixiæ propinquat, ne quid perpetrando facinori moretur, cui illi diem destinarant. Is ubi advênit, non ausus Franciscus tam proximus ad muros accedere, eò octingentos pedites mittit, qui, si detur ingredi, mox certum faciant. Ipse ad sextum lapidem subsistit. Negotium perficitur, ac mox vocatus Franciscus cum signis adest, Urbemque cum omnibus copiis ingreditur. Medium ferme erat noctis, mense Martio, ultimis sacris Quadragesimæ die ob Beatum Benedictum solemni: primùm inde in platea per vias undique Venetum nomen conclamant; atque is terror expergefecit omnes, qui primùm ob tubarum, atque armorum fragorem attoniti, mox ut Carmagnolam sensere, Domi ferè quiescebant præter paucos, quos aut amicitia proditorum, aut privata Carmagnolæ notitia excivit. Nihil è munitionibus, qui erant in Urbe plures, moti; nec aliud ea nocte præter nudam Urbem cepit. Ea verò est in multas partes divisa; adjacet enim monti, cujus summo cacumine arx imposita est; inde in planum arduus, ac densus murus deducitur, quantum ipsa planicies tenet, latâ fossâ præseptus. Hæc vetus Urbecula est dicta. Aliam ante tertium annum Philippus novam addiderat, cui

(15) P. quicquid.

(16) P. plurimis.

cui & altiora erant mœnia, & fossa prælatior, densitudo muri, quæ altitudinis modum exccderet: præterea suburbium permunivit cum porta dicta Pilarum (17), ac portæ ferè omnes munitæ; quæ omnia essent capienda, priusquam se Brixiæ Dominos faterentur. Itaque nihil pæne actum arbitrati, quum tot superessent, quæ nec summis viribus, aut opibus (18) expugnari possent. Deus verò semper tutissima occupat, indeque se ostentat victorem, unde magìs offenditur. Quem ego ita credo adversùs (19) has munitiones infensum, quòd ferè intolerandis sumptibus laboribusque extructæ erant. Mirificum opus, cui nemo hac ætate par fundatum audierit. Ut verò hæc relata sunt Duci, quanquam ingens cepit hominem cura, ubi tamen audivit nihil munitionum captum, rem pro mediocri accepit, satis fidem ejectorum Civitate, qui nihil præter Urbem tenerent, eodemque modo quicunque factum audierunt, censebant; miratus tamen id præsente Oldrato potuisse contingere. Verùm præter quòd Brixienses mutationum sunt avidissimi, nunc maximè ita erant animis affecti, ut omnem novitatem spectarent. Primùm igitur eò submittit Franciscum Cotognolam, hunc enim paulò ante diximus ad visendum Ducem venisse, qui paulò plus quadringentûm equitatu urbeculam ingressus, continuis eruptionibus omnia turbat. Sic reliqua nondum capta peditum præsidiis firmata. Carmagnola quamquam rem ancipitem videt, multaque priùs patienda, quàm reliquam Urbem capiat, tamen de expugnandis munitionibus cogitat. Itaque in dies majorem conflat exercitum, quo simul possit diversis locis sese ab eruptionibus tueri. Ac primùm urbeculæ, tum omnibus portis, quæ ex munitionibus in Urbem spectarent, vallos, aggeresque objicit, ne longè possint erumpentes vagari. Jubet Franciscum Mantuanum (nam is quoque in Venetianis castris militabat) eum locum datis præsidiis custodire. Ipse ad expugnandam portam pilarem tendit. Quæ dum sollicitus dies, noctesque instruit, comprehensus febri, atque iliorum doloribus, coactus est præceptis medicorum Patavinas balneas petere. Eo igitur tempore & pæne intermissa opera, & armorum expugnatio facta levior. Exercitus tamen latè Urbeculam obsidebat. Nec Cotognola quietos sinebat, nullum omnino diem ab eruptione cessans, mirèque illius juvenis virtus per omne id tempus eminuit, ut sæpe nec dimidio, quem diximus, equitatu ad intima quoque castra prodierit, reductis frequenti numero ex hoste captivis, ac plerumque trucidatis, si qua forsan pertinaciùs occurrissent. Nonnunquam etiam justa acie pro mœnibus decernere ausus, hoc modo hinc custodias ad urbem, inde ad agros castra diurnis, nocturnisque terroribus agitabat, ut jam metuerent oppidani, ne, si paulò major vis fieret, Civitatem reciperent. Reversus ex balneis Carmagnola omnia confirmavit, castris custodiisque in ordine locatis, simul ex Urbe maximè munitiones expugnans, atque in id præcipuè contendens, ne inclusi commeatibus juvarentur, quibus tamen audacia Francisci sæpiùs abundabant. Dum hæc apud Brisciam geruntur, Venetos quidem lætitia simul, ac spes acuebat, ut libera Civitate potirentur. Florentinis post receptos legatos immensa alacritas, qui & tam potentes socios nacti essent, & hostem jam viderent domestico bello implicitum: perinde sentientes Tusciam armis liberari discessu copiarum, ad quas accersendas Philippus miserat. Omnes præter Johannis Camerini turmas sese ad reditum comparaverunt. Ille ab Duce per Genuam, ac mare digressus cum turmis iter domum vertit, sive ipse noluit ultra cum Philippo stipendium agere, sive & hoc Philippus gratùm duxit, non multo post ab hostibus conductus, Venetiana castra ingreditur. Quo mirum dictu quanti ex omni Italia aviditate pecuniæ, quæ sanè multa proferebatur, ad accipiendum stipendium concurrerent. Itaque ex eo parant Veneti adventantem è Tuscia exercitum prohibere, quod ita fieri posse credebant, si Panarium amnem inter Mutinam, ac Bononiam custodirent. Eò dimissi exercitus, collectis undique aquis, flumen exaugent, ut nusquam vado tentari possit. Non passus tamen Philippi exercitus eo loco distineri (non planè quatuor equitum millia erant) quum, ut ferebatur, super octo hominum millia flumen asservarent. Itaque ut transire placuit, paratum ad mensuram pontem vesperi silentio ad amnem ferunt (hæ rates erant, quas collocatis per gurgitem doliis, capitibus nexas superjecere.) Nec mora, flumen transgressi clamorem ad cœlum attollunt. Prope erant positi hostes, non ausi tamen sunt ab reliquo itinere impedire. At hìc fortuna casum obtulit. Guido unus Fabrianensium Dominorum flumen transierat. Itaque nescius in istos incidit, cùm in castra Venetorum iter faceret, neque ex unis equitum turmis, quas sanè florentes agebat, (20) quisque superfuit, non cum ductore ipso captus. Quem tamen Philippus ad se missum paulò post suo more honoratum remisit. At copiarum adventu Dux ad sustinendos hostes confirmatur, tametsi vix post tertium mensem, quàm vocati erant, rediere. Ne ipsi quidem complices, quorum ego Bononiæ de ea re literas vidi, dubitabant, si mox, ut venerant, munitiones essent ingressi, quin & Civitatem recepturi fuerint, & omnia hostium consilia in irritum missuri. Verùm, ut res docuit, nec Philippo, nec cuiquam suorum sat constitit, quidnam eo bello potissimùm faciendum esset. Cæteranos deinceps referemus. Hic planè maximus error fuit, quòd præter Urbeculam castra posuere. Illi verò ne momento quidem oppugnationes intermittere; ac tandem portâ Pilarum expugnatâ, cùm quatuor continuos menses ab nullis unquam machinationibus esset cessatum. Jam omnes Philippi ductores in castris erant, non aliud quàm hostem contumeliis lacessentes. Carmagnolæ unum erat consilium non credere se pugnæ, liberandæ urbi omni conatu intentus. Quem ut ab opere averterent Philippenses, motis ad agros Mantuanos castris feruntur, quaqua incedunt, omnia igni pervastantes. Tum verò illi acriùs instant, diurnisque & nocturnis certaminibus obsessos fatigant, vias impe-

(17) *N.* Pilari.
(18) *P.* superari.

(19) *P.* munitiones.
(20) *P.* quisquam superfuit.

pediunt; ne qua commeatus possint inferri. Verùm quum nec id planè ad votum succederet (ut sunt in desperatione rerum non modò astutissima, verùm etiam audacissima consilia) multa per varios aditus inferebantur, nec videbatur finem obsidio habitura, præsertim redeunte ex Mantuanis Philippi exercitu, quum necesse foret externam oppugnationem impediri. Itaque visum Carmagnolæ undique oportere munitiones cingi, ne quid esset aperti hostibus commeatibus inducendis. Plerique ferunt, id Nicolai Tolentinensis consilio factum: quippe, ut vênit in Castra, facta est ejus rei mentio. Id verò immensum opus, tantum terræ cingendum erat, quantum à castro per declivia tumuli urbeculæ additæ in planum porriguntur, haud ferme minùs quinque millia passuum. Hic Carmagnola contractis undique operariis, vallum parat erigere, ac necesse erat duplex fieri, quo & ab obsessis, & ab externis tuti essent. Ita geminas deducunt fossas duodecim passus latas, vasta quoque altitudine conjecto in medium aggere, quem quo esset firmior, fascibus sterpibusque oppleverunt. Hinc vallum expositis asseribus, quos intrinsecus trabes obfirmabant, ac densitudo erat valli, qua & planè inambulari posset, & ab externis ictibus minimè propulsari. Sic ingens corona apparuit, longè etiam terribilis. Interea dispositæ erant non multo intervallo turres, quas inter per vallum facilè discurri poterat. Præter hæc singulis portis castella opposuerant gravioribus trabibus roborata, majoremque ad altitudinem evecta. Inde expositi pontes, quibus in hostem erumpi posset. Duratum in eo opere plus ferme quatuor menses, collectis incredibili numero ex Venetorum ditione agrestibus, nec Carmagnola in aliud intento, certum sciente hoc labore urbeculam, atque arcem capi. At ejusmodi opus erat, ut longè visentibus non urbeculam obsessam, sed geminatam Urbem diceres. Tum verò primùm Urbe egredi ausi, seque intra id vallum velut in castris locaverunt. Nec dubium perfecto opere omnia esse perdita, cui si nostri obstitissent, nunquam ferme illi essent Brisciæ potiti. Verùm sic apud hostes omnia vigilabant, in castris Philippi ut omnes captos diceres, omnis cura per ignaviam perdebatur. Ductor erat castrorum Angelus; subjecti Nicolaus, Franciscus, Christophorus, Siccus, Arditio, atque alii, quibus etiam nuper Petrus cognomine Lavarinus, relictis Florentinis, accesserat. Omnes sanè fremere apud Ductorem, quòd nihil operi obstaret, quid non cerneret eo perfecto omnia capta esse. Angelus id respondere, oportere fieri, (21) quod esset ex Mediolano jussus, si quidem ferebantur tanquam à Philippo literæ in castra, sinerent Venetos aggeribus fossisque exhauriri, qui crederent pecuniâ omnia consumpturos; paratum fore, ubi vellent qnacunque parte opus (22) perfringere. Quid verbis opus est? putant ejusdem pecuniæ vicio tactos pæne omnes, complures corruptos. Zaninus omnium negotiorum auctor erat, nec quicquam, nisi eo interprete, in aures Ducis veniebat; non Mediolani, non in castris tanti periculi soli-

(21) *P.* quæ.
(22) *P.* refringere.

A citudo videbatur; vulgò etiam jactabant, ut est socordia panis perditi, fossam fore. Non eodem modo in Castris Venetorum Carmagnola, Mantuanus, Tolentinus agere, qui nihil neglectum volebant, quod posset humanâ curâ provideri. Nec dies itaque nec noctes quiescere, aut hominem quietum sinere. Carmagnola ipse movere, ac excitare vigiles: cohortes traducere, ac statuere, ut opus ferebat. Nec sanè minùs laudaverim obsessos, tantum in illis virtutis, quos (23) nulla unquam expugnatio vicit, (24) aut exterruit. Ad mille & quadringentos pedites erant conductitii, simul etiam cum his multi B oppidani, qui se metu partium ab initio ibi continuerant. Ductores cohortium præsidio impositi quatuor fortissimi, solis ferè patriis cognominibus insignes, Brixiensis, Placentinus, Pergaminus, & Andreas Tarvisinus. Hi millies corpora vulneribus obiecere, nulli parcentes periculo, quum in die sæpiùs nonnunquam Carmagnola obsessos exerceret, totiens è muris in certamen trahebantur; ac nonnunquam in ipso muro pugnatum est, si quidem hostes clanculò scalis mœnia conscenderant, virtuteque hominum sunt dejecti. Tum verò maximè apparuit virorum animus, quum præsente omni exercitu irritato in pugnam hoste victores sunt C reversi, aliquot è numero hostium peremptis, capto etiam inter cæteros fratre Mantuani. Hunc obluctantibus furentibusque universis Johannatius quidam pedestris turbæ detractum equo complexuque è medio hoste intra munitiones reduxit. Non incruenti tamen tot certaminibus evasere, quippe intra id obsidionis omne tempus, nunc balistis, nunc gladiis super mille ex præsidio ceciderunt; neque in tanto discrimine victus animus, sola, quæ vires totas aufert, fames expugnavit, eò perductis obsessis, ut extrema quæque ac nefanda tactu manderent. Pacti igitur inducias, quibus mitterent ad Philippum, aut affectos juvaret auxiliis, aut dedi oportere. Quo tempore Carmagnola undique D munit, ne quid ad clausos transeat. Itaque ubi advênit induciarum dies, omnes in pugnam eriguntur, obsessi quidem ut mœnibus exeant munitionesque invadant; obsidentes jussu Carmagnolæ suum quisque locum tueantur. In castris Philippi sola erat contentio, reliquis ductoribus apud Angelum frementibus, quid hoc segnitiæ esset, aut quæ tandem perfidia, pati socios desertos esse, tam egregias munitiones ad hostem prodi? quid denique dedecus putent, si non hoc videatur quietos tanti detrimenti accipere, non id satis esse, quòd permiserint tot munimenta hostes perficere: præsentibus, ac intuentibus E socios claudi? postremò qui potiorem Brixiæ partem tenuerint, futurique fuerint, si munitiones essent ingressi, reliquæ civitatis Domini, ultro omnia hostibus tradant? Hæc præcipuè Franciscus vulgo quoque jactabat, nec minùs ductor erat ad desidendum pertinax, quid opus esset pro paucis universum exercitum in periculum mitti, quos ne ipsa quidem virtus posset eripere? Quando eam fossam superaturos sperent, aut vallum ascensuros tot jaculis, atque balistis circumseptum? Quin Philippo id commodum fore, si quas ibi

(23) *P.* nunquam expugnatio.
(24) *P.* aut ulla.

ibi frustra inclusas & in castra cohortes reducat: his se fidere hostem, ubicunque fuerit, velut inclusum servaturum: *Itane*, inquit Perusinus, *abjecta repetemus, speque recipiendi nostra amittemus? aut cum nostris rebus pudor simul ad hostem transierit, ut integra reddat, quæ jam dudum armis expugnat? Vos, si videtur, id sperare; mihi in animo est hodie, si quid possim Philippo gratum, aut justum perficere, viribus experiri: faciamque hostes ut sciant Philippum habere, qui si opus sit novissima quoque pericula effringant. Me igitur quicunque cupiunt Duci nostro gloriam ad munimenta hostium vadentem sequantur.* Atque hæc dicens suos evocat, in ordinemque educit ad hostem perrecturus. Franciscus identidem pollicetur. Cæteri circa ductorem consistunt. Jam Nicolaus in (25) conspectum hostium venerat, undique explorans, qua parte facilius munimenta adoriretur, è quibus jam in illum tela veniebant. Verùm & morante Francisco, quo, si posset, plures contraheret, & cæteris remanentibus, ut solus conspectus est Nicolaus, edicit suis Carmagnola, qui adversùm è munimentis vadant; itaque jam agmina implebantur, futurumque erat, ut Nicolaus periculum adiret; ni se dedisset receptui. Nec longè illi fugientem sequuti, ne quem in pugnam putabant paratum omnem exercitum obvium haberent. Ita omni spe auxilii adempta, extimus urbeculæ murus hostibus traditur, quem sanè tametsi densissimum, faciliùs tamen fuit dirui, quod recentior malè coagmentis tenebatur. Sic pedetentim ceteri orbes capti, quum in dies acrior urgeret fames. Pluribus tamen velut regionibus munimenta dividebantur. Denique ventum ad veterem: atque eâ tandem simili dimicatione expugnatâ: itum deinde ad arcem, neque ea longior oppugnatio, undique præclausis, ne quà adiri posset. Unius Placentini, quem diximus, virtus eminuit. Quippe ausus (26) quinquaginta comitatus sociis per media hostium castra in tumulum progredi, eodem audaciæ impetu in arcem est receptus, multumque ille in dies detrimenti hostibus dabat continuis eruptionibus defatigans. Verùm nunquam cessantibus machinis, quum undique tormentis muri quaterentur, magna tandem pars ad hostem cecidit. Quo malo motus Antonius, ne gravius perseverantibus accideret, ita ab Duce jussus cum Carmagnola de tradendo castro salvis omnibus pepigit. Hoc modo omnis Brixia ad Venetos concessit, non sanè ut omnes ferunt, majore hostium virtute, quàm nostrâ ignaviâ; cujuslibet tandem fuerit ejus flagitii auctoritas, tum (27) primùm apparuit quidnam prodenda Brixia (28) auctores sceleris effecissent; Nec non rectè vulgatum est, Brixiam geminis proditoribus eguisse, ut Venetorum fieret, priùs qui se unà cum Civitate hostibus traderent, dehinc qui cum fide facinus tuerentur. Philippus interea quum se videret in dies arctiùs premi, nec superesse vires retinendis, quæ extra provinciam quæsierat, legatos emittit, qui Imolam, ac Forlivium cum cæteris ejus oræ castellis, ac vicis Romano Pontifici tradant. Hunc sanè fructum primus ex eo bello Martinus percepit, haud parvum Ecclesiasticæ rei emolumentum, ne quid Romanæ ditioni ex Philippo vel ad salutem vel ad gloriam deesset. Veneti inde ad reliqua circum Brixiam convertuntur. Ex primis Salonenses in Ripa Benaci defecere. Tum omnis illa ora, quæ præter lacum est, partim amicitiâ Carmagnolæ, partim Castrorum, & obsidionis metu Venetos accepit. Non tamen omnino libera erat Venetis circumferendi exercitus copia, nusquam ferè cessantibus nostris, qui undique castra lacesserent, ut sæpe & obsiderent, & obsessorum modo tenerentur. Inter hæc Martinus sive ægrè ferens tantum belli in Italia esse, sive Philippo metuens, utrosque rogat qui bello desistant, misso Ferrariam ad id Nicolao Cardinali Presbytero Bononiensi, in quem fœderibus componatur. Ibi tamdem conventis utrinque legatis hæc Veneti de pace poposcere. Philippus præter ea, quæ hactenus cepissent, Venetis omnia traderet, quæ ad Brixiensem agrum pertinerent. Supererant octo ex munitioribus ac fidelioribus castellis, quæ nondum in potestatem venerant: nec difficile videbatur aliquando ex his posse Brixiam verti. In quibus & Clarum, & Mons Clarus, & Quintianum uberis soli, & Iseum super lacum. Præter hæc ultra Ollium flumen quadraginta passus postulabant, ubi liceret quas vellent munitiones condere. Hæc talibus instituta cum legatis, quæ ut firmarentur, Nicolaus ipse ad Philippum tendit, jubetque ut præscripta erant coram legi. Multa ille questus de perfidia Venetorum, quòd contra jus gentium inducias violassent, tum de superbia, qui se per injuriam tanto odio essent persecuti, nec se nisi coactum arma cum Florentinis cepisse, qui noluissent pati Forlivium pro Ecclesia esse receptum: Deum verò testem facere, nunquam id bellum, præterquam Ecclesiæ calamitate, & periculo adductum cepisse. Id ita fecisse manifestum, quando capta omnia ad Martinum transtulit, cui totiens oblata servaverat; itaque etiam nunc Deo causam suam credere, sat fidentem eo Duce aliquando horum fœderum vices conversum iri. Iret legatus, largiretur quæ vellet Venetis, acciperent jam se volente, tenerent, possiderent, quod injuria ac dolis rapuissent. Sic Nicolaus ab Duce discedit in Brixiensem agrum destinata illa Venetis traditurus. Vix dum profectus erat, jamque ad eam rem literæ scribebantur mittendæ ad præsides, qui municipia redderent: quum seu vocati, seu sponte adducti complures Mediolanensium Civium ad castra succedunt Philippum alloquuturi. Hos igitur jubet introduci: qui, ut ante Philippum stetere, primùm exploratâ veniâ referunt, propterea convenisse, ut paratos accipiat, seu quicquam in rebus novis agere velit, seu aliquid præsentibus nuntiare. Hoc tamen cupere Philippo esse notum, multorum animos turbari, qui de recenti pace audierint, quibus hæc fœdera videantur non injuriam patientis, sed contumeliam jugumque accipientis. Nec, tametsi non audent de Ducali arte judicare, satis opinari se, quamobrem id facere cogatur, integro adhuc & stante exercitu, quem hostes nondum expectare voluerint, nec præterea (29) ei retinendo opem, ac modum deesse, quo salvo nequam

(25) *P.* conspectu.
(26) *P.* quinquaginta sociis per.

(27) *P.* quamprimum. (28) *P.* auctoris.
(29) *P.* ea.

A quam posse fieri hostibus spem potiendorum eorum, quæ nunc velut gratuita pace, atque injuria accipiunt; haud ferme impunè diu castra circumducturos, quæ cum nostris conferre non audeant. Tum quid illud ab servitute differat, habere Venetos in tellure nostra solum, unde & pontem in agros nostros habeant, haud dubium ibi arcem locaturi, ex qua paratissimus sit in ipsam Cremonam excursus. Non tamen his Duci suo cives legem ferre, verùm orare, ubicunque voluerit, civium suorum fide, animo, facultate utatur. Mirè grata oratio Duci tanquam à fidelibus viris, & bene amantibus animis, itaque etiam gratias hominum benignitati egit, pauca dehinc de fœderum necessitate est locutus: non

B se sua sponte in id bellum venisse, Martini primùm, hoc est Ecclesiæ, caritate compulsum, quam videret tyrannorum petulantiâ pessundari; ejus consilii omnem Italiam se testem facere, quam ferme nunquam vel Deo immortali gratam existimare potuit, vel mortalibus honoratam, si non ante omnia imperium Ecclesiæ tutum, ac tranquillum haberetur; quia in re se majores sequutum, quibus semper Religio fuerit omni re antiquior, præsertim conjuncto huic calamitati Neapolitanorum regno, quod jam, ut omnes nossent, à barbaris teneretur. Hinc ortam

C cum Florentinis discordiam, quos tamen non multo bello profligasset, ni tandem (30) adversùm veterem amicitiam, stantesque inducias secessissent. Huc denique rem venisse, aut accipienda pax sit, quæ offertur, aut de novo bello cogitandum, ipsi modò videant, aliudne possint rebus subsidium ferre; se civium suorum consiliis staturum. Illi nihil ultra quàm petere liceat consilium de rebus summis facere, fortasse relaturos quod illi placeat, sibi certè in animo esse, nulla ex parte; dum sanguis superfit, inferiores hostibus videri, nec passuros cupidiores esse ejus,

D quam libertatem vocant, Florentinos, aut Venetos, quàm (31) ipsi Ducis nomen titulumque ament. Itaque orare Philippum bono animo sit, quando satìs fidant posse illum præsenti necessitate eripere: sub his dimissi in consilium proficiscuntur cæteris convocatis, qui apud Ducem ei colloquio non affuerant. Multa ibi & de Philippi, & de Mediolanensium dignitate agitata, omnesque idem sentire, præstanda auxilia Philippo, nec debere cuiquam obscurum esse, Venetos eâ pertinaciâ non unius hominis, sed totius rei Mediolanensis interitum quærere, æmulationemque hanc esse dignitatis, & nominis, tanquam ægrè ferant tot jam annos Mediolani servatam omnis Italiæ gloriam Mediolanensibus debere, atque oportere in animo esse, qui Vicecomitum familiam omnino salvam velint; quorum virtute & prudentia longa majorum ætate, tot sunt rerum gestarum titulis illustrati, tum hoc certum putari, unà cum hac Domo totius Italicæ nobilitatis exitium peti. Denique hoc inter cives decretum, renuntiaretur Philippo, ita in consilio esse visum, bellum ut denuo cum hostibus suis gerat: Mediolanenses paratos, illi decem millia equitum, tantundem peditum persolvere, quibus haud dubium posse bellum non modò trahi, verùm etiam gloriosè perfici, hoc tantùm sibi poscere, Mediolanensis urbis reditus administrandos permittat, nec liceat curialium cuiquam possidere, quæ ad aulæ quæstum pertineant. Ipse cæteras Urbes habeat, seque ac suos inde locupletet, tum castra pedite muniat. Nec difficilè omnibus tantorum vectigalium copiâ abundaturum. Nihil sanè ei bello salubrius esse poterat, nec ad tolerandas difficultates stabilius, modò non in hoc quoque mens Ducis fuisset aversa. Perturbavit concilium Potentum avaritia usque adeò, si verum vulgatum est, ut referrent Philippo, non pro sua dignitate esse, qui civibus primæ Urbis administrationem remitteret, hoc pæne modo Remp. fieri, quando in cives sit publicum regimen tributum. Incertum, an ita creditum Duci. Verùm id constat, noluisse ad se venire eos, qui de consilio relaturi venerant, missi ad Hericium, qui cum eo omnia tractarent. Indignum visum viris facinus. Quamobrem factus multis animis alienior: proinde & multi jam de rebus malè auspicati; enim vero dignum populum cui justus, ac benignus Rex imperet, quippe ea fide homines, ea erga suos Dominos benignitate, & diligentia. Mirum præterea dictu, hoc solos (32) Mediolanenses ausos polliceri, quod Florentia, ac Venetiæ ægrè hac ætate præstarent, fecissentque; tanta est hoc tempore unius Urbis gens, tanta & Domi & apud exteros negotiandi consuetudo. Philippo tamen hoc in animo stetit, quod illi sunt polliciti, tanquam ex eo certus, unde illi tam magna pars belli constaret: at illud semper verissimum fuit, nihil coactum bene accidere, omnia meliùs ex animo perfici.

(30) P. adversùs. (31) P. ipsius.

(32) P. Mediolanenses polliceri.

F. B. ANDREÆ PATRIÆ HISTORIÆ LIBER QUINTUS EXPLICIT.

INCI-

INCIPIT SEXTUS.

Non satis est forsan Deo, ut se faciat agnosci mediocriter hæc humana versare, quibus ipsi nimium dediti divina, quantum est in nobis, convolvimus, tanquam usu experto; quod ferè evenit, non ante Cœlum suspicimus, quàm mundana prævalent, ut necesse sit consiliorum nostrorum imbecillitatem fateri. Ille verò gratissimum id habet initio quoque vel minimarum rerum respici. Quod si non accidat, proximum consilium ducit, ut ante exitum credatur omnia statuisse, qui fuerat ante exordia præcavendus. Nihil igitur ex Brixiæ ac Brixiensis agri jactura videbatur momenti fore, ut ex bellis discederetur, ac sponte parceretur populis, ipsique mortales privatim quisque pro se ad tuendam rectæ conscientiæ fidem laboraret: majora in medium trahenda erant, quibus vel planè Dei justitia adverteretur, vel levitas hominum, ac superbia premeretur. Quo loco nobis periculum Philippi, ac Mediolanensium exemplum fuerit; deinceps fortasse, (1) & reliquis partibus sua ratio servabitur. Interim hoc referemus, quemadmodum contempta hac pace Dux nova spe alterum bellum tentaverit, quo manifestum fieret, plerumque inutiliùs de injuria decerni, quàm injustiùs. Is itaque post Nicolaum diversas à superioribus literas mittit, quæ omnino prohibeant Castellorum portas aperiri: Atque ita factum. Nusquam enim sunt vel fœderum legatus, vel Venetorum actores audiri. Quo facto Nicolaus pæne lusum questus Bononiam se recepit. Veneti re cognita majoribus & querelis, & viribus nova bella minantur. Jam verò ex prima mentione pacis multos ab stipendiis dimiserant, ac plerique illorum ad Philippum ierant. Itaque etiam nunc velut quos indignatio accenderet, majore conatu ad bellum se comparant, statutumque Venetiis de persequendo omnibus modis Philippo, coacti in idem superioribus fœderibus Florentini, non sanè tam sperantes, quàm amantes pacis. Ita fœderatos reliquos in bellum cogunt. Genuensium exules impellunt, qui se ad Urbem prope referant. Cum Sabojo item de societate componunt. Quo & Ferratus adductus ut accepto exercitu bellum gerat, Alexandriam ferme, si bellum rite successerit, emolumento habiturus. Sic omnis provincia quasi jam victoribus divisa est. Philippus unus tot inimicitiis restabat, solo hoc commodo adjutus, Aragonensem Regem, dato per fœdus Portu-Veneris, quia non potuerat negantibus oppidanis Bonifacium Corsicæ Castellum paulusum ab Genuensium cervicibus removerat. Verùm nihil eo incommodatius, quàm quòd cives non omnino ad effundendam pecuniam obtemperantes habebat. Eo quoque adjecto, quòd Orlandus Pallavicinus ad hostes desciverat. Nemo denique superfuit quicum non esset gerendum bellum. Primus tamen in arma desiluit, positis in Brixiensi agro castris, ac locis quoque opportunis, præsertim qua in montes iter erat, munitiones effecerat, ut jam ferè videretur

A denuo Brixia obsidenda; nec minore præsidio inductis per Padum navibus in flumine certamen videbatur. Ac pæne statim affuit fortuna, ut satis appareret morem Philippo gesturam, si omnia continuo tenore processissent. Quippe & Genuæ pugnatum prospere est sæpiùs, quanquam exules circum portas usque omnia tenerent. Nec dubium Urbem eo tempore Philippo servatam Obicini operâ, quem ante ibi præfectum diximus. Et in agris Parmensibus per declivia Apennini captus à Petro Rubeo Johannes Franciscus, primus Genuensium exulum, missus, qui omnia Parmensis, ac Placentini soli perturbaret.
B Ad Brixiam quoque rite successit, usque dum servato ordine audacia usi sunt. Captæ super Padum turriculæ paucis millibus à Cremona distantes. Progressæ ultra naves Casale dictum majus, dives Padanæ ripæ Castellum, flumine terraque expugnatum cepere. Nusquam Veneti apparebant, sed intra Brixiam Carmagnola augendis copiis intentus morabatur. Interea Nicolaus Brixelli arcem expugnat, quæ sola capto municipio tormentis semidiruta servabatur. Ubi dum hæc aguntur, orta inter Pasinum navium rectorem, ac Nicolaum levis contentio obsidionem in negligentiam vertit. Missi pauci ab exercitu, transito Pado
C (2) mox à Villanis recepti, castellum iterum pro Venetis capiunt. Atque ea fuit maxima Duci jactura, omnibus amissis machinamentis, quorum ingentem numerum ex navibus ad oppugnandam arcem transtulerant. Neque ita multo post Venetorum naves omnibus rebus, ac viris instructæ flumen scandunt. His & Philippi naves parant occurrere. Erat autem utrinque genus navium, quæ fundo parum à ratibus distant; verùm impositis ædificiis, ut quibusdam triplex esset solarium, altè eminebant, pulchraque erat species visentibus, quasi turres flumine moverentur.
D Paucis millibus infra Cremonam concurrerunt. Philippi erant triginta, paulò plures Venetorum: cum his aliæ onerariæ duplici ferè numero sequebantur. Ductor Franciscus, vir expertæ in rebus nauticis industriæ non modò, verùm etiam audaciæ. Philippeæ primæ impetum fecerunt. Nam ut eò ventum est unde proximis sagittis utrinque agerent, quatuor è numero sese in hostes fundunt, tantusque proruentium impetus fecit, ut perfractis vinculis, quibus Venetianæ invicem tenebantur post terga omnium evaderent. Hinc vertuntur, ut puppes hostium feriant, nec dubia erat victoria, si cæteræ eodem mo-
E do pugnam servavissent. Omnes unum Paxinum, quem navigii rectorem diximus, expectabant. Ille verò seu tantæ fatigationis impos, ut qui soleret paucis, ita dicam, piscatoriis Padum discurrere, seu malè utens valetudine, admiratione suorum fixus substitit. Erat in litore Nicolaus, sed non ultra poterat quàm spectator, adhortatorque esse. Itaque ad suos vociferat, vel invito, vel trucidato Paxino, in hostem tendant. Dum verò ille cunctatur, ductore nullo certo, diversi alii passim pugnant. Veneti interim in fronte,

(1) P. sua ratio reliquis partibus servabitur.

(2) P. villanis.

te, maximèque ad lævam pugnantes, ab dextera in orbem flectuntur, ne quid detrimenti ab his, qui procurrerant, fieret. Ac sæpiùs annixæ ad suas reverti, nusquam aditum invenere. Ut videre igitur suos remorantes, nec pæne unde oportuerat certamen fieri, ipsi quoque in fugam vertuntur, si fortè aliquæ ex sociis sequerentur. At omnes idem terror invaserat. Propulsis igitur ad terram Navibus, ad unum incolumes in ripam evadunt. Naves inde ab hostibus captæ: cum his quatuor reliquæ nihil moratæ Cremonam fugâ contendunt, ibique in alveum, qui ex Cremona in Padum trahitur, subductæ, nec multo post vacuæ Papiam missæ. Veneti ex victoria Cremonam procedunt, ubi & alia pugna parata est. In eo loco, qui præter Cremonam cernitur, Philippus tria velut castra munierat, duo utrinque in litore, tertia in medio flumine validis roboribus erecta erant: ne qui certè, si defenderentur, traducendis tutè navibus spatium esset. Verùm, ut in tremefactis rebus, vacuæ pæne erant custodiæ. Primùm igitur remotiora aggressi, quæ in adversa ripa erant, defendente nullo mox capiuntur. Eodem pacto & quæ in medio flumine erant, parva dimicatione amissa. Præterea versi ad citeriorem ripam Cremonam versùs, & illam undique navibus cingunt. Pauci sanè pro custodiis erant. Itaque ex Cremona præsidium requirunt, tantaque ignavia omnem rem ceperat, ut in eo quoque submittendo nulla esset cura, periculum ad paucos, qui in munitionibus erant, rediit. Cœpta ante lucem oppugnatio, expositis undique in circum navibus; ne momento quidem balistarum ictus cessabant, ut vix liceret obsessis impunè digitum intendere, aut emittendis telis ulla corporis parte detegi; quamquam initio mediis tenebris pugnabatur, nusquam tamen aut animos, aut vires remisere: hinc saxa in propinquos evolventes, verutulis inde alios petentes, qui è supremis navium turribus pugnabant nonnumquam, & æstuante aqua subjectos malè incendebant. Hoc modo usque in expressam lucem castra tutati sunt, nec telis forsan cessissent, ni tandem flammis correpta munimenta è vallo defensores pepulissent. Ex his pauci jaculis ceciderunt, cæteri ferè omnes saucii Cremonam ingressi sunt, omnia mox ab illis cremata, ut vix tantæ impensæ in horam vestigium superesset. Egressi inde navibus in ripam effunduntur. Erant ferè Dalmatæ, ac Pannonii, quos hodie Sclavos vocant, ritu ipso, atque ingenio barbari, ad vulnera, & ad mortem vecordes, verùm nihil ad pugnandum, aut cavendum intenti. Id ubi cognovit Lavellanus præsidio Cremonæ impositus, suos armat. Vix septuaginta equites circum se habebat, aliquot pedites in oppido restiterant; & illos itaque armari jubet, omnesque in palatos hostes educit, multi illorum balistas secum tulerant, atque alii crepulos, quibus vi pulveris glandes ferreas emitterent. Verùm, ut ante dixi, inepti ad pugnam, nullius certaminis speciem dedere; præterea aut inermes aut dimaculatis loricis malè tecti exierant. In hos igitur è diverso ab armatis atque expertis factus impetus, ut præter stragem nihil usquequaque cerneres, parvo ripæ spatio super trecentos cæsi, alii pæne vulnerati, ut quique potuere, fugâ sese in naves receperunt, atque illos ductor Franciscus graviter increpuit, hoc tamen, ut ferunt, adjecto, non magnam esse ex occisis jacturam, quandoquidem Veneti ejus generis hominum singula capita menstruo stipendio tribus ducatis emerent. Postridie verò illorum Sacerdotes ad Christophorum venêre, questi non reductos potiùs suos in vincula, quàm tam fœdè trucidatos. Responsum, inopes quod darent nihil aliud quàm vitam habuisse. Deinde permissum Sacerdotibus, ut vellent, sepelirent suos, qui lustratis corporibus, modica tellure nunc singulis, nunc pluribus injecta, ad Naves rediere. Ductor hinc per Padum, quà Philippeas effugisse audierat, subit, nulli tamen loco sese ad ripam credens, præterquam in ostio Abduæ. Ibi castellum ad custodiam fluminis expositum capit. Ita libero flumine, obsistente nullo, subvehitur: usque dum ingressus Ticinum, Papiam propinquat. Hinc veritus, ne qua vi aut fraude angustiore fluvio clauderetur, revolutis navibus iterum Cremonam repetit, cupiens, si posset, acceptam paulò ante injuriam ulcisci. Itaque mittit navibus prædatum, quos præfectus Nicolaus cognomine Guerrerius cum pluribus interfectis in naves compulit. Atque hic finis fuit tentandæ navibus Cremonæ. Nec quicquam post nauticæ rei eo bello est actum. Verùm interea apud Brixiam majore expeditione certatum est. Angelus, ut ante diximus, cæterique nostri ductores ad hostem transierant, nec invento, Brixiam obsidere parabant. Quod quum pæne statuerent, Carmagnola, qui ad eum diem restiterat, profectus ex Mantua maximis copiis, in Brixiensem agrum vênit, super duodecim equitum millia, ac plus tantundem peditis secum trahens, quibus ille copiis, ut quæque tentanda videbantur, omnibus locis deditiones explorat. Hinc ad Montemclarum vertitur si quid forsan fœderibus respondere vellent. Nihil verò ab illis pacatum, ut qui Philippo inter cæteros essent fidelissimi. Nec ratus terendam munitis tam firmo loco obsidionem, Gotholengum aliud Brixiensis agri municipium vertitur, ut multi putant, per dolum vocatus. Id verò in castra Philippi perlatum spem dedit alicujus bonæ rei opus agi posse. Eò itaque missus cum septingentis equis Guerrerius, atque ille jam prono in extremam vesperam die castrum est ingressus, consultò quidem, ne lucis claritate vulgaretur. Complures item è castris, præcipuè qui lanceas partitas ductabant, atque inter hos conspicuus Nicolaus, ut quique voluere sequi: edictum sociis, qui & reficerent corpora, & in armis, atque equis parati essent. Postremo, qui erat Ascensionis dies, horâ ferme nonâ Carmagnola cum omni exercitu in (1) conspectum est factus, nihil suspicans hostem paratum esse. Itaque plurimi ex equis ad terram superque herbas dant corpora, omnes itinere, ac sudore affecti; nec hominibus, nec equis, aut jumentis certa erant retinacula, objectis quoque armis, strati passim ad umbras erant. Id ubi Nicolao planè animadversum est, ut erat omnibus paratis, passis habenis in hostem effun-

(1) P. conspectu.

effunditur, latèque tumultu facto omnem Carmagnolæ exercitum dissipat. Paululum tamen restitit cum suis Johannes (4) cognomine familiæ Strozzius, Florentinus civis, etiam militari ordine insignis. Hic ante paucos dies Ferrariæ sponsam duxerat, unde à Marchione in auxilium Venetorum in castra erat missus quadringentorum ferme equitum turmas agens, ut qui se pro partibus in eam expeditionem voluntarium obtulisset. Non nihil igitur certamen substinuit, ac dum pro partibus paulò ferociùs in pugna elaborat, sive inconsultus virium, sive laborum insuetus, inter equorum stragem obrutus est, cæterique eodem tumultu fusi. Potuit eo die nullo dubitante omne bellum profligari, tanquam ipsa fortuna ad Philippum venire cuperet, Florentinosque ac Venetos in unum conferre, si cum uniuerso exercitu in eum locum castra convenissent. Initium ejus pugnæ ex turmis, quæ familiares dicuntur Philippi, ortum est; nec aliud robur plus valuit, atque inter illos eo die mixtus est Lavellanus, nam suos apud Franciscum dimiserat. Hunc sanè ajunt in ea pugna septem rudes contos inter acies hostium perfregisse. Singularis verò Torellini filii Guidonis virtus, lausque eminuit. Hunc adolescentem vix dum duodevigesimum annum agentem pater ipse armatum impositâ dextræ lanceâ sæpiùs in confertum hostem emisit. Id verò speciosum cernere in armis puerum ante paternos oculos paternis monitis pugnantem. Fuga omnium latissima, ut referatur Carmagnola postridie hominem patibulo impendisse, qui pluribus locis vulgaverat, captum omnem Venetianæ cohortis exercitum. Equidem super quingentos ac mille ex certamine dicuntur capti. Qui terror eo valuit, ut Carmagnola statueret, non ultra rem fortunæ committere; nec nisi salvis munimentis exercitum ducere, ita ut ne invitus in aciem trahi posset. Itaque ut est ex eo vulnere refectus (nempe vi pecuniæ in dies castra recentibus conductitiis augebantur) iterum se in apertum dedit, verùm ita ne facilè posset ab hostibus tentari. Nova quidem facies castrorum. Exercitum carpentis circumdedit, quæ mutuis vinculis connexa erant extrinsecusque asseribus obtecta superjecto levi aggere, quem, ubicunque morati essent, subitò effodiebant. Super verò dati singulis carris terni defensores, qui balistis, & omni genere missilium hostem arcerent. Immenso detrimento id erat omnibus agricolis Venetorum; cogebantur enim cum carris bobusque adesse, non tamen id tam inutili, quàm fortasse rudi ingenio factum est. Sic ferunt solitos munire castra Gallos, quos olim Marius sub nostris Alpibus confecit. Atque ex eo fiebat, ut & commodiùs castra mutarentur, & munimenta omnia possent circumferri, & ipsi interim castris positis tuti essent. Hoc modo septus ad Ollium flumen contendit, quà in Cremonensem agrum iter erat. Ibi municipium, quod illi Bina vocant, plerosque dies obsessum atque expugnatum capit. Hinc fluvius ponte jungebatur, quem transgressus ad Cremonam vadit, Pado tamen quo potest propiùs, ut expeditiores sint commeatus. Id ubi Philippus audivit, non ultra morandum ratus, ne hostis Cremonam occuparet, magno Mediolanensium civium numero comitatus in castra proficiscitur, seque intra Cremonam cum custodibus corporis locat. Castra medio ferme ad tertium lapidem posita. Ibi indignum visum ductoribus Philippi, non aliquid certaminis præsente illo fieri. Erat autem utrinque numerus hominum, quantus vix ullo Italico bello memoriâ patrum referatur. Nempe super septuaginta millia parvo Cremonensis agri spatio. Ex his sanè plus viginti millia equitum. Eo igitur inter Philippi conductores statuto, quamquam minores ut semper numero erant, ante missis aliquot vastatoribus, qui fossas explerent, ad castra hostium procedunt. Verùm ea difficili loco continebantur: fossatum paulùm distans ab castris erat, id Carmagnola subrutis aggeribus prælatum infoderat; introrsum inde aliquanto agri medio circum castra carri, ut ante diximus, cum sarcinis in modum valli erant. Carmagnola, ut videt Philippeos ad fossam constitisse, disclusis aliquot carrorum impedimentis, jusso ad arma conclamari, complures acies extra vallum, verùm intra ulteriorem fossam dirigit. Uno ponte fossa transitum habebat, quem utrique ab hoste pervadi expectabant: præcipuè verò Guido, vir ferè in armis senior, Philippeos continebat, ne pontem evaderent. Victoriam in manu esse, si prior hostis transisset. Hoc modo utrique cunctabantur, cùm idem videretur Angelo non esse ultra fossam progrediendum. Non sustinuere cæteri moram, quin vel intra vallum si residerent hostes, decernendum esse. Datum id operæ, Antonello Mediolanensi, qui dum certamen ex aliis ferveret, ipse quàcunque posset in castra atque in signa hostium evaderet. Nec moratus ille, ubi videt Franciscum, Ardicionem, Christophorumque pugnam conseruisse, ad lævam flexus per malè vinctos, neque defensos carros castra ingreditur, moxque ad signa contendit, omniaque in ipsis tentoriis perturbat. Grave certamen pro tempore, ac numero fuit, nec pæne dubium, quin si cæteri essent secuti, insignem eo die victoriam relaturi ad Ducem fuerint. Et pro castris, & intra castra simul pugnabatur; rem prosperam animus plus numero faciebat, tanquam essent ad Philippum cum trophæis redituri, qui nunquam soleret irremuneratos, benevolos, ac benemerentes dimittere. Carmagnola ut videt in castris quoque tumultum fieri, maximique periculi rem fore, si in aciem totus hostis veniret, paulatim suos pugnando in castra subducit, atque ita non multo post secretum certamen Antonellus multitudine circumventus, vix tandem factâ ense viâ cum parte suorum castris egreditur, plerisque interceptis, quos illi per tentoria sparsos comprehenderunt. Ex acie tamen (5) Franciscus cum ceteris incolumis, victorque abscessit, omnesque ita ad Philippum alacres sunt reversi, nam & secum super quingentos equites ex hoste abduxerant. Postridie Carmagnola castra retro movet. Philippus literis acceptis, quòd Saboji in Vercellensem agrum excurrissent, Mediolanum ex castris revertitur. Inde quoque Ladislaum filium Lucani domini, quem ante stipendiis conduxerat, adver-

(4) P. cognomine Strocius.

(5) P. Franciscus incolumis.

adversùm Sabojos mittit. Franciscus ad Binam profectus obstinato certamine ante alterum diem Castellum recepit. Ibique aliquot peditum quòd acriùs restiterant, obtruncati. Eòdem reversus post paucos dies Carmagnola idem efficit. Ita non acie, sed tanquam dolis certabatur. Hostes quotidie novis stipendiis crescere, quibus tandem Carmagnola fretus cum omni exercitu ad recipiendum Casale contendit, jussis venire eòdem navibus, quæ in flumine erant. Impositus præsidio Antonius Pisanus quadringentorum numero oppidum servabat, adjecto Petrino cognomine Turco, fortissimo equitum cum plerisque sociis. Carmagnola ubi videt obsidionem parum valere, nec posse hostem muris pugnando dejici, fixis undique tormentis mœnia per diversas partes concutit, donec porta, qua ad Padum itur, lapidum ictibus prostrata corruit. Quamobrem veriti oppidani, ne irrumpentibus præda fierent, adversam partem hostibus aperiunt. Ibi captum omne præsidium, ipseque Antonius cum Petrino, ac plerisque fortioribus jussus in vinculis servari, nec ante finem belli est liberatus. Nam Venetias ductus in publicum carcerem missus est, mox cæteri pro consuetudine bellantium sunt dimissi. Unum erat interea in Castris Ducis malum, ductorum discordia, idque ex superbia profectum. Nemo sibi alterum præferri patiebatur: facta invicem, ac merita objectabant; Guido, quòd Classem in Neapolitano Regno ductavisset; quòd paulò ante in Tuscia arma victoriosissimè rexisset; denique quòd Philippo tot jam annos militiam præbuisset. Nicolaus & veterem cum Braccio exercitationem, & diuturnam in armis experientiam, præterea robur turmarum suarum, quarum magnam partem ex Braccio hodiernæ militiæ magistro retulisset. Franciscus & animo, & viribus insignis, paternam quoque famam, ac totius familiæ nomen, quòd patrui, & propinqui ductores in armis essent, memorabat, adjecto trium fratrum numero, item sociorum omnium juventutem ostentans, qua nulla esset in castris illustrior; tum quòd solus ab initio Brixiam tenuisset, quam post cæteri repudiatis suis consiliis amisissent. Angelo & memoria cæsorum Svetiorum, & disjecti exercitus Florentini cum capto Karolo, ipsaque ætas in armis acta, geminis item adolescentulis septa auctoritatem dabat. Super omnia verò quod illum Philippus suo nomine Castris præfecerat. Contra apud hostes omnia quieta erant: uni Carmagnolæ obtemperabatur, sive ille Franciscus Mantuæ Dominus, sive Antonius Faventiæ, sive Johannes Camerini, sive duo Cotognolæ, propinqui Francisci, Micheletus, & Laurentius; nemo tamen unius ductoris Imperio repugnabat. Ipsi quoque Venetorum, ac Florentinorum vocati Commissarii Carmagnolam audiebant. Neque ille is erat, qui datam potestatem non omni cum arrogantia regeret. Solus alienior Paulus Franciscus vel familia Ursinorum, vel armorum virtute, vel quem in illis castris numero alarum æquaret nemo. Hic nonnunquam de pari hujusce dignitatis jure succertabat. Præter id malum alius in castri Philippi morbus erat, plerique dudum Carmagnolæ, quum Mediolani apud Ducem esset, obnoxii fuerant, quæ consuetudo nunc ferme etiam tepidiores reddebat. Id in Sicco apparuit, qui quondam fortissimus tanta ediderat, in his castris nusquam est auditus. Philippo quamquam hæc nota erant, nec aliud tam fortunæ suæ obstare, nulla tamen ratio succurrebat, qua huic malo mederetur, id præcipuè caventi, ne, dum nimium uni traderet, alios, qui se æquè amari existimarent, ab officio averteret. Ac fuit hæc familiaris Philippi inter suos ars, ita erga singulos agere, ut quisque se aliqua in re alteri cuique aut parem aut præhabitum existimaret, ac neminem apud se habebat, quem non ipse dicam creavisset, ac propriis beneficiis aluisset. Id verò ductoribus suis obesse credidit, quod nemo alterum multo plus nobilitate superaret; itaque ex eo consilium capit, quo nullum poterat infestius accidere, aut sic forsan ducebant fata. Karolum Malatestæ Pensauri filium accersit, maximaque comitate ac liberalitate acceptum tandem castris præficit, quasi nobiliorem cæteris ipsa familiæ dignitate honori habendum. Cæterùm deerat nobilitati ingenium, qui nec ætate adhuc posset, nec forsan ingenio ita valde esset præditus, nec quod eo tempore, ac periculo pernecessarium erat, arma unquam expertus. Itaque designatus imperator ex uxore, quam cum liberis Mediolanum duxerat, vènit in Castra habitu potiùs splendido, quàm satis ad bellum parato. Idque non minùs apud hostes, quàm inter suos animadversum. Ejus soror erat uxor Mantuani. Aliquot dies utrinque terror fuit, intento in unam rem Carmagnola, si quam fortè occasionem temeritas hostium daret. Nec diu fortuna consilio materiam distulit. Nihil enim (6) ignotum erat illi, quàm malè in adversis castris conveniretur. Alii standum, alii prodeundum, ac pugnandum censebant. Interim Carmagnola incertum suum iter ostendit, præcipuè tamen videbatur ad capiendum, aut obsidendum Iseum iturus. Quod quum nostri crederent, quotidie vocante Karolo armabantur, parati ut hostibus occurrerent. Id plures dies continuatum gravi exercitus incommodo; cogebantur enim in equis & armis, usque ad fervidum solem stare, atque in mediis campis, qui in ea regione sunt patentissimi. Tandem apparuit ea omnia dissimulata esse, quod ita egerat Carmagnola, ut hostem simul & luderet, & suis viribus fatigaret. Tum cum omni exercitu Machalodum contendit, in speciem ejus Castelli oppugnandi, ut eò hostem converteret, ac propterea minore cura munita castra, quo avidiùs iretur. Parum inde Philippi Castra aberant. Verùm quod medium erat, iter latè paludibus ac stagnis tenebatur. Sola supererat via paulò erectior, qua procederetur. Fremunt in castris protinus eundum in hostem, qui tam propinquum municipium velut per opprobrium petere ausus sit, nec deferendos socios, qui tam pertinaciter oppugnentur. Guido, atque Angelus omni conatu id dissuadebant, aut certè alio itinere, quàm per rectam viam hostem petendum. Horum Karolus nihil audiebat. Itaque, ut visus est dies, conclamatum ad arma; ipse parat

(6) P. ignoratum.

A parat Angelo, ac plerisque renitentibus, proficisci. Denique minatur se solum cum signis ad hostem iturum. Nicolaus quoque & Franciscus simili clamore pugnam ardebant. Guidonem ultro, ac cæteros, quorum de manendo erat sententia, ignaviæ (7) incusantes. *Ergo*, (ait Torellus) *Philippum hodie evertimus. Si sic statutum est, in hunc hostem, atque hac via eatur. Ipse quidem certus sum, insignem fore hanc cladem, & nomini nostro, & fidei, atque item Duci, cujus salutem, & gloriam tuemur. Ac si ego id nequeo, hoc saltem gloriabor, restitisse cupientibus perdere: nempe aut ipse nihil armorum novi, aut hæc via ducit ad interitum præcipites, nec hostes vestri aliud*
B *expetiverint, quàm vos in has angustias perducant, tum ne hæc existimetis per timorem* (8) *potiùs quàm ad salutem loqui, en ego primus iter in eo prudens, ac sciens vobis ipsis testibus pedem in hunc laqueum dimitto*. Hæc dicens socios ad destinatum iter vocat, utque pro importunitate loci potest, quasi ituros in aciem digerit. Jam Karolus cohortes peditum malè ordinibus divisas præmiserat, subjectæ his alaris equitum turba levioris pugnæ, ac detrimenti, qui primi ubi ad manum venirentur hostem lacesserent. Ipse cum suis (minus trecenti erant) sequebatur. Guido interim denso suorum agmine procedit; sic cæteri cum Francisco ambulabant. Ultimus Nico-
C laus exercitum cogebat. Ut cœpere autem proficisci, simul & hostium ductor, tamquam voti compos (jam enim impeditos cernebat) & ipse suos ad occursum parat: alios verò diversis callibus dirigit, qui in itinere ubicunque statuit aggrediantur. Vias quoque per noctem fecerat certis locis exstrui, nunc depressis foveis, unde ad latus in meliores campos exitus fuisset, nunc obstrusis, unde in stagna iretur. Ubique Torellus equitans digito dolos ostendebat, paratosque ac dispositos locis equites, qui impeditis occurrerent. At jam ruebant, capiebanturque primi, quum error est intellectus. Ductor ipse vix priùs venisse ad hostem, quàm captus fuisse audi-
D tur: nam ut in procurrentes incidit, mox captivum sese tradidit Mantuano. Haud parum id omnium animos tremefecit suspicantium in exercitu inter ductores aliquid perfidiæ esse. Jam robur eam viæ partem tenebat, quæ gravioribus stagnis obsidetur, tum itaque ex omni parte equites, peditesque dimissi comprehensos adoriuntur, nec aut stare, aut pugnare poterant, nec sanè ad (9) evadendum locus erat. Ibi Carmagnola complures acies opposuerat; si qui in agros evasissent, hos alii per cuneos dispositi excipiebant, subjecti sepibus, ac lateribus viarum jaculatores, ac balistarii stantes in via nunc equos, nunc viros vulnerabant, transfodie-
E bantque. Excurrentes sæpe inter stagna vinciebantur. Torellus ubicunque poterat suos hortabatur, tandemque invento angusto calle, huic se committit, filium immotis vestigiis sequi jubet, indeque comitantibus fugam paucis evadit. Pugnæ paululum ad latus Francisci restitit, valida enim juventus erat. Ut cuique dabatur locus, nunc pedibus, nunc in equis pugnabant; coactus tamen ipse quoque pugnæ cedere, seque, ni cum cæteris capi vellet, quacunque fuga eripere. Jam hostes

(7) *P.* accusantes. (8) *P.* magis.
(9) *P.* prævalendum.

Nicolai turmas præverterant, ibique magna vi pugnabatur; ubi verò (10) se ille vidit in tanto discrimine proficere, suorum, qui ferme pauci restiterant, coactum agmen efficit: *Hàc*, inquit, *Viri per ferrum via est, contos in hostes atque amicos dirigite, quisquis in via offenderit*. Ipse præcedentium, ac sequentium medius receptus tanquam impetu fulminis aufertur, nec ausus quisquam venientibus in via obsistere; angustiæ enim paucis æquè ut multis pares erant, hoc modo tentatis omnibus, ipse quoque effugit per medios pæne hostes, qui jam in tergum venerant; via cuspidibus patefacta; reliqua omnia hostium fuere. Tot Ductorum sarcinæ, quarum infinita supellex erat, direptæ. Equi domestici, galeæ argento atque auro cristatæ, tunicæ ad pompam insignes, sericatæ phaleræ, aliaque ejus generis ornamenta, ac munera, quibus omnes ab Duce Philippo ditati erant: capti ferme super quinque equitum millia, nec minor peditum numerus; cædes nulla hominum fuit, impediti potiùs quàm perfoderentur, sese tradebant, ut sanè qui affuere referant neminem audisse occisum (mirum dictu!) in tanto certamine. Verùm id constat omnem Philippi exercitum armis semper instructissimum fuisse, ut (11) ne ad parvum ictum occumbere possent: nec tamen est qui in Italia hoc tempore armatorum cædem viderit; incredibilis equorum strages fuit: horum quidem prima erant vulnera, sive inter vias peditibus ex occulto latera ferientibus, sive egressi per stagna transfodiebantur. Memorabilis quidem, ac tristis casus Philippo. Iidem verò qui vicerant, victoriam damnabant, tanti Ducis periculum miserantes, ut multos audire posses per castra Venetorum, qui rem converti optarent. Itaque per noctem qui capti erant passim inermes dimissi. Manè Commissarii ad Carmagnolæ tentorium conveniunt id ipsum querentes, quid enim opus esse bello, quandoquidem aliud nihil agitur, quàm ne bella unquam finiantur, dum victus eadem die in libertatem redit; non exercitum Philippi ea nocte, sed ipsum Philippum è vinculis dimissum. Hæc questi abiere. Ductor quasi facti inscius suos interrogat, quidam fit de captivis factum. Respondent, omnes ferè ab sociis dimissos. Vix quadringentos in castris apud quosdam partium fideliores restitisse. *Ego*, inquit, *si cæteris nostrorum benevolentiâ ea fortuna contigit, istos quoque jubeo solita lege dimitti*. Karolus ipse apud sororis virum restitit, nec sinè gravissima omnium suspicione, si quidem illi sua stetere integra, ac plerique ferunt non in acie sed in Domo, in quam (12) se initio certaminis receperat, captum. Tubicen ante quatuor jam dies continuò in castris visus pressa ad humerum manu: *captivus es*, inquit, *Mantuani*. Atque hoc modo juvenis nobilissimus & se, & exercitum in potestatem hostium dedit. Quod pluribus credi facit ratio vindictæ, tanquam eo pacto voluerit, acceptam Gradariæ injuriam ulcisci. Nos verò id medium relinquimus. (13) Hæc nuntiata Philippo animum gravibus curis incenderunt, qui tantum detractum rebus suis videret, nec facilè superesse reficiendo exercitui sumptum; quin præterea summum fore ex

(10) *P.* se ille vidit nihil in. (11) *P.* nec.
(12) *P.* initio. (13) *P.* ut fabulis simillimum. Hæc.

[illegible] hostibus periculum, si præsentem fortunam armati, & victores sequantur. Hoc tamen pulchrum, nosse ingenitam strenuo homini virtutem. Non enim corruit in tanto periculo animus. Allatum ferunt nuntium, [illegible] mensam peteret, dictum illi: *Hoc Phi-[illegible]onis, exercitus tuus fusus est*. Non ultra [illegible], quàm quid de ductoribus accidisset. Responderunt, salvos omnes; verùm, quo ruina quemque tulisset, dissipatos. *Non igitur*, inquit, *cecidimus toti. Juvabit iterum Deus, ut quoquo pacto omnibus periculis occurratur*. Nec tristior in cœna visus, animo tamen providet, quid sit in tempore faciendum. Mox itaque jubet coëmi arma, quæ ad exercitum deportentur. Atque ego, quod in eo negotio factum est, dicam. Mirum fortasse cuipiam videatur, inventos Mediolani duos armaturæ opifices, qui sibi curam armandi exercitus sumpserint; idque intra paucos dies factum: armati duorum Civium [illegible] equitum super quatuor millia, ac dimidium militis. Conquisiti inde jussu Philippi in omnem provinciam veluti per delectum equi, ductique in castra, atque, ut oportuerat, in equitem divisi. Sic non multo post iterum apparuit exercitus. Nec Carmagnola interim quievit, circumlato per municipia exercitu, quidquid ferè in planis Brixiæ superest capit; Ac præterea Monsclarus tertio jam anno frustra oppugnatus tum demum in potestatem vênit. Ex eo ad Urcenses in Brixiensem agrum progreditur: primùm quidquid est vastat, nullo omisso oppugnationis genere, nec dies, nec noctes quietos sinit. Multi ictibus missilium utrinque cadunt, denique obruta parte muri capiuntur, coactique oppidani sese ab rapina pretio per capita redimere. Sic deinde Pontolienses occupat, multaque alia ex ea parte Cremonensis agri, ut quique minùs viribus fidebant, imperium accepêrunt. Vulgò putant fuisse Carmagnolam omnium potiturum, si mox habitâ victoriâ ad mœnia Mediolani properasset, itaque in ea re veteris amicitiæ memorem Philippo operam præbuisse. Ipse potiùs crediderim noluisse post tergum ductores relinquere, qui forsan collectis reliquiis castrorum omnia capta perturbarent. Flumen quoque Abduæ transeundum, ubi tamen frequentiora sunt, ac valida populis municipia. Ibi dicta Abduæ Glarea, Caravazii, Triviliani, Cremenses, tum in citeriore ripa Cassani, Tricienses, atque alii non insueti bellis, per quos ultra flumen eundum erat; ne dicam cui populo sub mœnibus occurrendum, nempe ut facilè existiment posse in ea Civitate super triginta hominum millia armari. Nec tamen ab exercitu Philippi multum prohiberi poterat, quin populis Carmagnola bellum inferret, eum, quem ante diximus, castrorum morem servans, ut ne pedem nisi vallatus munimentis afferret. Crebrior fiebat circa ferendos commeatus pugna, infestis undique Philippeis, ut nusquam liceret tutò vagari. Quin etiam Brixiensis unà cum Nicolao (non enim quiescere poterant) Pontolium proficiscuntur, si quid fortè fortuna afferret: modico præsidio id municipium servabatur. Nocte igitur profecti; ubi prima luce in conspectum custodiarum venêre, Nicolaus paulò longiùs restiterat, occursurus, si socii premerentur. Custodes moti cæteros ad arma concitant, primòque instructi testudine in hostem vadunt. Pauci enim cum Brixiensi apparebant. Ibi pro portis conferta pugna; qui ex castello venerant, repelluntur, ac sensim cedunt; insequentem quoquè hostem (tantus fuit Brixiani ardor) refugientes introduxere. Tum inter portas acervata pugna, succurrente undique præsidio, (14) Brixianus pugnans juvenem ad Nicolaum, ac socios mittit, qui se ociùs capto castello inferant. Ipse, quoad viribus potest, certamen sustinet, donec frequentiore hoste ad portam rejicitur, ubi quum in limine acriore pertinacia, ne totus ejiceretur, dimicaret, supernè ictus gravi saxo exanimis cecidit; ad quem casum ceteri perterriti ad occursantem Nicolaum refugiunt. Illi occlusis valvis sese in muris disponunt. Nicolaus audita morte juvenis, ut videt nihil agi posse (nam imparati ad oppugnationem venerant) paulùm inter dolorem moratus, regredi statuit. Priùs tamen orat ducem præsidii, qui corpus sepeliendum reddat, obtestatus, pollicitusque omnia, quæ per officium liceat hostem hosti referre. Eo impetrato mœrens ad suos revertitur, ibique publico conspectu tumulatum corpus, atque ipse juvenem, ut est Perusinâ linguâ non incultus, militari collaudatione est prosecutus. Hic pæne finis certaminum ex eo bello fuit: Nec destitit fortuna aliis locis partes Philippi incutere, tanquam his rebus finem facere cuperet. Per eosdem enim dies Angelus Bergami subito, ut ajunt, venarum stupore correptus inter cœnandum occubuit. Tres præterea ductorum Fabricius, Siccus, Antonellus, diversis locis, ac morbis periere; quorum post Philippus turmas, ut visum est, in cæteros tribuit. Ex Angelo tamen duo filii in armis superstites, nam tertium Episcopum Parmensem dederat: qui fuerat Papiæ in literis educatus. His igitur paternos equites paulùm imminuto numero collocat; parùm verò tum armis opus erat, (15) cùm apparente hyeme quiesceret. Per eosdem dies mortuus Papiæ Hericius ille, cujus, ut ante diximus, adversis Carmagnolæ auspiciis hoc bellum exortum erat. Quæ dum accidunt, missus iterum ab Romano Pontifice Nicolaus Ferrariam, quò Venetorum, Florentinorumque ac Philippi legati convenerant; de componenda pace agebat, commonitis benigna oratione partibus, ut ab armis discederent. Nec speranda omnia Veneto, tametsi tanta quæsiverit, qui adhuc Philippum videat non spirantem modò, verùm etiam renitentem, resurgentemque. Nam dicebatur quòd Jacobus Isseus ex Gallia cum sex millibus conductitiorum equitum reverti. Ferebantur & ab Sigismundo Ungarorum Rege auxilia venire, quamquam ea per totum bellum expectata, sæpeque in speciem jactata, quum etiam misso Brunorio Philippum toti Italiæ, quantum ad Imperium spectare diceretur, delatis Aquilis rectorem præfecisset, jam pro vanis habebantur. Sed erant in castris adhuc hi rectores, (16) qui quod reliquum esset belli haud difficilè administrarent. Hæc atque alia Nicolaus Venetis mo-

(14) P. Briscianus juvenem.
(15) P. quum appetente hyeme quiescerent.
(16) P. quidquid.

morabat; itaque debere esse contentos quæsitis, ac velle superiorem pacem constare; satis esse ad gloriam, quòd hostem pæne ad deprecandum veniam perduxissent. Nec Florentini abnuebant, quin planè fateri se eo bello confectos, nec ultra ad impensas sufficere, præsertim quibus nihil emolumenti ex his, quæ citra Alpes compararentur, accederet. Idem Nicolaus Ferrariensis precibus orabat. Dum Sabojo datis Vercellis jam pax redempta vulgabatur. Soli ad id Veneti inexorabiles erant; quid enim oportuisse bellum geri, atque iterum vincere, ut anteacta fœdera valerent, aut finiendum bellum, aut instaurandam novis compendiis pacem. Incredibilis pecuniæ numerus jactabatur, quæ esset in hoc bellum refusa, ac necessarium factum Venetis negare eo anno reditus, quos ex publico velut antiquum vectigal sub fide tribuunt. Itaque præter Brixiam cum omni agro Cremonam item, & Bergomum cum agris suis velle. Demum ita opus esse Philippum demitigari, ne unquam adversùs Venetianum nomen audeat; enim verò id universis sociis, nec minùs ipsi Florentino indignum, atque iniquum videri. Jamque apparebat de pace actum, ni Veneti fœderum Domini conditionibus remitterent. Denique occurrentibus undique precibus, Nicolaoque auctoritate Martini interposita vehementiùs instante, in eum locum res est perducta, ut sibi haberent Veneti præter Brixiam quidquid Cremonensis agri ad ipsos spectet. Dein Bergomum cum omni agro usque in ipsum Abduæ Flumen demptis fortioribus castellis, A Leuco, & aliis, quæ ante diximus, Philippo restitisse. Florentinis id solum datum, liceret propriis signis per Etruscum mare navigare, nam antea nequibant, præterquam Pisanum vexillum in mari efferre. Sic ante aliquot annos cum Genuensibus coacti pepigerant. De sociis id statutum, quod ipsi vellent, quibusnam potiùs adhærerent; omnes pæne ad Venetos, quò victoria ierat, concessere. Nuncupati igitur Ferrariensis, Mantuanus, Ferratus queiscum pax facta intelligeretur. Sic super Parmensem agrum Pallavicini, ac Peregrini Comites Venetianum nomen tenuere. Inter juga Apennini Ligures, quòd pæne Tuscos se habeant, cum Florentinis in pacem venerunt. Hi erant magna ex parte exulum Genuensium factio, quæ Adornorum ac Fliescorum familiæ dicuntur. B Noluere Florentini Lucanum inter fœdera conscribi. Ejus filius Ladislaus cum Philippo militaverat, egregiamque operam Sabojo oppositus perfecerat; polliciti tamen sunt Nicolao per se protinus recommissum habituros, atque id paulò post fœderibus conventum. Ita cuique partes pacis pro meritis ac fide distributæ. Quibus rebus mox reversis ad Philippum legatis ipse auctor factus est. Notatum hoc bello quòd Philippum dixisse ferunt, quatuor Franciscos præcipuè suis fatis obstitisse. Unum Venetiarum Ducem, qui Cives ad bellum impulisset: Alterum Carmagnolam, qui ductor in bello fuisset: tertium Mantuanum acriorem ad id bellum opportuno: Quartum navium rectorem, qui viam infortuniis aperuisset.

F. B. ANDREÆ PATRIÆ HISTORIÆ LIBER SEXTUS EXPLICIT.

INCI-

INCIPIT SEPTIMUS.

A Non poterat quidem ex ea pace fieri, ut essent omnium animi pares, quicunque paci interfuissent, quippe quum victor ultro leges dedisset, victi accepissent: id verò humanis animis naturâ inest, ubi quid vel indignum, vel violentum contingat, id modò, si necessarium sit, ferre, non ultra quàm fortuna jubeat perferre. Manent infixi pectoribus stimuli, qui & de præteritis duras pœnas exigant, & ad futura mordaces solicitent. Tum si quid superbiæ inest, ea convigilat, ut nihil minùs pressorum, quàm superantium moveantur animi: B hoc tamen quietior (1) est vincentium, quo minus agit verecundia. Itaque videres (ut ipse in faciem sum expertus) Florentinos habitu ipso superantiores videri. Venetis præter eum morem ingens quoque lætitia erat, qui tantum terræ veteri imperio adjecissent. Nonnulli etiam jactabant rite ex Venetiano nomine accidisse, quum ita inveniretur antiquis literis scriptum Bergomum Venetiæ oppidum esse. Itaque non tam alienum tulisse (2) Venetos, quàm jus suum repetisse. Carmagnola item triumphabat, non qui modò Uxorem cum omni familia ex fœderibus pacis recepisset, verùm etiam represso Domino & C partâ tanti belli gloriâ, præpetulans: simul cum his apud Venetos gloriosus, in totaque Italia solus & videbatur illustris. Præterea, quòd illi nobilitatem afferebat, desponsa Ludovico filio antiqui Jacobi Vermii filia. Non idem Philippo animus, præsertim cui adhuc Veneti de rebus minimis Bergomensis, Cremonensisque agri lites intenderent. Postulabant in ulteriore ripa (3) Abduæ turrem ob Tricium positam, quam olim pons castello jungebat, ob eamque rem, tanquam maxima foret, sub eodem Nicolao judice Ferrariæ causa per legatos agebatur. Itaque factus ex illo Philippus suis acerbior, nec quicquam D Mediolani aut in reliquis ditioni subjectis ex solitis tributis remissum, tanquam illorum culpâ res dejectæ essent. Visum præterea amicis, quia ultra quàm unquam fecissent ad rem Uxoriam hortarentur. Venêre ad id multorum Principum literæ, supplicantes id vel nobilitatis gratiâ, vel familiæ beneficio, vel præsidio suorum, quos posteritate adjuvaret, vel demum securitate jucundioris vitæ faceret. Quibus adhortationibus tandem victus passus est de ea re mentionem fieri. Nec difficilè inter primos Amadeus annuit, qui filiam daret. Missus ad eam rem Bartolomæus Archiepiscopus, decretusque dies E nuptiis. Abiati erat in secessu. (4) Rebeccum tribus millibus propinquum cùm puella à fratre, magno procerum, ac nobilium comitatu, est perducta. Cæterùm hora expectabatur. Eam Stephanus mathematicus, cujus generis hominum ille observantissimus est, condixerat. Quæ ubi advênit, utrinque ex suis locis in designatum agrum prodeunt. Res spectatu digna! Puellam equo frater regebat. Huic factus dux obvius, data, ac reddita salute, paucis primorum circumstantibus, annulo sponsam facit, raptimque equo, relictis illis, provehitur. Placuit quidem puella, ac proinde visus non nihilo lætior, moxque re audita nuptiæ omnibus locis celebratæ, ut vix sumptum atque apparatum credas. Indotatam accepit uxorem, nec sibi ex eo fœdere poposcit Vercellas reddi, uxorem dicens, non dotem quæsisse. Candidissima erat puella, atque ea facie, quæ planè Duce digna videretur. Nec sanè illius magnificentia congruis ornamentis defuit. Verùm quod præcipuum erat, id minuit alacritatem, non esse Mediolani, ut frater appetebat, celebratas nuptias. Infaustum multis omen, quòd primùm pæne inter saltus convenissent. Conjugium tamen delectabat ob renovatam cum veteri amico concordiam. Ac vulgò memorabant aviam Philippi, quæ hujus Saboji patris soror fuerat, fœmina, quæ Philippi patrem ejusmodi (5) virum peperisset. Cæterùm de hoc conjugio ista satis fuerint. Nunc parumper aliena inseremus, præsertim quæ ad Ecclesiam visa sunt (cujus ferme casus haud parum momenti cæteris rebus afferre solent) pertinere. Post igitur eam pacem, quam inter Philippum Mediolanensium Ducem, Florentinosque, ac Venetos, & omnem ejus belli societatem, quod ante habitis voluminibus jam retulimus, Nicolaus auctore Martino Romano Pontifice composuit, brevissimum secutum est armorum silentium. Dux quidem reficiendis copiis intentus erat, quibus vel reliquam imperii potestatem contineret, ac servaret. Nam Brixia, ac Bergomum pacis illius fœderibus ad hostes concesserant. Illa ferme initio belli deditione proditorum capta; istud extrema pace ad redimendam vim concessum. Florentini quoque restituendis damnis vacabant, quibus per omne bellum pæne erant consumpti. Veneti item sive aliam occasionem expectantes, sive quæsitis rebus contenti, sive & ipsi tandem eo bello fatigati, cum suo Carmagnola primo illius belli auctore ac Duce quiescebant. Omnes tamen conversi quisque in suos, ita ex Vectigalibus alia vi exigebatur quicquid bello depensum erat. Clades pæne tristior, quàm in ipso belli tumultu erant passi. Soli Bononienses ex eo bello locupletes facti, quippe quum Philippus in Tuscia bellum gereret, crebrò euntium ad bellum ex Lombardia, aut redeuntium comitatu nunquam Bononiæ ab convenis cessabatur. Urbs præterea opportuno loco sita, vix ut possis intro (6) in Italiam non ea ingredi. Itaque fiebat tanta procursantium frequentia, cùm omnes unà belli partes admitterent, quicquid aliunde expilabatur, eò congerebatur. Hæc verò communis labes, Civitates haud minùs corrumpi successu, quàm calamitate affligi. Id Bononiensibus quoque evênit, nihil ut minùs quàm pacem durarent, cujus ferme beneficio in eam opulentiam venerant. Civitas quidem Ecclesiæ nomine regebatur. Ludovicus

(1) *P.* vincentium, quod minus angit.
(2) *P.* quàm.
(3) *P. & N.* adhuc.

(4) *P. & N.* cùm puella Rebecum tribus millibus propinquum, à fratre &c.
(5) *P.* peperisset. (6) *P.* intra Italiam.

eus Sabbatienſis legatus præerat : ſumma interim, vel quod ad Cives, vel ad rectores attineret, innocentiæ, & æquitatis negligentia. Aliud quoque malum Civitatem in exitium urgebat, quòd in diverſas factiones diviſi erant. Canneruli novi homines novis quoque opibus, ac viribus confidere. Baptiſta unà & fratres factionis ſuæ duces erant. Bentivolii altera factio. Primus Antonius ſolus ſuperſtes filius Joannis, qui quondam dominio prolatus, quum ſeſe Florentinis adjunxiſſet, patris Philippi temporibus trucidatus Civitatem amiſerat. Utroſque ita ceteri quique ſequebantur, quamquam Antonius Romæ apud Pontificem, ne domi ſeditionis cauſa fieret, amici ſpecie tenebatur. In Civitate ſimul partes erant, ita ut tumultum pariter exſpectare viderentur. Acriores tamen ad injuriam Canneruli, quorum duces domi eſſent; alterius enim partis nullum præſens, nec ſatìs certum caput, tametſi optimi quique ac nobiliſſimi ſeſe in eam partem contulerant, præcipuè qui ad Orientem Civitatis habitabant, Oſulani, Mancioli, Lambertini, Aloviſii, Malveziique. Illinc Pepuli, una in civitate domus vetuſtiſſima, ac celeberrima, novis affinitatum pignoribus juncti favebant. Tum Bonomi, Fuſcarii, ante cæteros ſeditioſiſſimi, Griffones, ac dicti Giambeccarii. Hi ferè ad Sanctum Franciſcum adversùm urbis latus tenent. Sic deinde omnis Civitas diviſa; dum quiſque ſuum favorem ſequitur, nec integrum quicquam, nec ſanum : multitudo perditorum, quibus res domi egens; nec lex, nec conſcientia, nec metus, aut pudor; hi in dies & augebantur, & odia pro viribus exercebant. Itaque crebri tumultus, diurnæ, nocturnæque ſeditiones, homicidia quoque impunè perpetrata. Omnia tuta erant audentibus, nec minas, nec manus temperabant. Hoc modo tanquam in gravem morbum paulatim civitas in peſſimam facinorum conſuetudinem decidit. Quæ demum animos dedere poſſe ſubtrahi ab Eccleſia Civitatem, ita futurum, ut qui primi motum feciſſent, hi primum locum in civitate haberent. Canneruli cum paucis conſilium cepere, quorum ſanè pars ad manifeſtam vim, ſi quando concurriſſent, erat infirmior : nec liberi metu eſſe poterant, quin idem inimici facerent, quos præſertim ipſi (7) creberrimis injuriis laceſſebant. At non eadem cauſa erat adverſæ partis, cujus hi potiſſimum nomen haberent, qui ſemper Eccleſiæ Principatum adjuverant. Conjurant igitur Canneruli vel cum inimicis, ſi ſe inferiores pati nolint, Eccleſiam pellere. Duces factionis Baptiſta Cannetulus, Bartholomæus Abbas Giambeccarius, ſimul utriuſque fratres & propinqui; inter quos maximus Marcus Cannetulus. Hic etiam ordinem militiæ gerebat, (quem illi legatus præſes contulerat) magnam manum equitum ducentem. Itaque ſive conſenſu ſive diſſimulans apud Medeſanum non ferme abſque ſuſpicione permanſit, quòd qua nocte facinus eſt peractum, ipſe in Civitate per diem erat viſus. Verùm auxilio apparuit Ludovicus Sancti Severini. Hic cum Venetis exercitum ſcripſerat: per eos igitur dies Bononiæ impeditus, dum turmas armis, atque equis muniret, ipſe quoque à Baptiſta, cui dudum familiaris fuerat, rogatus manus promiſit.

(7) *P.* celeberrimis.

Ita & partibus, & auxiliis inſtructi rem, ac diem componunt. Erat primus dies Auguſti, tempus & ipſum rebus opportunum, quippe poſſe Civitatem, ſi quid contra pararetur, faciliùs ſub hyemem reſiſtere, jam omni rerum copia collectis circum omnibus abundantem. Itaque illius diei nocte ad arma concurritur. Multi ex plebe vel antea docti, vel tum quod erat ſuſpicantes, alii vocati ad tumultum conveniunt, ſubeuntque in forum, omni aditu, ne quà irrumpi poſſet, obſeſſo. Tum palatium valida manu cingunt. In palatio erat legatus cum paucis, novitate, ac perturbatione rei attonitus. Nemo ferè in ea ſeditione quietem tenuit, etſi nondum tanti mali vis intelligebatur. Ubi verò illuxit dies, (8) aperuit facinus. Viſi primi Canneruli, Abbas Giambeccarius, Petrus Ramponus, & ipſe Presbyter. Hi ſimul palatio ſeſe oſtendunt minantes, ni daretur, irrupturos. Illi, quòd & pauci numero erant, & inter paucos corrupti, aditu ægrè arcent. Alii adverſæ factionis re cognita apud Malvicios interim convenerant, de Civitate cum inimicis dimicaturi : nec impares ad vim, ſi ad certamen ventum eſſet. Verùm Nicolaus ipſe Bononienſis è familia Hoſpitatorum, & illius Civitatis Antiſtes, metuens, ne omnia ſanguine fœdarentur, inter partes pro pace laborabat. Accepta igitur à Cannetulis fide, ceteros juſſit arma ponere, quæ res omnia in exitium vertit. Quippe illi haud ſtetere promiſſo; dum enim ille palatium pro fœderibus ingrederetur, quaſi verba terentes, pedetentim ad januam ſimul venerunt. Nec morati uno impetu veſtibulum occupant: ſic ceteri deinde collecta manu intro irruunt. Ibi captus legatus : capti, aut diſſipati omnes, qui in palatio fuerant. Momento direpta omnia, plurima ipſius legati ſupellex in prædonum poteſtatem vênit, maxima pars ad Giambeccarios. Inde paulò poſt in domum Marci Cannetuli ductus, ſui omnes à ſatellitibus ſpoliati. Nec deerant, qui capto illuderent, ultroque acerbis conviciis inſultarent: hæc illum habere, quòd pro avaritia æquitatem neglexiſſet : multique ita ſentiebant rectè eveniſſe, ſi non ultra ad defectionem tetendiſſent. Ceterùm hæc erat deſciſcendi merces, ſpe quidem libertatem præferre; re vera partes in libera Civitate dominari. Itaque ſe ipſos primùm in ſummo Magiſtratu creant, omnemque plateam in modum caſtelli armatis muniunt. Quod ubi Hoſpitatus Cardinalis agi vidit, ſuſpicatus quod futurum erat, venturos ad ſe, ut utriuſque Centi claves traderet, nocte inſequente mutato habitu ex Bononia Mutinam profûgit. Illi mandato per præconem cives ad aſſerendam libertatem convenire jubent, data omnibus veræ comitatis, & æqualitatis ſpe, ſe quoque in populi poteſtate fore, modò intelligant, oportere Civitatem adversùs Eccleſiam defendi. Itaque uno conſilio eam libertatem decernunt, nec admittendos ultra Eccleſiæ Gubernatores, quin ipſum legatum ad reddendam tractatæ pecuniæ rationem cogunt; nec tamen adverſæ partis hominibus publicos honores negant. Itaque ex utroque corpore novi primores creantur, præſide Marco Cannetulo, ne qua poſſet ſuſceptum maleficium ſeduci. Sed jam extrinſecus novi

(8) *P. & N.* apparuit.

novi motus parabantur. Nicolaus Tolentinus rem peractam videns interim cum exercitu apud Medicinam secesserat. Itaque Bononienses ad eum mittunt: ad sua negotia abeat, quando nihil illi ad res Bononiensium sit. Ille tanquam per jocum se id postea facturum, respondet; velle paucos dies reficiendis equis per arva morari. Illi rati primùm auctoritatem suam ludi, præterea malè tutum fore, ubi ille in hostem transiret, suspicionem tamen dissimulant. At nocte altera coassumpto Ludovico, quem ante diximus restitisse, ad Nicolaum pergunt, improvisumque adorti, loco deturbant, plus quadringentis captis ex societate, omnique illius direpta gaza. Vix ipse tumultu impeditus cum paucis evasit. Qua præda Ludovicus refectus est, multique ex Bononiensibus, qui in partibus erant armati. Orant itaque Ludovicum, ne se deserat, facturos cum Venetis, ut illum Bononiæ esse patiantur. Ille tametsi aliis stipendiis spoponderat, tamen alacer Bononiensium tutelam suscipit, præcipuè Romano Pontifici infensus, à quo erat in Apulia haud paucorum castellorum privatus dominio, non futuram unquam fortasse occasionem arbitratus, qua liceret injuriæ vicem rependere. Itaque annuentibus, ac lætis omnibus ejusce belli dux declaratur. Sic freti ad capienda castella proficiscuntur, nam omnia nomine Ecclesiæ tenebantur. Primùm omnium castrum Sancti Johannis populosum, munitumque non difficili deditione occupant. Proximum inde Castrumfranchum. Sic pleraque intra paucos dies in potestatem venêre. At hæc nuntiata Martino Pontifici omnem Curiam mille curis impleverunt. Id maximo timori erat, ne ceteri qui sub Ecclesiastica ditione erant, exemplum sequerentur. Tum ut sunt ferè mortales rerum novarum cupidi, tum quòd nonnulli populi Martini potentia suis Dominis privati erant. Id verò accidit, vix ut citiùs Dominum pepuleris, aut amiseris, quàm desideres. Imolani suum Ludovicum affectabant, Forlivienses itidem Ordelafos. Eodem pacto Esculani Carrarios, Firmani suos expectabant. Eadem spes multis quoque vel Etruscis, vel Campanis, atque Apulis erat: præsertim quòd se avarè vexari existimabant. Et hæc enim causa de Bononiensibus ferebatur, non potuisse ferre Civitatem continuis vectigalibus exhauriri; nam in publicum redacta omnia deportabantur, quamvis omni alio onere liberi essent. Hic metus, adjuncta indignitate injuriæ, præcipuè spoliatorum Cardinalium coëgit rem non negligi. Itaque mox mandatum copiis, quorum maximè Dux Jacobus Caudorius, Bononiam properarent. Ceteris quoque, ut in oppidis, & castellis morabantur, imperatum eodem convenirent. Jam verò Cardinalis Mutinæ quoscunque potuerat, conflaverat, auxilia pro necessitatibus submittens. Nicolaus quoque Ferrariensis Marchio, statim ut rem audierat, expeditos quosdam tutandis locis, quæ ad se jacent, submiserat. Lucanus Ladislaum, qui in exercitu Philippi fuerat, unum è filiis non levi manu sustinendis rebus in Bononiensem agrum destinarat. Item ex Forlivio alter legatus Dominicus Capranicus, vir impiger, jam ad Castrum Sancti Petri in Bononiensi agro advenerat. Et Carolus Ariminensis omnia pro viribus administrabat. Hæc ante hyemem parata populum Bononiensem, ut est in (9) omni hujusmodi audacia instabilis, quamprimum fecerunt, ut stultitiæ pœniteret. Vix enim inter hostes circumventi, aliud quàm obsidionem spectabant. Nam ut advenit Jacobus, munitaque sunt in plano Mutinam versùs castra, omnis agrorum libertas adempta est. Antonius quoque adversæ factionis princeps, eò ab Summo Pontifice dimissus, intra paucos dies omnia montium castella, dedentibus sese paganis, tenuit. Multi ex Bononia in dies exibant, multi pellebantur, multi in Civitate vinciebantur, opprimebantur, trucidabantur, tanquam id solùm metuerent, ne parum viderentur admisisse. Interdicta omnis Civitas: sacra omnia impedita: dimissum usquequaque adversùs ipsos defectionis Duces sævissimum anathema; nec obsessa modò, sed capta Civitas videbatur. Nullum nomen quàm Ecclesiæ, quàm Fidei, aut Religionis infestius. Præcipuè Conventus Sancti Jacobi (ipse est noster Ordo, nam altera pars circum ferè habitat) invisus erat: quotidie ignes, ruinæ, cædes Fratribus minitabantur. Unum, quia dictus est campanas voluisse pulsasse, statim suspenderunt, alium ferme ampliùs sexaginta annos natum, ut pecuniam daret, conjectum in vincula necaverunt: aliquot columnas exterioris porticus nocte diruerunt. Sic ceteræ Ecclesiæ variis contumeliis ac damnis sunt affectæ. Giambeccarius (10) Abbas rapta Episcopi Domo Episcopatum gerebat: raptis omnibus, quæ prioris Cardinalis fuerant, ubicunque audire poterat rem illius servari. Nec civibus parcebatur; factus enim maximus exulum numerus, qui vel in castra exierant, vel in civitate suspecti habebantur. Multi quoque aliena confinia servare jussi diversas civitates impleverant. Comprehensi quique, ubi quid suspicionis exortum esset, inauditi occidebantur. Unum maximè, quo die necaverunt fratrem, egregium civem Alemanum, cognomine Albulum, capite punierunt. Hæ res in civitate gerebantur, si tamen erat civitas, cujus pæne plus dimidium exulabat. Castra interim Urbem munimentis sepserant, raptis villarum tectis, fractisque ruinis, unde sibi casas per hyemem faciebant. Itaque omnia ad ignem corripiebantur, ut facilè stratis omnibus ex Urbe per planos agros ad quinque millia passuum (quod miserrimum erat) circumtueri posses. Nec minùs illi in civitate periculum, quàm hi in castris laborem tolerabant; modò in dies quippiam malorum ederetur. Quæ quum plurima essent, neque tamen hoc deerat, quod ferè obsessos sequitur, pestifera lues per corpora vagabatur. Necessarium enim fiebat perpetuis vigiliis ac motibus fatigari, & omnium rerum penuria, & incommodis affecti pestem concipiebant. Spes quoque omnis deseruerat; nam neque Veneti, ad quos Marcus Legatus ierat, auxiliis respondebant. Vix ferme Legatum observantiâ anathematis privato colloquio dignabantur. Quin idem Marcus, seu tot malorum pondere strictus atque afflictus, præsertim ut qui arrogantissimus esset, seu cum his omnibus divina ira urgebat, per

(9) P. omni audacia.

(10) P. armatus.

per id tempus ultimum diem Venetiis haud minore animi quàm corporis morbo periit. Nec Florentini sæpiùs rogati quicquam fiduciæ præstiterunt, ultro exprobrantes, nunc sese ipsi tuerentur, qui paulò ante suos casus riserant. Efferati tamen animi omnia subibant, omniaque experiebantur, vel quæ in hostes, vel quæ ad tutanda mœnia valerent; Quippe in castris hinc Nicolaus Tolentinus, superioris jacturæ memor; hinc Antonius Patriæ cupidus, acerrimè instabant. Circumsistebant omni ex parte exules, vix ut finerent aliquod Oppidanis consilium succedere. Sæpe etiam in muros conscenderunt, paulùmque abfuit, quin mœnia caperentur. Nec pæne dubium, si Jacobus Castrorum Ductor eâdem vel vigilantiâ, vel curâ, aut fide rem gessisset, quin fuerint Civitatem recepturi. Cæterùm eò jam ventum erat, ut vel inscio, vel invito Duce, privatis consiliis bellum agi oporteret. Itaque erant crebri peditum, & ex castris, & ex civitate discursus, sub ipsisque muris sæpe tumultuaria fiebant certamina; præterea ex munitionibus, quæ in monte ad fanum Sanctæ Mariæ sitæ erant, nec dies nec noctes machinæ ac balistæ cessabant: proruebantur in mediam Urbem globi lapidum, quorum solo crepitu omnia pavore intonabant. Tributo quoque in civitate se ipsos onerabant, idque plebi infestissimum; nam publici quæstores, missis satellitibus, domos scrutabantur. Hic domesticus luctus, admota etiam peste, publicorum malorum sensum minuebat. Quibus ita excrescentibus, ut non jam futura esset Bononia, decreverunt iterum civitatem Romano Pontifici reddere; facturi omnia quæ vellet, modò ne cogeret exules recipi. Ille ut qui modò civitatis possessionem quæreret, postulatis consensit. Iterum ergo Bononiam Martinus à Cannetulis recipit, nam semel ante decimum annum ab Antonio adversæ factionis duce, Braccio armorum rectore, simili bello acceperat. Infelix profectò civitas, quæ quum cætera pæne ad felicitatis cumulum habeat, cives tam inconsultos habet: nec constare possunt, nec mutationem regere sciunt, unam omnibus rebus (11) præ necessariam opportunitatem minimè curant, nec libertate uti, nec regi imperio possunt. Vix igitur circumacto anno Bononienses iterum Ecclesiæ deduntur iniquis sanè (ut vulgo sermo est) fœderibus. Quippe magnus exulum numerus, quorum potissimùm manu, ac periculo hostes subacti erant, excluditur, paucis ferme, qui pacatiores fuerant, velut per speciem introductis, tum ut Civibus sui Magistratus & domi, & foris per Castella ditionum essent, munitiones tamen universæ Ecclesiasticis præsidiis tenerentur. Castrum Sancti Petri ob unicam fidem ac diligentiam suis legibus est dimissum. Urbem, vectigaliaque Martinus habeat, verùm ut pari præsidio custodiatur, quo & illi tuti sint, qui Civitatem tradiderunt. Ita denique alter legatus Lucidus Comes Cardinalis, ac Romanus Civis datur, qui ut commodum Ecclesiæ visum fuerit, res administret. Tum amoti exercitus (12) Romam ad Pontificem reverterunt. Nicolaus cum Philippo ad futurum stipendium convenit, binis hominum millibus, quorum tres partes equitum erant, conductus. Nec Bononiæ tamen quieti animi, quum tanti exules essent; itaque & portarum custodias providentiùs disponunt, neque aliud per consilia agitur, quàm & domi, & foris omnia observent. In fine anni Carolus & senio, & (13) languore gravatior in ultimum morbum decidit. Habebat ex se filium quidem nullum, verùm ex Pandulfo (14) tres nepotes, quos ferme ille Brixiæ Dominus genuerat, quamquam illegitimo matrimonio natos, filiorum tamen loco habuit, qui ex fratre essent geniti, nam is quoque ante annum decesserat vitâ, filios commendans fratri, quos præterea fecerat in jus filiorum summa Pontificis auctoritate transferri. His igitur eo jure hæredibus relictis, Carolus Arimini moritur, legato ad majorem Robertum eodem Arimino: alteri Dominico Fanum dat: tertium item Cesenæ Dominum constituit; distributis, ut visum fuerat, in omnes circumjacentibus castellis. Id nimirum ægrè tulit consobrinus Malatesta Pensaurius, spurios novo more in familiæ hæreditatem inductos esse. Itaque apud Martinum Pontificem queritur, simul universæ Curiæ Cardinales, ac patres circumveniens. Nec videbantur injustæ omnino hominis querelæ: tantum effecit; illi ferme sunt damnum passi, nec sibi tamen quicquam tot lamentis adjecit. Mandato igitur Pontificis subrepta est Ariminensi, & Guidoni, qui Urbinum tenebat dono data pleraque per id locorum ignobilia castella, ac præterea quædam armis, & oppugnationibus in illius potestatem venerunt. Habebat hic conjugem Martini ex sorore neptem. Burgum Sancti Sepulcri nobile, ac dives, & populosum Castellum Martinus ipse pro se voluit, quo nihil unquam Carolus carius habuerat. Britanorii quoque munitiones suo nomine, atque Ecclesiastico præsidio servari statuit, quæ semper Malatestæ jam septuaginta annos velut familiare dominium possederant, quum in cæteris Ecclesiæ auctoritate dominarentur. Vexilliferi enim Ecclesiæ dicebantur, tanquam in eas terras Vicarii essent missi non domini facti. Cætera inde, ut Carolus instituerat, præter hujus Malatestæ intentionem, sunt dimissa. At fuit Karolus vir nostra ætate singularis, modò intelligere potuisset, non secundùm Romanos, quorum videbatur imitationi studere, sed in alia fæce temporum vivere. Homo supra modum gravem se ferens, nec alteri in Italia de virtute, aut continentia plus creditum, maximis quoque honoribus functus, semperque in omni Malatestarum familia parens habitus ac vocatus. Denique Johannes Mediolanensium Dux, hujus Philippi pater, apud se vivens carissimum atque honoratissimum habuit, quamquam illi priùs in Mantuano bello perniciosissimus hostis fuerat, & moriens inter filiorem tutores testamento primum nominavit. Is verò semper esse voluit, qui nulli existimatione quadam aut virtutis auctoritate concederet, fortunatior, credo, ac suis civibus levior futurus, si paululum eam opinionem remisisset. At satis est ista memorasse. Tum per sequentem hyemem Florentinos quoque Volaterrana defectio movit, nec magis gravitate curæ, quàm metu exem-

(11) P. per necessariam.
(12) P. Romani.

(13) P. langore.
(14) P. tris.

exempli, ne cæteri (omnes enim premi se putant, quicunque Florentinum jugum sustinent) idem facerent. Exhausti, ut ante diximus, superiore bello, omnibus locis requirebant, quo pacto ea damna resarcirent. Itaque novo quodam more in omnes subditos aliud exigendæ pecuniæ onus (illi (15) catastum vocant) imponebant. Subditi præsertim ditiores quique id maximè horrere, & quòd nimiùm consuetis tributis gravati videbantur, ne dum ut cæteris malis hanc exactionem assumerent, & quòd omnem suam substantiam hujusmodi conscriptione vulgari, ac pæne numerari videbant, quibus nihil post recusandum esset quocunque onere adjecto. Multi igitur ex singulis civitatibus, Castellisque derrectantes conjiciebantur in vincula. Plenus Florentiæ Pisanorum, Volaterranorum, Pistoriensium, Aretinorum, Cortonensium, reliquorumque oppidanorum, veluti reorum, carcer: præcipuè Volaterrani querebantur, non se his fœderibus quondam in Florentinam potestatem venisse, quin imò nec subditos, sed prope socios debere appellari, primùm pactos, ut suis legibus viverent, nec præter constituta quædam subsidia gravarentur: quæ tamen non servata, impositis in dies gravioribus sarcinis, fuerant: non posse civitatem tantis sumptibus superesse, jam depilatam, excoriatamque hominum cutem, carnem modò laniari, sanguinemque penitus hauriri. Nempe non modò divitiæ, verùm etiam artes, ingenia, officia, corporaque æstimabantur. Nihil miseris querelæ proderant, nec jure, aut clementia causæ tractabantur, quum à Florentinis quoque judicibus justa requirerent. Erat inter cæteros clausus civis Volaterranus, cui nomen Justus; vir certè alia civitate dignus. Hic adhortatus socios omnia susciperent, quando adversùs vim nihil aut jure, aut precibus ageretur: aliud in animo consilium (16) servans. Hac igitur sponsione domum remissi de ferendo jugo cogitant. Ille verò libertatem majore quodam spiritu concipit, tametsi videt rem iniquo tempore tentandam. Nec facilè patere tanto incœpto viam, consuetis omnibus tolerare jugum: denique omni civitate armis consiliisque nudata. Erant enim paucissimi, quibus de tanto facinore rem committendam crederet. Plus demum sperare in reliquis Civitatibus, atque oppidis, quod pari aut etiam majore difficultate adacti exemplum sequerentur: postremò irritandam fortunam: nihil posse rebus afflictissimis noceri: audaciam sæpe regere animos, quos fecit. Tum quibuscum visum est vel cognatis, vel vicinis, quorum fides erat familiarior, colloquutus. Vix tempus, antequam signum dat, gerendæ rei. Ita paucis comitatus in oppidum discurrens ad libertatem conclamat. Momento erecti omnes, audito libertatis titulo, vulgò jam nomen, & vocem sequuntur; oppidum perbrevì facilèque occupant; quippe ubi nec in portis, neque in arce, aut in palatio præsidium ullum esset. Florentini, ut rem audierunt, majus aliquid veriti, ne plures eadem voluntas ad simile facinus impelleret, haud parum sunt commoti, ut qui nihil magìs metuant (prorsus armorum expertes) quàm prope domum periculum sentire. Magistratus, quos illi Prio-

A res vocant, repentè consilium cogunt, ubi pluribus sententiis disceptatum; omnes verò intelligebant causam defectionis, (cùm nihil obscurum esset) ob intolerandas calamitates illos descisse: ut referrent nonnulli omnem ejus tributi rationem universis subditis remittendam. Id minimè pluribus placere, quippe nulla ex omnibus gentibus pecuniam plus colit. Cæterùm eodem ferè die, quo Volaterræ defecerant, plerique ex propinquioribus castellis, non tam Florentinorum fide, aut caritate, quàm veteri in Volaterranos, ut ferè vicini solent, invidia ad tumultum concurrerant, prædâque actâ, & remissâ, domum sub oppido constiterant, at-
B que ex his tamen complures saucii cum præda redibant. Convenere item subitarii quidam equites, quos inter castella dispersos habebant: mox accersiti, ut defectio est audita, ita segne bellum videbatur: præter quod stipendiarii circum Volaterras constituti in villis per licentiam more suo omnia diripiebant, pæne infestiores agricolis, præsertim ad ea mala insuetis, quàm quod ab hostibus possent pati. Factum interim Florentiæ de mittendis legatis decretum priùs, ut animos experirentur, si consilio, & verbis possent ab incœpto revocari. Optimus visus Pallas Strozzius, vir in ea civitate honoratissimus, atque in primis apud omnes Florentinorum vectigales humanitate, & clementia carissi-
C mus habitus. Is Gambasium postquam vênit (sic vicum appellant, octo millibus à Volaterranis distans) excitos quosdam tum ditiores, tum Florentini nominis cupidiores perbenignè allocutus est, sua potiùs quàm publica beneficia commemorans, quem illi potissimùm scirent semper rebus suis studuisse; id quoque obtestatus, ne cogerent Florentinos stipendium facere, non enim tam facilè iram postea remissuros, quam spem verò habere illos posse ad vim Florentinorum tolerandam, quibus nulla esset pecunia, nec arma ulla haberent, quibus corpora tuerentur? novam rem inexpertis bellum fore, cujus
D pæne alius exitus sit, quàm spes prætulerat; denique omnibus locis ac rebus occlusis quid aliud quàm obsidionem, turpioremque deditionem posse expectari; postremò, ubi essent capti, eorum sumptibus, ac damnis bello satisfieri oportere. Illi intenta viri majestate, privatimque in singulos amicitia, pauca, objecto in quosdam Florentinos fœnore, questi, tum quòd nec publicè fœdera, quibus primùm se ipsos tradiderant, servarentur, nec miserorum audirentur voces, civitate omnis generis calamitatibus oppressa. Denique advoluti genibus, lamentis, lachrymisque orare, ut sui ipse misereretur, quem semper essent innoxium suis malis experti.
E Sic ille spe quidem diversos implevit, clam verò, quorum ingenio plus fidebat, modum, & consilium dat gerendæ rei, quo pacto priusquam inimici aliud possent, interceptum oppidum restituerent, in omnes pollicitus adnixurum se in Senatu Florentino, ut meliores inde vices consequerentur. Illi domum redeunt, vocatique ad Priores, qui publicus erat Magistratus, referunt datam sibi à Palla non modò veniæ, verùm etiam gratiæ spem, repetitis omnibus, de quibus in colloquio egerant: ipsi modò viderent, potiùs

(15) P. catastura.

(16) P. reservat.

potius ne esset præsentem conditionem amplecti, an sine ullis viribus adversùm Florentinos bellum tenere. Segniores alius alium circumspicere; jamque apparebat bellum publicè damnari, denique ut justiorem apud Florentinos gratiam pararent, sævum aggrediuntur facinus. In Magistratu adhuc iidem erant, qui seditionis tempore fuerant. Itaque ne viderentur defectioni consensisse, auctoris nece probandam innocentiam constituunt. Nec mora, accitum Justum intro in Palatium confossum aliquot vulneribus simul plures corpore arreptum è foribus altè præcipitant. Ita morte optimi Civis, ac, si ita dicendum est, justam libertatem meriti Volaterræ Florentinis redduntur. Nec receptis firma fuit gratia, nam & primùm agris mulctati sunt; id enim quibusdam castellis promissum fuerat, non esse deinceps Volaterranis parituros, si in fide Florentinorum perstitissent, & tributum, quod voluerant divisum, atque impositum est. Atqui visus est etiam Deus scelus sentire atque horrere. Protinus enim gravissima pestis hodie quoque durans (nam hoc anno res acta est) successit, nec aliud sunt ex ea defectione assecuuti, quàm quòd liberatori suo ingrati, sibimetipsis præ pœnitentia invisi, usquequaque neglecti, vulgò jam pro Volaterranis Vileterrani nuncupantur. Bononiensibus quoque non diutiùs læta fuit pax, quippe quorum animi turbulentissimi erant. Itaque suspicionibus undique intenti omnia scrutabantur; fuere tamen qui viderentur pacem appetere, quæ vix commotis rebus haberi potest; complures enim sponte ad legatum convenerunt, quibus inter se nondum hausto multo sanguine leviores fuerant offensæ. Hi jurejurando omnes datâ, acceptâque injuriarum, si quæ essent, veniâ, concordiam statuerunt; atque ex ea re Oratores ad Pontificem missi, reliquum civitatis statum componerent, quando ipsi pro se in pace essent futuri. Neque ita, quod ferè accidit, multo post Cannetuli cum Abbate tumultum fecere, non tamen ultra progressi, quàm ut perfracto carcere dimissis quos volebant, simul concessâ omnibus fugâ, intelligi facerent pro arbitrio esse Urbis statum, quotiens seditionem molirentur. Cæteri nihil moti quidnam acturi essent domi operiebantur. Parvo inde tempore interjecto in Palatium ad Magistratus deferunt, pro comperto se habere conjurationem in Civitate fieri, ut exules nocte reducantur. Culpati adversæ factionis principes, ut quisque erat inter partes optimus. Igitur missis nuntiis multi ex his in palatium vocantur, tanquam publicè quippiam in concilio agendum sit. At constituerant simul ut omnes (erant autem super quadraginta optimorum civium) interficerent. Plures seu facinus suspicati; seu publicorum officiorum negligentiâ detrectarunt; pauci, ut conventi erant, servantur. Eganus Lambertinus, Nicolaus Malvitius, Johannes Marsilius, tresque alii haud contemnendi, quorum Bagarotus nullo ignobilior, stirpe Alborum etiam se ferebat ex Catilina descendisse. Medio igitur noctis satellites intromissi, qui facinus agerent, Ludovicus Canmetulus adolescens jam per omnia crudelia expertus intererat. Armati omnes, nudatisque ensibus, mox clausis horrendum omen præbuerunt. Ibi omnium cædes est peracta, præter quòd Johannes uni satellitum, cui notior erat, inter brachia sese dedit, ab eoque est servatus. Fertur Eganus primum ad se venientem pede in parietem avertisse. Ast alii renovatis ictibus juvenem cum cæteris trucidarunt. Additur flagitio, Abbatem, etsi non omnino certum traditur, ad ostium stetisse tanquam ludibrio satellites orantem, qui strenuè rem perficerent. Mox truncatos, & mille vulneribus fluentes adhuc tenebrosa nocte in proximum palatio hospitale Mortis ferri jusserunt. Manè igitur audita, & conspecta corpora civitatem summo terrore impleverunt. Legatus ipse paucis è familia relictis Imolam excessit. Nemo in ea civitate non facinus expavit, flevitque, quippe nefarium, dirumque scelus, tantos cives more pecudum indictâ causâ trucidatos, unum præcipuè Eganum, multi quoque inimicorum lamentabantur. Quem profectò & ipse si possim percupidè velim his literis immortalem fecisse, supremæ indolis, totiusque urbanitatis humanitatisque adolescentem. Sex, credo, & viginti annos natus erat. Miserabilior his visus, qui patrem quondam impia nece, quum unus esset justus patriæ patronus, necatum meminerant. Summum itaque illis diebus tanquam ex indicto per omnem civitatem silentium fuit. Versabantur ante oculos sceleratæ species, nec quisquam erat, qui non sibi pro tanta crudelitate supplicium metueret. Nec tamen eo cessatum est; nempe alium, qui in palatium venire noluerat, itidem bonum Civem domi interfecerunt. Quamobrem, & Johannes Malvitius Nicolai illius consobrinus, & ex aliis vocatorum multi per muros fugâ excesserunt. Missus inde in plateam præco nuntiat, si quis ejus conjurationis vel verbo, vel auditu particeps fuerit, rem ut scierit ad Magistratum deferat, impunè eam confessionem fore; enimverò intellectum inde est, omnes qui adversæ factionis haberentur, eodem crimine ad necem peti. Itaque & conscii, & inscii, ut quisque potest dilabuntur, metu ferme, ne propalantes confessio damnet, silentes suspicio. Is terror in Urbe penitus solitudinem fecit. Omnes Centum, quod Castellum Nicolaus Cardinalis servat, aut in castrum Sancti Petri, atque inde per agros in Villas sunt dispersi, quaqua ibant, terrorem atque odium concitantes. Quibus rebus irritati exules, & ipsi parant, si quid possint in hostes efficere. Paucis diebus castrum Sancti Gregorii Ferrariam versùs capiunt. Plumacium Castellum in Montibus situm occupant, usquequaque cæsis, qui Canneulæ partis occurrerunt. Namque & unus exulum collecta; agrestium manu ingressus Lojanum præpositum illius oræ interfecit. Sic Bononiæ se res habent, dum illi in civitate, per campos isti cædem agunt. Accidère interim multa, quæ, etsi alienum, non inutile forsan fuerit, priusquam aliis rebus initium demus, hoc loco interponi. Omnis Romana regio usque adeò peste affecta, ut non invento aëre, qui salubritatem haberet, coactus sit Martinus cum omni Curia Romam redire. Philippus quoque per id tempus in Placentinis Montibus insidiatores quosdam expugnavit, captis suspensisque ducibus, qui Peregrini Comites dicebantur, nec ob aliud magis, quàm quòd trans-

transacto bello Venetos ferebantur adjuvisse, nec potuisse Venetis jungi, qui velut privata quadam pactione ditionis Philippi essent. Alios item in litore Genuensi, qui tempore belli seditiones excitaverant, misso Nicolao confecit. Legationes inter eundem Philippum & Venetos perpetuè de Turre juxta Tritium super Abduam posita pertinacissimè disceptabant. Audita præterea multa. Relatum enim in Gallia apparuisse puellam, quæ se divinitus missam diceret, exhortata Carolum Francorum Regem ad Regnum recipiendum. Eademque ipsa in exercitu comes omnibus consiliis, rebusque adest. Nec vanum Oraculum, quippe jam & Regno, & spe, atque omni honore pæne privatus degens, hodie ceteris acquisitis, caput Regni Parisios expugnat. Ex adversæ Galliæ finibus Boëmi decem jam annis infideles, vastatis quibusque obviis, gravissimo exercitu Hystro propinquare dicuntur; denique ex Oriente Turci coactis viribus omnia infestant; capta Tessalonica, illustri Venetorum oppido. Hoc quoque minimum est quod referre volo, nisi quem forsan delectet alieniora cognoscere. Baldus Agubinus iniquam tulit Senis Prætor sententiam adversùs Philippum; erat enim cum Antonio Cive Florentino disceptatio de pecunia, quæ quondam Cabrini fuerat; quindecim auri millia erant. Postremo igitur die, quam dedit, Magistratu abiens in vincula est conjectus, postulante id præcipuè assessore, nam is contrariam tulerat. Ibique, quapropter & hæc dixi, fassus est, dudum se Florentiæ juvenem cum plebejo aconiti artifice consensisse, (mirum auditu facinus) venenum in plerisque doliis miscuerunt in pagis, qui circa (17) Scherpariam sunt; illuc enim transituri expectabantur Johannis exercitus Philippi patris ex Bononia in agrum Florentinum. Erant prope hominum quadraginta millia. Ad unum omnes, si unquam venissent, infra octavam diem (hæc veluti fatalis veneni vis erat) perituri. Sic sæpe fortuna relictos facinori demum ad pœnam revocat, datamque interim frustra pœnitentiæ veniam graviùs ulciscitur. Sed hæc nimis.

(17) P. Scharperiam.

F. B. ANDREÆ PATRIÆ HISTORIÆ LIBER SEPTIMUS EXPLICIT.

INCI-

INCIPIT OCTAVUS.

A Mirum sanè, quod in omni re dici fas est, supernæ providentiæ judicium, neque humanis consiliis par: semper ut ea paret Deus ac proferat, quæ ipsi minimè existimavimus, tum verò proximum, quod ferè ex parvis initiis ingentia rerum momenta, ac pericula oriri cernimus. Neque ipse in his casibus humanam temeritatem absolvo, cui nihil unquam satis constet, quin omnia illicita æquè ut licita tentando educimus, prorsus inde, divinum quæ temere cœpta sunt, potenti lege moderari, nec rebus nostris parcere, modò illi laus debita referatur. Itaque licebit ex hoc bello,
B quod nunc scripturi sumus, quemcunque finem dederit accipere, qui noluimus interposita, & concessa pace uti. Quidquid modò cernimus (nam reliqua sunt incerta) id ex Lucano periculo est profectum, parvæ quidem Urbis, ac primæ Etruscorum, ubi Macram flumen transieris. Quibus de rebus hic novus erit sermo, latiori forsan volumine exitum, quàm primordia explicaturis. Ibi verò, ut jam dicere incipiamus, ne diutiùs ab armis cessaretur, tumultus non quidem sua sponte exortus, verùm ex ipso Florentino, quasi superioris belli memoria excidisset,
C altero anno sublatus est. Paulus Lucæ Dominus, plerisque Civibus Florentinis gravis, atque invisus erat, quippe & Florentiæ, ut in liberis populis factiones sunt, quum ille alterius factionis haberetur; Cosmus cognomine Medicus, & opibus & gratiam, & paterno nomine plurimum in Civitate poterat. Is, ut ferunt, unà & Nerius Gini filius, qui quondam Pisas ceperat, composito subornant Nicolaum dictum Fortis Braccii (nam Braccii Perusini nepos fuerat) quem Florentini cum quadringentis equis ab stipendio dimittebant, sese in agrum Lucanum ut ferat, ibi quidquid potuerit, primo ingressu occupet; se
D Florentiæ acturos, ne injuriâ factum videatur. Annuit juvenis, statimque ex Urbe profectus clanculò vicum (Ruotam vocant) vix ab Luca octo millibus distantem capit, indeque ut erat ardens animi, omnia exterret. Interim per speciem occultandi sceleris ferens ad repetendam patrui pecuniam olim cum Paulo simili latrocinio pactam venisse. Paulus, cui nihil esset in tempore ad arcendam vim paratum, ut in re subita, turbatus, mox literis apud Florentinos injuriam queritur. Jam illi rem factam audierant, vulgoque (ut est gens petulantissima) flagitium ridebant; aliis pulchrum videri, si parvo negotio eam Civita-
E tem occupare possent, magnum rebus priore bello afflictis fore subsidium. Exemplum capiebatur ex Maradensibus, ac plerisque alpinis, quos paulò ante Philippi respectum nullo labore expugnaverant; non aliter Lucam in manus venturam, si mediocriter Nicolai factum dissimulent. Responsum tamen literis est, non esse id publicè factum: Nicolaum ab se dimissum, suo consilio periculum fecisse: daturos operam, ut ab incœpto absistat. Ille nihilominus quanto tumultu potest, omnia reddit infesta: multi spe prædæ (nam in ubere agro res gerebatur) ad Nicolaum conveniunt. Factiones ex Florentia, alii Nicolaum, ut publicè videbatur, facinoris admonent; alii sollicitant, atque instigant, acriter bellum gerat, rem quàm maximè potest crebris excursionibus in periculum adducat. Paulus identidem literis, querelisque repetit. Paulo plures erant filii; major Ladislaus, qui cum Philippo in armis fuerat; minor alius natu, etsi haud ex legitima Uxore natus, nihilo tamen ingenio, aut virtute animi impar. Hi cum paucis, quos vel priùs habebant, vel statim primo tumultu coëgerant, bello occurrunt; non tamen sustinebant hostium vim, quo minùs jam numero plures undique postularentur. Interdum etiam ad Urbem sub muros accederent: complures etiam ex villis muris septas ceperunt, ut pæne videretur semifectum illo initio bellum, ac posse Lucam non multo labore capi. Voces interim Florentiæ non modò in plebe, verùm etiam in palatio variæ erant. Alii tollendum tyrannum, qui solus in Tuscia regnaret, accipiendam Civitatem, cujus accessione haud parum res Florentina juvaretur: multi quoque inimicitiam jactare, quòd præcipuè temporibus pestiferis fugitantes Florentinos non admisisset. At plurimum videbatur offendere, quòd filius (ut ante dixi) cum Philippo gessisset arma. Adversæ factioni nihil erat præter unam honesti speciem, quod vel huic inimicitiarum procellæ, vel furenti vulgo opponerent. Illum enim paulò ante publicè amicum appellaverant, ac ferè jam inter socios, & commissos habebatur. Nec præterea tam (1) facilem esse hujus belli victoriam, præsertim quum ærarium, quem illi Montem vocant, nihil ultra priores sumptus posset pati. Denique multa inter bellandum nasci, quæ haud sint expectata; facilè invicem conciliari Dominos, ac, si modò minima vis Lucano adjungatur, rem non tolerabilem Florentinis esse. Hoc modo sententiis Senatus ille in dies trahebatur. Vicit postremò respectus commodi, factumque (tanta factionis potestas erat) de Lucano bello decretum. Nec aliter indictum, quàm quòd scripserunt Nicolao, acerrimè omnia jam pro Florentinis gereret. Ac paulò (2) post eòdem Berardinum Cardanum octingentis datis equitibus miserunt: hæc pæne summa virium erat. In dies tamen aliquid supplementi addebatur, eo ferme dum bina millia expleverunt. Pedites magna pars ex castellis lecti, quæ res subjectis molestissima erat, nam simul & gravissimis tributis, & castrorum laboribus angebantur. Lucanus, quod solum poterat, primùm Florentinos usque quaque literis diffamat, non ad ipsos tantùm probra, & contumelias perfidè scribens, nunc se expugnari, quem paulò ante junctis fœderibus socium vocavissent; hujuscemodi multa, postremò etiam minitans referebat. Sic ad Venetos testes ejus nominationis, qua illum Nicolaus in Mediolanensi pace verbo collocasset, ne ultra quereretur, quòd Philippo esset visus in eo bello

(1) *P.* facile ejus belli.

(2) *P.* post Berardinum Cardanum eodem.

bello amicus. Eadem Nicolaum & Martinum Pontificem docet, cujus auctoritate pax confecta erat. Nec minora apud Philippum queritur, tanquam non secum modò, sed cum eodem Philippo pacem fregissent: dehinc summis conatibus impellit, secum in id bellum succedat; posse se magnam belli partem sustinere: finitimum Florentinis: paratam habere ad ipsas portas viam: venisse tempus, quo facilè, ac jure præteritas injurias ulcisci queat, omnemque ex Florentinis, quam (3) cupiverit, pœnam repetere: exercitum Dux scribat; suppeditaturum se pecuniam. His querelis minisque replens omnia, tamen in dies concluditur, atque expugnatur. Omnes illum jure caussari referunt; nemo auxilium spondet. Id mirum dictu cernentibus quònam post consilium eruperit. Senis literas vidi, quibus Philippus Florentinis adversùs Lucanum offerebat auxilia: hoc unum quærens, Florentinos domestico bello involvi, quo solus ipse alteros solos aggrederetur. Hostis undequaque exercitum ferens multa in omnibus locis castella excipit: delatus in Vallem, quam Carfagnanam vocant, ab Luca ad Apenninum residentem, omnem aut diripit, aut in deditionem accipit. Brevì ita solius Petræ sanctæ castrum, quod memorabile esset, pugnantibus superfuit. Nonnullæ item per cacumina montium arces restiterunt. Quæ dum apud Lucam geruntur, Senenses alia ex parte Florentinorum vicini trepidant, fremuntque rem Etruscam pessimo exemplo offendi. Florentinos haud dubium reliquæ Tusciæ imperium concepisse, qui ab Lucano per injuriam ceperint: idem sibi expectandum, ubi ille sit circumventus: nec jam pacem aut fidem, si se contineant, post ea valere. Quando id tempus sit, quo præcipuè injuria afflictos sequitur. His vocibus turbata Civitas pæne in tumultu erat; quippe ubi publica administratione res gubernantur, maximèque hac ætate fortibus viris nuda, jam pridem obsecundante pace, his motibus dissueta, ut ferè Tuscorum cerimoniis potiùs quàm bellis dedita. Concilium tamen cogitur, collatâque in paucos totius summâ rei, quorum prima cura sit cernere, ne quid in tempore fiat civitati detrimenti. Accipiuntur interim à Paulo literæ, quis primùm Senenses orabat, sese apud Florentinos interponerent, quorum essent socii; desisterent ab incœpto potiùs, quàm ignis in Tuscia excitaretur, quem necesse foret multâ ruinâ exstingui: eosdem nihilominus admonens, qui se intelligerent hoc suæ cladis exemplo peti se hoc beneficium referre, quod Philippum superiore bello non induxisset in Tusciam. Denique hortabatur, si non possent pacem componere, socii & ipsi accederent bello, priusquam solis idem periculum sustinendum esset. Missus Florentiam Antonius Francisci, juvenis tum primùm se efferens, militari quoque insignis honore, ac Paulo & sua, & paterna virtute notus. Nihil verò ex ea legatione impetratum. Florentini jam in suum jus Lucam unà cum Domino ipso destinaverant. Nec temperabatur conviciis. Vulgo is tumultus videri, quem Senis concitari audiebant. Antonio regresso aliam legationem ad Venetos decernunt, ferme exploraturos, quid in ea re Veneti animi haberent. Veneti respondent, nihil ad se de

A Senensibus pertinere, præter quantum à Florentinis in recenti societate mentio inducta est Senensium. Juvit tamen ad conciliandum aliquem favorem casus inopinatissimus, quem Thomæ Venetorum Duci præsentibus legatis evenisse ferunt. Eunti in concilium factus obvius Andreas Contareno Venetus civis per speciem colloquii successit ad aurem. Qui aderant lateri tantisper locum dedere. Viciniores tamen honoris gratiâ Senensium legati. Ille sublato ligneo pugione jugulum Ducis petit, peregissetque facinus, ni unus legatorum juvenis impiger percussoris brachium subpulsa manu paululum submovisset; itaque in faciem vulnus edidit, quod in guttur facturus B erat, ni prærapido ictu legatus impedisset. Mox à lictoribus comprehensus absque ulla quæstione capite damnatus est. Noluere indicium vulgari, ne (quod suspicantur) principum quoque multi, quibus Ducis seu superbia, seu nimia libertas invidiæ erat, conscii proderentur. Ita rediere Senas legati, ut trepidationem pæne majorem referrent, tanquam per fraudem essent in illius pacis fœderibus nominati socii. Non tulit ambages rerum Antonius, qui fuerat ad Florentinos legatus, locata apud socerum uxore, ac liberis, equis conscensis urbe egreditur, ad Romam iter faciens, quoscunque (nam id ab Luca man- C datum erat) belli, ac stipendii cupidos invênit, omnes diversis itineribus Lucam dirigit. Alii Romæ ab . . . . Pauli Nepote conducuntur. Omnes vel terra, vel mari Lucam perveniunt: Quibus introductis pæne jam fidit Paulus posse oppidum tueri. Bononiam item nuncium cum pecunia (4) dimittit, ibique Raynerius Perusinus trecentorum equitum stipendio datis triginta auri millibus conducitur, quaqua posset Florentinos bello implicaturus, junctis peditibus, qui potuere per id tempus in Bononia conscribi: datus omnibus Raynerius dux, si per Montes Bononiensium (quo maximè Balneæ sunt,) posset, Lu- D cam duceret: id si non posset (nam ea parte Florentini calles obsederant) in Picenum transiret, indeque Florentinorum agros, ac socios peteret. Ille haud citiùs fidem dedit, quam perdidit; simul acceptâ pecuniâ ad Florentinos conversus. Itaque in Oriulum super Faventiam receptus (nam id Florentinorum oppidum erat) inscii facinoris: qui sequebantur, *recedite*, inquit, *ad alium Ducem socii; nam ego ad Florentinos transeo*. Ea res haud parum negotia Pauli perturbavit. Quippe amisso unde maximè præsidium speraverat, adjectoque hostibus, tum perditâ pecuniâ factus suspectior, ne ab cæteris eadem pateretur. Non fractus tamen animo mari quoque bellum parat, sex conductis triremibus, pau- E cis comitantibus lembis. Has ferè Hispani, quos vocant Cathalanos, armabant ab Antonio atque (5) alio Mino juvene audacissimo Senensibus, qui unà ut poterant Lucanum juvabant, contracti. Sic paulatim bellum undique accenditur. Florentini tamen majoribus copiis in dies Lucam circumcludunt, objectis ad portas munitionibus, quo ex omnibus locis invehendis commeatibus prohibeant; nec ulla ex parte ab laboribus, atque operibus cessabatur. Quatiebantur undique muri lapidibus tormentorum, intraque oppidum per vias, & tecta magno sonitu irruebant: res pri-

(3) P. concupiverit.

(4) P. mittit. (5) P. alio anno juvene.

primùm tremenda: post, quia nemo ferè lædebatur, sperni cœpta. Agri circum uri, vineæ omnes, quæ propinquæ erant, immissis vastationibus succisæ. Nihil omnino quod ad Lucam pertineret, intactum supererat. Inde haud parum crescere spes Florentinis potiundi oppidi. Idque primum Florentiæ necessarium erat, quum plerique pecuniam malignè impenderent. Nec verò Lucani in oppido per otium sedebant. Primùm omnium Paulus animos civium tolerando, ac gerendo bello conciliaverat, neque illi pro se minore indignitate rem susceperant, quos satìs instructos reddebat proxima Pisana calamitas. Nihilo igitur minùs Florentinum, quàm barbaricum jugum aspernabantur, quo præcipuè metu ad omnia potiùs cum tyranno sustinenda animis, ac corporibus sunt parati. Itaque hanc sibi potissimam operam desposcunt, tutanda suis vigiliis mœnia. Paulus ipse, queiscum videretur, intentus esset consiliis; Ladislaus major filiorum urbis loca tutaretur; alter ferocior cum exercitu, ubi opus esset, exiret. Hoc modo suum quisque munus obibant. Creberrimè igitur ac sæpe in diem plures in castra eruptiones fiebant. Multi vel per occasionem expositi, vel ad opera aut ad custodias agentes capti in oppidum trahebantur, acsi quando manus conseruissent, raró non superior Lucanus redibat; nam & ad erumpendum intentiores, & in certamine acriores erant: quippe ut in oppidum revertebantur, aderant hinc cives, hinc etiam Domini, qui læti venientes liberaliter exciperent, ac præter jacula, & sagittarum balistas novum quoque teli genus invenerunt: gerebant manibus fustem cubiti, & alterius dimidii longum; huic suffixæ erant cannæ ferreæ, quibus item sulphure, ac nitro oppletis globulos ferreos vi ignis emittebant. Certa erat in ictu, si tetigisset, pernicies; nec arma, aut scuta satìs tegebant, quin sæpe duos, aut & tertium, si per ordinem occurrerent, una glande transfoderent. Itaque ob id maximè in castris timebantur; nam plerique eo malo fuerant interfecti. Erant autem Berardini, ac Nicolai divisa castra, simul ut diversis locis obsidio oppidanis gravior esset. Itaque & Lucani nunc hos, nunc illos eruptionibus infestabant, usque adeò ut nonnunquam alterum in periculum deducerent, tum præsertim cum impetu castra Nicolai eodem hoc mense, quo ista scribimus, sunt adorti. Ad duo pæne millia equitum, peditumque ad hostes exierunt. Quo velut furore perterriti, Nicolaus hinc inde, Raynerius castra deserebant, paulùmque absuit, ne Florentinus legatus caperetur. Jam fores perfringebant, illo super tecta auxilia conclamante, quum ecce alter dux Cardanus adventat. Illi metuentes, ne ab oppido excluderentur, obmissa insectatione Legati domum redierunt; priùs tamen in tumultu ipso deductis quatuor majoribus tormentis, unoque perfracto. Has appellant Bombardas. Aderat in certamine juvenis Carmelites, eo die per multa egregia facinora spectatus. Multi quoque abducti captivi; non enim effusè, verùm sensim cedentes sese in oppidum retulerant. Ictus item Nicolaus, quem maximè cupiebant vivum capere. Hoc modo est eo die pugnatum; ut facilè appareret Florentinos virium conatibus parum effecturos. Itaque ad artes atque ingenia vertuntur. Plerisque locis fossas excavant, contractisque gurgitibus Anserem amnem majoribus aquis augent, ut præcipitem, profundumque muris inferant, quasi mœnia submissis abyssis subrupturum. Magister ejus operis Philippus Florentinus, mirus hac ætate machinamentorum artifex. Fluit igitur acceptâ undâ ad muros gurges. Illi verò continuis aggeribus quàm maximè possunt contactu murorum prohibent, atque hoc tamen successit tribus diebus, per quos fluxus inundavit. Moluere Lucani rotis, quæ in flumine erant, tantum frumenti, nihil ut post eguerint, nec dies, nec noctes opere intermisso. Post tertium demum diem egressi portis, alii ad hostes proficiscuntur, eosque in pugna detinent, alii arpagonibus ligonibusque, ac dolabris inferioris viæ aggerem effringunt, qua emissus fluvius paucis horis opplevit agros, in quibus castra Nicolai erant sita. Ita simul & pulsi hostes loco, & oppidum præter quod farina adjutum, munitius eo quasi arvorum diluvio redditum est. In his prœliis captus inter ceteros est Florentinus civis quidam perditæ audaciæ, solitus proclamare ad muros, simul adjectis mille conviciis obscœna ostentans, simul traditurum minitans Lucanas mulieres, primumque ipsius tyranni in ludibrium, si unquam daretur oppidum capi. Id quum sæpiùs faceret, egressi quidam milites clanculò sub ripam procedunt, ac tum fovea magno cursu evecti hominem capiunt. Statutum ita coram tyrannus interrogat, quid ea faceret & visu, & auditu tam sordida; nihil plus respondit, quàm pueriliter fecisse: *At tu*, inquit Paulus, *pueriliter puniere*. Itaque traditus pueris in ludi morem lapidibus tanquam canis obruitur, digno suis moribus supplicio objecto. Nec triremes, quæ in mari erant, operam perdidere, quarum procursu omnis illa ora Pisani litoris malè tuta erat, ac nonnunquam per Arni ostium invectæ civitatem terruerunt; præcipuè verò Liburnis meruere stipendium. Nam ibi intra portum usque ad intimam turrim navem hærentem muro cepere, mirantibus primùm qui in turri erant, dein nequicquam balistis ac tormentis jacientibus; nunquam enim è tot ictibus ullam navem tetigere. Itaque navis capta, & abducta est. Erat autem triremibus statio portus Motroni. Omnia hoc modo utrinque infesta erant. Hi Lucam obsidebant; Lucani item crebris eruptionibus nunc longiùs provecti, Pisanum, aut etiam Pistoriensem agrum turbabant, nec non ea castella, quæ in fide, & potestate remanserant, sæpe in Pisanorum agros vagabantur. Inter hæc Antonius Senensis, ut videt sat provisum Lucano, quantum ad ferendam obsidionem pertineret, majores animo curas capit, si quo graviore bello possit Florentinos involvere, nihil habens gratius, quàm si magnis incendiis bella arderent, ipseque diceretur rebus materiam quæsivisse. Itaque Tuscum mare circumvectus, missis Lucam de consilio literis Genuam adnavigat: unde sparsis in plerosque cives dumtaxat arripiendi belli, nec (6) deserendæ Lucæ stimulis sese fert Mediola-

(6) P. deserendi.

diolanum, atque id quàm occultè potest, sic enim Philippus jussit, ne in publico versaretur; erant enim Mediolani Venetorum, & Florentinorum legati, quibus credi nolebat, se de ferenda Lucanis ope audire. Itaque legatos, præsertim Florentinum, nunc ambiguis responsis, nunc pollicitationibus, nunc etiam ludis, & solatiis, quamquam id magno suo sumptu, distinet. Antonius acceptâ licentiâ singulos Philippi ductores circuit, si quem possit Lucano conjungere: auxilium enim paratissimum erat, quum in armis copiæ essent; præcipuè adit Cotognolam Franciscum. Nec difficilè operam pollicitus, si possit à Philippo dimitti. Id verò impetratum. Itaque & de pecunia, & de equitum numero, & de tempore auxilii pacifcitur, seque ita collectis omnibus ad iter comparat. Philippus interim, ne id agere videretur, usquequaque literas dimittit, missum ab se Franciscum, nec ultra suis stipendiis acturum. Legati quoque ad suos scribunt, Franciscum à Duce ad Lucanos novo stipendio transivisse. Ea res Florentinis minimè læta erat, tum qui Philippi ingenium suspectum haberent, tum qui Franciscum gravem hostem scirent. Atque ille magnis copiis conductitiis veniebat. Multi quoque quasi statim in agrum Florentinum transeundum esset, exercitum sequebantur. Nusquam verò Petrucius aberat, qui fuerat fœderum interpres. Res tamen morante Francisco sub Alpibus lenta agebatur, sive ita Philippus vellet, forsan exploraturus, an propterea Veneti, ac Florentini ejus belli auctorem suspicarentur, atque ob id rupta prioris pacis fœdera objectarent. Florentini, quamquam se suis artibus peti videbant, tamen Venetis nihil moventibus rem pro ancipiti dissimulant. Itaque ex omnibus locis delectus contrahunt, quos in ipsis Alpibus locant, hostem inde prohibituri. Interea quàm maxima vi possunt, Lucam oppugnant. Sed jam Lucanum spes erexerat, cujus unius fiducia muros facilè tuebatur. Franciscus intra tertium mensem, quàm erat pactus, tandem sublatis signis Alpes ingreditur; plus ferme ternis equitum ac peditum millibus trahens, multo etiam majore fama ac spe quàm (7) copiarum numero. Ut quinto igitur die trajectis Alpibus in conspectum hostium vēuit, nam ad jugi descensum obstiterant, Nicolaus, ac Berardinus cum reliquo omni agrestium delectu, quibus parum freti rectores nullo pæne belli negotio ex loco discessere. Franciscus per Valles, quas priùs dixeram, à Florentinis captas, iter facit, ibi obvios quosque prædatur, nonnullis levioribus receptis, qui vel Lucanum Dominum cupiebant, vel ad subitam, & ferocem vim parum muniti videbantur. Inde se ad oppidum quàque concedentibus viam hostibus ducit; nec difficilè captas munitiones, quas illi ante mœnia construxerant, diruit. Ingredientem Paulus simul, atque universi Cives gratissimè accipiunt, liberatoremque, ac servatorem suum conclamant; tum Antonio agente partem aliam dudum promissæ pecuniæ accipit. Hinc de reliquo bello consultant. Antonius urget ultro inferendum, quippe apertam inde viam in quoscunque agros velint contendere. Nam etsi hostes tumulum insederant, qui Lucam, Pisasque medius interjacet, (locus Ripa-fracta dicitur) modo potiùs obsessorum, quàm qui viderentur tuendis rebus parati. Quibus relictis Franciscus in Pistoriensem agrum progreditur, ibique statim expugnatum viculum (Bulgianum vocant) aggere tamen ac fossa munitum, diripit atque incendit. Nec longè videbatur, ut Pisciam caperet, frequens ejus oræ castellum. Verùm (8) sive noluit, seu est revocatus, de media oppugnatione abcessit. Ibi primùm credunt à Florentinis tactum mentione pecuniæ. Alii novum animum incessisse Lucano, ut æquis pactionibus pacem cum Florentinis acciperet, itaque revocasse Franciscum, ne ultra ad perdenda alia tenderet: id certum est potuisse multa agi, quum jam pæne in agrum Florentinum via patuisset, nec Florentini Ductores satis convenirent, vel ubi, vel quibus viribus hosti occurrendum esset. Ac jam plerique & peditum, & equitum ambiguis & infirmis rebus turbati ad Franciscum transierant, nec longè ab secessione res erat, quum agricolis concessum esset, qui se ab injuria militum defenderent. Illi, qui furtis, ac prædæ essent consueti, ægrè omnino id ferebant. Florentini itaque hoc modo ut vident spem nullam armis, nec viribus esse, consilium ex antiqua arte capiunt, si fortè detur astu, ac dolis rem finire. Quem locum si attigero, vix forsan credetur per alium usquam potuisse evenire; literas illi diversas perscribunt, alias tanquam ad tyrannum in hujuscemodi sententiam, quasi jam de eadem re sæpiùs dedissent, atque accepissent literas; rectè illum facere qui rebus suis consilium cepisset, meliùs clementiâ Florentinorum usurum, quàm si acervandis injuriis contra tendat, paratos præstare omnia, quæ postulet. In nonnullis quoque ferebatur, tradituros in tempore ducenta auri millia, quibus locuples commodissimam vitam ducat, simul cum his alicujus castelli, quod nominabant, multarumque villarum possessionem, ut non amisisse, aut minuisse potentiam, sed mutasse videretur. Alias quoque velut ad Lucanos dirigunt, nominatimque aliquos designant, laudantes, atque exhortantes, id perficiant, de quo jam ante convenerant: Tyrannum aut trucident, aut pellant, seque ad libertatem vocent: id solum se eo bello quæsivisse. Plures in hunc modum conscriptæ per civitatem sparguntur, aliæ in manus civium, aliæ ad Dominum pervenerunt. Hinc penes utrosque atrox suspicio orta est, tum ut prona sunt ingenia semper deteriora suspicari, præcipuè tamen avaritia Domini omnia credi faciebat. Nam ante paucos dies plerosque civium pecuniam negantes acerbè mulctaverat, uno quoque ad necem tradito. Nec sanè ipse omnino abnuerim, potuisse hominem conditionibus inclinari, cui jam inciperet minui aurum, cujus ferme erat cupidissimus, ac repetenti stipendium Francisco ægrè proferebat: simul & de futura confirmatione agenti nunc dabat inducias, nunc negare videbatur. Multa hujuscemodi in suspicionem veniebant: Primus tamen filiorum cum Francisco in castris erat. Cæteri cum Antonio in Civitate. Verùm hoc rem impulit, ut cives facinus occuparent, quod in quibusdam

(7) P. equitum.

(8) P. & N. seu noluit, sive.

busdam literis de Antonii & Francisci morte referebatur. Itaque Francisci consensu Petrucius cum fratre, ac paucissimis civium in castrum receptus nocte, Paulo nuntiat, quo rem experiatur, vigilias ægrè fieri. Respondet ille, nihil jam se timere. Quo verbo permotus Antonius, fraterque ac cives jussis paucis adesse Dominum comprehendunt, aliasque per pontes custodias disponunt. Quibus Franciscus nuntiatis, ipse quoque Ladislaum capit. Omnis inde Civitas ad communem salutem erigitur. Tyranni bona partim publicè diripiuntur, partim in diversos tribuuntur. Ipsum cubiculum Pauli, ut erat opibus atque indumentis refertum, Antonio ab Civibus datum est. Quod erat auri, ac pecuniæ cum aliis tyrannicis ornamentis in publicum redactum est: Francisco pars armorum, atque equorum facta. Quæ ut Florentini viderunt non omnino, ut cupiverant, successisse, nam crediderant rem in tumultum ituram, seque inter seditiones vocatum iri, alteri partium futuros auxilio, inde ad susceptum facinus pergunt, Franciscum, ut, si possit, Civitatem tradat, pretio invitant; non tamen obtinuere. Itaque pecuniâ, ut abeat inoffensus, paciscuntur: quinque & triginta auri millibus feruntur convenisse, eo pacto, ut tres menses nulli deditus stipendio ageret; tum super hæc tempore expleto quindecim millia accepturus. Ille hæc pollicitus, Lucanos quoque edocet, non esse eam regionem armis hoc tempore aptam, ubi nunquam ferè herba appareat. Itaque sibi in animo esse ultra Alpes reverti, præsertim quòd ne pro ipsis quidem faciat tot copiarum onere premi: relicturum paucos, qui mœnia defendant facilè. Ita ab illis quoque pecunia redempta, trans Apenninum ad Mirandulam, ut fœderibus conventum erat, redit. Hoc modo in ea expeditione operatus, munitiones, quibus oppidum sepserant, eruit; sibi tamen undique super centum auri millia id negotium mercatus. Ita Lucani iterum Florentinis dedendi angustiore rerum copia relinquuntur. Scribunt tamen ad Florentinos, se jam in libertate esse, quod se illi bello quæritare dixerant; tum orant, patiantur Lucam suis legibus uti, ac velle Florentinis aliquo publico munere subdi, modò libertatem habeant. Florentini respondent, initio quidem id licuisse, nunc & difficultatibus laborum, & magnitudine effusæ pecuniæ eò rem venisse, ut necesse sit Lucanos servitutem fateri, nec secus quàm agrestes, quo loco Pisanos habeant, velle illos accipere. Iniquissimæ conditiones erant, ut planè constaret civitatem in solitudinem ituram. Itaque statuunt omnia potiùs ferre, quàm se in id jugum perdant. Senensibus quoque interim res anxiæ fuerant. Quippe & Franciscus ratus, inde quoque pecuniam posse haberi, complures Villas in Senensi agro repetebat, quas illi dudum patri, dum in Apulia captus haberetur, abstulerant, & Florentini præter quòd Franciscum instigabant, pravis indiciis minitabantur, ut planè appareret, quod brevì sperabant, captis Lucanis Senas ituros nec vulgò dissimulabatur: jam undique ad ludibrium sparsi cantus erant. Senensibus nullæ erant copiæ, nullus omnino exercitus. Una quoque spes ceciderat, quòd putabant Philippum jam periculum Lucanum pro alieno accipere. At id longè quantùm rebus apparuit, secus erat: ut intelligas imperio consuetis alia esse ingenia. Philippus omne (9) id tempus, quo Florentini Lucano bello exercebantur Nicolaum Parvum cum pedestribus copiis in Liguribus habuerat, atque ille rem omnino egregiè gessit. Quippe relictis domi equis omnes secum pedibus traxerat, primus ipse in viam pergens, nec hyemem veritus, pedetentim in hostiles agros succedebat, dispositis, ut quemque Montem ceperat, per juga munimentis, ut sæpe cogerentur inter medias nives cibum ac noctem capere. Ita pugnando, ac perdurando id omne Ligustinum litus ex Genua usque pæne ad Macram Etruriæ, Galliæque terminum domuit, quaqua ibat, barbaris, villisque incensis, usque dum omnem oram sub Philippi potestatem redegit. Magnum ferme hac nostra ætate opus, & quod nemo tentaverat, nec fieri posse crederetur, per tam invios montes ductari exercitum posse. Verùm omnia ductoris virtus, constantiaque superavit, quæ res illi ad proximam gloriam viam fecit. Antonius ægrè patiens servatam adhuc Civitatem ad Florentinos prodi, sumpto secum Paulo (10) unà, ac filiis vinctis, parata ad id triremi, Genuam vehitur. Captivi paucos dies in arce servati, post imperio Ducis Papiam ducuntur. Ipse singulos quoque civium manu prehensans Lucanam calamitatem deplorat, precaturque, ne Urbem egregiam ad ruinam, atque interitum rapi velint; quam præsertim multis suis casibus amicam, sociamque accepissent. Denique in publicum concilium inductus orationem habuit, cujus modò visum est partem in hunc locum transferre; præsertim qui etiam literis ornatus ad dicendum mediocriter instructus erat: *Non igitur*, inquit, *ipse huc hodie, Patres amplissimi, tanquam alienæ, aut incognitæ causæ legatus veni: verùm quod antea per hos dies singulis exposui, idem nunc vobis, ut cerno, publicè convocatos refero. Nec tametsi credi velim vestræ Reip. amicus, & Genuensis gloriæ haud mediocris cultor, ea omnis cura, & causa hujus orationis est. Id tamen vestri hospitii sanctitas* (11) *facit, quicquid commodi, aut salutaris rebus vestris afferre possim, id omne tanquam coactis viribus conferam; sed me inprimis humanum periculum, humanaque salus movet. Lucanæ Civitati, ut omnes cernitis, novissimum imminet exitium. Quod si eveniat (quamquam nolim tam triste omen extulisse) vereor, ne id genus calamitatis sit, quod stantibus quoque & à tanto periculo remotis deplorari conveniat. Nempe Florentinus hostis est: ille, qui nunquam non & damna sua, & commoda æquè alienis ruinis replet. Sunt exemplo, miserabile dictu, pleræque Tusciæ Civitates, quibus si hæc accesserit, nihil est quo non de Etrusco nomine actum putemus. Soli provinciam facient: soli ordines habebunt, soli Etrusci, ac liberi vocabuntur. Non est quòd de patria querar, id enim mecum licet; verùm ita arbitror, ne vobis quidem ea res neglgenda est, qui civitatem audiatis, & vestro nomini amicam, & sæpe vestris casibus tanquam hospitalem funditus pulsari: protinus habendum erit tam illustris ruinæ spectaculum; nihil enim illi referre putant, mox eruantur,*

(9) P. illud.

(10) P. ac filiis.

(11) P. fecit.

tur, an sint Florentino accepto jugo, quotidianis excidiis eruendi. Nisi parum fortasse docet Pisana calamitas, quam nemo est qui non facile possit huic timori justum documentum dare. Audietis igitur sociam, nec longè finitimam civitatem, eisdem ipsis referentibus, quod (12) jam dudum Pisani faciunt, ad ultimum exitium venisse. Tum dolebitis, ac fortasse mœrebitis ereptas vobis tot opportunitates, quas illi & commoditate ingeniorum, & multorum artificiorum curâ, præcipuaque erga vos humanitate, huic Civitati suppeditabant. Sic pereunt ubique negotiatorum operæ, dum desolatis urbibus nemo est, quocum aliquid privati, aut civilis transactionis expedias. Quamquam fortasse ista vos parum movent, nec valde veterem gloriam expetitis. Ego tamen memini me apud Genuenses verba facere, illos ferme, qui semper huic mari imperitarunt. Nunc ipsi jacebitis, ac cæteris magna spectantibus languescetis, aut expectabitis, dum vos ipsa necessitas moveat: non enim longè à finibus vestris incendia sunt: paucos passus? Luca ultra Macram fluvium est, unde ipsi vestra confinia agnoscitis. Hanc hostes vestri velut arcem primam adversùm conatus vestros semper habebunt; & qui in mari longè imperium tenetis, domi ante oculos objectam alienæ invidiæ nubem patiemini? Credent omnes terrestri dominio cessisse, nec scire præterquam in fluctibus vires agere. Hispani, Galli, Veneti, nunc etiam Florentini terra marique pollebunt. Vos uno elemento contenti, alterum quieti spectabitis, tanquam eo securiores futuri, quòd cum gloria laborem fugiatis. Verùm ego, ne non dictum dicatis, sic arbitror. Vos, an ita res se habeat, cogitate omnem hanc belli ostentationem in vos, atque in vestras res factam. Quippe illi jam ex vestra possessione Liburnas habent, Portum Veneris, alteram virium vestrarum partem ad Hiberos transferre coëgerunt; cives vestros cum magnis viribus in vos armatos tenent. Lucam si distraxerint, mox fient Genuensibus pares, ac propinqui. Ita dum initio quæque res contemnitur, demum fit spernenti noxia. At nunc, si mihi creditis, tempus venit, quo eas cogitationes nullas faciatis, quibus illi se totiens nomini vestro inimicos objecerunt. Primùm ne dubitate, (13) si quid Lucani, servatis antiquis opibus, possunt, non id omne in vestra manu ponere. Nec opus est Philippum vestrum Dominum in hoc bellum trahatis. Satis fuerit (quod facile opinor), dum ne ille consilia vestra avertat. Nec tamen nihil afferret huic bello Philippi nominis terror; semper enim Florentini suspicabuntur, inde vestros conatus nasci. Denique nescio quis eam rem difficilem suspicari possit, quæ & in rem tam honesta est, & in speciem tam pulchra. Quamquam quid opus est, ego vobis hujus belli genus, aut exitum commemorem, qui totiens estis illorum vires vincendo experti? Præclarissimum verò Ducem vestrum Philippum, ut per extrema terrarum jure, ac (14) nomine vestro notum fecistis, ita nunc illius arma, & leges hinc in Etruriam, quò jam pater intraverat, vestris viribus reducere potestis: eodem pacto rebus vestris securitatem, ac dignitatem quæsituri. Nam ego, quoniam ita existimo apud viros præsertim Genuenses non pluribus verbis opus esse, hoc tandem referam, vos obtestatus, solita auctoritate prudentiaque accipiatis, si quid detrimenti Lucana Civitas Florentino bello patitur, id vestris rebus deperire. Quæ quum Antonius dixisset, multaque videretur apud illos principes tantæ rei admiratio, Bartholomæus, quem Mediolani Archiepiscopum Philippus gubernandæ Genuæ præfecerat, Antonio pauca refert: Gratias esse illi à civibus, quòd intelligerent amico animo ea dici; verùm ejusmodi negocium esse, ut non magis virtute, quàm consilio egere videretur: itaque habituros ex more publica colloquia, tum relaturos, quid Civitati placeat. Antonio paululum submoto, Præses repetitâ legationis causâ singulis edicit, quisque domi cogitet, quæ è tanto facto publicæ saluti conferre arbitretur. Ita concilium dimittitur; ut tamen appareret, rem jam animis suscipi, jamque ab universis bella spectari. Postera omnes in Palatium conveniunt, nec ambiguum illud concilium fuit. Omnibus idem animus Lucanos juvari, ac defendi oportere: sciscitanti gubernatori singuli, universique bellum decernunt, ni Florentini Lucanos in pace, & libertate sinant. Ita in concilium Antonius reducitur. Præses voluntate omnium, ut erat eloquentissimus, cui facta etiam placuerant, respondet: *Sive, inquit, legatus ad hanc rem venisti, ac Lucani te pro explorata in multis rebus Genuensium fide, ac caritate quærendi auxilii oratorem decreverunt, sive ipse misericordiâ Civitatis patriæque tuæ memoriâ, & providentiâ factum detulisti, ego tibi pro Genuensibus ita refero. Tametsi res videbatur diutioribus consiliis proferenda, quæ pro sui magnitudine actitatos consensus exigeret; quòd tamen ita intelligunt, in discrimine Lucanos esse, nec eas difficultates longiores inducias pati, citiùs respondent, quàm ex more faciendum videretur. Meminere Genuenses, vetus jam sibi cum Lucanis commercium esse, ac præterea quæ ipse hoc loco verissimè retulisti, multa Lucanorum in hanc Civitatem beneficia commemorant. Itaque & dolent jam, & mœrent, ut sociorum injuriam, & calamitatem decet, quos præsertim videant indignis atque injustis bellis lacessitos. Scire item se, illos in ea pace conscriptos, quæ est post proximum bellum inter Florentinos, & Venetos diffinita. Multi præterea Lucanos meminerunt, commissos quondam huic Civitati socios; itaque in animo esse, quoad ipsi possint, ac per Philippum liceat, Lucam defendere. Hoc publicè decretum est, hoc ita accipias, in animo esse Genuensibus, ne Florentini sociam civitatem perdant. Tu sive ibis, sive aliud agens, hic maneas, Lucanis renuntia Genuenses eorum salutem curæ habere, atque ita fidem voluntatemque amplecti; fortiter sustineant, visuros brevi amicorum auxilia, bellumque in hostes conversum, quod nunc ipsi patiantur.* Lætus ad hæc juvenis nihil ultra, quàm gratias, quas vel ipse posset vel Lucani jussissent, retulit. Dehinc literis Lucanos docet cum Genuensibus firmatam deditionem esse: omnia tolerent, dum relatis ad Ducem conditionibus expeditio decernatur. Sic post Genuenses continuatis diebus rem novis consultationibus probant. Quippe eo tempore vacuos bello, meliùs juventutem in armis futuram, quàm si domi senescat. Semper quoque ita consuesse; maximum juvamentum Genuensibus Florentina bella esse, quos sinè periculo oppugnare possint; nunc venisse tempus, repetendis Liburnis: hanc justam fore causam vindicandi juris, quod supe-

(12) P. jam Pisani.
(13) P. siquidem Lucam servatis, & antiquis.
(14) P. nomine notum.

ſuperiore Philippi bello abſtuliſſent; nunc ulciſcendarum injuriarum occaſionem paratam. Ita legatos primùm ad Ducem (15) inſtituunt, qui doceant neceſſarium Genuenſibus eſſe id bellum, nec poſſe verti, quo minùs Lucam tueantur. Alios ſubinde, qui Venetias pergant exploratum, quidnam illi de eo bello ſint facturi. Tertiam quoque ad Florentinos legationem, ut ſciant Lucanum periculum in manu eſſe Genuenſium. Primi cum Philippo rem expediunt, nec enim rem valde ingratam afferebant, & planè docebant nullo pacto tutum eſſe Genuenſibus eam rem negligere, qui & Lucanos veteres ſocios perditum irent, & Florentinos graviſſimos hoſtes in viciniam acciperent. Sic ſecundi ex Venetiis retulerunt, antiquam pacem conſtare, nec mutare quicquam Venetos, ſi Genuenſes cum Florentinis bellum gererent, modò ne quid detrimenti Veneto nomini afferret. Fidenter illi, ſi ad vos pertineret, vobis quoque indiceremus bellum. Nunc conſtare videtis, nihil veſtrum eſſe, quòd cum Florentino pro Lucanis bellum agamus. Ita contenti fœderibus diſceſſere. Tertia legatio non æquè gratos offendit Florentinos, quum Genuenſium mandata retuliſſent, Lucâ Florentinus abſtineret, revocaretque ab ſociis, ac deditis bellum, quin & de Liburnis illata mentio eſt. Oppidum illi ante (16) quartum decimum ab Thoma Fulgoſio emerant, qui tum erat Genuenſium Dominus. Nunc itaque civitatem id repetere, quod iniquo pretio uſurpaviſſent. Tota legatio actionum plena erat. Legati Principes Genuenſium, ut patrio more (17), magnificè loquebantur. Ad hæc nihil ferè ultra ab ſummo Florentinorum Magiſtratu eſt reſponſum, quàm non eſſe liberos homines Genuenſes, qui antiqua, & tyrannorum ſuorum conventa repeterent: ſub Philippo eſſe, priùs accipiendam ab illo fuiſſe legationis auctoritatem, ſi quid ille repetat, paratum Florentinis quid reſpondeant. Viſa oratio intoleranda legatis, ac nomini Genuenſium; ſic non ultra loquuti, per iram ſeſe ex Florentino concilio proripiunt, quàque incedebant, querelis, minisque omnia inflammantes; ut ex palatio in plateam venêre, circumfuſi multi civium rogant, quænam ejus turbæ cauſa ſit: Nihil illi præterquam monſtraturos, Genuenſes liberos homines eſſe. Indigna res Florentinis quoque viſa, per contumeliam reſponſum legatis, præſertim Genuenſibus, tamquam alieno tempore; itaque pergunt, ſi poſſint, legatos placare, non publicam eam voluntatem, ſed publici Magiſtratus inſolentiam fuiſſe. Nec propterea morati Genuenſes, conſcenſis equis ſeſe ingentibus minis ex Urbe efferunt, mox rapido equitatu ad ſuos reverſi: neque ibi minus actitatum turbæ. Vix in concilium recepti Florentinorum reſponſa expoſuerunt, bellum publicè non modò decretum eſt, verùm etiam juſſum maturari. Delecti decem nobiliſſimi, ac potentiſſimi, qui rem curarent. Spinolanis præcipuè indicta ejus rei adminiſtratio. Senenſis interea exultat, plus jam voto videns bella excitari. Florentini ex eo diſceſſu indictum bellum haud falsò opinati, undique equitum, ac peditum ſtipendia contrahunt. Antonium in primis Guidonem Faventinum, de quo ſupra retulimus, quadringentis ac mille equitibus conducunt. Alium Antonium Comitem Urbinenſem millenis advocant; ſimul illi honoris gratiâ caſtrorum gubernationem mandant. Homo ætate, quàm experientia gravior. Datum gerendi belli Vexillum profectus in caſtra malè ſuſcipit. Genuenſibus unum placuit eſſe belli ductorem Nicolaum Peruſinum, cujus virtute pro illis Philippus jam tanta paraviſſet. Unum præterea Florentinis hoſtem, quem illi publicè anteacto bello deſertorem appellaverant; nec minus infenſum Chriſtophorum Lavellanum, quod pro Philippo bellicoſius, quàm antea, ſecum egiſſe videretur. Eodem modo alios conducunt; omnes verò ex copiis Philippi ſcribebantur, nec longè à Macra erant, jam dudum per eas Alpes Liguſtinis bellis aſſueti. Ea res paululum movit Venetos, ne ſe Philippus per ſpeciem Genuenſium nominis ei bello præficeret, non dubio momento, ſi de Lucano negotio bene ſuccedat, futurus Tuſciæ Dominus. Itaque inſtigantibus præcipuè Florentinis (nunquam enim deerant Venetiis legati) literas Mediolanum ſcribunt, mirari ſe, quòd Philippus eam rem ſuſceperit, quæ adversùm ante habita fœdera videatur. Quippe conſtare ejus belli auctorem, cui ſolus præſidium ferat: ipſe videat, ne quid ei paci obſit, quamobrem videatur ex conſtitutis fœderibus diſcedere. Ad ea Dux per legatum communem reſpondet, nihil ſe opinari adversùm pacem ſuperiorem factum; dediſſe quidem Genuenſibus exercitum, quo utantur; id velut amicis præſtitiſſe, licere ipſis quoque, ſi Florentinos juvare velint, quemlibet ex Ductoribus ſuis ad Florentinum auxilium dimittere: ſe abundantem copiis nihil negaturum Genuenſibus, quos præſertim videat, ſua potiùs tueri, quàm aliena quærere. Miſſi item ad Venetos libelli pactorum, quæ Duci cum Genuenſibus erant, quibus id præcipuè continebatur, Genuenſibus liberum eſſe quemcunque aut ſocium, aut hoſtem habere vellent, modò ne id Philippo obeſſet. Ita haud ſatisfactum, aut occurſum Venetis, qui præſertim meminiſſent ſuperiore bello Genuenſes quietos ſtetiſſe, nec Philippum ullis viribus juviſſe. Nec ſanè viſum in præſentia commodum, pulſare Philippum bello, quem viderent, unum totius Italiæ potentiſſimum, magniſque & viribus, & conſiliis inſtructum, amicitiis quoque vel Summi Pontificis, vel ſoceri munitum, cujus item nomen videbant apud barbaros quoque frequens. Quippe ferebatur, & terrâ omnes tranſalpinos Duces, & mari hinc Pœnos, hinc Macedonas ſibi conjunxiſſe: in armis ſanè habebat paulò minùs duodecim equitum millibus. Sive itaque redditis rationibus contenti, ſive tempori cedentes, quanquam fruſtra tendentibus Florentinis, tum quieverunt. Nicolaus mandato Genuenſium Macram tranſgreditur, indeque communitâ Petrâ-Sanctâ cum pleriſque caſtellis, & vicis, quæ reſtiterant, hoſtes perſequitur. Illi parum viribus freti, ſeſe intra Anſerem concluſere, ex ripa fluminis venientem prohibituri, ac præter altitudinem amnis, qui tum maximè quotidianis pluviis excreverat, aggeres undeque-

(15) P. reſtituunt.
(16) P. XIII. annum.

(17) P. ut primos mane.

que construunt, unis relictis munitionibus ultra flumen, quo hostis aliquo bello impediretur: eodem modo inter Lucam Pisasque agros stationibus impleverant; ferebantur sanè haud minùs quinque millibus equitum in castris esse, peditum tria millia erant conductitii, ex delectu subditorum dena ferè millia scripta dicebantur. Ductores primi Guido Urbinensis, Berardinus Cardanus, Antonius Faventinus, Nicolaus cognomine Stellæ Perusinus, Raynerius, qui primùm à Lucano secesserat. Minore numero Parvus veniebat, seu Genuensium Ductor, seu Philippi legatus, quanquam datis Commissariis, qui præsentes consiliis, ac rebus interessent, unus Genuensium Princeps .... Verùm castrorum imperator Nicolaus & animo, & robore, & recenti gloria fidentior quàm esset Florentino Urbinensis. Solus præterea qui diceretur munitionum & Castrorum artifex, Vir militaris adhuc Brachianarum cohortium memor. Itaque ut ad flumen ventum est, quod jam armatis præseptum erat, exercitus substitit, ibique aliquot dies stativa habita. Interea levibus prœliis Florentinarum munitionum milites monet, quietem agant, ita illis bonas inducias servaturum, undique verò itineribus præclusis commeatu arcet, ratus non posse diu absque novis invectionibus subsistere. Sequebantur in litore onerariæ naves, quæ Nicolaum omni rerum copia juvarent, aliæ item dispositæ, duæ cum geminis triremibus, ne quid in ostium Arni Florentinis influeret. Quamobrem facta apud illos intolerabilis omnium rerum inopia tum inde rariores, segnioresque ad flumen custodiæ erant. Parvus interim jubet, amnem diversis locis tentari, qua fortè minus habeatur profundi: repertum, ac relatum ad tria infra Lucam passuum millia vix quinque pedes altum esse: ferunt duos hostium equites transeundo vadum ostendisse. Itaque in posterum diem exercitum parat: ex navibus magni commeatus deducuntur, quos oppido, si nihil aliud possit, inferat. Ut dies est factus, armato ac parato exercitu ad locum pergit, manusque ut in acies structæ erant, trajicit; primum equitatum, subinde peditem mandat, uti gurges patiebatur, quemque retentis armis succedere. Ita dispositi omnes, ut ripas ceperant, in agros evadunt, qui erant è regione transitus amplissimi. Non defuit tamen hostis; id enim ante providerant, dum adversùs copias cernerent in eum locum tendere, ac supra quàm dimidio plures erant, sed animi longè utrinque dispares. Nicolaus, & antequam trajiceret, & in transitu ipso militem, ut erat cibo refectus, multis quoque verbis hortatus est, nunc virtute agerent, qui mox essent in agris hostium futuri, quos illi jam dudum objectu fluminis ægrè tuerentur: facilè dari terras his, qui aquarum ambitum superarent, eam, quam ante oculos cernerent planitiem, non Lucam modò, verùm Florentiam usque protendi; quid igitur in plano dubitare possent, qui juga montium, omnemque per medios Ligures Apenninum cepissent? Hinc jam dives bellum oriri, quod in Tuscia facturi essent, aditumque hoc transitu aperiri, quo postea, uti cuperent, per Etruscos vagarentur. Egregium quoque, ac pulchrum viris facinus, qui uno ictu audaciæ non modò Lucam, verùm in primis Pisas, & quicquid Florentino malè subjectum est, liberarent: denique non certamine adversùs segnem turbam, sed labore ad vim fluminis arcendam, indeque manu ad dejiciendos tramite hostes opus esse, modò maturarent, dum alter alteri esset ad transeundum, conscendendum, pugnandumque proximus. Jam Fiorentini in agros superaverant, paulò altiùs ad lævam Lucam versùs, quo iter impedirent. Ibi primùm consertum. Faventinus, Perusinusque longiùs suas alas extenderant: uterque adolescens, & animo, & virtute nobilis. In hos primùm Lavellanus aciem direxit, neque defuit adolescentibus contra Virum fortem audacia. Ubique verò Nicolaus hortator sollicitus aderat, nullo boni ductoris officio prætermisso. Apud Florentinos vix ordo erat. Princeps Urbinus rarus per aciem visebatur: non equiti, non pediti certum erat imperium: hi latus ad acies adolescentulorum conjunxerant, in quos primùm Antonius Pisanus & vir, & hostis Florentinus, ut qui patriam eo bello spectaret, impetum facit. Sic paululum æquatâ utrinque pugnâ, certamen stetit; ac jam pæne primi Genuensium cedebant, ut qui longè pauciores à pluribus premerentur. Id ubi Nicolaus advertit, quod optabat, juvenes permixtos bello hinc Antonium docet audacia, ac vi adversùs peditem opus esse, quantum itaque possit enitatur, dum eos longiùs ab equite rejiciat. Quod ille acceptum impigrè facit: paucis pugnatioribus deturbatis, haud difficilè omnis peditum acies repellitur. Octingentos, quos ex Luca eduxerat, in dextrum equitatum immittit, ipse cum suis (quadringenti ac mille erant) minaci robore ex secunda in primam aciem decurrit. Sic undique Mars manu atque animis agebatur. Florentinus ductor longè inter extremos erat. Quemdam ex suis interrogat, quo in loco res sint; ille respondet, acies turbari, remque ad Nicolaum pedetentim venire; omnino caveat, ne se bello implicet, non visurum unquam Urbinum suam, si corpus in aciem ferat. Cardanus quoque id socero plus quàm sibi veritus, ductorem in fugam pellit, simulque apprehensum raptis equis intra Pisas locat. Quippe maximum periculum erat, si Urbini ac Eugubii Dominus in potestatem hostis venisset. Prœlium diremit Victoria. Quippe ut Nicolaus alam fecit, omnes repentè sunt collapsi: non medii, non extremi stetere, incursantibus latus suum Lucanis, quorum sanè fuit eximia ejus certaminis opera. Ita equitem eques pedes peditem pepulit, parva tamen ut hoc tempore hominum cædes, præter quod ex delectibus dum sinè ordine in fugam ruunt, (18) ad Ozarum pulsi, pæne ad ducentos mersi feruntur. Multi ex eo numero capti, servatique omnes, ut per capita redimerentur. Quæ fuit causa, ut præcipites per pontem, atque alveum effugerent, qui tum sanè paulò plenior undis excreverat; nec longè inde Sergium ingreditur, quo etiam maximè altior est. Plus ferme dimidio equitatus captum, ipsique adolescentes, ut fama affirmat, cum Raynerio, & ceteris ductoribus capti, sed qui cepere, protinus ex ipsa acie liberos dimiserunt. Cæteri Lucam ducti; verùm in sequentes dies equis, & armis nu-

(18) P. Adozarum.

nudati lege armigerorum dimissi sunt. Adolescentes comitantibus paucis, tria inde millia passuum Ripam-fractam, vicum medio inter Lucam, & Pisas tumulo, contendêre; diffisi loco postea Pisas evadunt. Nec moratus Faventinus Florentiam pergit, omniaque timore, ac fuga implet; sic enim sperabant, Nicolaum, mox prostratis omnibus, ad mœnia venturum; quum nemo se ex bello ostenderet, qui laceros, & fugatos colligeret. Nec dubium, id Parvo licuisse, cui occurrente nullo Florentiam usque iter pateret. Cæterùm sive hoc est victoriæ vitium semet ignorare, sive, ut ferunt, Nicolao mandatum erat, ne ultra pedem quàm servandis Lucanis efferret, sive aliud quippiam intercessit, Lucæ restitit invectis è mari commeatibus, omnique rerum copiâ importatâ. Adolescens Perusinus sibi ex Florentinis impetrat Heram Villam Pisanam in Florentino itinere (19) sibi custodiendam dari. Ibi primùm cognatos Antonii spoliat, pellitque, tum cætera omnium ferè egens pro libidine fœdat. Nicolaus paucos moratus dies mandato accepto in Apenninum regreditur, paucis conquisitis Lucanorum castellis, aut vicis, quæ antea ad Florentinos vi aut pactis transierant, Collodo, cujus expugnatio longior videbatur, dempto. Ibi inter Alpes residua quædam expugnat, captis Nicolanis, Carrariâ incensâ; locus est marmoris copia felicissimus. Sic omnes ejus oræ incolas partim metu, partim conditionibus excipit, Pontetremulo (id est velut Alpium Claustrum) ad deditionem coacto. Id factum est, ne quid spei Florentino in exulibus Genuensium esset; liberumque ex Gallia per Ligures in Tusciam iter haberetur. Interea Florentini, tametsi læti audiunt Nicolaum excessisse, quippe nihil versùs Lucam servaturi, si cum exercitu ille venisset, tamen pro tempore cætera confirmant. Ac primùm veriti Senensem nutare, quem noverant & societate Ecclesiæ, (20) & conscriptis stipendiis auctum, legatos Senas mittunt; quin & ex Venetis impetrant, eòdem aliam legationem mitti; ita simul utræque legationes (21) Senis conveniunt. Florentini omnia velut cum fraterno populo dissimulant, finguntque nihil esse rebus deperditum, nova ac majora auxilia se habere, Senensibus amicis optimam spem nuntiare. Venetus quærit quis hic metus, quæve suspicio Senensibus erga fratres Florentinos accesserit: paribus verbis de amicitia, ac fide utrisque publicè responsum: verùm dati ex primoribus tres, qui cum Veneto privatum colloquium haberent. Hunc igitur, ut convenerunt, (22) præsentes multa docent, quæ adversùm Florentinorum fidem, ac benivolentiam essent. Nam præter quòd eo tumultu, quem biennio ante passi erant, coacti sunt omnia, Florentino quæ collibuissent, facere, paulùmque abfuisse, quin illius injuriâ bellum acciperent: nunc novos libellos aperiunt, quibus planè demonstrarent, Florentinam fraudem, vel quòd in castellis Senensium proditiones quæsiverint; tum quòd Franciscum paulò ante adversùm se instigaverint: tum quòd ipsi bellum per se intenderint, ne se scire ob aliud servatos, quàm quòd auctoritate Philippi Franciscus quietem tenuit. Ob

A has res coactos se vires parare, non quîs Florentinos offenderent, sed illorum caverent insidias, quippe manifesta esse indicia, non se Florentinis fratrum, aut amicorum loco haberi, sed obnoxiorum, & deditorum fortunæ servari; itaque sibi in animo esse, quoad viribus, aut (23) animis possent, libertatem suam salvam facere: se demum omnem eam causam Venetorum fidei, auctoritati, prudentiæ commendare. Ad ea Venetus admirans, nihil ultra respondet, quàm nihil se habere, quod respondeat, præsertim qui non hoc in mandatis haberet, inter Florentinos, Senensesque judicium facere. Verùm si quid inter se partium haberent, id vel amicè componere, B vel acceptum ad Venetos referre; itaque gratum fore, si libellorum exemplum præstent, quod ad suos referat. Veneto quidem Senenses sociorum loco haberi, quorum ita sit optimum voluntatem relaturus. Nec, si Florentini non necessariis bellis, qui ferè illorum mos, morbusque est, se implicent, Venetis in animo esse, ut per facinus ad societatem jungantur: nec jam perpelli, aut pellici posse, quemadmodum superiore bello, ut cum Philippo viribus congrediantur. Interea quum tempus esset creandorum in sequentem annum Magistratuum, coacto concilio extra ordinem de Antonio referunt, C nec res fuit dubia: numerus erat in palatio magnus vulgi, itaque jactis in sortem suo more lupinis, undique alba valuere. Declaratus Antonius populi ductor, quod est illis summi Magistratus caput. Id ratus Florentinus ad se pertinere, mox Urbe egreditur, sociis omnibus, ut ferunt, pennam Fasianam capite gerentibus, quibus significarent, Senenses capite detecto adversùm Florentinos esse, posteriora in modum avis obtecta habere. Sic Venetus abeuntem Florentinum sequitur, omnes in agro Florentino oleâ coronati, ut agricolis pacem simularent. Inde Antonius proximis Januariis ex Luca Telamonem devectus, in Patriam magno suorum D desiderio redit: nec quicquam in Urbe superfuit, quod non venienti occurreret. Major alienis armis, atque equis, & insignibus videbatur, Pauli gazâ factus locuples. Tum Kalendis Magistratum ingreditur. Eodem ferè die abs Philippo legatus vênit ferme exploraturus, quo consilio ad hanc Genuensium, atque ipsius Philippi societatem consentirent. Nec multo post quo major esset rebus auctoritas, Franciscus Spinolanus, primus ferè Genuensium ab Duce, secutus. Senenses præcipuè auctore Petrucio facilè operam pollicentur. Missus inde cum Francisco ad firmanda fœdera unus è primis Civium Antonius legum peritus, atque hoc modo Senenses Philippo, E ac Genuensibus accessere: sic usquequaque legationes agebantur, quærentibus Florentinis, cuinam sese adjungerent, aut ipsi quem sibi adsciscerent, quo majores essent viribus. Palàm enim cernebant potentiam Philippi his rebus crescere, cui dudum essent impares. Ad Franciscum item Cotognolam concursus legatorum erat; hinc Florentinis, hinc Venetis ad stipendium evocantibus. Verùm frustra. Nam is jamdudum ut publicè quoque prædicabat, velut in clientelam Philippi cesserat; neque irrita prædicatio;

(19) P. custodiendam.
(20) P. & stipendiis.

(21) P. conveniunt. (22) P. multa,
(23) P. animis, libertatem.

dò; factus enim est, mox ut Mediolanum venit, gener Philippi haud dum nobili filia, quam ex concubina, nobili tamen Maynum familia: utque sanè nullo consensu adacta indigna esset quocumque turpi nomine. Juvenis egregius, successu rerum, quàm genere nobilior, ex Cotognola oriundus, Beneventum in Samnio cum pluribus ejus oræ castellis tenebat. In Umbria quoque Aquipendentes vocatos, natalem villam inter Imolam ac Padum municipium esse dedit. (24) Sub idem ferè tempus Martinus Rom. Pont. letargico morbo rebus defungitur: vir sanè hac ætate illustrissimus, ut nec patres meminerint, plus Ecclesiam Imperio, aut pace floruisse, quippe omnia reliquit Ecclesiæ subjecta, quæ vulgò ex patrimonio illius feruntur, sive inde per omnem Campaniam, sive hinc omnia in circum Perusiam versùs, tum cætera, quæ ditionis ejus esse solent, Bononiâ demptâ. Hanc secundo jam anno obsidebat. Reliquit præterea, quòd Ecclesiæ redderentur centum millia auri, nec pretii minus argento, atque auro cælato; tandem pretiosis lapidibus ac margaritis, quibus Papalis Oratorii ornamenta vestiret. Superstites ex fratre tres Adolescentes, alterum Cardinalem, alterum designatum Salerni Principem, Adoardumque Alviensem Comitem, adjunctis, quæ trium Comitum fuerant, in ea ora populis, & Castellis. Pecunia summa, quantam non credi posse existimant. Hæc pars Genazani, quod erat illius natale Castrum, proindeque ab illo velut ad delicias renovatum; pars in arce cava, pars Viterbium versùs in arce Soriana nepotum nomine servabatur. Fuit hominis mirum ingenium, quippe pro ultimo Pontifex designatus primus semper esse voluit. Unum illi perpetuum studium pacis, qua haud minùs lætam reddidit Tusciam, nec minore hujus ætatis miraculo, quàm olim clausæ jam fores haberentur. Denique quum esset humani ingenii, gentibus tamen & se metuendum præbuit, & Ecclesiam ipso Imperii nomine verendam, postremò in omni vita non tolerandus modò, verùm etiam laudandus, atque imitandus, si non una tantùm potuisset avaritia, non in eum extrema ætate ingressa, sed ex eo patefacta, ut quæ cum homine nata esset. Nec tamen vi, ac rapinis eam pecuniam conflavit, sed quæstu, & utendi parcitate, ac velut arte cumulandi, quam salva quadam humanitatis specie semper exercuit. Ex amicitiis nullam neque clariorem, neque utiliorem, quàm Philippi reliquit, cujus, si verum dicendum est, ope quidquid hoc Ecclesiæ cernimus, quæsivit, & auxit.

(24) N. partamque à Patre potentiam & gloriam in dies virtute augebat.

F. B. ANDREÆ PATRIÆ HISTORIÆ LIBER OCTAVUS EXPLICIT.

INCI-

INCIPIT NONUS.

A Sic dum pacem modò contemnimus, modò repellimus, omnes sumus bello impliciti, nec quisquam è tanto furore innocens. Quod solum pacati steterat Ecclesiæ regimen, mors Martini novis rebus perturbavit, ut jam non magis cernere liceat, quis majore injuria ad bellum accesserit, quàm quis tantis rebus futurus sit exitus. Id modò constat, Lucanum periculum, cujus ferme auctores, ut ante diximus, Florentini, tanto quoque tumultui initium dedisse. Tum, si quem è privatis nominari fas est, unus Antonius, ille Senensis; Petrucius tot rerum B causas ampliavit, quæsitis undique auxiliis, solicitatis Genuensibus; demum perducto in bellum Philippo. Quamobrem Florentini coacti ad priores socios Venetos refugere. Verùm quòd de rebus Ecclesiæ superiorem librum explevimus, inde quoque initium repetendum. Concelebrato igitur Martini funere, nulla prior cura præcipuè Cardinales incessit, quàm ut novum Pontificem crearent: rem omnino hac ætate invidendam; quippe tantum apparebat imperium, nec dum motis rebus, totque thesauri, qui si aut jus aut vis valeret, ad Ecclesiam spectarent. Ergo in conclavium vadunt, de C Electione concilium habituri: priùs tamen decretis, juramentoque omnium firmatis, quisquis Pontifex foret, omnia, quæ ad Ecclesiam pertinerent, faceret veteri sanctorum more fratribus communia. Variatis itaque, ut fit, suffragiis nec cujusquam numero satisfaciente, tum alter alterius, ut quisque plus auctoritate, & gratia valebat, novo ejus electionis instituto suffragia exposcunt; nam licere voluerunt acceptos favores cuicunque libitum fuisset reddi. Hispanus erat in ea electione collatis vocibus numerosior, cuicunque accessisset, eum Pontificem facturus: petit igitur ab altero Gallo, quem sibi D (1) obnoxium esse sperabat, voces suas. Ille omnino negat, quin vicissim illius repetit. Qua repulsa tanquam ludibrio commotus Hispanus uno verbo Gabrielem hominem Venetum Pontificem appellat, mox sequuti omnes Papam consalutant. Hic erat alterius Gregorii nepos, qui superiori schismate in concilio Constantiæ per Karolum renuntiaverat, vir, ut Venetus, in omni consilio pertinax. Cui accedebat, quòd & ab initio vitam paupere quorundam religiosorum habitu gesserat: itaque nunc religionis usque ad severitatem tenax: sui ipsius fidentissimus, quodcunque propositum cepisset. His causis E non valde læta erat pluribus nuncupatio. Omnes tamen creatum venerabantur. Vocatus Eugenius Quartus; parvi admodum eo die euntem domum comitati. Erant tum Romæ Nepotes Martini, quos ante relictos diximus. Horum Antonium Salernitanum vocatum Principem jam antea communi concilio Cardinales Ecclesiæ ductorem statuerant. Quippe moriens Martinus, summis votis, precibusque adolescentem universis commendarat. Omnes præcipuè, quos Martinus inter gratiam aluerat quasi filios, benignè intuebantur. Quamprimum itaque adolescens castrum Sancti Angeli novo Pontifici tradit, simul quæque patruus tradenda legaverat, additis (ut ferunt) aliquot auri millibus, tum denique pollicitus juratusque semper, dum vita superesset: se in manibus Ecclesiæ, si pateretur, futurum. Sic in speciem lætæ res erant; non tamen diuturna ea lætitia fuit. Quippe & ex civitatibus Ecclesiasticis pleræque, seu studio novarum rerum, seu quòd pigeret Ecclesiasticæ avaritiæ, jugum detrectaverunt. Aliæ, quibus fideliores Martini amici præerant, eventum rerum præstolabantur. Perusini, emisso legato Præside, antiqua fœdera repetiverunt, quibus exiguum censum Ecclesiæ pendebant, præterea suis legibus agentes. Sic paulatim Romam emanavit ad Pontificem sociarum querelarum rumor. Aliæ nihilominus novos rectores cum præsidiis petebant, partium studiis divisæ. Namque Viterbienses commoti ad arma, dum inter se certamen agunt, pars ditiorum duce quodam Johanne Gatto, prœlio superior, aliquot popularibus trucidatis, complures reliquæ partis oppido expulerunt. Gens hujusmodi facinoribus ante annum consueta, instigante in id quodam pseudoprædicatore Ordinis dicti Minorum, ex his qui hodie sunt veræ pietatis hostes, sic Castellani, Spoletini, Narnienses, Tudertini, atque alii circumstantium locorum omnes domestico bello sese cruentarunt. Inter hæc Pontifex ratus rem subsidiis firmari oportere, quum una maximè deesset necessaria hisce rebus pecunia, nec facilè aut ex vectigalibus, aut beneficiorum muneribus in præsenti juvaretur, animum in thesauros à Martino relictos, intendit. Itaque nuntiat Antonio, quem prædiximus nepotem, velle omnia restituat Ecclesiæ, præcipuè quæ in Romano solo habeat, Genazanum, Arcem, Cavam, Sorianum, Sanctum Marinum: in his Martiniana pecunia servabatur. Antonius nihil ferè aliud respondet, quàm videre se Ursinorum insidiis appeti, quibus mox traditis omnibus spoliatus, ac nudus mittendus sit, non se ita rem arbitrari, ac potiùs velle vitam cum pecunia tutari, quàm certo vitæ periculo pecuniam restituere, mox futurus ludibrio inimicis, quos ipse ditaverit. Nec mora, undequaque stipendia edicit, factoque intra paucos dies numero in agros Ursinorum vagatur, nec direptis modò villis, verùm etiam captis quibusdam castellis omnes illorum socios gravi damno, ac metu afficit. Pontifex Antonium admonet. Respondet ille, nihil se adversùs Ecclesiam moliri: nullius ipse partis sit, sinat modò Ursini, Columnensesque inter se inimicitias gerant. Pontifex, ut qui dudum Ursinis faveret, jam ante invisus ob eam causam Martino, non ita rem accipit, protestatus illaturum se ei bellum, ni positis armis omnia restituat. Ita in omnes Martini amicos, qui Romæ erant, molestus efficitur. Consilium ferme intempestivum omnino ab Ursinis profectum.

(1) P. obnoxium sperabat.

fectum. Atque interim tamen, quo faciliùs omnia turbarentur, Florentinis, ac Venetis, ut nihil aliud cerneres, Curia replebatur; nam & literas per eos dies à Philippo ad legatos, quos Romæ habebat, intercepit. Quod facinus non Philippo solùm, verùm etiam omnibus Romæ sanioribus velut indignissimum displicuit; nec propterea ulli convitio pepercit Guarnerius Castillio, vir perstrenuus, Philippi legatus, quanquam literæ ut per Zephiras, (sic enim vocant) conscriptæ ab nullo legi aut interpretari poterant. Prosper, alter Martini nepos Cardinalis, veritus, ne in caput suum periculum verteretur, prima luce omnibus insciis Româ egreditur, exceptus à fratre, quem accersitum non longè reperit, nec revocatus voluit redire. Papa omnibus prodito quoque anathemate minatur. Insigniores Martini amicos quibusque modis perturbat. Odonem captum (hic quæstuarius fuerat Martini) conjectum in vincula, usque pæne ad necem suppliciis torsit. Nec destitit, priùs quàm super ducentos civium Romanorum diversis insimulatos partium criminibus, varia nece confecit. Ipsum quoque Martini palatium (tantum processit ira) diruit: insignia familiæ, aut Pontificatus, ubicunque per urbem eminebant, dejecit. Antonius ex Soriano usque ad Romana mœnia omnia vastat; quin occupatâ unâ portarum, quæ Sancti Sebastiani appellatur, Stephanus cognatus Antonii per urbem in usque domum suam processit; multique affirmant, eo die fuisse urbis potiturum, si cum universis copiis, (justum enim exercitum conflaverat) esset ingressus. Retenta tamen ex eo die porta, validumque impositum præsidium cum Armileo Esculano, qui unus Martini amicorum habebatur, nocte insequenti urbem undequaque per vias ligneis claustris tanquam vallis Romani intersepiunt. Princeps quoque præter quòd se quærit Philippo missis legatis conjungere, omnes item sollicitans, quos præcipuè Martini amicos fuisse existimet, sibi ad susceptum propositum conciliat. Ex quibus Narnienses etiam Dominum succlamarunt. Ita concurrentibus ex omni loco rerum perditarum patronis, omnis circum Romam provincia bellis, ac ruinis effunditur. Nec jam ulla ex parte liberum iter erat, quamobrem fiebat Romæ, nullis adeuntibus, intolerabilis calamitas, ac rerum omnium penuries. Interea verò majus aliud bellum in Lombardia accenditur, quàm quod ante tertium annum gestum fuerat. Quippe Veneti continuis Florentinorum legationibus vexati tandem arma ceperant; hinc perurgente metu, ne Florentini (quod jam pæne apparebat) ab Duce opprimerentur: hinc Carmagnola, & Francisco magna spe concilii patres excitantibus, jam superiore bello afflictis Philippi viribus, vix reliquias superesse, quas parvo conatu persequebantur: posse ex Pergamo non agros modò facilè invadi verùm etiam ipsa urbis mœnia spectari: hinc interceptam Cremonam, vel ex Pado ratibus vel ex terra præsentibus copiis haud difficilè posse opprimi. Multa præterea ad auxilium patebant: propinquus hinc Orlandus Palavicinus, qui Parmam, Placentiamque infestet; inde Theodorus, Marchio dictus Montisferrati, qui parva manu supra Alexandriam, atque Astam positus facilè utrosque agros inquietet. Finitimus quoque Genuensibus haud sinat in aliam vim spectare. Non deesse Mantuanum, ac Ferrariensem, qui in superiore bello steterint; rem verò ejusmodi esse, ut Venetis præterverti non possit. Quippe Philippum Genuenses liberos, ac, si dici possit, unos (2) cum omni eo litore habere, quibus ad bellum utatur; novis Lucanorum viribus auctus; inde jam ipsis Florentiæ portis imminens: Præterea decem millium equitatu, cui non sit in toto orbe par, nec minùs fortissimis ductoribus validus, ac paratus. Nunc videant Veneti, ne, si nunc Florentinis defint, frustra paulò post cupiant adesse. Ita ex integro firmata Venetiis cum Florentinis novi belli decreta: verùm si duum millium copias quotoque mense viginti millium auri pecuniam exhibeant. Visi (3) primùm illi ad tantam expensarum summam incerti titubare: protinus tamen nihil negant, modò Venetos videant in bello stare. Jussus igitur Carmagnola loca belli petere, seque è finibus Luci opponere. Ille mox contracto exercitu in Brixiensi agro Ursos contendit. Sic deinde copias in cetera ejus oræ castella dividit, dispositis aliis, qui Cremonam ex agro invadant. Nec Philippus rebus suis deerat, objectis Carmagnolæ, Francisco ac Nicolao Tolentino fortissimo plus trium millium equitatu. Nicolaum tamen ætate, jam & usu graviorem ei bello imperatorem designat. Ludovicum Columnam juvenem ferocissimum jubet cum justo equitatu præsidio Cremonam servare, tum, si detur opportunitas, bellum gerere. Christophorum Lavellanum adversùs Ferratum mittit. Sic cum his, quos dixi, alii ductores erant, quisque suis alis fretus. Hoc modo bellum utrinque dispositum, ac leves per id tempus excursiones erant, nec pæne cœptum videbatur bellum; utrisque occasionem spectantibus, nisi pro se fortuna materiam præbuisset. Quippe Carmagnola uni erat intentus curæ, si quos ut superiore bello, vel ex Philippi ductoribus, vel ex castellorum, aut arcium præsidibus in conditiones pellicere posset. Itaque in Laudo repertus qui januam oppidi daturum se offerret. Eò scilicet Carmagnola (*) constituto die veniebat. Verùm proditus nocte antecedente proditor, captusque negotium irritum fecit. Tentatus identidem Præses Soncini, tradendi Castelli operam firmat. Interim verò Nicolaum, ac Franciscum quid composuerit, edocet. Mediolanensis enim erat . . . . fidissimus Philippo: credo visum indignum facinus contra Philippum ab Carmagnola, qui fidem illius nosset, tentari. Itaque statuit Carmagnolæ diem tertium, in quem ad se cum omni exercitu veniret, eodem ad Philippi ductores nuntiato. Adsuntque omnes diversis itineribus. Hinc Tolentinensis: Franciscus inde, Carmagnola in medium relicto. Qui ut propinquus factus est castello, aliquot armatos mittit, quos Præses in arcem accipiat, januam, qua cum exercitu ingrediatur, reseraturos. Ille, ut venerant, acceptos uno loco concludit; nam antea ex nostris in præsidium acceperat. Tum itaque ex arce ad Carmagnolam quàm maximis vocibus potest, iterum

(2) P. cum eo.

(3) P. primum ad. (*) P. constructo.

A
rum atque iterum clamat, nolle se Philippi esse proditorem. Id erat signum Philippi ductoribus erumpendi, addito fumo, qui longiùs spectari posset. Itaque ex insidiis ambo uno momento effunduntur, seque sublatis clamoribus Carmagnolæ, hic in faciem, ille ad tergum præsentant. Nec difficilis fuit pugna, quippe ut se Carmagnola aut vidit, aut credidit circumventum, paululum extracto certamine suimet dubius cum paucis aciem reliquit. Jam enim dissipati comites alii capiebantur, alii fugâ in agros palabantur, vixque, ut ferunt, ipse ocyssimum sonipedem summis calcaribus agens potuit evadere, aliquot Nicolai sociis in tergum sub
B
eadem vestigia sequentibus. Non sanè cædes fuit pro captorum numero; sexcenti enim ac mille equitum vivi in potestatem venêre: peditum verò haud parvum vulgus, paucis aut interfectis, aut vulneratis, & in acie, & post pugnam interceptum est. Non parum detrimenti ex eo prœlio Venetorum exercitus sensit. Nam & cæteri territi, & Dux ipse Carmagnola intellexit, se suis artibus peti; nec facilè patere jam locum tentandæ aliorum fraudi, cui tam malè irritata seditio successisset. Tum deinceps rem sibi esse cum Ducibus, quibus nec virtus, nec prudentia deesset, vel ad evocandam, vel ad arcendam vim paratis. Sic nostrorum nu-
C
merus munitior jam, atque audacior, hostium multis partibus comminutis, tametsi (4) omnes ferè, qui capti erant, in alterum diem fide armigerorum sunt dimissi. Nec multo fuit segnius Cremonæ aliud Ludovici facinus. Is, ut ante diximus, & oppidum, & eam oram circum sat copioso præsidio tutabatur. Itaque sub idem ferè tempus, quum hostes quotidie vel in agris, vel ad muros lacesserent, nec tamen facerent pugnæ copiam, juvenis, ut erat animi furibundus, eventum aliquem spectabat, quo necesse foret pugnam conferi. Id ita evênit. Hostes inter Padum, & oppidum transierant prædatum in superiores agros, qua parte & agri-
D
colæ tutiùs ad labores vagabantur. Id speculatores Ludovico nuntiant. Nec mora: ille omnes equitum, peditumque turmas eodem spatio collocat, paucis aliunde emissis, qui cogerent hostem metù aliquo reverti. Itaque ut convenere, eandem viam repetentes, ibi cum suis ostensa acie Ludovicus pugnam incipit. Neque illi, ut numero fidentiores, periculum detrectant, quamquam fessi cum recentibus certamen tolerabant. Post igitur temporis aliquantum Venetorum acies inclinare cœpit, præsertim metuentibus ne ex oppido alia parata essent auxilia. Tum Ludovicus maximè rem premit, adhor-
E
tator, pugnatorque omnibus locis, donec omnes in fugam versos vidit. Ex eo quoque prœlio plus quadringenti capti, exigua peditum cæde, quos cultores in agris sparsos occiderunt; capitibus modò retentis, cæteri intra paucos dies, qui voluerunt redire, à Philippo sunt dimissi. Ita duplici victoria res Philippi ad incrementum spectare cœpit, rebus quoque adversùs Ferratum bene gestis. Nam ibi Lavellanus aliquot turmarum ductor fuso hoste, usquequaque est palatus. Quæ dum in provincia sic se habent, Nicolaus etiam majora locis, quibus dispositus erat, efficit. Jussus è Pontetremulo Tusciam versùs agere, verùm ita ne quid intra Apenninum exulibus Genuensium relinqueret, quorum ille castella pervagatus brevì omnem Fliescorum factionem ex ea ora depulit, super quàm sexaginta castellorum potitus, aliis vi, quæ ferè in prædam suis dedit; captis aliis per deditionem admissis. Mirum dictu, quanta ille per Ligurum Alpes tam parvo tempore, tamque parvis copiis confecit. Vix sexcentos equites ducebat, cæteris cum Francisco in provincia relictis. Cum his ille ex Apennino per Carfagnanas in morem fulminis Lucam descendit; inde in Pisanum agrum effunditur, quamprimum captis Calcensibus, quæ Vallis ad Arnum sita est, omni rerum abundantia referta. Ibi præcipuè extructa molaria, quibus Pisani vescuntur. Itaque hinc orta ejus subsidii Pisis gravis necessitas. Veruculam quoque arcem editissimam cepit, sic Trebiam, Martham, multaque Pisani agri municipia, nullo ut pacto esset Florentinis commeandi Pisas licentia, præcipuè observante omnes vias Antonio, capto præter cæteros cives Florentino, quem eò Præsidem futurum mittebant cum omni equitatu ac pecunia, quam gerebat. Veriti interea Florentini, ne Pisani portas hostibus aperirent, rem atrocissimam superque omnem inhumanitatem incredibilem aggrediuntur, misso edicto, ne quis Pisanus intra quintum decimum, sexagesimumque annum in urbe remaneret. Tam impii facinoris minister (quanquam pro sacri ordinis verecundia pudet referre) Julianus homo Florentinus, sed Pisanus Archiepiscopus. Discurrebat ille armatus, ubique Pisanos prehensans, nullâ morâ ne capiendæ quidem è domo cujuspiam rei cogebat exire, ultro etiam contumeliosissimis verbis improperans: *Abi proditor Pisane*; ne uxores, aut liberos secum ducere sinebantur. Data inde licentia armatis, qui quas vellent domos occuparent. Miserum dictu! cerneres toto oppido commigrantes matronas, virgines secum, ac parvulos trahentes: tum sese, ut quæque poterant, unis domibus occludentes, ne, ut ajunt, lupo oves prædæ fierent. Cæterùm quid opus est referam? ipse ex præsentibus audivi, non aliud tum visum Pisis, quàm quod de captis Hierosolymis scribunt. Sic sæpe malorum præsentia à vero sensu alienos trahit. Hoc modo rati Florentini posse Urbem teneri, si cives pepulissent. Eo item collecti multi Florentinorum, qui vel facinoribus, vel alieno ære coacti exulabant, data impunitate, ac remissione, si in eo discrimine civitatem servassent; sæpe etiam minati incensuros oppidum, quando tutari non possent. Dilapsi circumquaque Pisani; plerique ex his ad Antonium collecti: simul una juventus cum Nicolao bellum gerebant. Qui in spem deductus posse Volaterras, vel oppidanorum deditione, vel pulsorum auxilio, qui ad eum pæne simili Pisis calamitate multi convenerant, vel denique si resisterent, levi oppugnatione; eò cum equestribus turmis vênit, relicto Pisis Antonio, qui se quotidie portis offerret. Nec diu dilata occasio, si fortuna Pisanorum voluisset, quum plures equitum Raynerii oppidum prodebant. Verùm detecto per quemdam ex famulis facinore,

(4) P. omnes, qui capti,

nore, non inscium ductorem vociferantes, A crudeles pœnas dederunt, Ministro omnium Archiepiscopo tanquam ita conjuratum, non nisi per hoc genus hominum posse inhumana expleri. Nicolaus omnem Volaterranum agrum capit. Oppidum ipsi fautores partium, qui exulibus adversi erant, defenderunt. In agro item Castellenses paulò plus ausi resistebant. Quo tempore Senenses hoc belli initio, atque exemplo irritati primùm in Florentinos eruperunt, quamquam vilissimo tantæ rei principio. Armati plerique juvenum, nec ullo duce temere egressi, palatium in (5) confiniis captum succenderunt. Nec dum Mediolani cum Philippo societatis pacta constiterant, quem ferunt voluntaria B hac eruptione audita, quum antea cunctaretur, ridentem jussisse patribus Senensibus permitti, quæ legati postulavissent. Id erat, Philippus suo, ac Genuensium nomine, bina equitum millia ad Tuscum bellum haberet. Eò itaque missus quadringentis ac mille equitibus Albericus Nicolao adjungitur: atque interim Castellenses diruta murorum parte se tradiderant. Quod ferme ab initio fecissent, si essent Philippi nomine accepti: verùm ægrè ferebant Senensibus tradi, qui hoc ab duce impetrarant, fœderibus venire ad se quicquid ex Florentinis circum confinia quindecim passuum millibus caperetur. C Inde se in Valles Ælsæ deducit, quæ regio Castellis, & villis frequens, & omni est ubertate frugifera. Jamque paratis machinis omnia capturus videbatur; sed mox facta spes potiundi Aretii, pollicitantibus quibusdam proditionem oppidi, ab ea oppugnatione avertit. Creditum id ipsum Florentinos instituisse, quo longiùs & à Pisis, & à proprio agro averterent, tum quo diversas spes ductorem luderent. Incensis omnibus, quæ ad oppugnationem paraverat, Aretium contendit. Cui tamen iter facienti Ambrenses veriti, ne ad se vastandos veniret, omnes prælatis clavibus occurrerunt. Aliud imperatum nihil, quàm ut Senensibus fidem præstarent. D Ut verò Aretium vénit, nihil ibi ex oppido ad deditionem paratum. Itaque in agros palatus, captis pluribus circum per plana munitioribus vicis, & castellis, jam de oppugnatione cogitabat, præsertim pollicentibus sociis, si oppidum in prædam dare vellet; passuros omnia, ni intra quartum diem muros transcenderent. Tanta erat vel equitum in ductore, vel ductoris in equite fiducia simul ac virtus, ut nihil posse obstare crederent. Nec quisquam cogitet, quantò terrori Nicolai nomen in Tuscia erat; sæpe ex ipsis captis audivimus, quum expugnarentur, non sibi viros, sed belluas, aut dæmones solitos videri. Verùm etsi hæc Senensibus sub- E debantur, ubique tamen in primis nomen Philippi celebrabatur. Præterea & Antonius, quem Martini Nepotem diximus, partium fautor pro se, obsesso undique Romano agro, urbem gravissimè premebat. Sed noluit hæc fortuna longiùs insolescere, primùmque ex ipso belli fundamento cepit damna, nam Tolentinensem Philippo detraxit. Hic nullâ sat justâ causâ relictis castris abiit, non tamen ad hostes, quod non finit credi pecunia corruptum id fecisse. Putant quidam fuisse causæ, quòd sibi visus est Philippo infensus, tanquam superiore pugna sponte Carmagnolam è manibus misisset. Alii hoc ambitioni tribuunt, quòd sibi videret prælatum Perusinum, cui nec ætate, nec experientia armorum cederet: præterea hac fiducia ad Philippum venisse, ne quem superiorem haberet ductorem. Id nimirum res Philippi perturbavit, quippe eo ductore mediis gerendis rebus amisso, qui præcipuè consuetus Carmagnolæ omnia illius consilia probè intelligeret: bene tamen successit, quòd nihil ultra abiens est molitus, cui omnia in potestate essent. Multi quoque sociorum ægrè eum discessum ferentes, in castra reverterunt. Verùm hinc coactus Philippus alterum Nicolaum ex Tuscia revocat: nec quicquam potuerant Florentini lætiùs audire, tanto hoste levati, quamquam relicto in (6) successorem Alberico. Sed visa est, ut ferè solet, cum ductore fortuna mutari. Ac paulò post quum iter in Colensi agro haberet, quamquam invitus, cogentibus suis, in eum locum venerat, in insidias delapsus (7) complures amisit. Quæ res Florentino, super quàm videretur accipienda, lætis auspiciis fuit. Nec tamen eo loco restitit, quum esset haud dubium egregius ductor; ultro Philippo in suspicionem vénit, quasi cum Florentinis aliquid tractaret, hoc modo injuriam deprecaturus, quam ab illo se apud Savonariam accepisse arbitrabantur. Ita captus; vinctusque Mediolanum perducitur, ubi conquisitis omnium rerum indiciis pro insonte absolvitur. Qui in Tuscia remansere cum Antonio adolescente Pergulani filio, nihil ultra æstatem, quod referri possit, edidere, ut ferme cognoscas vim exercitus in ductoris virtute esse. Ab Senensibus quoque Nicola quidam Apulus, aliquot equitum caput, abductis fratribus primis civium, quibus data erat Politianum versùs cura belli, ad Florentinos profugit. Antonium quoque Armileus ductor peditum, quem captæ Romanæ portæ præfecerat, deseruit. Quo discrimine affectus ipse quoque Jacobum Candorium abs quo jam pro Summo Pontifice premebatur, pertentat, cujus ille summâ pecuniæ acceptâ partes consequitur. Nec multo postquam cum illo adversùs Romanos ad Sanctum Paulum steterat, in Apuliam cum auro abiit. Neque tamen Florentinis integra exempla fuere. Quippe Nicolaus Perusinus facta ostentatione potiundi Castelli, relictis illorum stipendiis, in Castellanum agrum excessit; ubi compluribus municipiis captis, secum habens exules Castellanos ad oppidum infestus procedit. Quo periculo coacti ad Pontificem, atque (8) ad Johannem Urbinensem confugiunt. Qui evocato ex Florentinis Berardino (nam gener illi erat) tutandos suscipit. Interea Pontifex cum Nicolao pacem confert, conductoque in stipendium, (9) Castellanos locat. Illi se venditos arbitrati, prænominato etiam Philippo, ac principe (10) Antonio Urbinensem Dominum conclamant. Inde autem Rom. Pontifex adventu Tolentini auctus, in Antonium tendit, quocum tamen, & succlamantibus Romanis, & cœtu

(5) P. confiniis succenderunt.
(6) P. successum rerum.
(7) P. quamplures.

(8) P. ad Antonium Urbinensem.
(9) P. Castellos.
(10) P. Antonium.

cœtu Cardinalium agente, amicisque intercedentibus, paulò post ingenti omnium lætitia pacem componit; visusque ex eo Pontifex ad eam partem ab Ursinis paulùm flecti, quibusdam in honorem sublatis. Quamobrem factum, ut ad ipsum quæque circum Romam Antonius habebat, reverterentur. Quo etiam tempore Bononienses tantâ pertinaciâ dudum Martino reluctati sub jugum redierunt. Perusini quoque tantis per fidem & quietem polliciti, dum nulla reducendorum exulum fieret mentio: omnis ferè ex his rebus ditio Ecclesiastica Eugenio Pontifici confirmata. Interea Nicolaus, quem ex Tuscia profectum diximus, ut in provinciam vênit Mediolanum tendit ad Philippum, à quo summa cum alacritate receptus magnis muneribus, ingens mox in castra remittitur. Quo etiam tempore Carmagnola & discessu Nicolai ab hostibus, & suis copiarum incrementis audentior factus, minabundus omnia territabat. Ibi Veneti vires effuderant, coactis ferme in una castra super quàm duodecim equitum millibus, nec minore peditum numero, quo tanquam vallo hostem cingerent. In Padum quoque pergravem navium multitudinem immiserant; simul item Genuam versùs aliquot triremes direxerant, quibus, si fortuna invaluisset, vix Philippum potuisse consistere (11); quamquam & ille undique arma objecerat. Ergo ut vidit Nicolaus paratum tantis viribus hostem, rem uno latere impellendam ratus, primum consilium, quod minimè videretur, adversùs naves concipit. Erant circiter triginta naves armatæ, quas etiam plures onerariæ sequebantur. Ductor Stephanus Trivisanus. In his omne genus machinarum erat; interim tamen Nicolaus simulat, nihil se de navali bello cogitare; quin etiam terrestrem pugnam acriùs solito instaurat, quo ab cura navium avertat hostem. Unum edocet (12) Franciscum Sfortiam quid in animo habeat. Ubi sat visum est, parata omnia esse, nec Carmagnolam navibus valde intentum (erant verò gemina ad Cremonam castra) Nicolaus tum jubet Philippeas naves, quarum ferme erat par cum Venetianis numerus, quamquam non similibus armamentis instructæ essent, lento successu flumine subvehi. Quod ita agebat, ut ab hostibus spernerentur. Neque non evênit. Quippe audiens Stephanus hostem adventare, exploratorias complures misit, quæ ubinam essent, specularentur. Illæ verò non longè super Cremonam erant, in quas Nicolaus cum aliquot suorum electis tacitus conscenderat. Jam sub vesperam dies ibat, quum Venetianæ naves in flumine apparuerunt. In eas Nicolaus directo cursu tendit: quam audaciam mirati Veneti, mox ut videre graviorem impetum fieri, subducere se fugâ conabantur: sequebatur tamen Nicolaus, ut quamque puppi deprehenderat, arripiens, atque hoc modo ante noctem quatuor ex Venetianis navibus captæ. Quæ nuntiata Carmagnolæ incertum fecerunt, quidnam ageret, quum vix posset credere, Nicolaum relictis castris naves conscendisse. Itaque sub lucem in ripam fluminis præter Cremonam, quamquam infra rivum, qui ex Cremona in Padum porrigitur, sese cum acie ostentat. Eòdem & Venetianæ naves conve-

(11) *P.* (arbitrabantur).
(12) *P.* Franciscum quid.

A nerant, pedetentimque fluvio subibant. Atque Nicolaus simul & Franciscus traductis in naves turmariis, naves ante lucem ascenderant, quamquam rector Navium Johannes Grimaldus, cognomine familiæ Genuensis, vir eo pugnæ genere acerrimus; ita simul correpto amnis cursu, quà maximè altior est, ad hostem procurrit. Venetus quoque, ut propinquantem vidit, se suosque clangentibus buccinis ad pugnam comparat. Graviores multo, ac majores Venetianæ erant, ut quæ primùm in mari exædificatæ, in quas Nicolaus objectis rostris, super quàm credi potest, animosè tendit, paululumque æquatâ pugnâ, primùm longè jaculis, fundis, missilibusque & tormentis lapidum certatur. B Ubi verò conjectis catenis ad manum venêre, tum maximè Nicolai virtus atque audacia emicuit. Diversum certamen erat. Hinc armati equitum more, inde semiermes pugnabant: stabat in litore Carmagnola adhortator simul, ac lamentator suorum, nec aliud poterat, prohibentibus illos Philippeis, ad eam partem fluminis accedere. Quippe, ut ante dixi, alveum, quà profundior est, occuparant. Perspecto discrimine Ductor ipse conscensâ scaphâ solus cum pecunia effûgit. Sexaginta auri millia ferunt secum abstulisse. Vix è conspectu abierat, quum Nicolaus ejusdem pecuniæ spe, in ipsam ductoris navem erupit. C Nec cæteri fugam morati, quaqua versùm poterant, omnes periclitabantur, insequente eisdem vestigiis Nicolao, atque etiam mandatum dederat, ne quis ante finem certaminis ex onerariis prædaretur. Tres per fugam elapsæ sunt; reliquæ omnes passim pugnando, cædendo, fugiendoque captæ: super septuaginta navium corpora, è quibus viginti octo pugnaces in potestatem venere. Cædes quanta nulla ferè in Italia per hoc tempus memoratur: super quingentos duo hominum millia cecidisse feruntur. Testis Padus largo sanguinis profluvio, multa passuum millia rubefactus. Intra duodecimum lapidem ab Cremona certamen fuit, neque in agris Pallavicini tutum receptum habuere, quos in ripam egredientes agricolæ, & prædæ cupidine, & D partium odio eò pervenientes conficiebant. Nec perinde Orlandus fidus Comes Venetis habitus est, quanquam agrestium incuriam causaretur. Præda omnis generis rerum abacta est, machinæ, gravioraque armamenta ad Philippum relata; in quibus cathena ferrea, quæ sanè totum flumen jungeret. Cætera, ut quisque rapuerat, nullo pretio dividebantur. Ingens ac (13) multiplex Cretensis vini copia. Omnes Padanæ civitates eo emolumento pæne, ita dicam, locupletes, atque abundantiores factæ. Nec denique dici, aut credi potest, quanto damno illius belli strages Venetis constitit. E Nempe ipse pluribus literis legi, super sexcenta millia auri pretium rebus amissis fuisse: præter quod difficillimum, tot bellica munimenta reparare. Naves cum omnibus, quæ ad Philippum contrahi potuerant, Papiam deductæ. Nec dubium si victoriam sequerentur, futurum fuisse Philippum Padi Dominum. Sed occlusit futuri consilium victoria. Postremò hoc dictu mirum! Senis, ubi nunc scribimus, res quo die gesta est, primùm cœpit audiri, quanquam & incerto nun-

(13) *P.* multiplex vini copia.

nuntio, & obscuro victoriæ relatu; dumtaxat enim Nicolaus Venetianos vicisse ferebatur. Sic continuos viginti dies rumor pervagatus est, undique præter quàm ex Mediolano confluentibus literis, quæ demum à Philippo acceptæ apud Senenses supplicationes quoque meruerunt. Nec tamen id gaudium, ut bellum fert, diu sincerum esse potuit. Nempe triremes, quas ante diximus in reliquo terrore belli Venetos paravisse, contra omnium fidem revolutâ Italiâ in Tuscum mare pervenerunt. In his verò exules Genuensium, ut quique erant potentissimi, ea spe, ut iterum ad se ex maritimis castellis favore partium converterent. Et id quidem verum de paucioribus, quàm crediderant, factum est. Ausi tamen Genuam versùs sese inducere. Quæ res tumultum attulit Genuensibus, id modò frementibus, ausos Venetos ea litora contingere; quod nunquam post Paduanum bellum jam pæne quinquagesimo anno cogitassent. Verùm illa exulum fiducia erat, præcipuè etiam pudor ad arma incitabat; quòd ex Plombinensibus duæ triremes venerant, primæ ejus adventus nunciæ. Ductore igitur Francisco adversæ factionis principe, (nam familiæ cognomine Spinolanus erat) quem priùs ad Senenses legatum retulimus, in arma vadunt, tametsi plerique exulum amici malignè rem detrectabant. Itaque ille suum pudorem ducens, quòd non statim hostibus occurreretur, non expectato cunctantium auxilio proficiscitur. Decem Genuensium triremes erant, geminis adjectis Plumbinorum, quum hostium dimidio plures essent. Quarum una abs Florentinis accepta multo cæteris major numerosiorque ordinibus remorum, ut speciem navigii haberet. His Franciscus occurrit sexdecimo lapide, ubi illum ex insidiis hostes expectabant. Nec segnis pugna primo concursu extitit. Inter omnes ipse ductor certamen ciebat. Nec valde illi quanquam majore numero superabant. At prope jam erat, ut tres in potestate haberet, in quas se primo impetu immiserat. Quod ut gravior illa navis conspexit, paulùm (14) ab tergo in altum circumvecta rapto cursu in triremem ductoris hostium fertur, tantoque ictu eam impulit, ut ab cæteris soluta in saxa cogeretur. Secuta item quinqueremis compressam litori allidit. Multi interim crebris missilibus cadunt, plures vulnerantur. Coactus demum Ductor, quem tanta vi circumsteterant, hosti se tradere. Tum item in reliquas aguntur, quæ ut videre captum Ducem, ut quæque potest, periculis suis consulunt. Vix tamen quatuor potuere fugâ eripi: harum duæ Plumbinensium fuerunt. Ingens quidem seu Venetis, seu Genuensium exulibus victoria, præsertim ductore capto, ac simul aliquot primoribus juventutis, qui nobilitate facti Franciscum inter partes sequuti erant. Cædes haud magna fuit: non planè ducenti utrinque periere. Saucii super dimidium turbæ, nam & Plumbini omnes ferè vulnerati Domum reversi sunt; & Venetiani itidem Pisas cum vulneribus rediere. Nec levis ea jactura Genuensium capto non partium modo, verùm etiam Civitatis Principe, quamquam omnes temeritatem illius incusare, qui ante profectus esset, quàm cæteri convenissent. Cæterùm, & huic victoriæ aliud malum paratum est, quippe dum illi interim Pisis diversantur, sive per segnitiem, sive metu navium, quæ in dies dicebantur ex Genua proficisci, Jacobus Adurnus, & Antonius Fliescus duo omnino vel familiarum suarum, vel omnium exulum primi, tum fortè sive ex castris, quæ circa Arni ripam erant, sive ex Florentia, parvo famulorum comitatu, quasi hoc pacis tempus, veniebat: ac fortè pauci equitum, qui cum Antonio Pisano exules erant, eodem itinere ad prædam vagabantur. Itaque Genuenses in viam conspicati tanquam ad divitem prædam citatis equis feruntur. Atque erant hi ex solutis lanceis Philippi. (15) Russetus quidam sic vocatus Papiensis octo comitibus in equis, ac parvo peditis numero Arnum transierat; ibique in via, quæ ex castris Florentinis ducebat, insidias locaverat. Juvenes quanquam periculo territi, ac deprehensi, tamen sese, ut valent, mucronibus tuentur. At Jacobus ictus cuspide lanceæ mox cecidit. Antonium plerisque vulneribus confossum sonipes abstulit, viam usque cruentantem, mox igitur ipse quoque lapsus expiravit. Nec grata cædes eidem, qui fecerat; multò enim maluisset abductos capitibus, quod maximum foret pretium, redimi, maximo verò id exulum ac partium detrimento, sublataque Venetis spe, ut usquam ampliùs in eo litore reciperentur. Tum grave fortunæ exemplum tanquam iratus nostris rebus Deus nolit hoc tempore quicquam diu esse lætum. Florentini itaque respirare visi sunt; interea adducto in stipendium Michaleto (hic erat Francisci Cotognolæ propinquus) his recuperandis intendunt, quæ antea Nicolaus ceperat, primùm castris, quæ modò diximus, ad Trebiam positis: vicum, qui illos hactenus à Pisis discluserat, aliquot dies expugnatum, denique per fraudem occuparunt, arma ostentantes, quæ pauca ex hostibus nocturna irruptione ceperant. Inde signum facientes debellatum suorum aciem, quo metu illi territi vicum tradiderunt. Sic pleraque alia nunc vi, nunc dolis, aut pretiis Michaletus recipit. Senenses miro stupore pavefacti, ut quibus nec virium satis, nec auctoritatis esset in peragendo bello. Castellenses paulò ante ab Nicolao laboriosa oppugnatione capti ad unum Florentinorum nuncium descivere; sic pleraque in agro Volaterrano aut ægrè custodita, aut modica vi tentata priores Dominos acceperunt. Sequuti exemplum Suani Umbriam versùs proditis rectoribus sese cum Soranis propinquis conjunxerunt: quæ ferè ipsorum Senensium negligentiâ acciderunt. Fuit eo tempore hominum diffidentium Magistratus, quorum consuetâ Florentinis gratiâ, hi palàm jactabant, oportere aliquando Florentinis reddi, quæ essent hoc bello adempta. Nec paulùm detrimenti expeditioni, quæ in Tusciam erat suscepta, attulit sive aliquis morbus, sive pestilentia equorum, ut vix decima pars superesset in omni illo solutarum lancearum equitatu. Ac simili pæne modo affectus Michaletus hostium ductor. Itaque ante tempus in hyberna Pisas concessit. Variæ inde ultro citroque excursiones, ac rapinæ præsertim in confinibus erant; pluribus tamen locis Senensium copiarum ductores hostem fuderunt. Hi præcipuè erant adolescentes duo, filius unus An-

(14) P. tergo ab circumjecta.

(15) P. Rosettus.

Angeli Pergulani, alter Nicolai Perusini, & quidem animosi pro ætate parentum imitatores. Philippo in Provincia miserabile funus accidit. Uxoris frater adolescens vix tam paterno consilio, quàm suo sensu in auxilium veniebat: super quidem millia hominum quinque majore parte equitatus secum trahens. Hic seu armorum pondere, seu motu ac labore itineris correptus (16) dissenteriâ Vercellis diem obiit gravi suorum mœrore: præclaræ indolis adolescens, magnamque in spem natus. Philippus tam ægrè mortem tulit, ut tres menses diem fugiens nullum posset præterquam de juvene verbum audire. Copiæ alio ductore in castra ductæ, nec multo post appetentibus hibernis Domum sunt remissæ. Majora ac lætiora in Liguribus evenere. Nicolaus Genuam missus, qui motas partium seditiones compesceret: ibi Sextrum obsidet, magnaque vi aliquot dies expugnat. Vicus hic erat ad occidentem Genuæ atque in eo multi exulum collecti. Princeps omnium Bernabeus Adornus familiâ, ea spe ut ad se venirent triremes Venetorum ducibus illis, quos paulò ante apud Pisas trucidatos retulimus. Id si evenisset, nullo pacto Genuam potuisse retineri interclusis itineribus, nam cæteri agrestes ad rebellionem accessissent, qua maximè auxilium ferri debuisset. Itaque duorum cædes, ac Russeti Papiensis audacia Genuam firmavit Duci. Hic continuata Nicolaus oppugnatione Vicum tandem cum omni illo præsidio cepit. Super mille ac tercentos, quorum multi Genuenses, aut incolæ in potestatem venêre. Ipseque Bernabeus è latibulis quæsitus innexis vinculis ad Philippum est ductus. Simili pertinacia ad alterum Urbis latus Rechanos cum plerisque exulibus, qui ad desciscendum concitaverant, recepit. Ita undique pacatis agris Urbs stetit quieta. Nam ibi quoque Obicinus pro Duce agens quæstionibus conscios quosdam reperit, ac paucorum capitum cæde peracta seditio penitus sublata est. Franciscus in Montemferrandum transgressus, qua ferè Padus oritur, Marchionem Venetis confœderatum, circumlato per castella exercitu, intra duos menses delevit. Nempe ut in acie copias profligavit, quæ super mille equitum, tantundem peditis erant, tum ad ipsum conversus, quòcunque effugisset, eò manus ducebat. Ita minore quàm dixi tempore omni dominatu illum spoliavit, coëgitque nudum ad (17) Salutianum Comitem abire, quamquam Saboi Ducis soceri Philippi ipse quoque per sororem affinis erat. Verùm nimis obfuit pertinacia, qua visus est velle Venetianam societatem asserere. At verò circa Brixiæ confinia nulla castra erant. Jam Carmagnola non multo post acceptum classe vulnus, tanquam adessent hyberna; cæteris per munitiora divisis sese intra Brixiam abdiderat, seu metu Nicolai, quem ne numero quidem copiarum amplior volebat experiri, seu tumultu castrorum, quippe simultates erant ortæ inter ipsum, atque illum Ursinum, parum concedente illo, nec patiente Imperii, ut qui & acta Francisci damnaret, & multa sæpe apud Venetos accusavisset; nec longè abfuit, quin dissensionibus omnem rem perturbaret. Accessit inde innumerabilis equorum calamitas, nam feruntur vulgato morbo plus octo millium interisse. Id modò facere periculi paucorum fraude: Cremonam prima unius diei luce intraverunt, quum nullum esset in oppido præsidium. Virtus oppidanorum valuit; quippe exciti clamoribus, quibus maximè partem Guelfam exclamabant, ut videre Venetorum signa, mox arma subitò corripiunt: primum ex publico foro certamen, ac priùs aliquot cecidere quàm ingressi cederent. Tandem quum & per vias, & ex Domibus undique telis incessserentur, Venetiani quamquam numero plures superantibus virtute, atque audacia oppidanis, ejecti sunt. Juvit inde notitia locorum, nec quidquam operâ civium intermissum, quin ad unum virtute agerent. Restitit tamen unus Centurionum in propugnaculis portæ, quam turris quoque edita munitam reddebat; Verùm quatriduo expugnatus sese in fidem tradidit. Quæ res mirè grata Philippo, præcipua suorum fide, cæterorum etiam animos ad exemplum confirmavit. Denique fama Germanici belli coëgit nudare castra, pluresque è ductioribus ad fines Venetiæ Aquilegiam versùs ire jussi, quòd dicebantur Ungari magno numero advenire. De quo bello non ante scribendum putamus, quàm velut majore initio res post adventum Sigismundi in Italia gestas exordimur, quarum ferme hodie fundamenta sunt jacta. Quisnam futurus sit exitus, Deus adhuc in incerto tenet. Itaque & nos ultro aliis dediti, paulùm interim ex hoc labore silebimus.

MS. Novariensis addit.

„ Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæque Comes, ac Januæ Dominus. Quia Serenissimus Dominus noster Sigismundus Romanorum Rex crastina die per Dei gratiam ad Civitatem nostram Mediolani applicaturus est: Intendentes quòd quantum fieri possit, adventus ejus, & lætis cœremoniis, & amœnis solemnitatibus admitti debeat, & honorari: mandamus harum tenore quibuscumque Officialibus, nobilibus, Communi, & hominibus, ad quos lator præsentium cavallarius noster capitaverit: quatenus si, & quemadmodum ipse duxerit, & ordinaverit, provideant, & faciant, quòd campanæ locorum ipsorum, ad quæ capitaverit ipse lator præsentium, pulsentur quàm honorificè, & quàm amœnè fieri possit: de die, & de nocte fiant falodia luminosa, patentia, & bene clara, in lætitiam, & honorificentiam Regii adventus antedicti. Datum Abiate die XXI. Novembris 1431.

Conradinus.

Qui Dominus Rex Sigismundus in die Sanctæ Catherinæ, quæ fuit dies XXV. mensis Novembris anni suprascripti horâ decimâ ipsius diei, veniente dicta die Sanctæ Catherinæ, de nocte Coronam Ferream solemniter, & honorificè assumpsit in Mediolano in Ecclesia Sancti Ambrosii, sibi datam per Dominum Archiepiscopum Mediolani. Ad quas solemnitates fuerunt Proceres ipsius Domini Imperatoris, necnon Consilium Domini Ducis Mediolani, & Nicolaus Pice-

(16) *P.* dissinteria.

(17) *P.* Salunitanum.

Piceninus Capitaneus Generalis præfati Domini Ducis cum suis armigeris, & qui Nicolaus detulit coram præfato Domino Imperatore pomum aureum, designantem mappam totius Mundi, & armigeri, & pedites omnes erant in punto armati, acsi voluissent simul prœliari, cum elmettis in capitibus A eorum, & equestres super plateam ante Ecclesiam dicti Sancti Ambrosii, per totum, & per stratas, & in ipso adventu præfati Imperatoris, nec in assumptione dictæ Coronæ non interfuit dictus Dux Mediolani, neque Dux Sabaudiæ, de quo valde admiratus fuit.

Deo, ejusque Matri optimis infinita laus, gratiasque referendo.

Libri Scriptorem bone Jesu fac meliorem.

Antonius Crivellus.


Sequentia ex Codicibus Comitis Pertusati, & Novariensi descripsimus.

Quicquid in Italia gestum est post funera magni
Anguigeri Galeaz, repeti per tempora dignum,
Donec aquas rediere suas, ex arce Cremonæ
Propulsi Veneti, manet hoc in codice scriptum.

MS. Clariss. Apostoli Zeni.

Siluit postea ab opere, quia mortuus.
Deo optimo laus & gloria.

Thomas Curtius Presbyter Mediolanensis transcripsit hoc opus, & id expedivit XVI. mensis Maji MCCCCLXXII.



MATTHÆI PALMERII FLORENTINI

DE CAPTIVITATE PISARUM,

SIVE

DE BELLO CONTRA PISANOS

Gesto à Florentinis Anno MCCCCVI.

COMMENTARIUS

NUNC RURSUS PRODIT

EX MSto CODICE FLORENTINO.

IN MATTHAEI PALMERII COMMENTARIUM DE CAPTIVITATE PISARUM

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

DE *Matthaeo Palmerio*, inter Florentinos Scriptores perquam celebri, quae opus erant, innui in Praefatione ad Vitam Nicolai Acciajoli ab ipso scriptam, ac superius Tomo XIII. editam. Nunc monere juvat, literis quoque consignatas ab eodem fuisse res gestas Populi Florentini in obsidione Pisarum, quem Commentarium ille inscripsit *de Captivitate Pisarum*, eo quod nobilis ac potentissima olim Civitas in deditionem tunc venit, & Florentinorum imperio parere coacta est. Acta sunt haec Anno 1405. & 1406. Hujus autem Opusculi MStum exemplar ego acceptum refero ornatissimo atque ex eruditione simulque omnium Eruditorum amore spectabili Viro Antonio Francisco Marmio Florentino, Equiti Sancti Stephani, cujus nomen & honoris & grati animi causa heic etiam memoratum volo. Et quidem mihi primo persuasum erat, numquam antea luce publica donatum fuisse hunc foetum Palmerii, cujus tamen Jacobus Philippus Bergomensis in sua Append. ad Chron. mentionem fecerat. Verum Clariss. Vir Apostolus Zenus in Additam. ad Vossium Tom. X. Ephemerid. Literat. Ital. pag. 442. adnotavit, Historiolam hanc Anno 1656. typis aeneis evulgatam fuisse Slesvici a Levino Nicolao una cum aliis Opusculis. Eam ergo, etsi minime omnibus novam, certe apud Italos veluti nunc primum e tenebris emergentem accipiat Lector. Quo tempore Palmerius haec scripserit, incertum. Serius tamen quam ejusmodi bellum confectum est, literis mandata fuit; quippe Anno 1406. Palmerius vix e pueris excessisse videtur, aut saltem nondum erat idoneus ad Historiam rite ac mascule conscribendam. Nerius Capponius, cui inscriptus Libellus, patrem habuit Ginum, belli Pisani potissimum auctorem ac moderatorem, idemque est, qui Florentinae Historiae, ipsiusque belli monumenta aliquot post se scripta reliquit, in praecedenti Tomo jam a me edita una cum Nerii illius filii monumentis, qui aeque ac pater vir fuit spectatissimus, & magni nominis in Patria sua, dum vixit. Neque reticendum, idem *de Bello Pisano* argumentum Latinis literis subinde pertractatum quoque fuisse a Bernardo Oricellario, sive Rucellai, doctissimo viro, atque inter Florentinos Scriptores perquam celebri. Ut autem nuper laudatus Zenus monuit, haec habet in Praefatione ad Commentarium suum Oricellarius: *A Matthaeo Palmerio, gravissimo, & ornatissimo aetatis nostrae viro, eamdem ipsam Historiam satis ornate compositeque scriptam fuisse cognoveram, videbarque patefecisse obtrectatoribus aditum, si me culpare arrogantiae crimine voluissent: quippe qui si non superandam, aequandam certe ejusmodi viri in hoc scribendi genere eloquentiam mihi assumserim*. Neque plura adtexam ego de Matthaeo Palmerio, cujus nomen jamdiu notum est, atque de illo egomet supra sermonem feci, quum Vitam Nicolai Acciajoli ab eo conscriptam evulgavi Tom. XIII., ut supra praemonui.

MAGNO, ET SPECTATO VIRO

NERIO CAPPONIO

MATTHÆUS PALMERIUS

SALUTEM PLURIMAM DICIT.

HUnc Librum, Pisanæ Captivitatis Historiam *continentem*, *tuo nomini dicassem*, & *ad te misissem*, *si exemplum haberem*, *quòd idem Veteres factitassent*. *Verùm admiror*, & *cur factum sit nescio*, *quòd cùm plerumque aliarum rerum Scriptores suos Libros excellentibus mittunt Viris*, *hoc idem non fecerint Historici*; *præsertim cùm nihil aliud ferè sit Historia*, *nisi celebratio Virorum illustrium*. *Sed cùm sit in præceptis*, *usum Auctorum præcipuè esse sequendum*, *ne præceptum ignorare*, *aut contemnere videar*, *Librum tibi non mitto editum nomine tuo*; *sed antequam illum emittere incipiam*, *dono tibi do*, *eâ maximè adductus causâ*, *quòd quicquid in hac Historia laudis est*, *partem sibi maximam suo jure vendicat Ginus Pater tuus*. *Vale*.



P.ro Zucchi S.

MATTHÆI PALMERII FLORENTINI
DE CAPTIVITATE PISARUM
Liber incipit. Lege feliciter.



INter humanæ Vitæ præcepta, reconditasque Doctrinas, & laudatissimas Artes, quas Viri magni imitantur, & appetunt, nihil est magis secundùm naturam, quàm pro omnibus gentibus, si fieri possit, conservandis, & si pro omnibus fieri non possit, attamen pro multis, vel pro sua tantùm Republica, ingentes labores suscipere, & res magnas, atque difficiles cum dignitate & constantia administrare. Ad hanc claritatem amplitudinemque assequendam, cùm cetera omnia animo & cogitatione amplecteris, civili disciplina accommodatius nihil atque aptius inveneris.

Civilis enim Disciplina, si illa, quam volumus, erit, boni Senatoris prudentiam, cui omnium bonarum rerum adjuncta sit sapientia, continebit. Quod quantum sit Vitæ munus, omnes videmus, assequi tamen illud in tam multarum maximarumque rerum cognitione non possumus. Cognitionem verò rerum habere nequaquam valemus, nisi longa præcesserit ætas, aut assidua accurataque de-

A derit lectio. Juvenis igitur, licèt non sit per ætatem idoneus ad cognitionem earum rerum, quæ in vita fiunt: attamen nisi sit iners, & majorum gesta diligenter perlegerit, rerum & temporum cognitiónem consequetur, & senectutis grato atque honesto fungetur munere, majoribusque natu fiet consilio, & prudentia par. Veritatis profectò cognitionem dant tempora, quod ostendentes Poëtæ, Temporis illam atque Noctis filiam finxere. Qui igitur temporum & rerum gestarum cognitionem habent, facilè Veritatem intelligent, & prudentia rectoque judicio clarorum Hominum facta metiri, & consilio atque scientia gubernare Rempublicam possunt.

B Hanc Vitæ Doctrinam, qua homines ceteris Hominibus præstant, Historia, quæ est rerum gestarum magistra, exponit atque demonstrat, alacrioresque nos ad Rempublicam defendendam, & magnas res gerendas, facit, & ad res improbas segniores. Multa enim sunt, quæ nobis præstat Historia, cui non satis est, quod factum sit, enarrare; sed addere etiam debemus, qua ratione, quibus consiliis, quo tempore, per quos, & quomodo quæque sunt gesta. Pronuntiare etiam, quid Senatus decreverit; interponere conciones; regiones interdum, pugnamque

C describere; qui vicerint, & quod sequutum sit, demonstrare; clarorum Hominum laudes nequaquam silere, & nequiter facta damnare. Quod aliud ferè nihil est, quàm omnium tem-

temporum, omniumque magnarum rerum summam colligere, & unius hominis memoriæ, judicioque mandare. Quod quid sit hominum prudentiæ præstantius, videre non possumus, nec quid ad gloriam accommodatius. Exemplis certè honoris cupido accenditur, & bonam famam magnamque Nobilitatem enixiùs homines imitantur. Quibus bene dispositis, ut aliquid etiam momenti à me addi possit, ita ad incœptum venio.

Bellum scripturus sum, in quo Pisæ sunt à Florentino Populo captæ. Primò quia magnum & memorabile fuit; deinde quia æmulatione potentiæ, & diversitate Amicorum, utrisque indignantibus, tanta obstinatione gestum est, ut multa memoratu digna contineat. Sed antequam initium narrandi faciam, pro majori cognitione rerum veteres inter utrumque Populum inimicitias, & continuata dudum odia, nec minus recentes hujus novissimi Belli causas dicere aggrediar.

Declinante Romano Imperio Italia externis ac suis armis diu varièque quassata est, & multæ sunt per eam clades illatæ. Nam & Roma, cujus Urbis singulare fuit olim in terris Imperium, pluries direpta est, & sinè ullo interdum habitatore derelicta, & plurimæ per Italiam Urbes sunt eversæ. Rerum humanarum domina Fortuna quemadmodum ceteris secundis solet rebus, ita quoque Romanis voluit crescendi finem imponere. Cum magnitudine potentiæ, & amplitudine Imperii maximè tuti esse viderentur, tum tanto validiores invenerunt Hostes; nec malorum initia externæ fuerunt causæ, sed intra propria mœnia Romani Cives suis se viribus, sive potius Vitiis onerabant. Nam postquam cunctas ferè gentes, nationesque, quibus aliquid virium dignitatisque inerat, virtute domuerant, cùm externos non adinvenirent hostes, otium, atque deliciæ animos invasere: quæ duæ res negligentiam gignunt, atque discordiam, commune Civitatis malum. Bonis itaque artibus per otium atque pacem ejectis, ubi per discordiam ingenium & industria, viresque unà defluxere; manifestum mortalibus fuit, perniciosiorem Pacem, quàm Bellum Romanis fuisse. Nam brevi, moribus post hæc immutatis, pro modestia, & justitia, luxuria, & iniquitas invasere; tantumque statim est publica auctoritas diminuta, quantum est aucta privatorum licentia, quæ sensim primò, paulatimque excrescens, tamdem se repente in impotentiam dominationemque convertit.

Amissa igitur Reipublicæ libertate, omnia unius voluntate & nutu regebantur: hinc malorum omnium est aucta materies. Nam licèt primò satis justum satisque tolerandum Imperium esse videretur, statim tamen in tantam ambitionem superbiamque devenit, ut impium, & crudele intolerandumque factum sit. Cùm igitur Imperatores nomine tantum, re verò Tyranni facti essent, incredibile pæne dictu est, quàm parvo temporis cursu magna sit tanti Imperii facta jactura. Cives Romani, quibus aliqua Nobilitas inerat, quasi libertatis avidi Principibus inimici essent, pæne sunt omnes necati. Alienigenæ ad magnas sunt dignitates assumti, opes consumtæ, direptæ Provinciæ, in gentes sævitum; quibus injuriis cùm multos

A mortales sibi inimicos fecissent, & Imperii vires jam satis imminutæ esse viderentur, facilè fuit Populos atque Nationes in sese commovere. Imminutis igitur per hunc modum Imperii viribus, primi omnium Gothi ingenti multitudine infesti Exercitus ausi sunt Italiam pervadere, ac pervastatis passim, atque erasis ubique agris, multisque expugnatis Oppidis, Urbem tamdem Romam ingressi, longè majorem, quàm umquam aliàs facta fuerit, prædam diripuere. Post Gothorum vastitatem, Hunni, deinde Vandali, Turcilingique, & Heruli; iterumque Gothi, & post eos Longobardi per longum tempus Italiam oppressere, trecentos nimirum &

B septuaginta tres annos; tot enim fuere à primo Gothorum ingressu ad Longobardos expulsos. Per Italiam debacchata est hæc Barbarorum immanitas, quibus temporibus multæ Urbes, Oppidaque, quæ quondam nobilissima fuerant, interiere, & nunc prostrata, atque diruta jacent. Attritis tamdem Italiæ opibus summa rerum ad duos maximè Principatus delata est, ad Pontificem videlicet, qui Ecclesiastica tantùm jura dicebat, & Imperatorem, qui Secularia, atque Civilia. Primis illis temporibus, unoquoque suam solummodo potestatem servante, satis concordes amicique mansere; postea verò cùm interdum confundere inter se jura vi-

C derentur, & alter alterius potestatem usurpare, inter eos discordiæ, seditionesque coortæ sunt, & tamdem ad Bellum armaque deventum. Hinc initium habuerunt factiones duæ, Guelsorum una, quæ Pontifices sequebatur, Gibellinorum altera, quæ pro Imperatoribus dimicabat. Longè latèque per Italiam vagata est hæc animorum diversitas; sed in Etruria maximè desæviit obstinata perversitas, in qua civiles discordiæ, Populorum seditiones, & prœlia, rebelliones, expulsionesque Civium, & cruciatus, & cæde, atque rapinæ, incendiaque infensis sunt animis perpetrata; quibus in vastitati-

D bus, intestinisque Bellis, Florentini Pontificias, Pisani Imperatorias partes sectabantur. Hinc coortæ inimicitiæ, & divisi animi, eò obstinationis vecordiæque processerunt, ut alterius alteri inimicos sedulò foverint, & suis tutati sint viribus, & sæpe inter se sæva, & plusquam inimica contulerint arma; quibus in contentionibus licèt potentissimæ nonnullæ Etruscarum Civitatum fuerint, odiis tamen certè majoribus certarunt, quàm viribus. Inerat fastus, superbiaque Pisanis, quia olim terra marique potentes Sardiniam, Corsicam, & Baleares possederant Insulas, & sæpe navibus formidabiles potenti navigarant classe. Dedignabantur etiam, quia ve-

E tustate Urbis, & antiqua Græcæ originis fama, longè Florentinos præibant; sed præter cetera, factionibus diversis animos irritantibus instabat partium cura, & acer, & communis Populorum stimulus, qui bella inter utrumque Populum gesta, & datas acceptasque clades, tamquam irarum & odiorum fomitem, tenaci mente servabat. Nec deerat Luca, cujus Urbis potiundæ gratiâ, magnæ inter utrumque Populum contentiones fuerant. Super his omnibus erant sperata præmia, quia non de suo tantùm, sed de Etrusco Imperio contendere videbantur, & quam suarum partium fortuna regnare volebat,

bat, armis experiri. His perturbationibus anxiis continuæ inimicitiæ vigebant, & crebra inter eos exarserant Bella; & ad quietem, & pacem, pertinaces & duri obstinatique permanserant. Prænarratis igitur causis ad decernendum propensi, sese quasi ex alta specula observabant, opportunitatemque invadendi, vincendique expectantes, pervenit tamdem ad Florentinos occasio, de qua jam dicere aggrediamur.

A

Salutis Christianæ Anno quinto supra quadringentos & mille, multum variæ & turbulentæ erant conditiones Italiæ. Primùm quia duobus Pontificibus, Benedicto scilicet & Innocentio, eodem tempore discordantibus per septem jam & viginti annos ingens continuarat Schisma, quod adeò postea demum crevit, ut non solùm duos, sed etiam tres eodem tempore Romana Ecclesia habuerit Pontifices. Calabriam, Apuliam, & ceteras Regni partes gubernabat Ladislaus Rex, qui per amicitiæ speciem Romam ad Innocentium ingressus, Urbem tamen capere procurabat. Cujus rei gratiâ civilibus contentionibus ab eo sublevatis, sequutæ sunt Romanorum civium neces, & Pontificis Viterbium fuga. In Cisalpina Gallia tres ferè annos antea Galeatius Mediolanensium potentissimus Dux naturæ concesserat, filios relinquens Gabrielem Mariam ex concubina matre genitam, qui Pisanis dominabatur, & Philippum legitimis natum nuptiis, qui Mediolanensium erat Dux. Hic per hæc tempora puer, paternas resumere vires nec dum per ætatem valebat, nec recuperare Urbes, quibus singulis singuli ferè Tyranni dominabantur. Genuenses erant in potestate Regis Francorum, gubernabatque eos Buccicaldus Regis Præfectus; & Benedictus quoque alter tunc Pontifex in eadem Urbe degebat. In citeriore insuper Gallia Franciscus Carrariensis Patavium, Veronamque, & pæne Vicentiam Urbes possidebat, adversùs quem Veneti magnum bellum gerentes, illius conabantur statum opprimere. Buccicaldus, & Genuenses erant Amici jam pridem Carrariensis, graviterque ferebant, illum spoliari bonis, & amittere Principatum videre. Qua benevolentia moti, & ne tanta potentia accederet Venetis, ut formidabiles viderentur, cœperunt inter se de illius salute cogitare, nec salubriorem adinvenerunt viam, quàm Florentinos ad tutandum Patavinum Principem commovere. Cum Benedicto igitur Genuæ tunc Pontifice de ea re consilio proposito, adeò facilem illum, & ad maturandum propensum invenerunt, ut magnopere sibi placere responderet, & pro suis facultatibus rem adjuturum esse polliceretur. Quod fecisse maximè creditur, quia in pertractando negotio Florentini Populi, obedientiam in sacris, quam summopere optabat, facillimè consequi posse sperabat. Convenerunt igitur incœptum perficere; sed quia erat tunc Florentinis amicitia cum Venetis, non sperabant eos ad apertum bellum movere. Gratam igitur Florentino Populo ingressi sunt viam; elegerunt illis Pisanam Urbem tamquam venalem offerre, & pretium pro majori parte in tutelam Patavini convertere. Pisanis diximus Gabrielem dominari, Galeatii Mediolanensis non legitimum filium, qui & propter impotentiam suorum in Gallia, & propter crebras Pisanorum mutationes, quas diversæ factiones ciebant, statum imbecillum, & suspicionibus plenum tenebat. Titubantem ergo illum, & Regno diffidentem movent, & persuadendo dissuadendoque monent, ne expulsionem mortemve expectet; sed habita utilitatis salutisque ratione, magnâ acceptâ pecuniâ, caducum citòque lapsurum Regnum relinquat. Inter hæc Bonaccursum Alderottum Civem Florentinum Genuæ tunc degentem ad se vocant, consilium illi suum patefaciunt, dantque verbis mandata, ut Florentiam Magistratui quàm secretissimè enuntiet, voluntatem intelligat, citòque renuntiet. Alderottus postquam hæc læto animo accepit, operam suam pollicitus, statim Florentiam Prioribus Civitatis literas misit, idemque paucissimis etiam scripsit Civibus, quorum plurimum ea tempestate in Republica prævalebat auctoritas. Literarum verba hæc fuere:

B

Posthabitis omnibus honor Patriæ mihi carior est, & ubicumque sim, nihil curo diligentius eo, quod Principibus nostræ Reipublicæ universoque Populo Florentino gratissimum sit. Ideo fui cum illis, qui in hac Urbe potestatem habent, conficiendi id quod summoperè optatis; & eò deducta res est, ut illos magìs fore dispositos vestra non poscerent vota. Quapropter si id consequi vultis, quod vestram Rempublicam, & Florentini nominis dignitatem amplificet, mittite, qui alio publicato suæ profectionis negotio habeat conficiendi publicam potestatem. Nec à me ipso scribo hæc, sed fecerunt me scribere, qui & facere valebunt. Vos curate, ne crastinando res maximas differatis, quas certè scio vobis, & vestris omnibus fore gratissimas. Priores, ubi eas literas accepere, & quid esset negotii, ab Amicis, qui Buccicaldi mentem tenebant, cognoverunt, paucorum Civium consilio Ginum Capponium Genuam, veluti propria curaturum negotia, celerrimè mittunt, mandantque, ut per Alderottum, quæ sint agenda cognoscat. Buccicaldum deinde, & si è re videbatur esse, Pontificem quoque adeat. Et si de tradenda Pisana Urbe Florentino Populo verba forent, quam habeant tradendi potestatem, & quid velint, intelligant, cunctaque nuntiare festinent. Ginus mandata diligenter curans ad Buccicaldum vênit, qui sermone puro statim ingressus, rem curaturum se fore dixit, ut in Florentinorum manus Pisæ devenirent, si collaturi tantam essent Florentini pecuniam, quantam tantæ Urbi æquam esse convenirent. De quantitate interrogatus, quater millia centum nummorum auri postulavit, quorum partem Gabrieli Mariæ Civitatem tenenti tribuebat, reliquum in subsidium Patavini Principis conferebat. Quærebat præterea, Florentinos Benedicto Pontifici sacrorum obedientiam præstare; & alia quædam volebat, quæ videbantur factu facillima. Interrogavit igitur Ginus, si in ceteris convenissent, haberet ne tradendæ Urbis potestatem? Respondit, potestatem non habere, sed propediem, favente Benedicto Pontifice, habiturum. In verbis erat, ut ferunt, Pontificem Pisas proficisci, & in ea Urbe consistere, si in ejus manus Arces traderentur. Ginus tamdem cum Buccicaldo convenit, ut posteaquam Urbis tradendæ facultatem nactus fuerit, Florentiam per Alderottum significet, & spe-

C

D

E

speret omnia, quæ postulaverat, perfacilè posse effectum habere. Per hunc itaque modum utriusque voluntate, intentioneque firmata, Ginus Florentiam revertitur. Dum hæc tractabantur, Gabriel, qui Pisanis dominabatur, cognoscens imbecillam dominationem tenere, & eas suspiciones reputans, quas Buccicaldus, & Pontifex imprimebant, cœpit in dies magìs magìsque potentiæ suæ diffidere, & propriæ saluti consulere. Sed adeò est in rebus humanis varia atque incerta fortuna, ut unde præsidia quærebat, inde ruina provenerit.

Tunc igitur primùm ad Florentinos respicere cœpit, & eorum amicitiam optare. Masus erat Albitius Florentinus, vir ea ætate circumspectus, & in Republica magnæ auctoritatis Civis, cum quo jam pridem amicitiam servabat, qua in primis confisus ad illum misit Leonardum quemdam mercatorem Florentinum, Pisis tunc commorantem, petiitque, ut Vicum Pisani agri Oppidum veniret, ubi cum eo convenire cupiebat, tractaturus quædam Florentinis, & sibi gratissima. Masus igitur, habità priùs Magistratus licentià, in Villam, quam in Brentinensi agro Vico Oppido satìs vicinam possidebat, proficiscitur; postridie piscando per Arnum fluvium juxta Vicum se contulit, indeque Gabrielis nomine, qui sicuti inter eos fuerat compositum, eadem die Pisis Vicum devenerat, ad cibum potumque invitatus, quibus dicebat piscatores summè indigere, Vicum ingreditur, feruntque ingredientem illum vidisse vexillum ex Arcis summitate cadens, post dimidiatam altitudinem suspensum ferreo annulo remanere, suisque dixisse: *Romanorum tempore malum hoc esset dominantis omen.* Gabriel postquam illum excepit, facto epulis modo, in semotam ædium adducit partem, ibique varios sermones ingressus: summa tamen fuit, ut nihil aliud nisi Florentinorum amicitiam fœdusque exposceret. Multisque ultro citroque habitis verbis, Masus tamdem Magistratui singula relaturus, Florentiam rediit. Postero die Gabriele Pisas reverso, intellexerunt Pisani illum cum Maso convenisse, & quid negotii habuisset disceptantes, arbitrati tamdem sunt, Gabrielem Florentinis Pisas vendere voluisse. Quamobrem veriti, ne talis contractus fieret, arma statim sumsere; Gabriel in Arcem fugit, & se conductis militibus tutabatur. Verùm cùm rerum necessariarum penuria Populi obsidionem protrahere non posse intelligeret, nec satìs tutè persistere, auxilii spem ad Buccicaldum vertit, & celeriter ad eum misit, impetravitque sagittarios, & expertos ad custodiam milites, quibus se communivit, atque defendit, sola navi longa, quæ intercepta tamdem postea à Pisanis fuit, per Arnum fluvium commeatibus importatis.

Postquam Florentini, quæ Pisis facta fuerant, cognoverunt, & acceperunt, Buccicaldi milites in Arce fuisse receptos, occasionem patrandi quæ ante tractaverant nacti, duos elegerunt Cives, unum ad Buccicaldum, ad Gabrielem alterum. Mandatum illis est, ut maturius adeant, & omnia, quæ ad emendam Florentino Populo Pisanam Urbem opportuna esse videntur, diligentiùs curent. Gabriel igitur, & Buccicaldus, acceptis Florentinorum nomine verbis, & unitis inter se voluntatibus, Petram-Sanctam delegerunt, ad quod Oppidum Baptistam Lomellinum, & Cosmam Tarigum Genuenses Cives miserunt, quibus carum erat Florentinos Pisas accipere, ea maximè adducti causa, quòd studio Guelfarum partium Florentini Genuensibus erant accepti, contrarii verò adversique Pisani. In eo igitur Oppido cum Florentinis Legatis post varias disceptationes convenerunt, ut Gabriel Pisas, Pisanorum agrum, & cuncta Pisani agri Oppida, Florentino Populo venderet; Urbis Arcem, in qua ipse refugerat, & alias quasdam in agro Oppidorum Arces daret. Florentini centum & quinquaginta supra duo millia librarum auri pretii nomine exsolverent; Urbem, ceteraque agri Oppida, agrumque ipsum sua vi operaque possiderent. Solutionum distributa sunt tempora.

In deditione Arcis auri pars Gabrieli solvebatur, reliquum post Urbem infra certum tempus adeptam menstruis solutionibus in subsidium Patavini Principis conferebatur. Sed quia Florentini Arcem adepti, illam, priùs quàm Urbe potirentur, amiserunt; & tanta interim facta est temporis intercapedo, ut constituta lapsa sint tempora, & Patavium ceperint Veneti, nulla reliqua est facta solutio.

Formulâ igitur contractus compositâ, Ginus Capponius Florentini Populi nomine Pisanam Arcem accepit, illamque, ut in mandatis habebat, Laurentio Roffacano, vexillatum unius Florentinæ Tribus tunc gerenti, custodiendam reliquit; ipse verò ad Ripam-Fractam profectus, cujus quoque Oppidi Arcem ex pacto accepturus erat, cum eo pervenisset, & solvere Arcis Præfecto pecuniam, sicuti cum Gabriele convenerat, voluisset, atque Arcem accipere, Præfectus assentiens primò, deinde negans, postmodum se daturum affirmans crastinâ, spe plures dies protraxit rem. Tamdem verò cùm Arcem tradidisset, repertus in ea est Joannes Scriba, cui Minalcommetta fuit cognomen, homo callens astu, quem Pisani miserant ad disturbandam rem. Ob quam causam Præfectus procrastinando non tradiderat statim Arcem. Reliquis igitur servatis omnibus, hic solus è summa turri præcipitatus interiit. Pisani suæ Urbis venditionem ægro animo indignè ferentes, statim se ad oppugnandum Arcem præparant, vallo, fossaque, & circumductis impedimentis, illam priùs cinctam, nocte dieque machinis, jactis lapidibus, percutiunt. Qui inclusi erant homines, ex agro tumultuariè acciti, & bellorum ignari, celeri desperatione rerum sibi ipsis diffidunt, & crebros ictus formidant. Murus Urbis, Arci junctus, angulum faciebat, quo in loco conjectus arcus adversos parietes jungebat. Supra Arcum murosque Turris erat erecta, quæ angulum quadrans mœnibus Arcis sua summitate præstabat. Per deambulatoria, quæ circuibant Arcis mœnia, patebat in Turrim aditus; & inferius Portula claudebat è Turri exitum ad deambulatoria Urbis mœnia cingentia. Turris cum Arce tenebatur, ipsamque, veluti infirmiorem Arcis partem, Pisani crebris tormentorum ictibus propulsabant. Qui illam tenebant, quotiescumque advertebant in se majores lapides machinis projici, Turrim relin-

linquentes, in Arcis mœnia currebant, & percusso ictu, statim revertebantur in Turrim. Pisani sæpius custodes idem facere cernentes, arbitrati sunt, hanc facilem esse Arcis ingrediendæ recuperandæque viam.

In inferiorem igitur Turris portulam, qua erat in mœnia Urbis egressus, validioribus pluribus simul bombardis onustis, dato igne, crebris ictibus portulam frangunt, & præparati antea milites secus Urbis mœnia per deambulatorium celerrimè intrant, priusque Turrim ascendunt, quàm timidis custodibus, qui solito more per mœnia Arcis confugerant, fuerit redeundi celeritas. Patefacto per Turrim aditu, Pisani subitò sese per Arcis mœnia, partim & ubique diffundunt; inclusos pro custodia milites, partim obtruncant, partim verò capiunt; reliquos præsentia facti conterritos, & sibi ipsis diffidentes, ad deditionem compellunt. Itaque una eademque die elaborata tot temporum spes, ac tamdem emta possessio evanuit. Delato Florentiam repentinæ fœdæque amissionis nuntio, Florentini Populi, & Reipublicæ dedecus magìs, quàm Pisanæ Arcis amissio, Civium animos comprimebat. Creber erat per Urbem rumor varia jactantium; quidam in custodes acriùs invehebant; quidam Pisanorum audaciam, virtutemque extollebant; nonnulli negligentiam Magistratus, cui Belli cura demandata fuerat, damnabant. Alii imparem numerum custodiæ tantæ Arci præpositum fuisse culpabant; & ut in re malè gesta evenire solet, ita variæ jactabantur calumniantium sententiæ. Erant qui indignatione commoti tumultuariè in Pisanos erumpendum esse censerent. Graviores viri facilè dicebant esse bellum suscipere, periculosum prosequi, variam fortunam, & futurum incertum; neque temere se fortunæ casibus committendum; suscipere namque bellum quisque poterat, reprimere verò ruinam Urbis, & pacem efficere soli victori datum.

Inter hæc quinque Cives, quorum Pisis pollebat auctoritas, Florentiam legantur. Placuit igitur priusquam quicquam fieret, expectare quæ verba ferrent. Proximis inde diebus cùm Florentiam devenissent, constituto tempore coram majoribus Magistratibus, & Florentinæ Reipublicæ Patribus in hunc modum verba fecere: *Si à natura datum esset, ut suis Homines contenti opibus essent, quemadmodum suá contenti sunt sapientiá, rarò quidem esset, & à paucis violata Justitia. Sed quia satis nobis sapientiæ videtur inesse, quantulumcumque sit, opes verò in infinitum optamus, factum esse reor, ut & potentiam, & alienas opes appetamus. Credimus tamen, Florentini Cives, vobis tantum prudentiæ, & judicii inesse, ut cognoscatis, quàm inhumanum & contra justitiam sit alienum non solùm appetere, sed fraude occupatum, vi & armis tenere. Audistis quia scriptum est: Non desiderabis rem Proximi tui; Vos autem non solùm desiderastis, sed abstulistis. Quis est enim proximior, quàm Vicino Vicinus? Vos tamen Vicini nostri, è longo spatio agrorum finibus juncti, ita nostra desiderastis, ut Urbis nostræ Arce occupata, Urbem ipsam, agrumque cum honore, potentia, & dignitate nostra occupare conaremini. Quæ qualia, & quomodo ferenda sint, vestro judicio mandamus. Lex belli ac militaris disciplinæ est, ut etiam in hostem sit fides servanda, & Virtute, non fraude cum hoste certemus. Vos*

A *tamen non Hostes, sed Vicini, & ut reputabamus, Amici, per subductionem & fraudem nobis omnibus insciis, nos, & nostra emere, & vestræ ditioni subjicere quæsivistis: de hoc maximè, de hoc, Florentini Cives, cordis mente dolemus, & hoc sinè ulla justa causa factum esse maximè condolemus. Vos autem orate, nè vobis tale aut par malum eveniat. Piè enim credendum est, quòd Deus ipse, qui videt in abscondito, in abscondito reddet vobis. Nos religiosè quidem, & sanctè credimus, recuperationem nostræ Arcis tam celeriter, & sinè percusso, ut ita dixerim, ense, à nobis factam, certè non sinè divino factam esse miraculo; ut eorum, qui per ambitionem adeò iniquè se exaltare procurabant, publicè irrideretur ignavia.*
B *Justus quidem est rerum contributor Deus, apud quem numquam impunita causa remansit, nec est per futura secula remansura. Nolite igitur expectare, Florentini Cives, quòd Deus contra vestram voluntatem provideat, sed offerte, & reddite ultra, quæ nostra sunt, ut si quidam vestri Cives in nos quondam injuriosi fuerunt, bene tamen institutam habere Rempublicam demonstretis. Nihil est enim magìs bene institutæ Reipublicæ consentaneum, quàm justitiam servare. Nihil est magìs consentaneum justitiæ, quàm suum dare cuique. Dare nemo justè potest, nisi det voluntariè. Voluntas igitur vestra sit, quæ vestræ Reipublicæ dignitatem, & nobis nostra restituat. Dum adhuc Pisanorum Castella in vestris mani-*
C *bus restant, Ripa scilicet Fracta, & Castellum Sanctæ Mariæ, quæ quàm æquum sit nobis reddere, certum facit iniquitas retinendi. Nostra igitur injustè à vobis occupata, justè repetimus; & certè confidimus obtinere, si justi esse vultis; nam injusta à justis occupari non decet. Quæ ratio velit, certum vobis est: nolite per ambitionem errare; nam animus non facilè verum prospicit, quando dominatur ambitio; & quæ per ambitionem nequiter facta sunt, suopte curat Deus. Ideoque considerate varietatem fortunæ, & cavete, ne aliquando vobis dicendum sit: Jure plectimur: nisi aliena injustè occupare voluissemus, nunc de nostris non dimicaremus: quod ne eve-*
D *niat oramus. Contenti estote finibus vestris; & si istis paucis diebus, quibus nostræ Urbis Arcem tenuistis, in ejus restaurationem aliquid contulistis, quod parum quippe fuisse credimus, id tamen totum speramus Pisanos vobis liberè reddituros.*

Ubi ea Florentini accepere Patres, singuli alteros intuentes, fuisse verba fastidii plena omnibus videbantur, & tanta statim commotio animorum incessit, ut etiam qui antea maturiùs deliberandum esse censerent, in tantam indignationem devenerint, ut potenti Exercitu in Pisanos eundum, nec nisi illis
E victis sumtui parcendum esse, consulerent. Collatis demum inter Patres sententiis unico ore Legatis licentia datur; nec multos post dies domum discedebant. Inter hæc Magistratus supplicio rerum capitalium Laurentium Raffacanium, & reliquos Florentinos, quibus Pisanæ Arcis custodia demandata fuerat, condemnavit. Decem per idem tempus Viri superioribus Populi suffragiis ad Belli curam delecti, cùm civium animos in Pisanos erectos esse viderent, quæ bello usui solent esse, propere curant, milites deligere, scribereque equos, arma, & cetera belli instrumenta parare maturant; Bertuldum Ursinum præficiunt Exercitus Ducem; commeatus, ceteraque opportuna parant. Quibus omnibus assa-

affatim provisis, Bertuldus cum exercitu in Pisanum agrum profectus, Castellum juxta Balnea Pisani montis pro præsidio positum cepit, diripuit, atque vastavit. Inde Vicum Pisani agri nobile Oppidum castris potitis circumsedit; affirmans Pisanam Urbem Florentinis facilè cedere, si priùs Vicum cepissent. Sed quia Oppidum erat sui natura munitum, & hyems aderat difficilè militibus tempus, non sinè obsidentium calumniâ in longum protracta obsidio est.

Stantibus ad Vicum Castris, fuerunt qui per noctis silentia milites Arcem Pisanam ingredi posse, & illam arripere persuaserunt; & tanta est illis adhibita fides, ut Rainaldus Gianfiliatius, & Christophorus Spinus Equites Florentini, duo è decem Viris Bello Præfectis, Pisas cohortes adducerent, qui cùm ad locum devenissent, à custodibus detecti, infecta re rediere. Per idem tempus Pisani his anxii curis, ubi intellexerunt se se armis defendi oportere, soliciti ad res suas componendas, cuncta, quæ bello opus esse solent, parare festinant. Primò igitur Cives omnes suos sub Gabriele Principe exilio damnatos in Urbem restituunt; divisæ præterea factionis homines, quibus infecta Civitas diutissimè manserat, unire conantur. Cujus rei gratiâ, sicut in supplicationibus sacris fieri solet, ita communionem Corporis Christi publicè ferè omnes Pisani Cives simul sumsere, jusjurandum præstantes, pollicentesque suam Libertatem & Popularem statum bona fide tueri, & Urbem totam defendere. Legitimas insuper nuptias quidam diversarum factionum principes inter se contraxere, & alia quædam fidei & conjunctionis signa fecere. Quibus domi provisis, equites in sui tutelam undique per Italiam conducere requirebant. Primò igitur quasi subsidiarii, cùm per Perusinum agrum in Senensem, & Sartianum Oppidum devenissent, à Florentinorum cohortibus, quibus injuncti fuerant, Romani Pontificis equites ex improviso invaduntur, repentinoque statim metu perculsi, dissipantur. Magna eorum pars capta est, reliqui fuga salutem quærentes abierunt. Sic igitur frustra sperata fuit hæc Pisanorum prima provisio. Majore igitur equitatu mercede deinde conducto, illum per maritimam oram Pisani ducebant. Adversùs eos Florentini miserunt Sfortiam cautissimum equitum Ducem, qui cuncta, quæ agebant, accuratè edoctus, in Campiliæ finibus eorum intercepit iter, repenteque posteros securè & sinè ordine post primos vadentes aggressus, omnes unâ fudit. In quo prœlio multi sunt capti; major tamen pars, ubi suos inferiores videt, ex consulto cessit. Quorum ducenti ferè equites, Guaspare Pactio duce, integri sunt Pisas ingressi; reliqui omnes vanum suum iter fecere. Sfortia videns, quamplurimos per vicina loca refugisse, ne convenire & prosequi iter suapte facilè possent, simulque ut frumenti, & ceterarum rerum opportunitatem impediret, ad custodiam suorum relicta manu, in Florentinorum castra revertitur. Dum hæc foris à Pisanis gerebantur, intra Urbem nequaquam quieta erat res. Post libertatem nuper expulso Tyranno receptam, Pisani titubantem & suspicionibus plenam Rempublicam retinebant; nec satìs constabat, qui Cives, vel qualis Magistratus præesset. Præficere quemquam non conveniebant, voluntatibus propter factionum stimulos adversantibus. Per hunc itaque modum aliquot menses producta res est, donec Joannes Gambacurta, cujus tamdem factio prævaluit, cum publica potestate in Populi Rectorem assumitur. Quam auctoritatem ubi in se delatam videt, primùm spe, mox metu anxius, ea animo moliri cœpit, quibus suæ partis homines fidos firmosque faceret, ceteris verò formidolosus existeret. Hæc secum agitans, ex re fore credit si diversæ factionis principes per dolum necarentur. Quod cùm tentavisset, & non sinè periculo tardius procederet, statuit quovis modo incœptum perficere. Præparatis igitur priùs in sui custodiam militibus principes quosdam magnos alienæ factionis viros capere, & non multo post interficere procuravit. Quod mortis genus illis intulerit, adhuc incertum est. Creditur tamen, eos parva navicula per noctis silentia delatos in altum mersisse. Post cujus facinoris famam, licèt incertum esset, quali eos morte affecisset, tanta tamen formido omnes eorum sectatores invasit, ut præ metu nihil dicerent, neque facerent contra ea, quæ Gambacurta volebat.

Per hunc igitur modum sua factione præpotenti facta, ille jam re quasi Civitatis Dominus cuncta suo arbitrio ministrabat. In qua re latissimè apparet, quàm sit infida regnandi cupiditas, cùm illi ipsi, qui iisdem ferè diebus, sanctissimo sumto Sacramento, se ad unionem & Libertatis defensionem sub religiosissimo juramento obligaverant, tam nefariè suos perdiderint Cives, & prostraverint Libertatem. Sed difficilè certo est regnandi gratia societatem & inviolatam fidem servare, præcipuè cùm sit infinita humana cupiditas. Sed vana quidem est hominum spes, & nostræ sunt cogitationes inanes. Postquam in Gambacurtam tanta est delata licentia, multo plures eum invaserunt curæ, & pericula longè majora sedulò illum premebant, & undique erant angustiæ, donec bello & fame ad extremam calamitatem cum universo Populo adductus, Civitatem tamdem amisit. Imminente igitur Pisanis futuræ famis metu miserunt in Siciliam naves ad frumentum importandum. Florentini omnem maritimam opportunitatem illis impedire volentes, custodes maris sedulò describebant. Accelerantes itaque Pisani quantulumcumque possent frumenti festinanter præmittere, onustam frumento navim deducebant, quæ cùm non longè à Pisano Portu navigaret, ab altera navi, quam jam Florentini paraverant, invaditur, & in fugam statim versa in Vadæ Portum se recepit, sperans à custodibus Vadensis Arcis posse defendi. Qui illam certè haud impigrè defenderunt enixiùs; sed Florentini se invicem hortantes, non minori audacia prosequebantur. Horis tribus in eo Portu duravit pugna; tamdem Petrus Maringhius, Florentiæ in judicio capite olim damnatus, promereri gratiam existimans, inter confertissima tela ignem nando portans, frumentariam navem exurit; & tribus tamen acceptis vulneribus ad suos tale facinus pro miraculo intuentes, revertitur, à quibus diligenter curatus publica statim lege sua est capitali damnatione solutus.

Dum hæc fierent, Bertuldus ad Vicum con-

continebat castra, nihil ad oppugnandum reliquum faciens. Nam variorum Operum, machinationumque genera, instrumentaque ingentia pondera jacentia pluribus locis erexerat, & quasi belli essent fulmina, die noctuque Oppidum impugnabat. Instrumenta, quibus utebatur, erant bombardæ, non multo ante id tempus in bello notæ, & celsæ insuper machinæ Turrium more ædificatæ, nec antea nostris hominibus cognitæ. Qui in Florentinorum castris primò illas erexerant, ab externis Cisalpinæ Galliæ montibus homines Briccolas appellabant, quibus incredibilia pondera jaciebant. Ejus forma hæc erat. Duæ quasi protensæ alæ eminentibus pennis sua summitate perforatis in altum erigebantur. Teres jugum per ea foramina immissum summas jungebat & colligabat pennas. Prælongus deinde malus medio jugo æquè suspensus librabat pondera. Imò mali capiti saccus inerat funibus, & bovino tergo consutus, quasi funda pondera jaciens. Aderat cum altero capite sinus longè majoris ponderis capax, qui perpensissimò suspensus substentaculo, lapidibus replebatur, donec valde prægravaret pondera fundæ; deinde repente demisso sinu tanto impetu levabat projiciens quod erat in funda, ut assuetis etiam in bello terribile foret, & mirabile visu. Varii præterea generis machinamenta, Turres, balistasque comparaverat, quibus tot magnos lapides in obsessos projecerat ut nulla pæne eorum domus illæsa remanserit, quin aut refracta, aut perforata fuerit, & nonnulli quoque Oppidani peremti. Nec interim tamen incursionibus agrorum pepercit; nam & prædas sæpius egit, & undique per Pisanum agrum armenta, greges, captivosque collegit, sperans patrare posse facile bellum, & Civitate potiri, si eo Oppido potiretur. Ceterùm sua uniuscujusque voluntas ignorantiaque, nonnumquam magis quàm verum, aliena gesta ex libidine moderantur & judicant.

Florentiæ tunc Plebs, omnisque vulgus, Opificesque, qui Vicum statim facere deditionem in obsidionis principio crediderant, cùm id assequi non viderent, culpare Bertuldum cœperunt, quasi prolatandi belli gratiâ, Oppidum loco, operibus, atque custodibus munitissimum, obsideret, & Pisanis daret præparandi spatium, quæ usui forent. His vocibus perculsi Magistratus, & maximè ne collatio pecuniæ, quæ per tributum ex privato conferenda erat, difficilis fieret, Bertuldo deposito Obizum Garulensem, Virum procul dubio Florentino Populo fidum, eorumque Exercitus & belli Ducem dixere. Hæc primo hujus belli anno gesta fuere. Qui secutus est annus longè majores res continebit; nam obsessi, obsidentesque pertinacius prosecuti sunt bellum, donec postquam inhumanos fœtidosque cibos, & horrenda hominibus animalia sustentandæ vitæ necessitate obsessi Pisani voraverant, extrema tamdem calamitate coacti in Florentini Populi potestatem venere.

Adveniente igitur hujus Anni principio, Florentini, ad prosequendum bellum intenti, decem novos decrevere Viros, quibus Belli gerendi cura inesset. Hujus designatio Magistratus facta est ante tempus, ut esset illis spatium cogitandi, quæ essent suo sibi tempore peragenda. Menses tamen duos con-

A tinuabat Decemviratus præcedens, in quibus una de communi provisione sæpius cogitaverunt. Sed postquam venerunt Martii Kalendæ, in quibus ad novos Collegas deferebatur potestas, quid è re maximè esset, sæpe multumque scrutati decreverunt, non aliorum more, neque per obsidiones locorum agrorumve, incursiones, & prædas, inimicos bellare; sed Urbem ipsam veluti caput, quo extincto haud vivere membra possunt, oppugnare, & vincere. Concepto inde ad tempus occultato, tria præcipuè ad id patrandum fore necessaria censuerunt: primò ne frumenti inopia, quam Pisani continuò lenire procurabant, aliqua in parte levarentur.
B Quod ut fieret, indigebant Secundò: id erat, ut positis castris Urbem cingerent, & maritimum Arni ostium, flumenque simul custodirent. Quæ ut tutiùs fieri possent, opus etiam erat Tertiò: Quod fore judicabant curare, ne per mercedem conducta militum auxilia tutarentur. Quibus omnibus intenti; uno tempore cuncta navabant. Armis in Italia duo ea tempestate prævalebant Ladislaus Apuliæ Rex, & Otho Tertius apud Reginos, Parmensesque potens equitum Dux. Ab utrisque impetratum est, ne præstarent auxilia Pisanis. Cum Rege conventio facta est, ne se rebus immisceret Etruscis, & suo
C incœpto contra Romanam Urbem, quam occupare conabatur, impedimento Florentini non forent. Othonem obligarunt pecunia, ne stipendia militiamve invitis Florentinis susciperet. Quæ uti conventa fuerant, ita fuerunt plena fide servata. Quibus rebus ita actis jam aderat ver, & Florentini in spem victoriæ adducti, omnia properè parare student, quæ ad obsidendum Pisanam Urbem fore opportuna cognoscunt, & ne Vicensem obsidionem solvant, sed obsidente Obizo Vicum, sit qui Pisas quoque obsidere possit, Lucam Fiescanum Genuensem alterum deligunt militiæ Principem, sub quo quàm maximas omnium generum auxilii copias con-
D ducere parant, & cetera omnia, quæ militibus, & obsidentibus castris usui esse solent, adesse impigrè jubent. Duos præterea è Decemviris Masum Albitium, & Ginum Caponium præficiunt, ut foris arma atque castra curent. Qui in agrum Pisanum statim profecti, cùm ab externis periculis tuti esse viderentur, relicto ad obsessum Vicum Obizo Duce, & tot solummodo castris, ut continere inclusos possent, ceteros omnes cum omni reliquo equitatu, peditibusque, quos in hibernis per loca Pisanis infensa tenuerant, in unum exercitum conduxere. Novos insuper descripsere milites, multosque præterea mortales, jumentaque usui & ne-
E cessitudini opportuna rerum comparavere.

Qui simul in Cascinensi agro congregati fuerunt, ad quinque equitum millia, pedites verò bellatores supra millia septem, & magna insuper agricolarum, operariorumque multitudo, qui artibus, & operibus, ministeriisque instarent bellicis. Cum his etiam frequentes aderant, quos spes, aut lucrum illexerat. Hi una omnes postero die instructis ordinibus, veluti dimicandum esset, ex eo loco duobus passuum millibus Pisas transgressi, inter sacras Petri Graduensis ædes, & ripas Arni fluminis metati sunt castra. Primo eorum adventu tanta fuit alimento-

rum inopia, ut exhaustis pæne non tantùm humanis omnibus, verùm etiam herbis, ac sylvestribus baccis perdifficile fuerit per aliquot dies milites continere. Hæc difficultas facta est temeritate curatorum, qui ex Genuensium litore, Liburnoque Oppido Præfectis castrorum scripserant, quæ ad victum opportuna forent, abundè curavisse; sed adeò longè res diversa literis fuit, ut pauci solummodo panes Liburno veherentur. Hac igitur necessitate coacti exercitus ductores cogitarant exercitus reducere, & commeatibus providere, deinde ad locum redire. Inerant tamen huic consilio difficultates minimè negligendæ; primò quia indecorum videbatur, & contrarium militum audaciæ, quam in obsessos sævis animis præferebant. Bonam insuper spem videbatur obsessis præstare, & de his opinionem dare ceteris omnibus potiorem. Sed longè periculosius esse putabant, si interim importato frumento replerentur: quod si eveniret, diutinum bellum, & dubiam victoriam verebantur. Quibus rebus anxii constituerunt potiùs paucorum dierum penuriam sustinere, quàm incœpto omisso fœdè discedere. Viatores igitur impigrè ire jubent, qui ex Oppidis, agroque Florentino, ac etiam ab amicis, vicinisque omnibus coctum panem parent, & celerè vectum præmittant. Frumentum deinde, & cetera militibus necessaria undique importari curent. Idem Florentiam, ut sedulò fieri jubeant, per literas nuntiant. Per Romanum etiam, & Genuense litus impunitatem omnibus dicunt in Florentinum exercitum cibum aliumve commeatum importantibus; & idem per præconem in exercitu publicant, unicuique impunitatem & licentiam vendendi quantum vellet præstantes. Tanta itaque proximis diebus mutatio facta est, ut è maxima inopia ingens frumenti copia provenerit. Frumenti igitur difficultate sublata, & munitis toto loco castris Florentini ripas Fluminis custodire, & aditum claudere, decrevere. Duo igitur præsidia adversùs Arni litoribus firmant, & super palos ligneum Pontem imponunt, qui ad præsidia communem transitum faciat, & iter per flumen claudat. Dum electa præsidiis loca aggeribus fossisque muniunt, ut celeriùs extollerent opus, suburbanis dirutis juxta superiorem amnem vicis, casarum trabes, tignaque flumini dabant. Collectores inde ad Pontem, præsidiaque instruebant. Tantaque fuit lignorum vis, ut navato fluminis opere, militaribus quoque tabernaculis inserviret. Inter hoc Gaspar Pactius, quem cum equitibus Pisas ingressum ostendimus, timens, ne equi fame perderentur, publica obsidentium imprecata fide, cum omni suo equitatu abivit ex Urbe.

Intentis ad obsidendum animis, & impigrè ac sedulò incœpta curantibus, nec dum firmato Ponte, nec communitis præsidiis, quinque incurvæ naves, quæ è Sicilia Pisas frumentum portabant, unà cum septem longis navibus in eorum tutelam armatis in Portum venere. In eodem Portu Florentini classem habebant navium ferè totidem, quas cùm viderent Pisani, audissentque terrestrem exercitum flumen custodire, non sunt ausi ostium intrare, nisi priùs navali prœlio cum nostris decernerent. Constituto igitur tempore cùm jam diei pars maxima processisset, instructis navalium sociorum agminibus Pisani nostros adoriuntur. Spectaculum pæne vagum fuit, & potiùs persequentibus, quàm decernentibus simile; persequentibus enim alteros alteris par ferè iter omnes in altum fecere, donec prospectum navium priùs subripuit nox, quàm valuerit cominus prœlium iniri. In eadem nocte atrox ventorum sequitur vis, quæ Pisanos in Veneris impulit Portum: Florentini verò in Pisanum rediere. Onustæ frumento naves eadem tempestate quassatæ in Pisano Portu anchoris tenebantur. Lucescente die cùm ligatas in Portu naves nostri viderent; rati ex ventorum impetu, si ligamenta inciderentur, naves ad terram perditum iri, vi atque minis illas aggrediuntur. Ductores navales, quia mercenarii erant, & non erat frumentum proprium, cùm in metum ingentem devenissent, & Pisanos nusquam adesse viderent, statim convenere, ut acceptâ vecturâ frumentum darent, & suis omnibus salvis tutè discederent.

Hæc frumenti copia tanta fuit, ut non solùm Florentinorum milites, verùm etiam equos, ceteraque jumenta menses aliquot pasceret. Postquam Pisis hæc comperta sunt, ingens desperatio cunctorum animos cepit, quòd quòcumque adverterent, res contrariæ evenirent. Principes Civitatis spem vultu simulabant, dolorem in pectore comprimebant. Reliqui verò, & præcipuè quibus nullæ, parvæve erant opes, plus publicè complorabant, voces & manus ad Cœlum porrigentes, orantesque, ut propediem Deus illos ea obsidione liberaret. Verùm sæpiùs virorum virtute, quàm hominum suppliciis (*) salvæ Civitates fuere. Nec solùm pauperum votis, sed divitum collatione atque opulentia Populorum auxilia parantur. Pisani inter se malè concordes nec tributum persolvere, nec externa subsidia parare assentiebantur. Qua pertinacia factum est, ut plerique universas res suas amitterent, quia earum partem expendere noluissent. Cùm essent his anxii Pisani curis, circa Junii Kalendas continuatis imbribus Arnus immensè est evectus, quam opportunitatem ipsi nacti, eradicatas arbores, innexasque præmittentes trabes, magnam post illas lignorum struem medio fluminis impetu conjecere: quam omnem multis undis vectam, atque convolutam materiam simul cum fluminis raptu ad novum Pontem impulit fluctus, tantaque in eum nondum satis sustentaculis firmum superingesta est lignorum perplexa congeries, ut fluminis meatibus clausis, cùm aquarum pondus illa coacervatio amplius sustinere non posset, una Pons, lignorumque mons in pelagus dilabuntur. Inter hæc quidam è Pistoriensi agro milites opportunitatem secuti gravioris Cœli usque ad Portas Urbis prædatum vagantes, capiuntur. Hos interrogantes Pisani cognovere, Pontem cum flumine abiisse. Arbitrantes igitur transarninum præsidium velocitate plenissimi amnis ab exercitu fore divisum, idque paucis custodibus fidum, quia nec satìs rostratum adhuc, nec vallatum fuerat, idem humo coæquare cogitarunt, antequam navigabiles fierent

(*) *Scribendum videtur* supplicationibus.

rent fluminis vortices. Convocato igitur statim Populo, Urbe tumultuariè egrediuntur. Itineris Ductor erat Cola Mattus, qui paucis mercenariis equitibus cum Pisanis remanserat, quando Gaspar Pactius abivit ex Urbe: reliqui omnes Populus erat imbellis, Cola nihil periculi esse in eo negotio ratus, cum suis equitibus antevenit, & cùm non longè à loco præsidii gregem vaccarum inspiceret, cupiditate prædæ adductus, illas versùs Urbem convertit, putans Populum per se se desertum præsidium facilè posse destruere. Populus nullo remoratus periculo, aviditate perficiendi temere sequebatur.

Ceterùm dum ea res agebatur, idem veriti Florentini, de salute præsidii in exercitu consultabant; nec deerat quibus videbatur paucis admodum militibus, qui in præsidii munitione remanserant, ejusdem disruptionem jubere. At Sfortia fortissimus equitum Ductor, ut ceteris audaciam præstaret: *Date mihi*, inquit, *præsidii custodiam, & solus cum militibus, qui in eo sunt, id vobis tuebor fæliciter*. Dato ei libenter negotio, uno delecto comite, & duobus equis naviculam cum illis solus ascendit, & multo labore undis jactatus, uno tantùm salvato equo ad longè inferius litus applicuit. Tartalias verò alter equitum Dux, æmulatione gloriæ, & ut sua armenta, quæ ex variis collecta prædis in eodem litore habebat, salvaret, altera navicula subsequutus ad idem litus emersit. Cùm igitur Pisani advenissent, hi duo strenuissimi Duces cum parva militum manu obviam fiunt. Exercitus noster, qui in altero litore considebat, præparatis ordinibus, & aciebus instructis in Pisanorum conspectu secus Arni litus citato itinere ad Urbem contendit. Pisani eodem tempore duos fortissimos Duces in se venire, atque exercitum ad invadendum Urbem contendere, cernentes, minimum tum ibi certaminis committunt; nam tanta illos statim doli mali formido cepit, ut certatim ad Urbem festinanter confugerent. In fuga multi corpore fessi, & timore perculsi, inter arbusta veprésque diffusi latitarunt, quorum plerique à militibus, qui lenità undâ flumen transfierant, usque ad proximam noctem capiuntur. Vexilla etiam, quæ Populus secutus fuerat, sunt capta. Post hanc adversam pugnam tantus pavor ac trepidatio Pisanos pervasit, ut numquam ausi sint portis exire. Postquam res in Urbe trepidas, & ingentem Populi metum Florentini cognovere, invadendæ Urbis per ascensionem murorum bonam spem suscepere. Nocte igitur constituta tenebrosa, cum expeditis cohortibus ad locum pergunt, & quàm occultissimè possunt, in propinquis confident umbris. Horâ inde intempestâ, exploratis omnibus, cùm omnia sub silentio invenissent, delecti ad negotium milites scalis murum ascendunt; & ut levius streperent, modicâ armaturâ, & nudis pedibus vadunt. Ceterùm cùm plerique jam ascendissent, & reliqui quasi sublato periculo repente certarent ascendere, strepitu custodes ciere. Custodes igitur ad arma conclamantes totam Civitatem movere; ad muros statim concurritur. Nostri ut faciliùs ascenderent, se invicem levant. Pisani firmioribus scalis expeditiùs vadunt, & ne obscuro lumine suos ignorent, laternas, & faces adducunt, lapides & tela ingerunt; mulieres & pueri, qui ad locum accesserant, flammas suscipiunt. Postremò ubi cominus se milites ferire cœperunt gladiis, cernebatur, qui instarent acriùs, qui sauciarent audaciùs, funderent, locumve tenerent enixiùs. Interim duellaris pugna connectitur inter audacissimos milites, & maxima vi ab utroque certatur, donec emunctis utriusque viribus compliciti corruunt, & supposità illic in humo moriuntur. Ferociâ à militibus inde depositâ, cùm abundè plures supervenirent Pisani, nostri retro cedere, & per scalas certatim evadere cœperunt, accumulatisque in scalis catervatim militibus, & implicitis ruentibus virorum globis, plerique afflicti sunt. Sic infecto negotio evanuit potiundæ Urbis spes, & sperata hac aggressione victoria. Pisani post expulsos è mœnibus hostes nostri militis lacerum corpus ad Aselli caudam per Urbem traxere. Cujus derisionis gratiâ è tracti militis cohorte milites plures Pisanos per varia tormentorum genera necavere.

Postquam infecto negotio Florentinorum milites in castra redierunt, Sfortiæ, & Tartaliæ discordia jam pridem exorta resumitur. Hi duo inter primos Duces habebantur, & inter se de prioratu in exercitu contendebant. In castris uterque spectabatur fidus acceptusque Præfectis, & consiliorum omnium gnarus, unicuique exercitus credebatur, & obire omnia soliti erant, quæ optimi Ducis, & strenui bellatoris habentur. Ceterùm more ingenii humani invidia ex paritate orta est, qua instante Tartalias condoluit, in sui perniciem Sfortiam venenum emisse. Verum an falsum id fuerit, nobis satìs cognitum non est. Sfortia tamen contra decus suum tale facinus reputans, orabat, ne se de tali scelere incusaret, nec suspectum haberet. Dubiis inter se atque hæsitantibus illis, Masus, & Ginus, qui exercitui præerant, caventes ne castrensis seditio oriretur, illos placare conabantur, indignum fore persuadentes, si ex privata suorum Ducum contentione in Florentinum Populum detrimentum sequeretur. His verbis placido ore uterque respondent. Tartalias tamen ultum ire injuriam in animo retinebat; impediente tamen metu occasionem servabat. Compositis per hunc modum rebus, & vadibus datis Masus & Ginus Florentiam ad Collegas rediere. Nerius Guadagnius, & Jacobus Jansiliatius ad castrorum curam mittuntur. Mutatis igitur castrorum Legatis, Sfortia, & Tartalias, sive novâ exortâ causâ, sive quia illis nullam obligaverant fidem, contentiones reintegrarunt, & adeò exarsere animo, ut magna suspicio fuerit, ne militarem tumultum excitarent. Ob quam causam Ginus Capponius, cujus præsentiam ambo verebantur, in castra reversus, perturbatos eorum animi motus iterum delinivit; metus tamen remansit, ne qua ex hoc negotio seditio oriretur, & maximè quia Duces, militesque divisi uni vel alteri seorsim inhærebant. Eadem tempestate contagio maxima fuit in castris. Primò ingens muscarum superabundavit copia, veluti seminarium cuncta replens; pulices deinde, & pediculi, tantaque ranarum, ac murium multitudo, ut sordidis, etiam agre-

agrestibusque intolerabile fastidium videretur. Cum iis aderat magna vis æstus, & tanta temporis ac loci corruptio, ut validiora etiam corpora inficeret. Febres post hoc sequutæ sunt, & tanta militum invalitudo, atque debilitas, ut passim prostrati jacerent. Ad curandam igitur valetudinem, & seditionem tollendam, urgendamque enixiùs Civitatem, rati sunt novam inducere belli formam. Communitis itaque ad integrum præsidiis, ponteque reparato, & valida catena, quæ perpendiculariter tensa ab aqua trabibus levabatur munito, milites ad custodiam in illis locis abundè reliquerunt, & præter eos validam manum permanere jubent, qui itinera utriusque litoris infestent, neminemque præterire, nec quidquam importari sinant. Cum omni reliquo exercitu Pisas prætergressi trium millium spatio, Sfortiam cum minori equitum peditumque parte in Septentrionali Arni litore collocant. Minor pars eo in loco distributa est opportunitate castrorum, quæ in eodem litore ad obsessum Vicum sedulò considebant, & rebus communibus inservire percommodè poterant. Tartaliam, & ceteras omnes copias contra in diverso litore firmant, jactoque super scaphas ponte, communem castrorum aditum faciunt. Pluribus itaque locis distributo exercitu cuncta mœnia circumveniebant nostri, majorique obsidione Civitatem urgebant, & die nocteque ad Portas infesti, prædabundique imminebant. Trepidi contra Pisani, nam quòcumque intenderant, res adversæ erant, & ad malum pronæ, infeliciter succumbebant.

Quibus difficultatibus anxii cùm essent, spes unica erat murorum custodia, & diuturno bello ita Florentinum Populum fatigare, ut militum tœdio, & tributorum solutione agitatis Civibus, pacem tamdem darent, quibus conditionibus vellent. Hoc rato consilio Johannes Gambacurtius, qui in Civitate quasi Dominus præsidebat, ut diutius sustinere obsidionem valeret, statuit inopes omnes atque imbelles extra Civitatem mittere, existimans pastum, qui supererat, longiori tempore remanentibus subvenire. Multi post hæc mortales, quibus opes non erant, abire Urbe sunt jussi, quorum plerique tenuissimo victu anxiè antea sustentati, elevatis ad Cœlum manibus, emigrabant. Ceterùm ductores nostri exercitus animadvertentes idem, quod intendebant obsessi, præcone publicarunt Vitæ supplicium captivis omnibus Urbe profectis. Quorum nonnullos primò locis editioribus in conspectu Civitatis palàm suspenderunt laqueo: quosdam verò necatos, & in naviculis positos ad suos Cives flumine duce mittebant, appositis scriptis, eamdem mortem edicentibus ceteris Urbe exeuntibus.

Dum ea agerentur, nihilominus vi ac minis emittebatur Plebs, & cuncta ea tempestate, necessitate victus magìs quàm pietate, Pisani moderabantur. Florentini tamen in hostes nolentes crudeles esse, mitigarunt numero pœnam, nec ampliùs morte illos, qui in potestatem veniebant, prosequebantur. Ceterùm Fœminas circumcisis ad umbilicum vestibus, extremitateque interdum nasi recisa, mares verò nudatos, & ignito nonnumquam ferro sigillatos verberibus impellebant ad Urbem; & si qui pertinaces remanserant, onustis ex illis ratibus per superiorem fluvium demittebant, qui ripis Civitatis appliciti, potiùs cuncta sustinere parati erant, quàm in hostium manus redire. Duo ferè menses hæc pertinacia in obsessis obsidentibusque permansit, in quibus ad extremam famis calamitatem Pisanus Populus adductus cujuscumque generis herbas, radicesque, & horrenda humano victui animalia glutivit, & nullus tamen exire Civitate audebat. Continuè, dum Pisæ obsidebantur, ad Vicum perseverabat obsidio. Vicensibus penuria inerat rerum necessariarum maxima; eorum domus omnes ferè refractæ aut perforatæ erant ictibus magnorum lapidum, quos validissimis nostri projecerant machinis. Multi eorum capti, plerique occisi fuerant, afflicti omnes, & ad necessitatem deducti, ut se diutius tueri minimè potuissent.

Sic igitur affectos ex nostris quidam Bientinenses, freti vicinitatis benevolentia, & impunitate impetrata, ubi primum opportunum fuerat, accesserunt, monueruntque, ut sibi, liberisque suis, Oppidoque aliquando consulerent. Pisanos victos esse ostenderunt, agrum vastatum, captos multos, atque necatos, nullam reliquam superesse spem Pisanis, nisi sese Florentinis in fidem credere: proinde sibi provideant, & animo reputent, quanto cariores Florentino Populo erunt, si tenentibus adhuc se Pisanis ultro in potestatem devenerint. His & similibus aliisque Vicenses sibi ipsis diffidentes, & nullum subsidium sperantes, ad deditionem impulerunt. Bientinenses, accepta ab illis fide, Florentiam venerunt, & per Masum Albitium, cujus amicitiâ fruebantur, Magistratum cuncta docent. Magistratus igitur Masum delegit, qui Vicum profectus deditionem eo pacto accepit, ut ni infra dies proximos decem à Pisanis subsidium haberent, Oppidum Florentinis in fidem traderent. Quod cùm significassent Pisanis, nec aliquid subsidii venisset, post dies decem, Oppidum concesserunt, quod Masus positis ad custodiam militibus communivit. Recepto igitur Vico, militibusque in præsidio positis, cohortes, quæ ad oppugnandum steterant, in castra venere, auctoque illis exercitu, arctiùs Pisana Civitas urgebatur.

Rebus sic se habentibus, Pisanis nec frumentum, nec aliud erat, quo sustentare victum possent; inanita frugibus, cibisque omnibus vacua atque erasa Civitas præbere nihil poterat, quod jejuniis, etiam avidis, usui foret. Videntes ergo Pisani fortunas omnes suas in extremo sitas, validos & pertinaces hostes, subsidium se expectare nullum, & fame protrahi bellum non posse, necessitate coacti cœperunt de concessione Civitatis cum Florentinis tractare. Gaspar Vajanensis Civis Pisanus ad patrandum negotium secretò mittebatur. In exercitu nostro præerant Ginus Capponius pro Decemviris; Matthæus Castellanus, & Jacobus Jansiliatius ad exercitus curam delecti. Præter hos missi quoque fuerunt è Decemviris duo Bartholomæus Corbinellus, & Nicolaus Davanzatus. Cum his sæpius per Gasparem agitata res præbuerat perficiendæ rei spem; nihilque supererat, præter dare negotii diem. Ita compositis rebus cùm jam paululum noctis

ctis processisset, incensis per Urbem flammis, & altè resonantibus instrumentis, ingentem inesse lætitiam ostendebatur. Qui exercitui præerant, dubii quid negotii esset, intenti expectabant. Nocte tota nihil cognitum. Albescente die Burgundiæ Ducis signa spectantur editioribus per Urbem locis. Interea ejusdem diei horâ miles facetus, ipsius Ducis Curialis, in castra profectus, edixit, sui Ducis esse Pisanam Urbem: propterea ab inferenda injuria quisque abstineret, è locoque discederet. Paucis responsum ei datum est, Florentinum Populum scire, Pisanam Urbem ad Burgundionem Ducem non attinere; Duci ipsi, Familiæque suæ Florentinos longè magis amicos, quàm Pisanos semper fuisse; continuèque easdem partes cum Duce Florentinos servasse, Pisanas verò diversas: ideo suo Principi diceret, Florentinos obsidionem non solvere, quia justum gerunt bellum, & è re Ducis magis esse cognoscunt, Florentinum Populum sibi suisque amicissimum, quàm Pisanos diversarum partium sectatores, Pisas tenere. Præfecti ita responderunt; miles tamen tota die perambulavit castra, cunctis edicens odium Domini sui, nisi discederent: qua publicatione cùm multi gravarentur, audaciores quidam nocte facinus tegente captum illum è medio Ponte projecerunt in flumen.

Forte ligno, aliove sustentaculo, anne nando evaserit, incertum est. Ceterùm Florentiam vênit deplorando casum suum. Verùm ne de his rebus creber suscitaretur rumor, statim Civitate emittitur. Cùm rediisset postea domum, & facta infectaque expromeret, Ducis animum in Florentinos movit. Quo odio quidam Florentini Cives, qui in ejus Provincia negotiabantur, injuriâ affecti sunt, & bona illis ademta; inter quos Petrus Cambinus captus fuit, & diutino tœdio pecuniaque mulctatus. Irrita enarrata cauta Pisanorum deditione, Florentini majore vi Civitatem urgebant. Eo tempore nostræ militiæ Princeps, ut diximus erat Lucas Fiescanus Genuensis, quocum multi Genuenses militabant. Genuæ, ut supra ostendimus, Buccicaldus pro Francorum Rege regebat. Verentes igitur Florentini, ne Rex à Duce gravatus, Buccicaldo mandaret, ut suo edicto sibi subditos milites revocaret, Buccicaldo ipso consulente, & publicam licentiam dante, omnes Genuenses milites iterum obligarunt militiæ sacramento, expresso in formula juramento: *Quod nullo eventu, aut præcepto infra præscriptum tempus è militia discederent.* Nec frustra facta est hæc obligatio. Nam requisitus postmodum de revocatione Buccicaldus ipse, militesque, obligationis jure liberantur (*). Hac accessione novarum rerum nihilo segnius Florentini Civitatem urgebant; sed auctis nocturnis custodibus, vigilantiùs observabant, ne ingredi aliquid, aut egredi posset. Unde sedulò in dies magis, ac demum penitus intolerabilis efficiebatur Pisani Populi fames; donec extrema imminente necessitate, Joannes Gambacurta in Civitate Princeps secundam Florentinis obtulit deditionem, cujus tractandæ causâ Bindus cognominatus Barcha Gini tabernaculum nocte intempesta introibat, habitoque colloquio numquam incœnatus abibat; orans insuper panem unum, penuriæ profectò urbanæ verissimum indicem. At semper fuit abundè exhibita cœna panis verò numquam datus. Paucis colloquuti diebus simul convenerunt, & conditiones firmarunt, quarum exemplar fuit.

Joannes Gambacurta Pisanam Urbem in Florentini Populi potestatem proximo triduo tradat.

Florentini, accepta Urbe, quinquaginta millia Drachmarum auri Gambacurtæ exsolvant. Dominium præterea Vallis Balnei, Oppidorumque, quæ in ea sunt, eidem dent, in qua ipse, & sui olim nati sub Florentinorum tutela dominentur.

Fœderis viginti obsides adducant, quos Lucas Fiescanus militiæ Princeps in Ripæ Fractæ Arce bona fide custodiat.

Ginus statim post hæc Florentiam ad Decemviros Collegas suos profectus, contulit rem. Decem ergo Viri, licèt parum se tueri posse Pisanos certò scirent, & maximè deficientibus vitæ subsidiis, decreverunt tamen, salubriorem esse viam Pisas accipere, quàm expugnare. Tali facto concepto ad Priores Artium summum nostræ Reipublicæ Magistratum accessere, intentisque ad audiendum animis, hæc verba fuere.

Auctor Omnium Deus, Patres summi, concedit, Pisas vestras esse: vi, an pactione eam Urbem malitis, in vestra est potestate. Si pactione, qui præsunt, volentibus vobis concedent. Sin vi, certissimè scimus, Pisanos dies proximos decem vitam, & Civitatem tenere non posse. Magnopere igitur animadvertendum censemus, de his duobus quid eligatis. Pisæ non consentientibus Pisanis invasæ fient: bellica præda fiet Populus, opibusque & potentia clarissima Civitas. Quid effrenis Victoria ferat per cupidos Viros bellorum auctores, nefarium est dicere. Sed talia sunt, ut non solùm in Reipublicæ civilibus Populis, verùm etiam in Tyrannis non necessario facta maximè reprehendantur. Si conventionis sequi viam vultis atque concordiæ, licet intemerata, ut ita dicam, Victoria uti. Sinè prædâ, sinè incendiis, sinè cæde, sinè ullo penitus crimine, damnoque, vestra erit nobilissima Civitas; quod quidem certò credimus apud Deum, Hominesque bene merito comprobari. His rebus relatis, Priores læti, & spe bona pleni, Collegia accersiri properè jubent, & cum his spectatos in Republica viros, quos idoneos ad consilium esse censebant, coramque expositis conditionibus per Bindum cum Gambacurta tractatis, ex Consilii unita statim voce, via pactionis eligitur. Et ita unitis omnibus nigrarum fabarum suffragiis decretum est. Gino præterea Capponio, & Bartholomæo Corbinello mandatum est, ut Florentini Populi nomine prænarratis conditionibus Pisanam Urbem acciperent. Post hæc properè Ginus in castra reversus cum Corbinello convenit, & Lucam militiæ Principem, Nobilioresque convocarunt agminum Duces. Sfortiam deinde, & Tartaliam multis verbis gravarunt, pacem illam necessariam fore edicentes ad decus maximum consequendum. Difficilis conclusio fuit; verumtamen à pluribus amicè multumque fatigatis unio tamdem facta est. Inter hæc viginti obsides Florentia profecti sunt, clarissimi profectò Adolescentes, quorum patres in Republica principes splende-

(*) *Fortassis minimè liberantur.*

debant. Hi postquam in castris convenere, & Gambacurtæ nuntiatum est, cuncta parata esse, timore ille perculsus dubitavit, ne trepida Civitas, quæ fuerant acta cognosceret, si ut convenerant, in Libræ fractæ Arce obsides clauderentur. Dubio igitur atque hæsitante illo, Bracha securius esse persuasit, si se Florentinorum Præfectis fideique crederent; idque statim Gino, atque Corbinello compertum fecit, & ad conficiendum proximum diem constituunt. Deinde postquam Bracha discessit, convocatis propere omnibus exercitus Ducibus atque Præfectis, Ginum in hunc modum locutum ferunt.

Credimus, quòd ipsa rerum humanarum Domina Fortuna Pisanam Civitatem nobis ita concedet, ut qui in ea præsint, dent quemcumque eligimus ingressum. Nos illum salvis bonis Pisanorum accipere intendimus. Vos ergo maximæ Virtutis viri, & bellorum gnari, quemadmodum id assequamur, consulite. Variæ fuerunt Ducum sententiæ. Sfortia Portam eligebat, quæ dicitur in Campis, securius esse dicens, priusquam procedatur ulterius, partem illam Civitatis instructis aciebus tenere. Tartalias Florentinæ Portæ præponebat ingressum, Turrim habere asseverans, & vicum situ validum, quæ loca militum præsidiis securiùs poterant custodiri. Aderant etiam, quibus videbatur, per noctis silentia Turres, portasque militibus capere; deinde clara luce Civitatem cum omni exercitu ingredi. Quæ sententiæ cum studio magis partium, quàm pro bono, variæ à variis tenerentur, & multifariam implicarentur voces, Ginus indicto acri voce silentio: *Tacete*, inquit, *& recordamini, quia sæpe jactantibus vobis, nos intelligere voluistis, posse vos vi & virtute militum expugnatas capere Pisas. At nunc cum vobis quemcumque vultis damus ingressum, dubitatis? Recognoscite dicta vestra, & quàm indecorum sit strenuos viros imbecillem Populum, obsidione & fame maceratum, timere. Silete ergo, & vos equitesque, & pedites omnes vestros, ad ingressum per Florentinam Portam parate, præmonentes, ut sinè præda solum hostile ingrediantur, si laqueo solvere pœnas nolunt: Nam omnino intendimus, neminem se aliter gerere, quàm si Florentiæ medio in foro deambularet.* Tum Francischinus quidam Mirandulensis turmarius Ductor: *Nimium stricti præcipitis*, inquit. *Quid si Populus insidiis oppugnet?* Quibus vix auditis verbis Ginus quasi increpans ita respondit: *Nolumus, Francischine, nolumus deprædari; & si quid per milites delinquetur, suis imputabimus Ducibus. Et si per Populum aliave causa novi quicquam evenerit, erimus unà secum, & quid faciendum sit, edicemus.* Ita compositis rebus abierunt, & quisque suos instruxit milites. Proinde parati intentique in tabernaculis, quid essent facturi, expectabant. Plerumque interim noctis processit, & jam de deditione rumor in Urbe frequens erat. Quapropter incœpto & vitæ diffidens Gambacurta, solicitabat intempesta nocte Urbem dare. Simulatum dolum nostri formidantes recusarunt; præmittentes tamen magnum peditum numerum, qui Portam vicinumque Vicum tenerent, & propitii Gambacurtæ opportunique adessent. Quibus Custodibus usus ipse, cum paucis admodum familiaribus sub Porta vigilans pernoctavit. Dubia adhuc diei luce omnis exercitus ordinatis agminibus ante Portam comparuit. In dextro cornu secus Arni Flumen, Ginus, Bartholomæusque equitatu præcedebant; in sinistro Duces erant strenui, optimi præterea milites, ut quique armati fuerant, alas, frontes, lateraque compellebant. Florentini Populi signum, quod Jacobus Jansiliatius regebat, & Guelforum signum, quod Matthæus Castellanus tenebat, ceteraque militaria vexilla in medio constabant. Exercitu sic disposito, strictisque, veluti dimicandum esset, aciebus, paululum ante apparentem solem ad Portam venerunt. Postmodum cùm Sol oculis nostris primùm apparuit, tum Johannes Gambacurta perstans in limine portæ, sagittæ ferrum Gino dedit, dicens: *Do hoc ferrum signum dominii nostræ quondam Urbis, quæ nunc, uti Deo placet, vestra est, quia nos Cives sui de propriis maximè curantes, communia negligimus. Vos eam salvare nitimini, tamquam Italiæ specimen pretiosum, & me quid sim facturus, docete.* Ginus ad hæc. *Gratulor*, inquit, *mihi sorte potissimùm esse datum tantam Urbem accipere, & quod bonum faustumque, & æternum sit, illam Deo propitio Florentini Populi nomine accipio. Tu autem, Johannes, postquam datum erat Florentinos Pisas accipere, gaudere debes, te auctore accepisse. Nam id tuâ operâ esse factum, in memoria nobis erit, & Reipublicæ nostræ, Populoque semper eris tuo emolumento carissimus.*

His dictus ne suorum quisquam illum offenderet, in ejus tutelam Bernardum Cavalcantem cum valida manu reliquit. Procedentes deinde cum omni reliquo exercitu, Lucam militiæ Principem ad Aream, quæ ante Priorum Palatium stabat, adduxere; quò cum venissent, Phœbus, lator signi Florentini Populi, equestribus titulis insignitur; Luca deinde ad custodiam Areæ cum magno equitatu relicto, reliqui omnes aciebus catervatim partitis, per Urbem vicatim vadunt. Inter hæc ingens fuit Populi permixta timore admiratio; perpauci enim erant, qui antea deditionem scivissent. Mirabantur itaque, inimicos armatos intra Urbem, nullam inferentes injuriam, videre, & complorantes suum Patriæque casum timidi verebantur, ne tota occupata Urbe, repentè in Victorum prædam cuncta verterentur. Qua formidine tristes gementesque, stupra, rapinas, necesque, & cetera mala, quæ immitis victoria ferre solet, jam videre videbantur, resque omnes suas tamquam afflictas, dolere & luctu perditas esse ducebant. Sed posteaquam, edicentibus nostris, rumor per Urbem increbuit, omnia pactione salva esse, nec quicquam inesse periculi, ingens statim Populi multitudo in fenestris apparuit unjuscujusque sexus ætatisque. Inedia macieque consumti, squallore ac tabe fœdi, formidolosique apparebant. Nostrorum plerique miserando eorum famem, panem secum detulerant, projiciebantque interdum ad pueros, ubi plures adesse cernebant. Numquam adeò celer ad pastum fuit canis, uti pro pane esurientes certabant, nec solùm inter se fratres præripere conabantur, verùm etiam complorantibus fame natis parentes avidi prævorabant. Perambulata vicatim Urbe, exercitus omnis in Aream ad Præfectos convenit. Præfecti interim, ne militaris tumultus fieret, de collocando exercitu cum Prioribus Civitatis, qui adhuc Palatium habitabant, convenerant, & uti ordinatum fue-

fuerat, ita in Urbe exercitum collocarunt. Lucas verò Princeps sua cohorte ad custodiam Areæ remansit. His rebus ita actis, Ginus, & Bartholomæus nuntium cum literis miserunt, qui quanto celeriùs valeret, captas fuisse Pisas Florentiam ad Magistratum perferret; ipsi verò statim ad Palatium iere. Priores cum magno nobilium Civium numero ad imum scalarum expectantes: *Quid nos agere vultis?* Responsum datum est; ut Portarum, Arciumque claves consignarent. Quod cùm fecissent, ad suas domus abiere, & Florentini Populi signa statim sunt ad Palatium suspensa. Post hæc Cecchium Donatum per Pisanum agrum cum equitatu misêre ad Oppida capienda, properèque octoginta quatuor accepit, quæ fine ulla pactione sese in illius fidem tradidere, Pisasque Oratores miserunt, qui se mandata facturos jurarunt. Post hæc qui rebus agendis præerant, farinam, frumentumque, & coctum panem, quæ ad hanc opportunitatem abundè paraverant, in Urbem devehi jubent, & per vias ubique vendere. Tantus illico concursus ad emendum factus est, ut Nobiliores etiam publicè panem emerent, atque vorarent: qua abundantia plerique nimia aviditate saturati, intensa repletione periere. Quapropter uti per capita distributio ponderibus fieret, adhibita cura est. Igitur quia fames ingens atque intolerabilis pæne fuit, non indignum videtur de ea verissima quædam perscribere. Fuerat certè ejus magnitudo adeò in extremum deducta, ut non solùm cujuscumque generis herbæ, radicesque, verùm etiam teneriores arborum cortices, foliaque in pulverem redacta præbuerint esurienti Populo panem. Equos præterea, ceteraque jumenta, horrendaque humano victui animalia, usque ad sordidos comederent mures; & quod nefarium est, sed tamen hîc meminisse licet, pro certo creditur, nonnullos humana membra eorum, qui fame perierant, glutiisse. Ingredientibus Urbem nostris, compertum est, & omnibus publicatum, Priores Civitatis ex lini semine confecto pane pro cibo uti; nec quicquam humani cibi inventum est superesse præter tres macerrimas vaccas, parumque Zuchari: omne reliquum penitus erasum atque consumtum fuerat. Compositis, ut diximus, rebus, trepida etiam tunc Civitas mirabatur, nihil mali perpetratum fuisse; idque ex consilio factum fuisse credebant, ut repleta hostibus Urbe tutiùs major præda fieret. Ad suspicionem igitur tollendam, confirmandosque animos, convocatis Nobilioribus Civibus, Popularibusque, Ginus hujusmodi verba fecit:

Omnia quæcumque voluit, fecit Deus in Cœlo, & in Terra, nec nostrum est scire, cur Deus voluerit; effectus tamen nonnumquam eventusque cognoscimus. Ex facto igitur non incertum habemus, Deum Florentinum Populum Pisas vincere voluisse: quod utrum peccatis vestris, an meritis nostris factum sit, nescimus, Deus ipse scit. Vos nihilominus unà nobiscum intelligere & scire debetis, civilibus discordiis eò deductas res vestras fuisse, ut tenentibus adhuc Urbem vobis, & non diminutis viribus nostris, continuò vos superare valeremus. Attamen posteaquam Deo placuit, nos Urbem vestram acquisivisse, omnino intendimus, quod acquisitum est retinere. Honestius porrò fuisset, non acquisivisse, quàm acquisitum dedecore amittere. Moneo igitur, obtestorque, ne malitis vos metipsos perditum ire, quàm salvos esse. Nam nec quicquam sat erit supplicii quærentibus contra nostræ Reipublicæ majestatem, nec quicquam vobis cum injuria factum esse putabitis. Si vetera vobiscum repetere vultis, semper quidem invenietis, Majores vestros diversas contra Urbem nostram partes secutos fuisse. Primis illis temporibus post declinationem Romani Imperii cùm barbaræ nationes per Italiam debacchabantur, memoriæ proditum est, continuè Pisanos contra Florentinos sensisse. Justiniano apud Constantinopolim imperante, Gothi Ecclesiam Romanam persequentes, cuncta per Italiam vastabant. Eo tunc bello constat, Pisanos Gothos secutos fuisse, Florentinos pro Romana Ecclesia pugnasse; quapropter factum est, ut captâ deinde à Totila sævissimo Gothorum Rege Româ atque direptâ, & sine ullo habitatore derelictâ, pari quoque pæne feritate in Florentinos idem etiam sæviret. Liberatâ tamdem post multas illatas per longa tempora clades à Barbarorum injuriis Romanâ Ecclesiâ, Pontificibusque per Carolum Magnum in pristinam dignitatem restitutis, cùm idem Carolus obliteratum jam longo tempore in Italia Romanum resumsisset Imperium, Florentiam Urbem, quæ unà cum Romana desolata pæne fuerat, unà quoque reparavit. Procedente deinde tempore cùm Imperatores, & Pontifices inter se de proprio Jure contenderent, duæque inde diversæ suscitarentur factiones, Pisani continuè Imperatoribus, Florentini verò Pontificibus adhæserunt.

Federico igitur Primo hujus nominis Imperatore Pontifices prosequente, maximas sunt Florentini calamitates perpessi. Vos cum Imperatore semper his malis nostris armati affuistis. Natus est ex Federico Henricus, & post eum Secundus Federicus, hujus Henrici filius. His receptum, his commeatum, his armatos milites, & omne vestrum subsidium in nostram perniciem contulistis. Hæc eadem Manfredo potentissimo Regi hujus proximi Federici filio, hæc Conradino eorum nepoti, omnibusque aliis persecutoribus nostris, studio magìs diversarum partium, quàm commodo aliquo vestro, in nostram calamitatem exhibuistis. Hac denique scelesta nefandaque Familia Italiâ purgatâ, & eorum stirpe deleta, cùm Populus noster bona pace quiesceret, & sua tranquillitate uteretur, continuè Populus vester, vestrique Tyranni infensè nos sunt persecuti. Testis est Florentinus ubique ager, qui exercitum Pisani Populi incendiis atque rapinis cuncta vastantem iterum & sæpius vidit. Testes sunt Amici nostri, quibus ob nostram causam semper inimici infensique fuistis. Testes sunt inimici, qui numquam in nos contulerunt arma, quin vos unà in nostrum malum armati quoque affueritis. Testis est ipsa nostræ Civitatis Urbs jamdudum sæpius vestris oppressa copiis. Testes sunt Urbis Portæ, quæ bellicosissimum exercitus Ducem Castruccium Pisas tenentem, secundis usum prœliis insævientem videre. Quibus bellis cùm adeò attriti tamdem fueritis, ut pari vi gerere nobiscum bellum non potueritis, Galeatio potentissimo Mediolanensium Duci, libertatem nostram opprimere cupienti, Urbem vestram concessistis, & eo maximè tempore concessistis, quo in adversa fortuna nostra ipse feliciter egerat, nec suæ potentiæ nos posse resistere credebatis.

Quibus continuatis tanto tempore odiis, illatisque injuriis, certum exploratumque habemus, nostram Civitatem numquam quietam habituram,

A *ram, nisi Urbe vestra sublata, aut nostræ ditioni supposita; quorum alterum cùm jam factum sit, nobiscum debetis unà quiescere, & dominationem nostram minimè formidare. Non enim vult Florentinus Populus vestram Urbem delere, sed in omnibus, ut cernitis, conservare; victis enim vobis, præda Urbis militibus debebatur, illamque belli jure instantissimè deposcebant. Nos ne tantum malum vobis accideret, procuravimus, ut composita cum Gambacurta deditione, quam necessitas concedebat, militibus prædam jure vetaremus.*

Quod ita factum est, ut victam Urbem tot militum millibus cum victoria ingredientibus sinè ulla penitus injuria, non aliter ac si ipsi gesse-
B *rint, quàm si continentissimi Christianæ Religionis viri fuissent. Ex quo quidem principio spem bonam suscipite, inimicitias deponite, sedate mentes, iras mollite; & quibus Deus potestatem vestræ Urbis concessit, animos quoque concedite. Vidimus enim sæpe ex bellis Pacem, & diuturnam Amicitiam secutam, & illatis injuriis futuram gratiam ortam. Decreverunt summi nostri Reipublicæ Patres, quæ ante hunc diem nequiter facta fuerunt, penitus oblivisci, & in futurum vos tamquam filios salvos velle. Ideoque delictorum impunitatem omnibus Pisanis in præsentem diem esse volumus, & licentiam remeandi in Urbem cunctis concedimus. Ite igitur & liberè, atque bona spe operibus vestris, artibusque*
C *securiùs incumbite; & date operam, ut sicuti nos optamus, Pisana Civitas Populo, frequentiâ, & artibus augescat. Et ut cognoscatis omnia, quæ vobis retulimus, ex intimo corde Patrum nostræ Reipublicæ fuisse depromta, credimus, vestrum esse, Florentiam ad Priores Urbis Oratores mittere, qui vos mandata facturos dicant, Civitatem commendent, & quæ diximus è fonte cognoscant. Nos certò scimus, omnia, quæ vobis narravimus, abundè cumulata, salvis omnibus rebus vestris, cum emolumento evenire.*

Facto dicendi fine, cùm Gini dicta Pisani cognovissent, spe magna pleni Bartholomæo Piombinensi uti responderet, commiserunt. Bartholomæus igitur, silentibus cunctis,
D hujusmodi verba respondit:

Apparuit magna benignitas Dei Salvatoris nostri, quæ non ex operibus, quæ fecimus, sed secundum magnam misericordiam suam salvos nos fecit. Hæc verba in intima mente tenere, & pleno ore ex medio corde proferre omnes Pisani grata & sincera voce debemus, quoties nostra in Populum Florentinum errata, & victoris Populi Florentini erga nos victos magnam non solùm benignitatem, sed singularem etiam clementiam meminerimus. Est quidem facinus magnum, & in secula memorabile, potentes vincere Civitates, & magnos ac divites Populos superare; sed Inimicos vincere, & victoriam temperare, victosque tueri & conservare, non solùm est magnum Ho-
E *minis facinus, sed prope divinum. Quid enim aliud sonat divina illa nostri Salvatoris vox: Dimittuntur tibi Peccata tua: Vade, & noli ampliùs peccare, nisi id quod nobis nunc Florentini fecerunt? Hac eadem voce, hac sententia, hoc eodem judicio erga nos præstat Populus Florentinus; & eo tempore præstat, quo nos vicit, & quo nos victi sumus. Dixerunt enim se nescire, utrum peccatis nostris, an meritis suis factum fuerit, ut nos vicerint. Hanc dubitationem nullo modo nos habere debemus, cùm sciamus, peccatis nostris meritò hoc evenisse, & nunc eorum experientiâ & facto cognoscamus. Quid enim majus potest esse meritum, quàm victos inimicos, quos in direptionem, & prædam tradere militibus non solùm potes, sed bellorum consuetudine debes, sua clementia, præelectoque instituto, & ordine conservare? Cùm igitur videmus Florentinos salvos nos esse voluisse, scire & intelligere omnes debemus, quæ victoriæ conditione illorum fuere, suâ munificentiâ nobis restituta fuisse.*

Quamobrem gratias ingentes illis omnes Pisani habere debemus, & pro eorum dignitate cuncta extollere, atque amplificare, quæ nobis in sua victoria concesserunt. Et si quis contra attentaverit, quisquis impius ille esset, supplicio illum deponere. Nam velle quod acquisitum est tenere, est naturæ hominum maximè consentaneum; idemque nos, si victores fuissemus, facere conaremur. Florentinis nos obsidentibus miserabilem toleravimus famem, & tanta desperatio nos irrepit, ut fame perire, quàm ad impias inimicorum manus devenire, malleremus: quod nulla alia de re factum existimo, nisi ignorantiâ humanitatis, & gratiæ Populi Florentini, quæ tanta est, ut delicta omnia nostra facilè vincat & superet. Non delictum dico defensionem nostram, quam fecimus. Omnibus animantibus est à natura tributum, ut se tueantur, conserventque, & non deserant sua. Sed delictum appellavi, si qua Florentinorum nomine commemorata nobis fuere, quæ hactenus ante hoc bellum contra Florentinum Populum per injuriam fecerimus: Quæ delicta nostra, qualiacumque fuerint, illa certò illorum clementia exsuperat.

Lætari igitur omnes debemus talibus victoribus nos victos fuisse; nam si parere Victoribus, victoriæque legi tenemur, cui magìs mentem voluntatemque dare debemus, quàm illis Victoribus, qui nos salvos esse voluerunt, cùm in eorum esset potestate nos perditum iri? Cùm videamus igitur in ipso victoriæ impetu gratiam nostræ salutis apud nostros invenisse Victores, sperare certè debemus, quòd quemadmodum nos esse salvos voluerunt, ita conservando custodient, atque extollere conabuntur, & tamquam Patres nos gubernabunt, & regent; nec in futurum erimus Tyrannorum præda, quemadmodum sæpius iterumque fuimus. Quarum rerum exempla non longè quærenda sunt. In hoc enim cœtu nostro, quem præsentem videmus, multi sunt, quibus per vim patrimonia fuerint à nostris Tyrannis ademta. Sunt quibus in suos exilia, & mortes, stupraque, & adulteria fuerint illata. Bartholomæus Scornezanus adest, cui Gabriel Maria, noster olim Tyrannus, viginti quinque nummorum auri sub vitæ conditione per triduum eripuit. Adest Gerardus Campanius, vir magnis opibus in nostra Urbe clarissimus, quem Johannes Gambacurta per magnos corporis cruciatus ad manifestationem suarum rerum impulit, donec bona omnia, quæ possidebat, penitus expilavit. Luctuosum esset & grave, acerbas nostrorum Civium mortes, & maximè de Saccorum Familia narrare. Sed nota omnibus sunt, & talia, ut maximè Patriæ nostræ detrimento sint facta. Virginum raptus, masculorum concubitus, adulteria, stupra, & alia nefanda scelera per vim perpetrata, tacenda sunt, quia sinè nostrorum infamia recenseri non possunt; sed talia fuere, qualia concupiverunt, qui nobis dominabantur. De ingenti fame, quam perpessi novissimè sumus, supervacaneum est dicere, cùm multi fame perierint, & qualis fuerit, nostra extenuata consumtaque corpora abundè demonstrant; & Bartholomæus Scornezanus testificari possit, qui decem & octo

octo tritici libras decem & octo emit auri drachmis; nec amplius emendum invenit. Omnia hæc non sinè lacrymis meminisse debemus, & exempli gratiâ in animo retinere, Deumque laudare, qui nos tantis malis liberavit, & ad salutis portum in manus piorum deduxit. Securitatem igitur, bonamque spem ea affectione suscipiamus, qua nobis grata voce obtulerunt. Pareamus eorum mandatis; tabernas tabernaculaque cuncta nostra aperiamus; & quisque artibus, operibusque suis securiùs incumbant, existimando, res omnes suas, amore propriæ rei, ne pro vili excludatur mercede, ut nonnulli antea fecere. Delictorum impunitate, atque licentiâ in Urbe degendi, quemadmodum liberè concesserunt, ita liberè omnes utantur; mittantur Florentiam Oratores, qui osculentur terram ante sedes Dominorum nostrorum: fidemque atque obedientiam promittant, & jusjurandum præstent; mandata nos esse facturos; gratias præterea reddant nostræ salutis, & salvæ ultro per datam gratiam Civitatis, illamque in futurum bene commendent: & dicant: Miserere nostri, piissime Domine noster, miserere nostri, quia peccavimus; sed ne respicias ad peccata nostra, quæ fecimus. Da Gloriam nomini tuo, & secundùm magnam misericordiam tuam, salva nos; speramus enim post nostram salutem, & tantam impetratam gratiam Pisanos semper obnoxios fidosque fore, Populoque Florentino carissimos.

Postquam hæc audita sunt omnes Pisani Bartholomæi sententiam confirmarunt, & inter eos decretum fuit, ut Oratores mittantur. Vigintique delecti sunt spectatæ dignitatis Cives, qui Florentiam proficiscerentur, & uti consultum fuerat, ita mandata perficerent. Nuntius interim perpetuò procedens itinere Florentiam vênit. Frequentia cujusque sexus, atque ætatis hominum haurire tantum gaudium cupientium, ad Portam usque pervenerat. Cùm advenisset igitur Nuntius obvii fiunt, quæ facta essent percontantes. Alii præterea circumfusè concurrentes, vias adeò complebant, ut antequam in Forum pervenerit, tanta fuerit hominum frequentia, ut nisi cunctanter incedere per A stipata agmina non valeret.

Publicato igitur priùs per Urbem acceptæ Pisanæ Urbis nuntio, ægrè tamdem in Curiam ad Magistratum literæ pervenerunt, & ad Patres recitatæ sunt, tantaque lætitia per cunctorum animos statim increbuit, ut nec compotes mentium homines præ gaudio essent, nec possent lachrymas continere. Concurrebant alii adversùs alios per Urbem, domosque, ut tam lætum gaudium patribus, conjugibusque, & liberis impertirent. Lætitia ingens erat; resonantibus instrumentis, incensisque flammis cuncta Civitas exultabat. Refrigerato deinde exultantis animi fervore, Magistratus per triduum Sacerdotalem pompam indixit, supplicationemque B ad Deum fieri jussit; & sic per totos illos dies magnâ Populi frequentiâ est pariter celebratum, ingentesque sunt Deo grates actæ.

Pisani post hæc Oratores Florentiam profecti, & ad Magistratus introducti, grates egerunt, quòd salvis omnibus suis rebus Urbem eorum in ditionem accepissent; humilibusque deinde verbis sese Urbemque suam in fidem tradidere. Responsum est illis, Præfectos Florentini exercitus ex ordine & voluntate Populi Florentini Pisanorum bona salvasse; idque documentum omnibus gentibus fore, salvos illos esse voluisse; sicque illis polliceri, & sperare illos velle, si in fide rectè remanebunt. His verbis dimissi C donatique abierunt. Ginus post hæc Capponius, & Bartholomæus Corbinellus, Pisanæ Urbis Prætores sunt per futuros menses delecti. Custodiam deinde Civitatis, munitionesque curantes, valida per Urbem distribuerunt præsidia; Arces quoque, & Turres per Urbis media mœnia instituentes; inter quarum ædificationem ducenti ferè Cives, qui Pisis prævalebant, Florentiam releganter, qui post consummatas munitiones impetratâ licentiâ domum rediere. Joannes etiam Gambacurta, qui Princeps Pisis fuerat, Florentiam vênit, honorificèque susceptus est, & promissa sunt ei in integrum penitus observata.

FINIS.

VITA
CAROLI ZENI
PATRITII VENETI CLARISSIMI
AD
PIUM SECUNDUM
PONTIFICEM MAXIMUM,
AUCTORE
JACOBO ZENO EJUS NEPOTE,
FELTRENSI ET BELLUNENSI EPISCOPO

Ab Anno circiter MCCCXXXIV. usque ad MCDXVIII.

NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT

EX MANUSCRIPTO CODICE

SEMINARII PATAVINI.

IN VITAM CAROLI ZENI A JACOBO ZENO FELTRENSE AC DEINDE PATAVINO EPISCOPO CONSCRIPTAM

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Carolus Zenus, sive Zeno, ut loqui ac scribere Veneti consueverunt, ex Patricia ac Senatoria Familia Venetiis natus, & ex rebus gestis clarissimus, is est, qui Libro huic nunc primum evulgando argumentum praebuit. Et dignus ille quidem, cujus Vita & disertum inveniret literarum cultorem, a quo scriberetur, & scripta non deperiret, sed ad seros posteros illaesa transmitteretur. Vir scilicet cum militia tum literis praeclarus, & mari terraque pro Serenis. Republica sua classium & copiarum ductor, eam sibi gloriam peperit, ut inter celeberrimos sui temporis Duces per totam Europam numeraretur. Potissimum vero inclaruit eximius imperator in bello ad Fossam Clodiam, sive Clugiensi, pro tutela Patriae a Genuensium armis Anno 1379. ac deinde in bello Patavino, & ex victoria, quam ipse de Bucicaldo Regio Genuensium Praeside reportavit. Multa de illo habent Venetorum ac Genuensium editi Annales: multaque de illo occurrent in hac ipsa Collectione legenti praesertim Danielis Chinatii descriptionem Belli Clugiensis, & Gatarorum Patavinam Historiam, & Genuensem Georgii Stellae, ne alios Historicos eorum temporum memorem; quorum concordi sententia novimus, Zeno nihil defuisse ad uberem consummatamque nominis & gloriae mensuram, ac per eum praecipue factum fuisse, ut Veneta Respublica non solum extremo discrimini fuerit erepta, sed etiam ad majorem potentiae gradum conscenderit. E vivis excessit praestantissimus iste vir, uti arbitratur Clariss. Vir Apostolus Zenus Tom. XVIII. Ephemerid. Literat. in Additam. ad Vossium, Anno reparatae salutis 1417. annos natus octoginta quatuor. At mihi tutius videtur illius mortem referre ad Annum 1418. Eo certe Anno habita est a Leonardo Justiniano viro ex eloquentia spectatissimo Oratio, quam in calce hujus Vitae additam Lector accipiet, jam diu a Gerardo Johanne Vossio memoratam. Illam vero Justinianus habuit, ut Caroli Zeni funus honestaret. Marinus quoque Sanutus in Historia Veneta plurimi facienda, cujus MStum exemplar Estensis quoque Bibliotheca adservat, ita ad Annum 1418. scribit: *A dì 8. Mazo moritte in questa Terra Carlo Zen Procurator, havendo vixo anni 80. mexi 6. dì 4. homo di grandissima fama: e fu sepulto alla Cilestria con grandissima pompa, & exequie in un' arca al basso all' Altare di Nostra Donna, dove l'havia grandissima divotion. Et era sua sorella Abbadessa de lì. El Doxe con la Signoria fo alle exequie. Feze l'Oration Bernardo Justinian* (scribe *Leonardo*) *qual morì Procurator*. Zeni ergo Vita, quae nunc in lucem prodit, Auctorem habuit *Jacobum Zenum* ipsius Caroli ex filio Nepotem. Nempe Carolus inter alios filios Jacobum procreavit, quem quum vix triginta annos natum immatura mors sustulisset, pater tam gravi telo perculsus paucis post nuntium acceptum mensibus ad plures subsequutus est Anno praedicto 1418. Ex isto Jacobo Elisabeth conjux ob mariti mortem gravissimo dolore confossa eodem Anno infantulum posthumum peperit, quem *Raynerium* Carolus adhuc vivens nuncupari voluit, sed reliqui affines post mortem avi *Jacobum*, renovato nomine Patris, appellandum censuerunt. Haec ipse Jacobus de se scribit in fine hujus Libri. Ille vero ubi per aetatem licuit, se

totum

totum studiis literarum dedit Patavii primo, tum Florentiae, in quibus eos progressus fecit, ut summam laudem eloquentiae ac eruditionis deinde apud universos fuerit consequutus. Ughellio teste Anno 1447. VI. Kal. Maji renuntiatus est Episcopus Feltrensis & Bellunensis, atque ex ea Sede ad Patavinam translatus Anno 1459. sive 1460. Doctrina denique, & meritis clarus in humanis esse desiit Anno 1481. De eo legendus Johannes Trithemius de Scrip. Eccles. ad num. 825. Johannes Jacobus Bergomensis in Supplem. Chron. & Continuatores Ughellii in Episcop. Feltrens. & Patavinis, Gerardus Johannes Vossius Lib. III. Cap. 8. de Historic. Latinis, & in Historia Literaria Guilielmus Cave ad Annum 1465. ut alios praetermittam. Sed potissimum auscultandus Cl. Vir Apostolus Zenus, qui in Additam. supralaudatis ad Vossium plura pro eruditione sua congerit ad illustrandam Jacobi Zeni Vitam, & Libros ab eo elucubratos. In celebri Bibliotheca Ambrosiana visa quoque mihi est *Jacobi Zeno Feltrensis Episcopi, nunc Episcopi Patavini Oratio ad Collegium Patuanum*. Memorantur & aliae illius Orationes MStae. Praeterea *Vitas Romanorum Pontificum a Sancto Petro usque ad Clementem V.* reliquit, opus elegantissimum, judice Trithemio, numquam Typographiae traditum, & in Romanis Bibliothecis adhuc abditum, quod sibi non exiguo usui fuisse testantur praeclarissimi Patres Soc. Jesu, Bollandiani Operis Continuatores. Scripsit etiam *Vitam Nicolai Albergati Cardinalis Sanctae Crucis*, quam Georgius Garnefelt Chartusiensis Anno 1618. publici juris fecit, ac deinde Bollandistae intulerunt in Tomum II. Maji.

Sed praecipue mihi in praesentia sunt commemorandi Commentarii, quos primum editum eo, *de Vita, moribus, rebusque gestis Caroli Zeni*, hoc est Avi ejus paterni. Hosce Jacobus dicatos voluit Pio II. Pontifici maximo, paullo postquam Pius Pontificatum inierat, ac proinde circiter Octobrem Anni 1458. quum nempe adhuc Feltrensi ac Bellunensi Ecclesiae praeesset, quemadmodum & in Operis titulo inscribitur. Deceptus autem est Ughellius, & quod plus etiam mirere, Jacobus Philippus Thomasinus, quum tradunt Jacobum Zenum *Libros X. de rebus a se patratis* scriptos reliquisse, quum tamen ii Vitam tantum complectantur Caroli ejus Avi. Hosce vero Libros, sive hanc Vitam, jam antea indicaverat Clariss. Vir Apostolus Zenus adhuc delitescentem, simulque prodiderat, singularem Codicem illius Vitae MStum ac membranaceum adservari in Bibliotheca Seminarii Patavini. Itaque ego solicitis precibus aggressus fui Eminentissimum ac amplissimum S. R. E. Cardinalem & Episcopum Patavinum Johannem Franciscum Barbadicum, ut ne is diutius pateretur in tenebris versari, variisque periculis obnoxium jacere Librum, qui vulgatus non levi gloriae esse posset Serenissimae Venetorum Reipublicae, simulque ceteris Italicis Historiis mihi evulgandis. Neque incassum cecidere preces: namque ut erat Eminentiss. Barbadicus ad grandia natus, cunctisque Virtutibus, ac magno praesertim animo praeditus, & quod mihi summae felicitati tribuebam, multa in me quoque amoris ac benignitatis officia jam pridem conferre solitus, non solum me voti compotem voluit, sed etiam Seminarii Codicem ex sua liberalitate describendum jussit, & exemplum ad me per Clariss. Equitem Antonium Vallisnerium, splendidum Gymnasii Patavini ornamentum, ad me misit. Sed heu quum ista commemoro, luctus & dolor gravissimus refricantur in animo. Idem enim infaustus mensis Januarius Anni MDCCXXX. utrumque sustulit, Barbadicum, & Vallisnerium, duo videlicet fulgidissima lumina, illum sacri Purpurati Senatus, istum Literariae Reipublicae. Equidem imperare mihi non possum, quin fluxam humanarum rerum conditionem heic doleam. Tot vigiliis, tot laboribus, tot annorum cursu est opus, ut quisquam aut Virtutum, aut Literaturae culmen attingens, in eximium virum evadat, atque utilis demum humano generi tum maxime esse incipiat. Vix eo venit, quum ecce postrema dies irruit, atque omnia solvit. Sed jam abeant moesta. Codex autem Patavinus quamquam pervetustus, a non satis docto Librario profectus est, ac proinde occurrunt ibi quaedam parum castigata, quaedam etiam plane vitiata. Mutilus praeterea est in fine, ubi non multa quidem, sed tamen aliqua desiderantur. Verum praesto mihi fuit, ut haec emendata quantum fieri posset, acciperem, diligentia Adami Pivati Patavini viri, quem Theologica potissimum scientia, aureique mores ita exornant, ut apud Eminentiss. Barbadicum Examinatoris Synodalis ac Visitatoris muneribus fungatur, & a Secretis Congregationi Disciplinae, studiisque Cleri Patavini praesit. Is ergo a multis annis mei amantissimus, errores pro ingenio suo expurgavit; & quandoquidem tum Patavii tum Venetiis alium quempiam Codicem, unde Patavinus suppleretur, irrito tamen labore diu conquisivit, in subsidium tamdem adhibuit Italicam hujus ipsius Vitae inter-

interpretationem, quae ipsi non parum usui fuit. Italicam, inquam interpretationem: monendi quippe sunt Lectores, Latinum textum Vitae Caroli Zeni numquam antea luci redditum fuisse, & tamen jamdiu ipsam Vitam fuisse publici juris factam, utpote e Latino in Italicum sermonem conversam per Franciscum Quirinum Patricium Venetum. Prodiit ergo Vita haec Italica e Venetis proelis Anno 1544. ac deinde Anno 1606. in 8. cum hoc titulo: *La Vita di Carlo Zeno descritta dal Rever. Gio: Giacomo Feltrese, e tradotta in volgare dal Clarissimo Signor Francesco Quirini*. Sed hic titulus omnino incompositus, atque a veritate absonus, uti nemo non videt. Nam praeterquamquod ignorasse videtur Quirinus Auctorem Vitae Latinae Episcopatui Feltrensi ac Bellunensi, ac subinde Patavino praefuisse, ejus etiam cognomen tacuit, ac alterum ejus germano nomini nomen adulterinum adjunxit. *Jacobus Zeno* sine alia adjectione is perpetuo est appellatus. Patavii adhuc legitur in marmorea tabula scriptum supra portam atrii Episcopalis: *Jacobus Zeno Patavinus Pontifex Anno salutis MCCCCLXXVIII.* Ita & supra portam scalae Episcopii: *Jacobus Zeno Patavinus Praesul hanc aulam initio sui Pontificatus illustravit*. In Oppido Atestino, uti scribit Jacobus Salomonius Ord. Praedicatorum, collector Inscriptionum agri Patavini pag. 95. supra ostium Secretarii in Templo Praedicatorum haec etiam Epigraphe occurrit: *Consecrata fuit Ecclesia ab Illustr. & Rev. D.D. Franc. Xanti Dei & Apost. Sed. Episc. Scutaren. annuente Illustr. ac Rev. D.D. Jacobo Zeno Episc. Pat. quae quidem Eccl. & Caemeterium fuerat prius domus, sive Palatium Magnific. DD. Thaddaei & Bertoldi Marchionum Estensium ex eadem Familia oriund. Anno MCCCCLXXVIII.* In Villa quoque Liviani suprà portam Sacrae Aedis Archipresbyteralis haec altera visitur: *Jacobus Zenus Pat. Praesul hanc Divi Martini Aedem una cum adjacentibus aedibus ad usum Sacerdotii propria impensa extrui atque ornari jussit An. Sal. MCCCCLXXIV.* Sunt & alia hujusmodi, quae adferre supervacaneum foret: jam enim liquido constare potest, non alio quam *Jacobi* nomine Praesulem hunc fuisse nuncupatum. Quod vero unus atque idem Jacobus Zenus primo Feltrensem ac Bellunensem Ecclesiam rexerit, ac demum Patavinam (de quo dubitare visus est Garnefeltius in Notis ad Vitam Cardinalis Albergati) diserte id affirmant Ughellius in Italia Sacra, atque Antonius Monterossus in Vitis MStis Episcoporum Patavii, quippe Petrus Barbo Cardinalis Patavinam Cathedram Anno 1460. Jacobo Zeno resignavit. Cur vero Quirinus tam foede nomen ac munera Episcopi Zeni deformarit, nihil fortassis aliud in causa fuit, nisi vitiatus aliquis Codex, quo is fuerit usus.

Porro sub alio quoque aspectu Vita hactenus memorata lucem vidit Bergomi Anno 1591. typis Comini Venturae, nempe ejusdem breviarium, hoc titulo praesignatum: *Compendio della Vita di Carlo Zeno, Nobile Veneziano, estratta dall' Historia Latina di Giacomo Zeno Vescovo di Feltre e di Belluno, dedicata a Pio II. Sommo Pontefice l'Anno 1458. per Hieronimo Diviaco da Montona*. Et hic quidem titulus recte se habet, quod nempe Diviaco prae oculis fuerit ad hanc Epitomen contexendam fidus aliquis Codex. Heic autem repetenda sunt, quae in Epistola ad Catharinum Zenum Bergomensium Praetorem Diviacus ipse scribit de his Jacobi Commentariis: *I quali* (sunt ejus verba) *essendo maravigliosi, e spiegati dall' Autore con facondia e gravità di stile, ben con ragione la Maestà di Mathia Corvino Re d'Ungaria dava luogo a tale loro Historia fra le cose sue. La quale (spogliato egli del Regno, e andato il tutto in preda a' Barbari) scritta in membrana miniata d'oro, come a punto hora si vede, fu con altre pretiose spoglie condotta a Costantinopoli, e comperata all' incanto con altri bellissimi Libri dall' Illustris. Sig. Nicolò padre vostro, mentre giovanetto l'Anno 1533. quivi si tratteneva col prestantissimo Pietro Zeno Avolo suo la seconda volta Ambasciatore appresso di Solimano gran Signore de' Turchi. Onde se con l'istessa ragione come cosa singolare è anco conservata da V. S. Illustris. degno figlio e discendente da così alta e generosa prosapia &c.* Itaque in Bibliotheca Mathiae Corvini celeberrimi Hungariae Regis olim adservabatur Codex, quo usus est Diviacus. Atqui uti diligentissime animadvertit, & me certiorem fecit Pivatus supra laudatus, Seminarii Patavini Codex idem ille omnino videtur, & non alius judicandus est, quam qui a Diviaco memoratur; minio nempe adhuc & auro aliisque ornamentis distinctus, & ante annos quinque & viginti Venetiis emtus, quo tempore ramus ille Zenae gentis omnino defecit.

Supra innui Italicam hujus Vitae interpretationem a Quirino peractam, quae tamen alicubi manca est, neque satis alicubi Latino textui respondet. Sed quamquam perfectissime responderet, adhuc nemo inficias ierit, quin amplissimae Eruditorum Reipublicae intersit, ut ipse Latinus textus evulgetur, tum quod primigenius sit, tum etiam quod eloquentiam Jacobi Zeni retineat, atque aptior in usum

efficiatur Italicae Linguae imperitis. Quae vero pauca in calce Patavini Codicis excidere, ego supplenda duxi ex Epitome Diviaci, ne quis in suspicionem adduceretur, grande aliquid illic desiderari. Vitae autem huic a Jacobo Zeno scriptae subdidit accuratissimus Pivatus, subdam & ego, *Orationem*, quam *Leonardus Justinianus* Venetus Patricius vir per ea tempora eloquentissimus habuit in funere ejusdem Caroli Zeni. Hanc etiam habeo ex eodem MSto Codice depromtam. Sed dissimulare nolo, ipsam Anno 1724. jam editam fuisse a Clarissimis Benedictinis Congreg. S. Mauri Martene & Durand Tom. 3. Collect. veter. Scriptor. pag. 743. Legebatur etiam in Codice Seminarii Patavini Epistola gratulatoria Petri Pauli Vergerii ad Carolum Zenum, quod Bucicaldi & Genuensium classem profligasset. Sed quoniam inter Vergerii Epistolas eam supra evulgavi, ne bis eodem ferculo exhibito molestiam Lectoribus creem, ab ea repetenda abstinui. Ceterum quanti facienda sit haec Vita ex pondere rerum, neminem puto, qui dum accedat ad legendum, vel me tacente non intelligat. Vitam quidem privati hominis titulus spondet, sed Vitam clarissimi Ducis, cujus gesta ad universam Venetorum Rempublicam spectant, ita ut Venetae Historiae partem affabre politeque pertractatam Libellus iste complectatur. Atque utinam hujusmodi plura haberemus; haec enim, & praecipue si ab egregio artifice proficiscantur, ad aemulationem Virtutis, simulque ad Historiae lucem mirifice conducunt. Unum tamen dissimulare nolo, quod ego in Historico nostro imitari umquam nollem. Loquor de stylo, qui mihi Asiaticus nimium visus est, ut praeteream frequentes & in longum sermonem productas conciones. Qui adeo minuta ac levia interdum persequitur, multum sibi pollicetur e patientia Lectorum. Aliis fortasse alia sententia erit. Sed quid mihi visum fuerit, atque in hisce legendis delectationem minuerit, libere dictum volui.

IN LIBROS VITÆ
Morum rerumque gestarum
CAROLI ZENI VENETI
AD
PIUM SECUNDUM
PONTIFICEM MAXIMUM

JACOBI FELTRENSIS, ET BELLUNENSIS ANTISTITIS
PRÆFATIO.

GLoriosa Sanctitatis Tuæ ad sublime Pontificatus Maximi culmen evectio, BEATISSIME PATER, ingenti me nuper jocunditate affecit. Nec satis equidem scio, quid in rebus humanis aut experi à me dignius, aut evenire gratius & salubrius potuisset. Quid enim iis potissimùm, queis divinarum rerum ulla cura est, esse præstantius potest, quàm eum optimi maximi Dei gerentem in terris vices cernere, qui pro Religione tuenda, cujus amore exardeat indefessus, invigilet? Publicas enim causas, ubi præsertim de Religione res est, ego quidem semper privatis anteferendas P. B. censui. In quarum inexhausto studio tanta te animi celsitudine præstare universus terrarum Orbis videt, ut cœlitus demissus nobis ad Christiani nominis decus salutemque proculdubio videare. Accedit ad hæc perpetuus ille ad bonarum Artium studia animi fervor, & erga cultores earum clementia, & benivolentia singularis, qua semper literarum studiis deditos ita complexus es, nuncque magìs, quum plus etiam valeas, in dies complecteris, ut nemo sit in humanis virtuti atque doctrinæ accommodatus, qui non ingentes immortali Deo gratias agat, habeatque majores, quòd talem universo terrarum orbi, non tam Principem, quàm pium parentem præfecerit. Mihi verò, qui ab ineunte ætate pietatem in me tuam non vulgarem expertus sum, eo magìs & lætandum, & congratulandum puto, quo ex præteritorum ratione optimè de futuris sperandum intelligo; solitamque benevolentiam tanto amplius exaugendam, quanto illam nunc edere magìs potes, & opere comprobare. Ceterùm quo ampliorem de celsitudinis tuæ culmine alacritatem accumulari video, eo quoque magìs & onus exaugeri mihi, non equidem inficior. Quis enim tam idoneus, ut dignè inservire majestati tuæ, & supremæ Sedi, sanctisque meritis tuis satisfacere posse confidat? Quod etsi ita se habeat, hoc tamen Beatitudini tuæ ausim attestari, plures forsitan apud te doctrina, ingenio, usu, & experimento rerum præstantiores fore; fide verò, observantia, devotione in Sanctitatem tuam à nemine me uspiam superari. Illud profectò mihi persuadeo, miro quodam & flagrantissimo desiderio obsequendi, moremque gerendi Beatitudini tuæ, me (pace aliorum dixerim) etiam ceteros anteire. Tanta enim mihi inest vel superno quodam nutu, vel excellentibus meritis tuis, vel inclinatione quadam naturæ meæ, accurata tibi inserviendi solicitudo, tam promtus & alacer animus, ut dies noctesque defatigari non valeam, quin studiosissimè cogitem, quid potissimum gratum celsitudini tuæ possim efficere. Itaque quum in hac assidua meditatione versatus, sæpe numero mecum animo volverem, quonam pacto, hoc felici tui Pontificatus initio, & alacritatem animi mei, & fidem devotionemque meam tuæ Beatitudini, vel aliqua ex parte, patefacerem: quamplurima mihi, & diversorum quidem generum, ut fit, in mentem subibant, quæ ancipitem animum non reddere non poterant. Ceterùm quum animadverterem, te pro optima natura, & institutione tua literarum studia maximè rerum omnium semper in deliciis habere consuevisse, eaque universis fortunæ bonis facilè prætulisse: eo magìs à literario potissimùm munere initium faciundum censui, quod te illo amplius oblectatum iri sum arbitratus. Enim verò quum in hujuscemodi studiis multimodæ exercitationes constitutæ sint, id rursum in dubium vertebatur, quod maximè gratum tibi, & tempori huic accommodatissimum videretur. Sed quum te nuper divina quadam mente præditum, expeditionem in perfidos Christiani nominis hostes intrepidè, summa cum omnium laude indixisse conspicerem, & de classe paranda, copiis cogendis, exercitu quamamplissimo expediendo, belloque feliciter persolvendo, non animo & cogitatione modò, sed re ipsa, opere, consilioque tractare: Historicum scribendi genus longè aptius hoc præsertim tempore visum est, & cùm tibi jocundius, tum iis, quæ aggressus es, & quæ assiduè versantur in manibus, facilè congruentius. Potissimùm quum etiam te hoc ge-

nere plurimum semper delectatum esse, & aliquando priusquam fastigium hoc sublime conscenderes, etiam in eo jocundè glorioseque versatum, memoria retinerem. Ut enim reliqua prætermittam, postremam hanc, quam de Germanicis rebus Historiam dignissimè conscripsisti, adeò doctissimos viros, qui illius non minimam partem accuratius lectitarunt ad sidera efferre solitos audivi, ut quum nihil elegantius, nihil gravius puriusque dici potuisse judicarent, te eo genere etiam priscorum clarioribus æquiparari posse contenderent: Qua quidem in re non tam confirmasti, quàm auxisti bene sentientium omnium, tum meum potissimum de singulari prudentia tua judicium, quòd de literariis studiis perquam libratè, & rectissimè decernens, præclarum munus Historiæ eo semper, quo decebat, loco & honore habueris, plurimi feceris, debitaque veneratione colueris. Quid enim ea esse potest in rebus humanis vel dignius, vel gloriosius, vel utilius? Quæ vetustatis servans memoriam, præterita quasi præsentia facit; & quæ tot ante seculis, tot ætatibus gesta sint, quasi recentia possit ante oculos; effingit cogitationes hominum, sermones, conventionesque, temporum rationes, motus, figuras corporum effert; Mores, instituta, quæ bello, quæ pace, quæ terra, quæ mari gesta sint, prodit in lucem; nec obscurum quippiam, aut ignotum esse permittit. In ea terræ ambitum, Civitatum, oppidorumque situm, nec unius modò populi, sed omnium pæne mortalium varios vivendi modos, ac ritus, rerumpublicarum institutiones, & præclara præstantium virorum facinora, velut in speculo quodam, intueri licet, & quæ rectè, dignaque laude celebrata sint, quæ perperam & ineptè facta, conspicari. Ex quo suboritur nobis tum judicandi facultas, tum imitandi, fugiendique potestas; quippe qui libero animo, nullo jam affectu permoti, quæ dignè gesta sint comprobare, collaudare, in cœlum, attollere, laudataque studio & imitatione complecti: quæ verò secus, improbare, ac detestari, atque ab his inposterum cavere valeamus, unde profluit Virtutum omnium illa parens genitrixque Prudentia, quam plerique appetendarum fugiendarumque rerum rationem dicere voluere. Eo plus enim profectò Historia, quam multarum rerum ex ætatis longo successu peritia conferre videtur; quòd quum uno quodam angulo terrarum Orbis abditi, vix quæ in eo fiant scire valeamus; reliquarum omnium regionum mores, resque gestas penitus ignoramus, quæ Historiæ beneficio dignoscere possumus. Nec verò permultos ad eam ætatem natura perducit, qua ex usu rerum Prudentiam consequantur. Multarum autem ac maximarum rerum cognitionem, Historiæ munus ætati etiam teneriori præstare facilè quidem potest: quo fit, ut longè plures Historia, quàm senecta prudentes possit efficere. Numquam dicendo finis fiet, B. P., si universa Historici muneris emolumenta enumerare velim, immortalesque & pæne divinas ejus laudes prædicare, quòd tu optimo consilio, non mediocri semper amore, meritò adeò complexus videris, ut non legendo modò, sed scribendo quoque, quo & beneficium singulare posteritati afferres, inter præcipuos Historiæ princeps & pater evaderes. Hac itaque ratione, exemplo, & sententia tua, eoque consilio confirmatus, quum multiplicem diversarum rerum Historiam aggredi mente conciperem, ferretque animus ita mea opera tuæ Beatitudini devovere, ut si legere, vel audire non dedignareris, ego tibi semper in dies munuscula nova suggererem: coëgit me, fateor equidem, B. P., patriæ Caritas, majorum meorum reverentia, Zenæque Familiæ in Veneta Urbe vetustissimæ ac nobilissimæ pietas, ut inde potissimum ad te scribendi originem traherem, & si quid digni foret in his, si grati quippiam, clementiæ tuæ quasi quicquam antea prægustandum, tuæ Beatitudini dedicarem, ne tibi, qui omnium gentium nationumque pernoscendis rebus moribusque defatigari non potes, penitus obscura forent Urbis quoque nostræ, & hujus Zenæ Familiæ monumenta; quum præsertim pro ea benevolentia, quam semper erga me meosque gerere visus es, cognitu jocunda ea tibi planè fore confiderem. Claruit enim B. P. semper ea Familia, ac plurimum abundavit egregiis Civibus, insignibusque domi, & foris, pace, ac bello in omni Virtutum laude viris; quorum complures, terra, marique, suo ductu & auspiciis Patriæ emolumenta saluberrima sæpenumero contulerunt. Inter reliquos verò ad hæc nostra tempora mirum in modum excelluit *Carolus Zenus*, cujus nomen tuas etiam fortasse non latuit aures; qui terra marique tanta gessit, tantum pro Patria sanguinis fudit, eo illam pacto ex Genuensium armis & impetu liberavit, ex ferocissimorumque hostium manibus eripuit, ut quum prudentia, consilio, rerumque gestarum gloria facilè possit cum antiquitate certare, hac una in Patriam pietate illam etiam superasse videatur, ita ut Parentis Patriæ sibi nomen meritò vendicarit. Cujus vita, mores, instituta privata, publicaque, adeò varia, adeò præclara, & omni seculo memoranda sunt, ut non tam voluptatem audiendo legendoque, quàm admirationem quamdam videantur afferre. Sic enim literarum & doctrinæ amore flagravit, rei Militaris scientia claruit, navalium maritimarumque rerum usu & experimento præstitit, eloquentia, & dicendi arte atque exercitatione enituit, viribus & corpore valuit, ut profectò minimè involvendus silentio obscurandusque taciturnitate mihi visus sit: qui posteritati editus poterit fortasse aliquando etiam futura secula exemplo juvare. Hujus itaque Caroli, B. P. Vitam, mores, resque terra marique, pace ac bello gestas, quoniam hæc mihi jampridem satis cognita erant, conscribenda, & tuo nomini devovenda ac dedicanda censui, ut cujus usurpari plerumque nomen audieras, funebremque habitam pro eo Orationem fortasse legeras, seriosius expressiusque singula quæque ordine quodam ab eo gesta cognoscas. Nec me deterruit quod ego, *Carolo ex Jacobo filio nepos*, ab illo originem sumserim. Quid enim refert alienus quisquam, an nepos, servata modò Historica lege, avita gesta conscribat? Quod plurimos quidem in eadem causa etiam apud Majores nostros fecisse, memoriæ proditum legimus. Potissimùm quum progenitorum gesta iis, qui in ea Familia nati & educati sunt, lucidius quàm alieno cuique reddi notiora possint. Neque verò velim, me quemquam existimare, pro avita gloria Historiæ fines prætergredi voluisse; quum ille adversùm me magìs justas fortasse possit querelas afferre, quod ego verissimæ rei seriem, quantum assequi valui, consequutus, plura prodiderim, quæ pro illius laude supprimenda fuisse, quamplurimi

mi forsitan judicassent. Si enim iis, qui & suos publicè laudaverunt, & qui res gestas proprias conscripsere, non solùm non vitio datum, sed nec auctoritati ac dignitati propterea derogatum fuisse liquet: Quod muneris non Julium modò Cæsarem, cujus Gallicarum maximè rerum etiam ad nos celebri fama pervenit Historia; sed & Octavianum, à quo avia Julia pro concione laudata, & XIII. Historiarum Libri rerum suarum conscripti; & Adrianum quoque, Romanos Principes, aliosque complures Græcos, Latinosque insignes viros quum noverimus frequentasse, quos, ne longior sim, silentio prætereo, plerique auctoritatis eximiæ Scriptores posteritati commendavere: nihil esse profectò intelligo, quod improbè de me concipere, & submurmurari quisquam queat, si ego progenitorum meorum præclara facinora, antehac ignota, & obscuritate demersa, eruere è tenebris, & revocare in lucem aggrediar. Dignare itaque, B. P. pro insigni pietate tua, ex qua tibi Pii nomen meritò vendicasti, literarium hoc munusculum, quod in hoc primordio sublimationis tuæ, ego Beatitudini tuæ dedicatissimus, tuæque Clementiæ devotissimus quasi primitias quasdam laborum meorum tibi prostratus & supplex offero, benignè suscipere; & quum per occupationes licebit, quibus te vehementissimè in tanto rerum fastigio involutum scio, etiam vel legere, vel audire. Exstant etenim adhuc quamplurima, & versantur in manibus, quæ à tuo exactissimo integerrimoque judicio, à nutu tuo & ore dependent, & voluptatem animi tui avidissimè præstolantur. Quæ profectò, si minimè abs te spreta hæc prima præludia, neque injocunda fuisse cognoverint, accelerabunt & ipsa, ut ad te accedere, & Majestatem tuam coram valeant venerari. Interea, B. P., immortalem Deum nostrum assiduis supplicationibus deprecabor, ut Sanctitatem tuam salvam & incolumem reddere ac conservare dignetur, uberrimumque tibi gratiarum munus infundere, ut quæ dignissimè mente pervolvis, possis re ipsa opereque complere. Ego enim ita sentio, salutem Christiani Populi, Christianæ Religionis decus, Sedis Apostolicæ gloriam cum tua salute omnino esse conjuncta; me verò Beatitudini tuæ semper gratum & commendatum esse pectore toto & opto, & oro: quum nihil in rebus humanis dignius mihi & acceptius evenire posse constituerim, quàm (salvo te atque incolumi) favoris & gratiæ tuæ non expertem, tuæ Beatitudinis pietate & amore foveri.

[redacted]



F. Zucchi S.

VITÆ,

MORUM, RERUMQUE GESTARUM CAROLI ZENI VENETI AD PIUM SECUNDUM PONTIFICEM MAXIMUM

JACOBI FELTRENSIS ET BELLUNENSIS ANTISTITIS

LIBER PRIMUS.

QUi Venetæ Urbis originē incrementaque tradidere rerum Scriptores, inter claras atque antiquas Zenorum Familiam retulerunt, ex eaque præstantes viros pace ac bello, domi & foris, terra marique insignes, & in Patria priores natos esse. Enim verò quibus ex locis ad Venetam incolendam Urbem ex ea Familia primi advenerint, quive, aut quales ipsi fuere, & qualis Urbis status per id temporis esset, haud quidem satis compertum videtur, ad Zenonem Constantinopolitanum Imperatorem aliis, nonnullis ad alios originem referentibus. Illud maximè constat, Familiam hanc Senatorii semper ordinis habitam. Extant verò documenta plurima, & multa exempla majorum, quæ quales ex ea viri effluxerint, & quantum

A omni studio pro patria insudarint, testimonio sunt. Ut enim vetustiores alios missos faciam, quorum & si res gestæ claræ, & Venetis utiles fuerint, tamen diuturnitate temporis memoria ferè obscurior est: habuit patrum ætas *Raynerium Zenum* præclarum Venetis, & bello ducem, & patriæ Principem. Is ab adolescentia maritimis navalibusque prœliis innutritus, sæpenumero adversùm Genuenses, quos ea tempestate Veneti acerrimos hostes patiebantur, Imperator designatus, victor virtute patefacta in patriam cum gloria rediit. Inde vitâ functo Veneto

B Principe, quem vulgò Ducem majores dixere (nam & tunc eadem, quæ nunc Reipublicæ forma erat) Princeps ipse delectus est. Genuenses ea tempestate in Venetum validam classem armaverant, Imperatoremque illi Andream Fliscum præfecerant. Veneti, quibus Genuensium arma infesta erant, quum pro viribus duarum supra XXX. triremium classem paravissent, Raynerium eorum Principem, præter morem, & instituta patria, classi belloque præfecerunt. Domi etenim & usibus Urbis præsidentem majores Principem esse voluere. Profectus ergo, & cum hoste,

hoste, quamquam superiore, congressus illum fudit, fugavitque, classe hostili capta, Imperator, & navalia signa in victoris potestatem venerunt. Erat tunc à majoribus Zenæ familiæ derelictum insigne, quocum in clypeis, tum militaribus navalibusque rebus antehac Zeni omnes fuerant usi. Raynerius ut partæ victoriæ memoriam posteris commendaret, quod erat victo Imperatori, Insigne sibi desumsit, & suis utendum dedit: quod & ad nostra tempora posteri conservavere. Increbuisse tamen accepimus eos, qui ex fratribus in Familia minores natu essent, antiquo Insigni novo permixto uti consuevisse. In quo genitorem nostrum domestica institutione nos quoque secuti sumus. Virtutem Raynerii posteri ferè omnes sunt imitati, insignes bello duces, & Cives.

Recens verò memoria est Petri Zeni, hujus, de quo scripturi sumus, Caroli genitoris. Hic & domi & foris auctoritatis amplissimæ fuit. Post patrios honores etiam à Patavino Principe (nam tunc Patavium Carrariensibus suberat) suæ Urbi Præfectus, ut à majoribus accepimus, Patavium diutiùs gubernavit. Ea verò tempestate Clemens ejus nominis Sextus Pontifex maximus adversùs Turchos Christiani nominis hostes expeditionem indixerat. Accenderatque ad id pietatis opus, Gallicum, Siculum, Cypriumque, Venetos, Genuenses, & plerosque, qui tunc vigebant, Reges, ac Populos. Assensere omnes pio summi Patris studio, & classem pro viribus armavere. Veneti iis, quas ipsi triremibus pararant, Petrum Zenum præesse voluerunt. Miserat autem Pontifex suo nomine Legatum, qui summæ rerum præerat, Henricum natione Ligurem, patriâ Astensem, Hierosolymitanum Patriarcham. Is Petrum dilexisse fertur, ejusque triremem delegisse, qua potissimùm veheretur. Profecti ergo unà omnes Turchorum Imperatori bellum acerrimum intulerunt; agros regionemque vastavere; oppida pleraque ex barbarorum jugo discerpta in Christianorum fidem redegerunt. Fuit autem maximæ auctoritatis capta Smyrna Urbs, ea in regione valida munitaque, & ad bellum inferendum accommodata. Eam communierunt Christiani, & milites Præfectosque in tutelam imposuere; populatoque inde hostium agro, & omnibus passim clade confectis, quum jam hyems ingrueret, sese in tutiora omnes loca receperunt. At hostes, quibus amissæ Urbis cura erat, ut nuntiatum est, regionem vacuam esse, nec alios adesse milites, quàm qui Urbis præsidio inerant, in spem victoriæ erecti, summa vi Smyrnam oppugnare adoriuntur. Castra circa Urbem locant; machinas, & omne belli genus experiuntur. Qui Urbi rebusque præerant, quum se impares animadverterent, suis quo in periculo sint nuntiant, utque sibi opem afferant, deprecantur. Pontificis Legatus, cui rerum summa mandata erat, cum Veneta classe apud Calcidem vetusti nominis Urbem in Euboëa Insula sitam, quam nunc Nigropontum vulgò vocant, constiterat. Quum de re qui aderant duces unà consultarent, placuit ut redirent, obsessisque suppetias perferrent. Profecti itaque quum in continentem copias exposuissent, servato militari ordine, obsidentes hostes

A adorti sunt. Prœlium atrox fuit, & utrinque plurimi cecidere. Tamdem hostes profligati in fugam vertuntur. Insequuti eos Christiani paulisper sunt; dehinc quum primum ad prædam conversi passim per regionem diffunduntur, pars ad stationes, pars ad machinas, & alius aliò prædatum eunt. Legatus partâ victoriâ lætus, evocato ad se Petro, esse sibi cordi, inquit, ne tanti beneficii ingrati viderentur, immortali Deo gratias agere, sacrificiumque offerre. Erat in loco haud procul Christiani cultus Templum Johanni Baptistæ dicatum. Illud quum petiissent, Legatus sumtis sacris vestibus divinas de more cœrimonias agere parat. Dum B hi cultu in divino versantur, qui ad montium fauces, & edita munitaque loca confugerant, Christianos per patentem planiciem sinè ordine rectoreque vagari conspicati, ex collibus descendentes, in eos impetum faciunt. Illi novo malo perterriti è vestigio sese fugæ dediderunt. Pro rei difficultate alterum omnino subeundum erat, aut cultu divino deserto, classis, vel Urbs celeri fuga petenda, aut in manibus hostium moriendum. Verùm ut sacra desererent adduci non potuerunt, placuitque consilium in sacrificio inchoato persistere, elegereque magìs in hostium C incidere manus, quàm inchoata divina relinquere. Itaque irruentes paulò post hostes, eos pariter amplexatos trucidarunt, capitaque hastis infixa Turcarum Imperatori detulerunt. Ita Petrus extremum martyr clausit diem, anno ætatis suæ quadragesimo tertio. Memorantque, magnis honoribus, quos cum à Pontifice Maximo, tum à Venetis expectabat, Petrum intempestiva morte frustratum; siquidem à Pontifice Piceno Præfectum, & Ecclesiasticis militaribus copiis designatum ducem esse. Fuere verò Petro germani fratres, non vulgatæ, ut referunt, virtutis viri, Andreas, Thomasque, sæpe adversùm hostes Venetarum classium duces.

D Erat autem Petro uxor Agnes, genere nobili, Familia Dandula. Hæc illi non diutiùs, antea quàm Imperator ex patria solveret, filium genuerat membris corporeque compositum, quem ut sacro baptismate Christiano ritu insignierunt, *Carolum* nuncupavere. Id verò causæ fuit, quòd per ea tempora germanis imperabat Carolus ejus nominis Quartus, quem Romanorum vulgò Regem dicunt. Erat enim ille Petro non vulgari amore devinctus. Itaque natum Petro puerum quum cognovisset, misit qui illum suo nomine de sacro fonte levaret. Ut verò per ætatem licuit, more patrio primis elementis erudiendum curaverunt. Jam sep- E timum puer Carolus annum attigerat, quum genitoris acerba mors nuntiata est. Nam diutiùs antea genetrix, vix illi nota, fatalem obierat diem. Consultantibus necessariis Petri, ad quos liberorum ejus potissimùm spectabat cura, optimum factu visum, ad Pontificem Maximum Carolum ducere, ut gratum liberalemque animum, quem in parentem non potuerat, in liberos ederet. Decem enim Petro superstites liberi relicti erant, facultatibus (quod ille honoris avidus accumulandis opibus non inservierat) perexiguis. Per ea verò tempora in Avinione Galliarum Urbe Pontifex trahebat moram;

ram; illuc enim Clemens ejus nominis Quintus Quinquagesimo antea anno Curiam traxerat. Ductus itaque Avinionem Carolus est, Pontificique Maximo oblatus commendatusque. Pædagogus Venetus, sub quo primas literulas, & Psalmos excipiebat, de genitoris vita morteque, deque puerorum commendatione, ut fit, prolixam quidem commendationem confecerat, Caroloque memoriæ tradendam dederat. Ille ad Pontificis prostratus pedes, astantibus etiam Patrum plurimis, rectè, ut erat, orationem retulit, Pontificemque, & Patres tum in admirationem, tum in pietatem adduxit. Scio memoratum esse: admirabilem rem iis qui aderant visam, animum, memoriam, gestus vultus, oris habitudinem, vocemque pronuntiantis septennis pueri cernere, & quasi miraculo magìs ad merita paternæ virtutis attributam esse. Excepit illum lætus Pontifex, domique continuit, Clericalemque tunc primùm indui vestem jussit. Paululum commoratus quotidiano usu Latinæ Linguæ consuetudinem sumsit, ut diutiùs sub præceptore eruditus videretur. Contulit autem illi Pontifex Canonicalem Patrensis Urbis præbendam, dignam opulentamque. Tunc eum Venetias sui duxere, præceptorique instituendum tradiderunt; per quatuor enim post annum integrum menses apud Pontificem traxerat moram. Profecit in primis literis, & dehinc Dialecticæ quoque operam dedit. Consuluere Andreæ Patruo, cui puer potissimùm curæ erat, Jureconsulti plerique, ut ad Patavinum Gymnasium Carolum mitteret Juri operam daturum. Vênit itaque, & triennio civilem disciplinam sectatus est. Memorant, Carolum tunc XII. agentem annum præclaræ indolis pietatisque in Superos egregium specimen prætulisse: propterea in ultimum vitæ incidisse discrimen. Patruo siquidem ad bellum, quod inter se Veneti ea tempestate Genuensesque gerebant, Imperatore profecto, Carolum Venetias ad illius uxorem venisse, illamque comitaturus fuisse profectum. Inde quum ab ea Venetias ut imminentes poscebant res, submissus rediret, quemdam sordido habitu petentem stipem, ut eâdem, qua Carolus naviculâ vehi pariter posset, gloriosæ Virginis imploratione obtestatum esse. Tum Carolum Virginis nuncupatione permotum, properè annuisse. Excessione è navi facta ad vicum Mergarium, dum nautæ fieret satìs, ab homine nummos Carolo visos, & ob id etiam se se illi itineris exhibuisse comitem. Inter ambulandum occasione oblata versum ad purgandum corpus Carolum vulneribus innumeris confossum esse ab illo, exanimemque pæne relictum. Quodque admiratione ingenti est, tertiò, nam viveret adolescens, perfidum perlustrantem, semper mortuum judicavisse. Carolum tamdem recuperato spiritu rediisse ad se, & cognitum ad oppidum Mestre ductum, curatumque; sicarium diutiùs perquisitum inter nemora in arbore semiusta delitescentem canum odore compertum; deque eo à Paduano Principe meritum supplicium sumtum esse. Elanguit autem diutiùs vi vulnerum affectus, & extremo discrimini propior exstitit. At ubi convaluit, ad Juris studia Paduam revectus, his aliquandiu incubuit. Profecissetque prope-

A modum, ni corrupti sodalium mores optimam indolem perturbassent. Ad ludum siquidem allectus, quum res nummaria defecisset, Libris etiam consumtis in militiam est profectus. Quinquennio rei militari, omni ferè Italia peragrata, operam dedit. Demum in patriam quum redisset, non mediocri suorum animos voluptate affecit. Extinctum enim sui anxiè verebantur.

Parum Venetiis commoratus, in Græciam navigans, se se ad Patrensem puero sibi à Pontifice datam præbendam contulit. Urbs illa per id temporis Ecclesiasticæ ditioni suberat. Qui igitur Præsul tunc præerat, Caroli adventu & præsentia lætus gratum habere, & in agendis plurimùm ejus operâ

B uti cœpit. Erat autem illi adversùm Religionis nostræ hostes Turchos bellum ferè perpetuum, continuumque prope certamen. Dum itaque manus conserunt, dum assiduè prœliantur, Carolus in primis egregiam navans operam, gravissimo & lethali ictus vulnere concidit, parumque absuit, ne extrema fata persolveret. Nam quum nocte gravitate morbi in sincopim incidisset, mortuum qui aderant opinati, condere sepulcro cogitavere. Neque aliud omnino quàm lucem præstolabantur. Sed quum noctis gratiâ superse-

C deretur, sensim resipiscere visus est. Ob eam ægritudinem Venetias venire est coactus, ubi medicorum, & necessariarum rerum copiâ aptiùs liberari posse confideret. Dum in hunc modum salutis confirmandæ gratiâ in patria moratur, Cyprius per ea tempora Rex, cui Petrus nomen erat, ingentis, ut fama est, virtutis, & præclari animi, Venetias vênit. Inde ad Pontificem Summum, & omnes Christianos Principes expeditionis adversùm Christiani nominis hostes celebrandæ gratiâ profecturus. Ad hunc quum quamplurimi Veneti cives salutandum accederent, & Caroli nomen virtutemque ferrent ad sidera, nihil antiquius Rex est arbitratus, quàm ut apud se illum adsisceret. Profectus ergo unà, Regi maximè omnium

D carus evasit. Rex verò illius assiduâ maximis in rebus operâ usus, vix minimo intervallo otiosum esse patiebatur. Obtulit se quoque per ea tempora opportuna congruaque facultas, ut eum, qui tempestate illa Imperialibus præsidebat gubernaculis, adire, exhibereque se se illi posset. Carolo illi nomen erat, à quo, quemadmodum antea memoravimus, Caroli hujus fuerat inditum nomen. Ad eum veniens benignè exceptus est, multaque spe ac pollicitatione ornatus. Galliâ, Germaniâ, Angliâ, & magna terrarum orbis parte hisce itineribus peragratis, tamdem in Græciam ad Patrensis Ecclesiæ munia revectus est.

E Nec longè postea atrox in regione bellum exarsit. Hostes erant Cyprii adjunctis Gallorum plurimis. Exercitum ducebant equitum ad sex millia, peditum majori numero. Patrensis Antistes ad hos motus perterritus copias & ipse cogere compellitur. Ceterùm quum omnibus annixus viribus, haud paulò plus quàm septingentorum equitum expedivisset exercitum, longè inferior hostibus, haudquaquam castramentari & congredi confidebat. Tueri tamen Urbes Provinciamque opus erat. Itaque quas coëgerat, copiis Carolum præficit. Ut rem suo ductu suisque

auspiciis gerat, consultiora sequutus, monet, ut pareant illi omnes, jubetque. Difficilis profectò erat res, & periculi plurimi, arteque ac consilio magìs gerenda, quàm viribus. Offici hostibus posse, sperari non poterat. Satìs erat, si Urbes copiæque illæsæ servari quivissent. Hac in calamitate rerum Carolus vigesimum & secundum agens annum, tunc primùm exercitui, militaribusque præfectus copiis, bellum adoritur. Discurrere, deprædari, vastareque passim regionem hostes consueverant. Hoc initio prohibendum ratus, exploratis eorum consiliis in insidias trahit, circumventos, palantesque fundit; plurimos eorum capit; prædam abducit. Noctu sæpenumero castra aggressus magnum terrorem intulit. Sex continuis mensibus in hunc modum distinuit hostes. Agrum, provinciam, urbesque tutatus omnes, nec minimum militem, aut ex pueris ullum amisit. Ad extremum itaque, quum se nihil proficere hostes animadverterent, ad ineundam pacem adducti sunt. Sancita pax Methone (eò enim Patrensis Antistes ejusce rei gratiâ convenerat) his conditionibus, ut hostes regione excederent; nihil deinceps detrimenti inferrent; ipsis nummorum vis aliqua persolveretur. Grata res, & ferè incredibilis visa satìsque admodum rectè judicantibus actum videbatur. Reliquum erat, ut rei nummariæ consuleretur. Hanc quoque operam Antistes Carolo delegat. Clarentia erat Urbs Achajæ provinciæ princeps. Ad hanc ut accedat Carolus, & pacem pacisque conditiones referat, & comparandæ pecuniæ invigilet, jubet. Ut ergo vênit, remque aperuit, probare omnes, gratias agere, palmas in Cœlum tendere, Carolumque summis ornare laudibus satiari non poterant. Sed misera mortalium conditio est; suos quoque Virtus hostes patitur, nec quicquam tam rectè patratum est, quod non depravet invidia. Unus siquidem ea in Urbe Simon erat equestris ordinis, qui damnare à Carolo initam pacem, quive eam egissent, consuluissentque, proditores appellare non veritus. Carolus initio lenire hominis animum, blandisque demulcere suasionibus conabatur, utque ab hisce injuriis temperaret, orabat, neu quod consultissimè gestum esset, peperissetque provinciæ salutem, verbis retorqueret in cladem. Ad hæc ille in Carolum versus, quum asperiora retulisset, & ipsum, si paci adhibuisset consilium, proditorem esse adjecit. Indignatus insigni, & Antistitis sui, & communi injuria Carolus, atque, ut par erat, accensus, mentiri illum, sique perseveraret, singulari se certamine tueri paratum, inquit. Annuit Simon, & locum etiam Neapolim Urbem, cui per ea tempora Joanna Regina præerat, intulit. Dicta etiam dies est, resque firmata, & fides invicem præstita, vadesque dati. Præsul adhuc Methone erat, neque horum quicquam rescierat. Ast ubi paucos post dies Clarentiam vênit, & quæ gesta erant accepit, haud secus quàm par erat commotus, revocare datam duelli fidem intentiore cura nitebatur. Precibus primùm, dehinc minis est actum. Ceteræ subinde artes tentatæ, & ad extrema quæque demum perventum est. Verùm nullo pacto flecti Caroli animus poterat. Præstitam siquidem fidem violari nullius rei gratiâ patiebatur. Antistes ergo seu nomini suo metuens, ne sibi hoc dari vitio quiret, seu hoc consilio à pertinaci revocare sententia Carolum arbitratus, Canonicalem illi præbendam abstulit. Ille tamen non eo magnopere permotus, pluribus quoque ejuscemodi Sacerdotiis, quæ sparsim per Græciam possidebat, sponte se propria abdicavit. Ceterùm celsum animum fortuna non deserit. Erat siquidem Clarentiæ nobilis quædam atque admodum locuples mulier. Hæc, ut quæ à Carolo gesta erant, cognovit, celsitudinem spiritus admirata, ad illius conjugium animum intulit. Itaque Carolus, soluto jam Ecclesiastico jugo, facta matrimonii potestate nuptias pariter haud magna difficultate contraxit.

Jam proxima aderat præstitæ fidei dies, ex mediisque ferè nuptiis abeundum erat, vixque quartam nova cum uxore peregerat noctem. Plus ergo fidei gloriæque, quàm uxorio tribuens muneri, arrepto itinere Neapolim pergit. Fremebant fortè per id tempus in Neapolitano Regno bella; ubique milites & arma resonabant. Itinerum aditus malefidi, septi, interclusique. Difficultate ac discrimine rerum omnia miscebantur. Hæ graves causæ languidiùs quàm ferret animus, non sinè mœrore incedere Carolum compellebant. Tamdem difficultatibus temporum locorumque, promtitudine spiritus superatis, ad medium præstitutæ diei Neapoli Carolus apparuit. Primùmque omnium Reginam adire operæ pretium arbitratus, adversa incomoda, queis perturbatus erat, protulit in medium, patefecitque rem omnem, ut fuerat initio gesta, quove pacto in eam singularis certaminis controversiam incidissent & constituissent. Placuit Reginæ primùm omnium de jure partium discuti. Accito itaque Simone sex illi Auditores adhiberi, & causæ cognitores jussit, quorum três Præsules, Equestris verò ordinis tres quoque fuere. Ut verò uterque quæ voluerant docuerunt, Judicesque ritè omnia & libratè cognovere, Simonem perperam injustèque Carolum proditionis insimulasse judicaverunt. Atque propterea, ut impensas omnes actas ejus rei gratiâ resarciret, decrevere. Et quoniam de jure constabat: ut duello decerneretur, Regina non censuit. Victor ergo domum ad novam conjugem revectus, Provinciæ à regionis Principe præfectus est. Cujus tametsi assiduam curam gereret, Antistitis tamen Patrensis, & amicorum causis, ubi res exigebat, opportunè non deerat, manu semper atque consilio promtus. Dum hæc esset fortuna rerum, fatalem conjux obiit diem. Cujus interitum, duplicatam quippe inde calamitatem passus, graviter, ut æquum erat, tulit. Uxore enim extincta, dote quoque fraudatus est, quæ feudis ad Achajæ Principem pertinentibus constabat. Hoc itaque solatio destitutus, in Patriam ad propriosque lares reverti constituit. Ut ergo Venetiis fuit, ad secundas nuptias intendens animum, ex Justiniana Familia nobilem admodum uxorem cepit. Verùm quum in maritima Urbe mercatoriam plurimùm esse usui, Civitatisque ipsius nervos animadverteret, ad eam quoque se se accommodandum ratus, digressus Venetiis, septennio ejus gratiâ abfuit, partim apud Thanaim oppidum, quod

quod Thanai fluvio imminet, partim in Constantinopolitana Urbe trahens moram.

Circiter ea tempora Constantinopoli novæ rerum turbationes erant exortæ. Andronicus Calojani Constantinopolitani Principis filius, ope Genuensium fretus, patrem Imperio truserat, rerumque ipse potitus, Patrem fratresque interceptos carceri vinculisque adegerat. Ita mortalium animos cœcus regnandi furor vexat. Non mediocri verò Carolus Calojani genitori benevolentia devinctus erat, quam ejus diuturna ea in Urbe mora, mutuaque beneficia conciliaverant. Arci, qua is servabatur, præfectus quidam militum præerat, à filio paterni corporis custos datus; illius verò uxor Principis ipsius consuetudinem priùs habuerat. Is itaque de liberatione & Imperio anxius, mulierculæ fide uti posse ratus, ad Carolum raptim exarat literas, utque sibi adjumento sit, & ex nati servitute liberatum in Imperium restituat, rogat. Literas mulierculæ sibi quondam, ut diximus, concubinæ, Carolo deferendas tradit. Et quamquam periculosa omnino res erat, non aspernatus tamen amici preces, Carolus audax facinus adoritur. Primùm omnium milites quam cautiùs possit complures mercede conducit, fidem accipit, quæ jusserit pariturus. Ut ad octingentos sibi conciliatos videt, muliere internuntia, Principi rem aperit: paratos milites, omnia composita, nihil reliquum esse, nisi ut egressus discurrere per Urbem queat. Eam recuperandi Imperii salubrem rationem fore. Ceterùm quonam pacto exire ille arcem posset, diu cogitantibus, haudquaquam satis constare poterat, diligenti custodia undique accessibus observatis. Fenestra in cubiculo unica erat ad mare spectans. Ea tantùm exitus afferebat spem. Carolus ergo quum quæ facere Principem oporteret, primùm literis commonuisset, compositâ nocte ad arcem scaphâ defertur, funeque ex conventione demissâ, tractus ascendit; perque fenestram cubiculum ingressus, Principem alloquitur; ut eo ille pacto descendat, commonefacit. Tunc is manantibus lachrymis fari exorsus: *Ingentes me*, inquit, *sentio tibi gratias debere, quòd rectè amicus inter paucos sis. Quos meâ causâ labores, quæ pericula subeas video. Potiri me voto meo, surreptumque recuperare Imperium operâ tuâ posse satis agnosco. Cujus quamquam inexhausta cupidine ardeam, paterna tamen in filios pietas, afficit animum, minusque me compotem mentis reddit. Duo liberi mei in vinculis sunt. Scelesti hujus, qui me patrem Imperio, fratres carceri inclusos libertate & ditione nudavit, atrocitatem animi, & naturæ immanitatem novi. Vereor, ne ut primùm me carcere solutum, jurique meo redditum scierit, fraterno sanguine crudeles polluat manus, & meos ausus fratricidio vindicet. Ita dulcissimos natos pater perditum eam; orbitatemque meam cum brevi paucorum annorum Imperio permutabo; videborque ipse parricida magis, quòd dulcissima pignora victimam fratri objecerim. Hac formidine torqueor, interque spem, & metum anceps subsisto.* Ad hæc Carolus. Flendi ac consultandi minimè id tempus esse respondit. Videre enim illum, quàm grave ejus gratiâ discrimen obierit. Confirmato ad rem gerendam animo fore opus. Deliberare secum maturiùs potuisse. Itaque si descendere libeat, se se illi semper præsto futurum. Sin verò secus, summis orare precibus, ne in posterum secum hisce de rebus agat. Fluctuabundum igitur Principem linquens, quum se domum recepisset, aliquandiu res quievere. Haud procul postea pristina hominem cupido incessit. Rursum per literas Carolum obsecrat, ut illi adjumento sit. Inter cetera testamentum se condidisse, & Tenedon Insulam Venetæ Reipublicæ testamento legasse scribit, atque ut fides adhibeatur, testamentum rectum scriptum, Carolo prospiciendum transmittit. Rescripserat Carolus, & literulas muliercula calceis conditas deferebat. Dum cubiculi limen ingreditur, casu literæ cecidere, atque è vestigio compertæ, & ad Andronici conjugem delatæ (is enim in Asiam ad Turchorum Principem profectus erat) perturbatione, atque tumultu omnia miscuerunt. Quum quisnam fuisset ingressus, summo studio perquireretur, ut Tribuni militum uxorem dumtaxat introiisse compertum est, capta illa confestim, & quæstionibus tradita, tormentorum pavore rem pandit. Carolum nominat, & quæ ad eam diem sequuta erant, ordine patefacit. Tunc ira, furore, minisque in Carolum exardere omnes. Proditorem Andronici appellitare, atrocique nece prædicare dignum.

Venetæ Reipublicæ nomine Constantinopolim Præfectus mitti solebat. Venetorum illi tueri fortunas corporaque, jusque his dicere, cura erat. Deferuntur ad illum adversùm Carolum frequentes querelæ, ut supplicium de illo sumat admonetur. Pœnas Carolus luiturus passim perquiritur. Erat quidem res extremi discriminis: neque commorari, neque abire tutò poterat; & compertus haud dubiè capitis supplicium formidabat. Fidei aliquantum conductus præstabat miles, cujus ope fretus interdiu noctuque latitans, per anfractus & latebras errabundus ad Venetarum usque triremium accessum magno cum labore atque periculo perseveravit. Advenientibus autem Venetis triremibus, quæ singulis quotannis attingere Constantinopolitanam Urbem solebant, tamdem saluti suæ consuluit. Quum Tenedon applicuissent, Classis Præfectus veritus, ne Insula oppidumque in Genuensium deveniret manus, fortunam tentandam ratus, si quo pacto Venetæ subigere ditioni posset, armis & viribus rem aggreditur. Præerat arci Græcus quidam, eamque pulsi Imperatoris nomine conservabat. Telorum illi sagittarumque, & omnis munitionum generis copia erat. Nec quicquam verebatur minus, quàm per vim expugnari oppidum posse. Carolus re animadversa, quod armis non poterat, arte atque ingenio efficere adoritur, Præfectumque ad colloquium evocatum, quæ sit Imperatoris sententia docet. Testamentum vidisse se testimonium facit; hortatur, ut sequutus ille Principis mentem arcem Venetis tradat. Profuere artes, & quod arma non potuerant, verba impetraverunt. Præfectus enim his Caroli vocibus delinitus, liberam Veneto arcis potestatem permisit. Eo pacto Thenedos Caroli operâ Venetorum in ditionem pervênit. Itaque imposito præsidio, & Veneto Senatore præfecto, inde solvens Venetias tamdem accessit. Senatus

ubi hæc accepit, quamquam varii essent animi, & plerisque minùs probari factum videretur, tamen ne quid detrimenti à Genuensibus, & Andronico Thenedos pateretur, providendum censuit. Eam ad rem Classe XV. triremium expedita, Petrus Mozenigius Imperator illi delectus est. Nec longè post duas quoque addere triremes paratæ classi consultiùs judicatum. Carolus uni ex his frequentibus votis præfectus est; alteri Michaël Stenus, qui Principatum postea Venetiis tenuit. Acceptis Senatus mandatis, Venetiis profecti, quum quæ injuncta erant impigrè persolvissent, ad Thenedon delati, classem ibi reliquam offenderunt. Cui se ut jussi erant jungentes, Imperatoris imperio paruere. Genuenses ut quæ apud Thenedon gesta erant, & digressam Venetiis classem cognovere, magnam & ipsi classem decreverant expedire. Id Venetiis ubi exploratum est, novas insuper triremes ad reliquas adjecere; Novumque Imperatorem Victorem Pisaneum designaverunt, jusseruntque illum cum omnibus copiis Constantinopolim pergere. Duæ supra XX. jam triremes erant redactæ. Cum hac classe Constantinopolim profecti, cogitaverant Urbi copias admovere. Et quum in continentem exire auderet nemo; Carolus primus atque omnium ferè solus, scalas in continentem dimittens, cum suis copiis egressus est, paucique postea per ipsius triremem in terram desiliere. Nihil tamen tunc memorabile gestum est, præterquamquod navem quamdam Venetam, quæ paulò ante in loco à Græcis retenta erat, recuperavere. Quum se in Urbe moveret nemo, Thenedon redeuntes, acto consilio tres ibi triremes præsidio dimittere decreverunt. Carolus, qui illis præesset, electus est, eique tutandæ Insulæ, Arcis, triremiumque cura data. Pestilentia fortè ad eos dies Insulam illam invaserat, & hujusmodi morbo plurimi absumebantur. Eâ causâ effectum est, ut tres ferè menses ab hostili incursu quietos agerent.

At ubi morbi vis lentescere visa est, confestim Andronicus, & Genuenses magnis coactis navalibus copiis (triremes enim duas supra XX. armaverant) Thenedon occupare adoriuntur. Carolus trecentos dumtaxat milites habebat, sagittarios nonnullos. Hostes itaque, & multitudine suorum freti, & Venetorum conspicati paucitatem, quòd classem Venetam discessisse cognoverant, scalis admotis exire, atque in terram copias militares, & navales turbas adducere constituerant. Carolus tametsi multitudine longè impar hostibus, egressui tamen illorum pro virili conabatur obsistere. Sed tanta erat maris tranquillitas, ut quamquam jam planè inchoaret hyems (quippe per Novembrem mensem ea gerebantur) media tamen & quieta æstas videretur. Ita quum per omnem Insulam liber omnino aditus foret, neque prohiberi ullo pacto posset, egressi hostes, acie instructa, ad expugnandum oppidum accedunt. Carolus in suburbiis erat, Arci Antonius Venerius præerat, & rei exitum præstolabatur, promtus ad omnes casus, & ubi exegisset res, laturus opem. Certatum est aliquandiu; sed quum nox jam ingrueret, hostes ad triremes se receperunt. Postera die egressi rursum hostes apparatiùs acies ordinesque struxere. Ita compositi non jam ab ea, qua priùs, sed ab altera parte Arcis, quæ ad suburbana versa est, certamen aggrediuntur. Quos ut ab ea regione venientes aspexit Carolus, per ædes plerasque vacuas, & semiruptas, quæ in suburbanis erant, milites disponit. Clandestinos & quietos esse monet, & quid deinceps agere eos velit, edocet. Dehinc in advenientes hostes à fronte impetum facit. Tunc ii, qui in insidiis locati erant, à tergo imminentes, intercludunt hostes; prœlium atrox committunt; cominus eminusque feriunt Veneti. Hostes passim sternuntur. Tandem victoria Venetis cessit. Hostium plurimi cecidere: ea tamen pugna minimè incruenta Carolo fuit. Quippe sagitta in ejus infixa crure perniciosum intulit vulnus. Tertia jam dies aderat; & hostes magìs irritati pristinæ diei dedecore, detrimentoque, majori conatu ferociùs in prœlium prodeunt. Ceterùm Carolus, & qui Arci præerant frequentes bellicas machinas per turres erexerant. Quarum ictibus affectus hostis, quum propinquiùs Arci perseverare diu non posset, retrocedere coactus est. Prœlium tamen aliquandiu protractum. Eo quum in prœlio Carolus quanquam superioris pugnæ vulnere claudicans, consilio manuque rem gereret, solus ferè suorum omnium pertulit cladem. Bis siquidem saucius duplicatos & quidem insignes ictus tulit primum manu, hinc genu acriùs læso. Sed posterum periculiosius fuit, quod sincopin, & spasmum inferret. Lethaleque profectò fuerat vulnus, ni Gallogræcus Medicus quidam novo & insolito medelæ genere, sinistro, quod intactum fuerat, exusto genu, attulisset salutem. His tamen incommodis perculsi hostes haudquaquam in posterum inire prœlium ausi, Thenedo solventes, Constantinopolim rediere. Ita Insula oppidumque Venetis integra sunt asservata. Hyeme ingravescente quum nihil jam arduum gerendum immineret, Carolus, & qui cum eo erant, Venetias rediere.

Vix in patriam venerat Carolus, quum frequenti Senatu, omnibusque ferè suffragiis ad Chalcidem vetusti nominis Urbem juxta Euripum in Euboëa Insula sitam, quam nunc Nigropontum appellant, Prætor est designatus. Magistratum itaque inire parantem novæ supervenientes Patriæ difficultates ad alias illum actiones divertere compulerunt. Bellum siquidem Genuense, quod ad eam diem clam coaluerat, tunc palàm prodire, exardereque publicè cœperat. Genuenses enim antiquissimi Venetorum hostes tunc in extremam Veneti nominis, ut videbatur, perniciem incensi, plerosque sibi Italos atque Germanos Principes fœdere icto devinxerant. Nam qui tunc Pannoniis, quos Ungaros vocant, Rex præerat Lodovicus, & Marquardus Aquilejensis Antistes, & qui ea tempestate Patavium tenebat imperio Franciscus Carrarius, & alii complures adversùm Venetos conjurarant. Jamque Ungarorum magnæ copiæ in Italiam venerant, regionesque, atque oppida, quæ Venetorum in fide erant, crebris incursionibus perturbabant, ac subigere conabantur. Senatus quum mari adversùm Genuenses armasset classem, ad hos quoque terrestres tumultus, quantum pro tempore opportunum videbatur, providendum ratus, equites peditesque, haud magno tamen numero, compara-

paraverat. Ceterùm nihil quærebatur magis, quàm qui idoneè coactis præesse copiis posset. Maritimis enim innutriti Veneti haudquaquam terra militare didicerant. In hac difficultate ad Carolum omnium conversis animis, relictâ Præturâ, copiis præesse, terrâque rem adversùs Pannonios gerere jubetur. Profectus ergo, in Tarvisinis finibus comperit hostes. Magno numero erant, & plura ad eamdiem detrimenta intulerant, barbaricoque more vastabant omnia. Carolus arte magìs ac consilio, quàm viribus pellere hostes adortus, sæpe noctu atque interdiu incautos & improvisos aggreditur; multos eorum intercipit, plurimos etiam occidit; impetu dehinc facto plerumque profligat. Ita turbatos terret, consternatos quietos esse, & in castris sistere compellit. His artibus fretus, adeò perdomuit hostes, ut vix vigesimo persoluto die, postquam illuc advenerant, excederent regione haud dispares fugientibus. Oppida dehinc nonnulla, quæ ad eos, priusquam irrupissent, defecerant, expugnare adortus, Sacilium, Sublizetumque, & pleraque alia vi cepit; in fidefragos meritis suppliciis animadvertit. Ipse tamen (quod illi ferè solebat accidere) in manu vulnus est perpessus eo in bello, ne omnino illi victoria cederet incruenta. Ob eas res rectè ac prosperè gestas

A

B

major illi decretus, paratusque à Senatu exercitus erat. Sed quum sedati aliquantisper terrestres tumultus, & maritimi motus in dies vehementiùs viderentur augeri, Genuensibus navales copias ingentes expedientibus, ad curam rei maritimæ, Senatus ardentiùs incumbere coactus est. Classi Venetæ Victor Pisaneus, nobili nostræ Urbis Familiâ, clari nominis vir, præerat. Itaque quo consultiùs in tanto discrimine res gereretur, ut apud illum continuè duo præstantes viri pari potestate consisterent, est decretum. Id muneris Carolo potissimùm demandatur. Revocatus ergo ex terrestri militia, rursumque navali ascriptus, quum ad classem, ut justus erat, è vestigio properasset, communi consilio bellum adversùm Genuenses gerere cœperat. Genuenses per ea tempora in Sicilia mercaturæ plurimam dare operam consueverant, eamque ob rem per Siculum fretum multa eorum navigia vagabantur. Quare quum plurimum detrimenti per eum modum inferri posse Genuensium rebus Senatus intelligeret, operæ pretium censuit, Venetam classem ad ea quoque loca transmittere. Carolus, qui ei classi præesset, in Senatu delectus. Octo illi triremes decretæ sunt. Cum his Siculum fretum discursare, & quàm maxima possit hostibus detrimenta inferre jussus.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

INCI-

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

DEereto Senatus tunc primùm classis Imperator designatus, quum triremes maximè omnium ad celeritatem expedivisset, per Illyricos fines, continua navigatione in Apuliam venit. Genuenses apud Jaderam Coloniam Illyrici ac Liburniæ Urbem, quæ suo tunc parebat imperio, classem habebant. Triremes supra XXX. erant. Formidabile videbatur, & extremo discrimini proximum, octo dumtaxat ducentem triremes per hostium tam ingentem numerum transmeare. Verùm Carolus alto se se committens pelago, & continentem, quoad ejus fieri poterat, devitans, per médios ferme hostes præterlapsus evasit; primùmque apud Tranensem Apuliæ Urbem constitit. Tranenses Genuensium partibus favebant, Venetos odio prosequebantur. Carolus quidem hujus Tranensium animi haud ignarus erat: quare per eum modum explorari posse hostium consilia ratus, suis, ne quisquam in terram prodeat, neve colloquatur jussis; solus ipse ante alios prodire, & continenti adhærere parat. Jam autem ab initio Genuensium signa ad fallendos hostes, si quando rei bene gerendæ occasio oblata foret, comparaverat. Plus enim plerumque artes, quàm vires in bello profuere, nullumque fraudis genus hostes crimen putant: adeò etiam naturæ jura bellum in contrarium mutat. Ea ergo tunc, amotis Venetis, extolli jubet, & omnia more Genuensi agi ac simulari. Procedenti, scalasque injicere paranti publicus è vestigio nuntius occurrit. Is à Magistratu Urbis summissus olivæ ramũ manu gestabat. Ut ergo in conspectum venit, ad Carolum versus, quinam sint, quòve tendant, rogat. Carolus Genuensem linguam moresque doctus, silentium agentibus ceteris, solus hominem alloquitur: Genuensium classem esse confirmat. Venetos maledictis insequitur. Genuenses ad sidera tollit. Hoc pacto numquid novi habeant, & quid noverint percontatur. Lætus his auditis nuntius, quum eos benevenire hilari vultu respondisset, sex Genuensium triremes pridie prætervectas inde docet, quæ Brundusium primò accessuræ, inde ad reliquam classem, quam in Illyricis finibus versari existimant, navigaturæ sint. Nil ampliùs sibi cognitum esse. Hæc quum intellexisset Carolus, in optimam spem erectus, si celeriter triremes insequeretur, his potiri posse, jam digredi atque insequi cogitabat. At nuntius distinere verbis, & triremem ascendere conabatur. Carolus contra, ne doli patefierent, oportere se triremes, quæ præterierant, sequi, aliasque atque alias excusationes captare. Raptimque vela, remos, nautas quàm celeriter expediri jubet. Quare quum omnino abeundi avidum nuntius Carolum cerneret, olivæ ramum, quem manu gerebat, offerens Carolo: *Ab Ecclesia*, inquit, *nunc redeo: in ea Christiano more hunc olivæ ramum accepi* (Palmarum enim per eam diem religio erat). *Eum tibi victoriæ signum ac nuntium tribuo*. Nihil profectò gratius evenire Carolo potuit. Idque omen adeò in religionem vertit, ut sibi ab immortali Deo pæne certam portendi victoriam satis confideret. Ita plenus optimæ spei, celeri, quo maximè poterat cursu, triremes hostium insequutus, postera die Brundusium venit. Hostes verò jam excessisse, & ad reliquam conjunctos classem comperit.

Itaque ad destinatam provinciam intendens animum, ad Sasonis Insulam primùm, ex ea in Siciliam navigavit. Quam tertio, ex quo inde solverat, die assiduis navigationibus attigit. Ad Messanam primùm delatus, quum quid hostium per Insulam esset, cognovisset, circuire illam adortus, vix quadraginta diebus celerrimo bis integram cursu circumdedit. Navigia verò septem supra viginti vi cepit. Erant illa quidem ferè omnia Genuensium; nonnulla tamen non eorum sanè, sed quæ Genuam triticum, & alias res necessarias comportabant. Ignem his, quæ Genuensium erant, injecit, homines captivos classi imposuit. Reliquis, ne plus bellorum patriæ concitaret, haud quicquam ampliùs detrimenti afferendum putavit. Nihil ampliùs, quod Genuensium ditionis esset, per eam Insulam relictum erat, & jam sua classis rebus victui necessariis indigebat. Itaque quum ejus gratiâ, tum etiam ut certior eorum, quæ interim erant sequuta, reddi posset, Neapolim navigavit. Neapolitani Regni per id tempus Regina Johanna tenebat imperium. Cum illa Senatus Venetus fœdus inire cupiebat, idque diutiùs Danielis Cornarii Senatoris Veneti operâ agitatum fuerat. Is enim Veneto more Neapoli Veneto nomine Consulari Magistratui præsidebat. Præfixerat jam Regina percutiendi fœderis diem, grataque admodum, & salubris futura erat eo bello Venetæ Reipublicæ res, Venetosque omnes non mediocri voluptate complebat. Huic tam salubri patriæ spectaculo Carolus quum adesse decrevisset, ad Prochitam Insulam, quæ XVI. passuum millibus Neapoli abest, cum classe divertit.

Ceterùm ad eos dies Veneta Respublica execrabile vulnus acceperat. Sæva etenim atque atroci pugna Venetos inter Genuensesque patrata, classem Venetam, cui Victor Pisaneus Imperator præerat, Genuensium classis apud Polam Histriæ Urbem aspero & crudeli bello devicerat, ac ad internecionem usque deleverat. Ex qua Venetis triremibus ferme omnibus in hostium potestatem redactis, Genuensium Imperator Lucianus in pugna conciderat. Id vulnus necdum patriæ inflictum agnoverat Carolus; Regina verò ejusce calamitatis jam literis edocta, commutaverat sententiam, à fœdereque ineundo desistere consilium ceperat. Inter mortales quippe sæpe adversitas rerum solidum amorem comprobat; & malo hominum vitio quod prospero afflatu favoris est, id omne adverso linquitur, facilèque amicitias cum fortuna mutamus. Expectanti itaque frustra ad præfixam diem Carolo, delatæ ad eum tandem literæ sunt, quibus fœdus iniri non posse excusabatur. Quare astu non mediocri usus, ex ipsis Reginæ nuntiis, quod Venetæ classi

classi acciderat incommodum extorsit. Eam quum intelligeret infecti foederis causam fore, non ibi amplius praestolandum, sed Patriae afflictae calamitatibus succurrendum constituit. Solus enim jam Venetorum Imperator solam integram ductabat classem; eam verò minimè pro temporis necessitate praevalidam. Nam etsi supplementi Senatus rationem habuerat, missis antea triremibus tribus, & aliis Taragonensium totidem mercede conductis, quas omnes conjungi Carolo decreverat; tamen necdum quae ex Venetiis solverant apparebant; & Taragonenses quum antea dedissent fidem, cognita nova clade, & ipsi consilium permutaverant, retentisque quos Veneti Senatus acceperant nomine, aureis millibus septem & quingentis, irritam fecerant fidem; & quamquam pluribus precibus monitisque apud illos Carolus institisset, in alios tamen se usus transtulerant. Siquidem hoc pacto fortuna suos utramque in partem eventus edere cumulatos solet. Quum diutiùs itaque secum agitaret, ac volveret animo, quid facto potissimum in tanta patriae clade operae pretium foret, tamdem imitari Africani superioris artem atque animum duxit, ut quemadmodum Hannibale in Italia, & sub ipsis Romanis foribus Urbem premente, ille contra exercitum adversùs Carthaginem, sic Genuensibus in oras Venetas irruentibus, ipse classem Genuam, & in Genuensia litora duceret. Sic enim & revocari domum hostes, & patriae tueri auctoritatem posse putabat, ne extinctae penitus Venetae viderentur vires. Hoc proposito quum se navigationi commisisset, in Ligusticum pelagus intendens animum, quae insequuta est die, triremes Venetas in supplementum demissas obvias habuit. Quibus ad pristinam classem additis, maximis navigationibus Plumbinum, & Ilvam Insulam, inde Liburnum vênit. Ibi ex Cajetanorum navigiolo, quod Genuâ paulò ante profectum erat, Genuae novum classi Imperatorem Petrum Auriam delectum, eumque paulò antea cum novo triremium quatuordecim supplemento Genuâ solvisse cognovit. Quare ne in hostium manus incideret, divertendum ratus, quoad hostes praetervecti forent, in Siciliam Neapolitanumque fretum rediit, classemque necessariis usui rebus communivit.

Interea Senatus, quum accepta saeva clades perculsisset omnium animos, de rerum summa solicitus, quum diutiùs de bello consultasset, tamdem ad Carolum curâ conversâ, decrevit, ut Genuam classe Carolus impeteret, ne contritae omnino vires Venetae putarentur; trirememque ad id unicam expedierat, cui Henricum Dandulum Senatorem Venetum pro consuetudine praefecerat. Dederatque per eum Carolo literas, quibus funestissima significata clade, ut Genuensium litus classe peteret imperabat. Siquidem eò sex triremium supplementum illico missurum se pollicebatur. Itaque dum Carolus classem reficere, ac communire, atque, ut secum antea constituerat, Genuam versùs tendere parat (jam enim Genuensium triremes praetergressas audierat) à Senatu hisce cum literis transmissa triremis apparuit. Confirmatus ergo magìs Senatus mente perspecta, potissimùm quod in eamdem sententiam pariter incidisse Senatum laetaretur, è vestigio anchoras tolli, funes solvi, remosque parare nautas jubet; in altumque delatus, magnis & assiduis navigationibus ad Portum usque Veneris Genuensis ditionis ipse pervênit. Abest autem Genuâ passuum millibus circiter septuaginta, duplicem accessum egressumque habens. Oppidum enim est ad Occasum tendens, quod Castrum Veneris incolae vocant; contra verò ad Orientem vergit scopulus, quem Sancti Venerii antiqui dixere; distantque invicem passibus fermè quingentis. Id spatii tutam navibus moram facit, utrinque, ab Occasu scilicet atque Oriente clauso mari. Quare quum ab ea parte, quae ad Meridiem atque Septentrionem spectat, liberae maris fauces sint, duos quoque aditus constitui necesse est. Carolus ergo situs naturaeque loci haud ignarus, quum priusquam ingrederetur, explorari, si quid hostile lateret, constituisset: duabus exploratoriis triremibus speculatum transmissis, sex quoque hostium triremes eo in portu esse cognovit. Erant autem Carolo triremes novem. Cum his portum ingressus ab ea parte, quae ad Septentrionem vergit, in hostes invehitur. Verùm hi numero impares, neque manum conserere, neque praestolari ausi, confestim fugae se se dediderunt, ad reliquam, quae ad Meridiem est opposita, portus partem exitum facientes. Quos quum ex iisdem Carolus vestigiis insequeretur, rursum illi diverso aditu à Septentrione portum ingressi, atque insequente Carolo rursum à Meridie gressi sunt. Id quum diuturno intervallo utrisque magna vi annitentibus fieret, neque propinquare iis Carolus poterat, neque certaminis facultatem habere; quum & temporis, quo anteverterant, cursu, & levitate ac celeritate triremes hostium superarent, utpote quae domi propinquae minus oneris deferrent. Ad illusionemque res tendere videbatur. Itaque arte utendum ratus, divisa classe ex suis quinque triremibus à Septentrione prodire, atque portum ingredi jussis, ipse cum reliquis (quatuor enim erant) à Meridie proficiscitur, ut quàcumque egressi portum hostes forent, aliqua Venetarum triremium pars his obviam fieret. Sic enim conceperat animo, intercludi atque intercipi posse eos, ut quamcumque se in partem verterent, Veneti sibi invicem forent praesidio. Hoc consilio quum adversùs hostium triremes properarent utrinque, Carolus cum suis in hostium conspectu primus apparuit. Hostes ergo ut quatuor dumtaxat triremes (tot enim erant sibi obviam) prodire conspexerunt, earum paucitate pellecti, magno impetu in illas feruntur. At Carolus à terra quàm longissimè posse hostes avertendos ratus, suis in altum tendere pelagus jubet. Sequebantur hostes, & quòd ad celeritatem aptiùs comparatae Genuensium triremes erant, tamdem appropinquare incipiebant. Quod ut animadvertit, converti proras, expediri arma militesque, & ad certamen parari omnes jussit. Nam etsi numero impar, tamen & virtuti suorum confidebat, & alias quinque triremes brevì affuturas arbitrabatur. Non tamen ausi sunt irrumpere Genuenses, neque in Venetas triremes impetum facere, manumque coram conserere; sed procul sagittis telisque remgerebant. Dum utrinque sagittis bombar-

dis-

disque jaciendis insudant, quinque Venetæ triremes, quæ ad aliam portus partem ingressæ fuerant, procul tamen octo passuum millia apparuere: hoc enim spatio in pelagus usque processerant. Eas hostes ut conspicati sunt, terrore affecti fugæ se se è vestigio dediderunt; tantusque fuit hostium in fugiendo præceps impetus, agilitate triremium, & patriæ propinquitate juvantibus, quòd insequentium Venetarum studium antevertit.

Nudato hostibus Veneris portu, fugatoque præsidio, in Genuensium litus duxit. Oppidum est in regione, quod Castrum Specierum incolæ vocitant. Id optimum atque opulentum. Carolus vi expugnare subigereque induxerat animum. Genuensibus siquidem ea tempestate Mediolani Dux Barnabeus hostis erat, cui Serzana oppidum, & Lunisiana parebat regio, quibus Zanotius Vicecomes illius tunc nomine præerat. Carolus quum aquandi gratiâ circa regionem divertisset, ex composito cum Zanotio convenerat, ut ille terra exercitu militari, Carolus mari navalibus copiis oppidum adorirentur. Diem dixerant, remque sancierant. Ut præstituta ergo affuit dies, oppido Carolus triremes admovit, expugnareque arcem adoritur; turrimque ligneam imminentem arci, tametsi validissimam, vi capit. Quumque certando progreditur, terrestres militares copias affuturas sperans, Vicecomes (incertum quanam ex causa) fraudata fide non affuit. Jam trium horarum intervallum effluxerat, & Carolus turrim, quamquam insultantibus mirum in modum hostibus, continebat. Terrestris verò supplementi nihil jam vel apparebat, vel affuturum sperari posse videbatur. Dolebat Carolus, tantam rei benegerendæ facultatem elabi è manibus, quum si terrestres copiæ præsto forent, oppidum id egregium venturum in potestatem non dubitaret. Et tamen acriùs urgebant hostes, continuòque magìs & multitudine augebantur & viribus. Itaque sibi, & suis consulendum ratus, turri, quam ceperat, concremata, non mediocrique illato terrore, inde tamdem digressus est. Ad Panigaliam dehinc locuples suburbanum duxit, subactumque suis diripiendum concessit. Incredibile dictu est, quanta ibi vini, olei, rerumque usui necessariarum copia, & supellectilis omnis generis comperta sit, ita ut vix capere triremes possent. Iis, quæ superfuere, rebus tectisque, & suburbano undique deletis, per omnem maritimam regionem cum classe discurrit. Quicquid obvium fuit, aut in prædam abegit, aut igne consumsit. Naves quamplurimas omnis generis cepit, atque cremavit, oramque omnem maritimam Genuensium incendio ac præda vastavit; Incolis verò tantum pavoris incussit, ut ea loca semper antea populis refertissima ferè nuda & sola relinquerentur, omnibus passim quo longiùs poterant aufugientibus. Tantusque universæ regioni est terror illatus, ut non tunc modò intra Genuæ mœnia trepidatum sit, sed postea semper, ad hodiernamque usque diem, terribile & horrendum fuisse, esseque Genuæ Caroli Zeni nomen, sunt qui memorent.

Hæc quum brevi temporis intervallo, magna usus celeritate, peregisset, quòd his in

A locis nulla tunc magìs benè gerendæ rei facultas dabatur, ex Ligustico pelago in Adriaticum se sinum recipere constituit. Quumque Methona Peloponesi, quæ Urbs Venetorum paret imperio, aptior ex Græciæ Civitatibus ad purgandum pyratis Mare, Urbesque maritimas Venetis conservandas, quæ ferè inter reliquas medio est loco sita, intelligeret: magna & assidua navigatione per Tyrrhenum pelagus, & Siculum fretum Methonam vênit. Nam & venturas, ut Senatus pollicebatur, in supplementum alias triremes illuc speraverat, & earum adventum expectare deliberabat. Divisâ itaque inter nautas omnes prædâ, illis fortunarum omnis
B generis, ingentique alacritate refertis, Byzantium versùs vertit iter, eo proposito, ut expulsum à liberis patrem in Imperio restitueret. Nam & hoc Senatus mandaverat, & amicitiæ ratio, quæ illum inter & Carolum erat, exigere videbatur. Quum Thenedon applicuisset, supplementum sex triremium, quòd ad Genuensia litora accedere Senatus decreverat, eo in loco comperit; remque Constantinopolitanam prosperè ab his ex voto persolutam, Genitore superatis liberis in sede locato. Reliquum videbatur, ut alia quoque persolveret, quæ de conducendis potissimùm ex Assyriis Venetorum civium mercibus à Senatu erant decreta. Nam hostium
C formidine, bellique difficultate deterrentibus, nihil inde jam biennium asportari potuerat. Exhaustæ verò Venetorum omnium erant fortunæ, & continuis profusissimis sumtibus, quotidianisque in Publicum collationibus nihil ferè supererat, quod bello usui foret: est enim belli alimentum pecunia. Ergo Carolus ut saluti patriæ civiumque consuleret, Senatusque imperio faceret satis, assumtis hisce sex triremibus, quas apud Thenedon convenerat, duabusque onerariis additis navibus in Syriam contendit.

Damascus est Syriæ Urbs insignis, abestque litore passuum millia circiter centum,
D quod ferè est quatridui iter. Oppidumque illi est ad mare spectans, ubi & portus, & mercium negotiatorumque, & navium omnis generis conventus frequens. Beriton antiqui, Barutium recentiores dixere. Hisce in locis Venetorum maxima supellex, atque æstimationis ingentis, mercaturæ gratiâ comparata, servabatur; quippe qui minus aureis quingentis millibus pretium retulerunt. Præmissis itaque eò onerariis navibus, ipse cum triremibus insequutus, quum in Syriam properaret ad portum, quem Castri Ruggii nautæ vocant, noctu divertit. Orta luce quum è portu egressus duas de more triremes speculatorias præmisisset, illæ Massilien-
E sium triremes itidem duas, quæ ex Hierosolymis, peregrinis onustæ mercibus, redierant, obvias habuere. Illi ergo ut Venetorum triremes conspicati sunt, Turchorum esse rati, in eas impetum fecere. Sed Veneti viribus & robore superiores non solùm tolerarunt irruentium vim, sed eas quoque expugnatas subegerunt. Carolus lentiùs post illas insequebatur. Sed ut propiùs accessit, neque hostium, sed amicorum animadvertit, illis acclamantibus atque amicitiæ facientibus signa, è vestigio scapham raptim ingressus, eò contendit, Venetosque nautas à præda & cæde prohibuit. Quumque jam magnam

rerum

rerum vim abactam Massilienses quererentur, quo amicis fieret satis, nautis omnibus, qui prœlio interfuerant, nudis vacuisque in continentem emissis, triremis undique latibula, ipsos quoque perquirere exquisitius jussit, & quicquid ablatum esse compertum est, reddi, pluribus quoque, quorum gravior erat suspicio, per torturas confessione extorta. Itaque ne querelarum iis ulla linqui occasio posset, exactissima quaque in recuperandis sociorum rebus diligentia usus est. Sic enim plerumque accidit, ut qui amisere, etiam si cumulatè satisfactum sit, queruli tamen esse non desinant. Pleraque præterea, quorum indigi erant, his victui necessaria præstitit, commeatuque illos juvit abundè. Inde quum ad destinatam animo rem perficiundam pergeret, Famagustam venit. Ea Urbs in Cypro Insula sita, Genuensium, ut etiam nunc est, ditionis erat. Et quòd ad mare prospectat, magno ejus potiundæ Urbis desiderio pellectus, tentare fortunam, & occasionem prosperæ gerendæ rei non aspernari constituit. Nam etsi scopuli nonnulli classis ad mœnia prolapsum prohibere videbantur, adeò tamen facilem arte operâque aditum effecerat, ut liber accessus redderetur. Et accedebat, quòd Cyprius Rex, cui Petro nomen erat, ad eam rem commodissimus auxilio videbatur futurus, quippe qui acer Genuensibus hostis, terrâ cum militaribus copiis expugnationi affuturum se pollicebatur. Conventionibus ergo sancitis, institutaque die, quum Carolus bona spe fretus ad oppugnationem Urbis copias compararet, insperatò repentè Veneta triremis adest. Ejus Præfectus Gilbertus Dandulus erat. Cretenses illum Magistratus miserant, ut quas à Senatu acceperant literas, ad Carolum perferret. Literæ verò quàm calamitosa, quàm permolesta significabant.

Decreti Senatus, quod in his continebatur, ea summa erat: Clodiam Urbem, quæ XX. & V. passuum millibus Venetiis abest, à Genuensibus occupatam; Venetam rem gravissimo in discrimine versari. Proinde properaret afflictæ patriæ opem ferre. Tam execrabili nuntio, ut par erat, perculsus Carolus, etsi non ignoraret, quanta celeritate foret opus, tamen quum secum agitaret animo, exhaustas omnino diuturnis belli sumtibus Venetorum vires, nec sinè re nummaria sustineri diutiùs bellum posse, quum extrema necessitate cogente plerisque Reipublicæ ferentibus opem, Senatus datus esset: maximè omnium saluberrimum fore censuit, quæ in Syria erant, Venetorum res educere, ut duplicato subsidio simul uno tempore indigenti succurreret patriæ. Itaque omissa Famagustæ Urbis expugnatione, citatissimo cursu Beriton profectus, merces efferri, onerarique his naves curavit. Illasque eo usque comitatus est, quoad sinè discrimine formidineque hostium tutò facere navigationem posse animadverteret. Inde quum patriæ calamitatis anxietas torqueret animum, rectà Venetias petiturus Rhodum venit. Fortè eo in loco Genuensium navis erat vastæ insolitæque, ea tempestate, magnitudinis: Bichignonæ illi auctores cognomentum indiderant. Nec quidem minus & hominum, & rerum copiâ videbatur gravis: quippe cui præter nautarum, sagittariorum-

A que, turbæque maritimæ multitudinem, ducenti ferè ex Genuensi Senatu, aut Senatores ipsi, aut Senatorum liberi inerant. Opum verò ac mercium tanta vis æstimabatur, prope ut excedat fidem. Qui ergo navi præsidebant, ut Carolum cum classe procul adventantem conspexere, è vestigio è portu solventes se pelago commiserunt. At Carolus ut rem cognovit, minimè à fortuna oblatam rei benegerendæ facultatem aspernandam ratus, triremes & ipse in altum duci jubet. Flabant fortè prosperi venti, quibus suffulta tanta moles tutò in pelagus ferebatur. Carolus quamquam levibus triremibus incommodior

B in profundum mare progressus sit, tamen arte discrimen vincens, magno animo navim insequitur. Diem unum atque integram noctem flantibus semper prosperè ventis, illi fugiendo, hi persequendo consumserant; jamque septuaginta passuum millia in mare prodierant, quum eo qui insequutus est die, sub primam lucem, venti quievere. Qui ergo spem salutis in fuga ventorumque flatu posuerant Genuenses, ut se spe destitutos, & immobiles redditos conspexerunt, quod reliquum erat, ad arma concurrunt. Carolus contra circum navim omnem triremes

C disponit, in prœliumque parat; dehinc nonnulla ad hortandos, inflammandosque suorum animos, erecta voce præfatur:

Res ipsa, inquit, etiam absque ulla cohortatione mea vos admonet, o viri, ut si vel alias umquam, hodierna die, magìs promto & accenso in certamen animo esse debeatis. Est enim vobis adversùm Genuenses acerrimos & crudelissimos hostes hodie prœlium. Hostes, inquam, qui ad extinguendum penitus Venetum nomen vires & studia converterunt. Qui classem Venetam paulò ante apud Polam Hystriæ, cum tanta Veneti sanguinis effusione, profligavere; qui Clodiam Urbem Venetæ finitimam & commodissimam occuparunt; qui Venetias quoque invadere conati sunt; qui liberos vestros, & conjuges trucidare, facultates diripere, patriam vestram servituti subigere, & ad internecionem delere; omnia ferro

D *igneque vastare, indefesso marte nituntur. Eos vos hostes hodierna die in manibus retinetis. Quos etiam ab immortali Deo eorum impietatis ultore, vobis ad vindictam oblatos puto. De his hostibus gloriosa vobis nunc victoria reportanda est. De his, si viri esse volueritis, triumphandum. Perstrenuè itaque, & impensiore cura vobis ne elabantur è manibus, insudandum est. Rectâ siquidem illi nunc Clodiam properant, ut suis, qui patriam vestram conantur evertere, conjungantur, delectas militum, & sagittariorum copias, auri, argentique, ac pretiosæ suppellectilis, omniumque rerum ingentem vim illis in supplementum deferentes. Quòd si illos nunc*

E *per socordiam & ignaviam elabi è manibus patiamini: quis non inertiam vestram calumnietur, quòd quos strenuè pugnando vincere valuistis, abire passi fueritis, ut eos patriæ, carissimisque pignoribus vestris, hostes insuper adjiceretis, periculosiusque redderetis bellum, audacioresque rursum eos experiremini? Augescet siquidem illis animos ignavia vestra. Congeretis ergo vos milites hodie, si dimiseritis eos, Reipublicæ vestræ graviores calamitates; & qui Clodiam occupavere Genuenses, animo, viribus, opibus confirmabitis, robustioresque ad patriam conculcandam reddetis; quippe qui talibus auxiliis communiti in Venetæ Urbis excidium potentiores &*

ferociores ruent. Quid enim nostra nunc auxilia proderunt Patriæ, ad cujus salutem, & liberationem tam studiosè properamus, quum quos disjunctos nunc profligare non valuerimus, eos tunc reliquæ multitudini conjunctos, rursum adversos habituri simus, & animosiores quidem mirum in modum ex vestra negligentia redditos iteratis prœliis experturi? Animadvertite, ne oblatam nunc rei benegerendæ facultatem spernatis. Frustra dehinc exquiretis, quod consequi aliquando valuistis. Vecordis est & dementis animi, quod vendicare haud difficulter queas, tunc prætermittere, ut aliàs majore labore ac periculo nanciscaris. Sera pœnitentia, & calamitas dehinc acrior hujus socordiæ præmia sunt. Agite igitur, o socii: vos hodie tanto labore atque dedecore liberate; patriam tanta difficultate; ne hostes vestri, qui ejus nunc cervicibus imminent, tanto solatio potiantur, efficite, vobisque gloriam immortalem, & opes effusissimas comparate. Locupletissimos enim hodierno die vos liberosque vestros in perpetuum felicibus auspiciis præsto, commilitones, si & virtutis vestræ, & hostilis impietatis, & patriæ salutis, ut optimos quosque decet, meminisse manu & animo volueritis. Et hostes quidem suæ temeritatis meritissimas daturos pœnas intueor; vos verò ad liberandam tanta ex calamitate Venetam Urbem, conjuges, & dulcissimos natos jocundo animo magna cum laude profecturos.

Hæc & hujusmodi pleraque quum promta, & elatiori voce monuisset, prœlii signum dari, & accendi certamen jubet. Insultant acriter Veneti, resistunt non dispari animo Genuenses. Telis, sagittis, jaculis, omnique missilium, & armorum genere utrinque certatur. Verùm quæ ex navi prodibant tela vehementiora erant, utpote ex superiori demissa loco, quum navis structura altior, longis & demissioribus triremibus immineret. Ceterùm tanta erat Venetorum virtus, & pugnandi peritia, ut situs difficultatem superaret. Eo in prœlio dum Carolus voce, manu, atque consilio (ut facto opus erat) rem gereret, ferreum jaculum ex navis altiori parte demissum in ejus pedem infixum est. Quo vulnere etsi graviter affectus, tamen & a pugna non discessit, & ab Imperatoris officio gerendo non destitit. Sed nec dum, pro temporis angustia, procurato vulnere, quum in prœlium redisset, rursum sagitta volitans in sinistrum Caroli oculum est conjecta. His duobus, lethalibusque ferè vulneribus ictus, quorum altero uno lumine privatus est; tanti tamen roboris atque animi fuit, ut à cœpto certamine non cessaret. At Veneti clade imperatoris obstinatiùs irritati, eo impetu in hostes accensi sunt, ut brevi Bichignonam, quamquam virorum, armorumque ferocitate ferventem redegerint in potestatem. Per eum modum capta Bichignona navis fuit, omnium illius ætatis amplissima, facilèque ditissima. Præda omnis militi nautisque concessa. Navem Carolus non finè difficultate ad Rhodum Insulam pertraxit, ibique igne injecto cremavit. Genuenses, qui ex prœlio vivi superfuere, captivos abduxit. Hæc quum mira celeritate peregisset, Patriæ memor, quum ægrè nautas prædâ onustos reduxisset in classem, inde solvens, per Cretamque, & reliquam Græciam faciens iter, in Adriaticum sinum magnis navigationibus pervênit; quippe quum dies noctesque continuas navigans nulli labori, atque periculo pepercisset. Nam etsi difficillimum anni tempus gravem & discriminis plenam navigationem redderet, tum profectò, quum Decembris ageretur mensis: tantâ tamen in navigando diligentiâ usus est, ut paucos admodum post dies, quibus à Creta solverat, Parentium Hystriæ accederet. Ibi Senatus literis compertis, quibus ut rectà Clodiam peteret imperabatur, omisso consilio in Patriam prodeundi, ad classem Venetam, quæ contra Clodiam erat ad diem Januarii primum, qui & anni dies primus habetur, felicibus auspiciis vênit; classemque suam triremium XVI. (tot enim ducebat) belli, & Reipublicæ usibus commodam, opportuno tempore attulit.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

INCI-

INCIPIT LIBER TERTIUS.

INgenti gaudio Caroli adventus Principem, Patres, Venetosque omnes, supremaque jocunditate affecit; desperatisque Venetis rebus salutem, contritis opem præstitit; Genuenses enim cum amplissima classe triremium ferè sexaginta Clodiam Urbem occupatam tenebant. Veneti obsidere illos adorti, classem, quæ pro tempore parari potuerat, longè tamen hostili inferiorem, circa Urbem disposuerant; aderatque Venetus ipse Princeps, qui ea tempestate præsidebat, dignus laude vir Andreas Contarenus, Senatusque omnis Venetus in classe erat; neque quisquam Venetiis superfuerat, qui armis valuisset uti. Plebs, & Patres omnes contra Clodiam dimicabant. Erant autem Venetis triremes dumtaxat XXX. Has inter se diviserant; ab ea enim parte, quæ ad mare spectat directè adversùm Urbis portum, Princeps ipse consederat, triremes habens XX. egressum inde hostilis classis prohibere posse confidens. Ab altera verò Urbis parte cum reliquis X. triremibus, Victor Pisaneus præerat. Ceterùm Genuenses, quorum cura omnis in evasione erat, edocti ab oppidanis, aquatica nonnulla itinera, & plerosque meatus invenerant, quibus, invitis Venetis, evadere quirent, & liberè in mare prodire. Jamque ad ea loca quadraginta triremes adduxerant, adducebantque in dies alias, nec dubium erat, quin irrita Venetorum redderetur obsidio. Est enim Clodia Urbs ferè omnis ad mare prospectans, ab Oriente, Meridie, atque Septentrione aquis cincta, ab Occasu dumtaxat in continentem vergens. Itaque quum hæc secum animadverteret Senatus, primùm omnium de pace cum Genuensibus agendum censuerat, missisque ad hostes Oratoribus, etiam iniquis conditionibus petierant pacem. Sed quum illi rejectis Legatis elato animo nihil de pace audire sustinuissent, tum maximè diu anceps Senatus, quid facto consultius foret, deliberabundus perstitit, variantibus propter rei difficultatem Patrum sententiis. Erant enim, quibus placeret, obsidione soluta, Venetias petere, quò hostes confestim proruptures intuebantur. Nonnullis verò minùs hæc sententia probabatur, propterea quod Venetiis extrema erant omnia. Rerum victui necessariarum inopia premebat Urbem, Annonæque, aut alterius cujuspiam commeatus vix quicquam inerat. Itaque alii Byzantium, Cretam alii, Eubœamque, nonnulli alia ad loca divertendum putabant. Quum hac inter se controversia versarentur, Senatusque apud Principem in classe esset coactus: obtinuit tamdem ea sententia, ut Venetias peterent. Itaque ut postera die Venetias unà omnes pergerent, Clodiâ Genuensibusque relictis, decreverant, non tam spe tutandæ Urbis, quæ omnino defendi non poterat, quàm metu premente, ne hostes priores irrumperent.

Hic status Venetæ Urbis, hæc erat fortuna rerum; quum patriæ salutem allaturus Carolus vênit. Itaque ut eum Princeps, Patresque conspicati sunt, è vestigio abeundi consilium immutarunt, ex pristinaque desperatione quasi lux optimæ spei Venetis omnibus suboriri visa. Dies ergo illa hinc alacritate ingenti, inde plurimo dolore transacta. Nam & Venetis lætitiam singularem, hostibus contra mœrorem gravissimum attulit, utpote suas incassum jam tendere artes prospicientibus, quum & obsidioni, & aperto congressui jam Venetis ex Caroli classe vires suppeterent. Sed nihil profectò in rebus tam jocundum est, cui immixta non sit raptim tristitiæ pars: adeò humana omnia contrariorum quædam vicissitudo versat. Postera siquidem ut illuxit dies, tanta repentè maris tempestas oborta est, ut ventorum turbine, maritimisque fluctibus fervescentibus universa Veneta classis ferè dissiparetur. Triremium enim plurimas vis ventorum ac maris usque adeò distraxerat, ut huc illucque quò volveret impetus, veluti errantes per æquora ducerentur. Pleræque verò fractis retinaculis in continentem præcipites impactæ sunt, in fragmentaque discerptæ. Nec consistere suo loco, aut in anchoris retineri ulla triremis poterat; totaque passim fluctuabat classis. Nec ab extremo periculo aberat res. Genuenses ad occasionem rei benegerendæ intenti, & de sua liberatione anxii, ut tanto in discrimine versari classem Venetam conspexerunt, sectari fortunam, eruptionemque facere statuêre. Turris erat lignea hostibus adversa ad Clodiæ Urbis ingressum, ubi nunc lapidea arx ædificata conspicitur. Eam Veneti erexerant, militibusque munierant; ex illaque sæpe numero adversùm hostes decertabant, non parumque detrimenti inde inferebant hosti. Hanc quoniam infestior, & propinquior imminebat, & peropportuna obsidioni, obsessis adversa erat, primo egressu expugnare adorti Genuenses, ad id scalas, balistas, omnifariamque expugnationis machinas Urbe extulerunt. Qui præerant milites Veneti conterriti novitate rei, & à classe auxilium efferri posse diffisi, non parva in formidine versabantur; nec erat ambiguum, quin potiri eâ Genuenses possent. Princeps Venetus, etsi calamitosâ procellâ agitaretur, non tamen fractus animo, ut rei periculum intellexit, quoniam neque vocis, neque nuntii, ob imbrium acerbitatem dabatur facultas, Carolo ut turri succurrat signo nautico imperat. Carolus impigrè tribus triremibus ex sua classe delectis, superata ventorum ac maris ferocitate, ad hostes properè fertur. Priusquam cum suis egrederetur triremi, perturbare illos ratus, ad eam partem, qua egressum ex Urbe hostes habebant, triremes ducit. Inde ad jacula sagittasque conversus, jacere omnes profusè jubet. Prodibant ex hostibus continuò plurimi, qui subsidio ad suos properabant contra turrim certamen agentes: hi sagittarum sic excipiebant ictus, ut pauci admodum prolaberentur intacti. Qui ergo prœliabantur ad turrim, quum ex suis vulneratos ad se concurrentes conspexere, lentiùs rem gerere, frangique animo, & ut fit, alieno exemplo de sua & ipsi salute soliciti formidare cœperunt. Quorum ut primum ani-

animorum ardorem tepefactum Carolus vidit, è vestigio cum robustorum manu triremi egressus turrim ingreditur. Trepidaverant qui in præsidio erant milites, & vix se se continere videbantur. Primùm itaque omnium verbis eorum confirmare animos adortus, adeò præmii pollicitatione, omnique cohortatione erexit, ut etiam ad invadendos hostes incenderentur. Tunc itaque referari turris portas jussit, & in hostes magno impetu irrui. Gratè excepta sententia est. Nec mora: patefiunt fores, tollitur in cœlum clamor. Raptim accedente Carolo Venetus in hostes invehitur. Neque sustinuit irruentium impetum Genuensis, sed fugæ se omnes celeri cursu dediderunt. Eos Carolus insequutus quum plurimos occidisset, suos ad stationem victores reduxit. Genuenses verò quum Urbem ingredi properarent, ab iis, qui in triremibus erant, sagittis primùm confossi sunt, paucique ex his illæsi in Clodiam evadere potuere. Per hunc modum eo die à gravi periculo res Veneta defensa est. Carolus salvis omnibus quum ad classem rediisset, à Principe Patribusque laudibus & gloria est celebratus.

Ceterùm quum Venetorum omnis in eam maximè partem insudaret cura, ne hostili classi libera in mare prodeundi facultas foret; neque antea satis communiti septique aditus essent paucitate triremium, Carolum ad custodiam ejus, qui diversa à Clodia regione est, portus, cui Brundulo vulgò nomen dicunt, observare Senatus decrevit. Nam etsi ad eam partem Victor Pisaneus præesset, triremesque decem haberet, contemnendus tamen multitudini hostium exiguus hic numerus erat; nisique majori præsidio muniretur locus, nihil actum videbatur. Ceterùm anxia solicitudo premebat animum, quonam pacto penetrare Carolus ad destinatum locum quiret, hostibus continentem omnem occupantibus, diligenterque portus observantibus fauces. Erat enim in loco templum quoddam Christiana religione Michaëli Archangelo dedicatum. Hoc Genuenses communierant, magnaque sagittariorum vi adhibita, inde portus ingressum prohibebant. Sed ubi animus præsens est, nihil esse non pervium potest; neque virtuti iter deest; neque tam altum quicquam, quò virtus non possit eniti. Carolus quippe sumtis, quæ sibi decretæ fuerant, triremibus, etsi magni esset res discriminis, ingenti tamen animo per medios hostes, per tela, per sagittarum, bombardarumque ictus, primus in portum evasit. Eum nonnullæ ex iis, quas adduxerat, sequutæ sunt triremes, non sinè periculo detrimentoque. Qui verò postremi sequebantur triremium Præfecti, rei gravitate perterriti, prætergredique non ausi, ad portus ora maritima substitere. Sed illos noctu cum levibus navigiolis Genuenses adorti, triremem unam expugnatam ceperunt: reliquæ fugâ saluti suæ consuluere. Vix tertiamdecimam diem eo in loco persolverat, quum noctu ingens horribilisque turbo exortus, Carolum in execrabilem perniciem, extremumque ferè discrimen impulit. Siquidem usque adeò vehemens vis maris, venti, fluctuum, procellæque repentè prorupit, ut triremis retinacula, quamquam firma, solidissimaque, ingruens tamen imber infringeret. Quibus soluta quum rapta turbinis impetu in omnem partem aliquandiu circumferretur, tamdem in proximæ arcis fundamenta detrusa est. Imminet siquidem portui valida satis lapidea turris, quam tracto à portu nomine, Brunduli arcem vulgares appellavere. Eam Genuenses tenebant, præsidioque munierant. Qui ergo arci præerant milites, ut Venetorum triremem esse cognovere (neque enim id ex vocibus, clamoribusque nautarum in tam pernicioso naufragio difficilè erat intelligere) pila, saxa, ferreaque jacula, plurimamque omnis generis materiem supernè volvere, jacereque cœperunt. Carolus, & qui suberant Veneti, perniciosa calamitate pressi, innumerisque icti vulneribus, nec quid agerent, nec quò se verterent, satis constituere poterant. Clamore enim hinc se tueri, hinc abire jubentium, dissonæque tumultuantium voces cœlos etiam penetrabant, pæneque omnem aurium usum abstulerant. Neque in gubernatoribus quoque quicquam operis erat, quorum nec exprimi vox vario furentium fremitu poterat, nec audita servari, territis in tanto tumultus fervore omnibus, & per triremem passim incompositè debacchantibus. Et accedebat non levius malum caligo majorem in modum tetra, densissimaque, cujus opacitas tanta erat, ut nec mutuò se se mortales cernere quirent. Itaque neque desuper fulminata tela, & jacula poterant intueri, nec irrumpentia quoquò pacto vitare. Fracti erant omnes animis, neque certius consilium occurrebat, quàm ut hostibus se se permitterent. Hæc sententia, hæc tamdem vox una omnibus erat. Nam nec modus ullus apparere videbatur, quo inde divelli triremis posset, & opaca nox, & densa caligo agendorum omnium rationem obtenebrabat. In hac tanta desperatione rerum, neque animus Carolo, neque consilium defuit. Sed solus omnium infractus interritusque, quum quoad ejus fieri poterat, in tanto tumultu, manu, ense, vocibus, atque omni arte maritimam turbam à miserandis clamoribus prohibuisset, quod viribus non dabatur, ingenio eripere ex hostium telis triremem aggreditur. Perito siquidem nauticæ rei, probatæque virtutis homini ad se accito imperat, ut ad Venetorum stationem, quæ ad oppositam turri regionem erat, raptim adnatet, captamque de triremi funem, quam antea ad hoc devinxerat, ad eos perferat, signumque dari trahique omni conatu triremem docet; in hunc quippe modum, si unà omnes incubuissent, liberari illam posse. Pecuniam se nautæ copiosè daturum, si id impigrè fecerit, pollicetur. Id muneris quum è vestigio nauta nandi peritissimus persolvisset, qui aderant in statione Veneti, studiosè opus adorti, signo dato, magno impetu omnes retinaculis incubuerunt. Jamque liberari triremis cœperat, pedetentimque magìs magisque hostilibus ex telis elabebatur. Turba quoque triremica Caroli cohortatione accensa pro virili ferente opem, ex mœroreque lætitia, ex desperatione spes suboriri cœperat.

Enimvero actiones humanæ haudquaquam omni ex parte esse felices queunt. Tum siquidem raptim stridens sagitta (miserabile dictu). Caroli gutturi ad lævam partem infixa est. Qui etsi perniciosus lethalisque ictus foret, tanta tamen erat Carolo liberandæ triremis

remis anxietas, ut nihilo magìs motus, necdum quoque procurato vulnere, exequi cœptum opus contenderet. Vigebantque adhuc, quæ proximè in Bichignonæ navis expugnatione pertulerat, vulnera; nondum quippe obduci his cicatricem temporis angustia passa erat. Itaque sagittam adhuc gutturi gestans infixam, quum triremem pro rerum opportunitate percurreret, utriusque atrocitate vulneris deficiens, ad medium ferè triremis collapsus concidit, in patefactosque, qui ad id loci esse solent, fores corruit præceps. Eo casu quum plerique nautarum accurrissent, ex his unus, quod factu rebatur optimum vi raptam ex gutture sagittam eximens, ut bono esset animo Carolus, hortabatur, quòd integram extorsisset. Ceterùm medela confestim in perniciem versa est. Tanta siquidem repressi vis sanguinis, qui sagitta prohibente egredi non poterat, confluxit in vulnus, ut redundantiâ ipsâ exitu prohibito spiritus comprimerentur, voceque omni, & fandi facultate amissa, res propior extremo periculo facta est. Sed strenuas mentes nunquam deserunt superi. Neque enim destituerat eum ratio, animusque vigebat. Itaque quum voce non posset, nutu & manu circumstantes admonuit, ut provolutum se in caput verterent. Quod quum illi effecissent, qui per angustos meatus elabi non potuerat sanguis, ad latiores gutturis exitus fluere liberè cœpit. Cujus quum vim ingentem ferè compressam evomuisset, fandi restituta facultas est. Tanta tamen est lassitudo insequuta, ut pæne redderetur exanimis. Itaque & Sacerdotem acciri, pœnitentiæque absolvere munus religioso ritu voluit, non de animi minùs, quàm de corporis salute solicitus. Princeps Venetus, ut de miserabili Caroli clade pernotuit, incredibili mœrore confectus, unaque cuncti Patres, quotquot artis eximiæ Medicos, exacta pervestigatione, comperire potuerunt, raptim Carolo transmittendos curavere. Illi igitur ut vulnus perlustraverunt, remque omnem ut gesta erat, ab initio didicere, mortiferum quidem opinabantur, neque in classe curari Carolum posse. Verùm si Venetias duceretur fore salutis spem. Id Princeps ipse per nuntios literasque monebat; id quoque Patres omnes supplices precabantur. Ceterùm tanta fuit Carolo patriæ caritas, ut quamquam extremo in vitæ discrimine constitutus, nec precibus, nec minis, mortisve terrore imperare sibi potuerit, ut classem, ac bellum desereret; sed gratias agens Principi, Patribusque respondit. Non se talem civem esse, qui in tanta patriæ calamitate in Urbe malit, quàm in castris exstingui. Sed præstare sibi, idque fidem suam erga patriam decere, in classe apud ceteros mori, quàm absentem de salute certare. Affuit tamen divina pietas, & tametsi vulneris gravitas minaretur interitum, vix ad vigesimum diem saluti redditus est, non sinè ingenti omnium admiratione, Medicorumque potissimùm, constanter asseverantium, si alteram gutturis partem sagitta ad capilli dumtaxat latitudinem attigisset, nullam prorsus salutis spem esse potuisse.

Inter hæc Genuensium assiduus obsidionis mœror premebat animos. Quippe nihil est miseris mortalibus libertate dulcius; quanto magìs careas, eam avidiùs appetas necesse est. Itaque quum emergere in lucem, ex eaque anxia servitute liberari exarderent, novas excogitaverant artes, quibus in mare aditum struerent. Quod enim Veneti portus diligenter septos intentiore tenerent cura, nec ulla inde post Caroli adventum evadendi appareret spes, inter mediam litoris planiciem fodere constituerant, eoque pacto accessum ad mare, quasi novum quemdam portum efficere. Ejus rei gratiâ tres turres ligneas per litus excitarant magnoque militum præsidio communierant. Nam qui per ea tempora Paduam in ditione tenebat Franciscus Carrarius, Venetorum tunc hostis, Genuensibusque devinctus fodere, ex suis quantum opus erat abundè militares subministrabat copias, auxiliisque eos, & commeatu juvabat. Omnisque mediterraneus aditus in potestate hostium erat, ex quo Genuensium res non parum erectior, Venetorum verò longè deterior videbatur reddi. Nam qui ex Pado subducebantur ad classem Venetam, ad Urbemque, commeatus facilè ab hostibus intercipi poterant, classemque inopia ingens, Urbemque premebat. Terrestris præterea nullus erat Veneto miles, quo congredi adversùm hostes, aut prohibere litoris arenæque defossionem quiret. Quare formidabile id quidem visum, neque ullo pacto liberam litoris possessionem hosti permittendam. Sed utrique succurrendum morbo, militaresque copias comparandas fore. Id quum insitum ferè omnium animis videretur, re ad Senatum delata, frequentibus sententiis decretum est, ut exercitus inscriberetur. Sex militum millia inscribi placuit. De Imperatore quoque, qui his præesset copiis, deque militum mercede consultatio habita. Johannes Aucutus, qui ea tempestate rei militaris peritissimus habebatur, celebri fama vir, imperator delectus. Idque indultum, ut quamquam nullus fore videretur equorum usus, mercedem tamen integram consequeretur miles. Tanta verò fuit inquirentium inscribentiumque diligentia, ut paucis admodum diebus, postquam Senatus decretum promulgatum erat, copiæ omnes in Philistinæ consisterent litore. Abest autem locus à Clodia decem passuum millibus, Insulæ cujuspiam referens speciem, quòd mari ferè undique circumclusus sit. Eò enim navibus afferri milites, quoad Imperator adesset, Senatus decreverat. Genuenses, ut hæc eis perspecta sunt, tametsi plurimis à Paduano Principe, ut diximus, auxiliis adjuti, novas tamen ipsi quoque cogendas copias, ne Venetis cederent, decreverunt, lanceatosque milites octingentos, reliquos mille quingentos inscripsere. Hi omnes Patavii descripti, quoniam liber aditus erat, inde Clodiam rectâ profecti sunt. Hos novo delectu præter Carrariensium copias, quas magno numero habuerant, mercede comparavere; exercitui verò præfecerunt Thomam quemdam equestris ordinis Guanâ familiâ Genuensem. At Senatui Veneto vehemens delecti Imperatoris solicitudo inerat, ejusque rei gratiâ duos ad illum Senatores transmiserat, qui ejus adventum accelerarent. Copiæ siquidem omnes coactæ in Philistinæ litore consistebant, eratque sinè duce exercitus, nihilque magìs coactis copiis, quàm impera-

perator deerat. Ceterùm res aliquandiu dilata, incassumque, non sinè gravi & dolore & admiratione omnium, dux expectabatur, creberrimique rumores irrepserant; eratque ferè celebris vulgò vox, illum pecuniâ corruptum non venturum. Itaque Senatus in suos jam mente conversa decrevit, ut Veneto Civi exercitus cura interim demandaretur, quoad designatum imperatorem venturum, necne, exploratum foret.

Frequentes Patres quum convenissent, ad hoc munus Carolum delegerunt, ea conditione præscripta, ut Johanne Aucuto detrectante imperium (quavis id causa contigisset) coacti exercitus Carolo imperium foret. Vix id palàm prodierat, & velox repentè nuntius affuit, gravissimam inter militares coactas copias seditionem exortam, digladiarique invicem omnes, atque in armis esse; siquidem qui Italici generis erant, cum Germanis Gallisque (plures enim ejus aderant generis) in perniciosam controversiam inciderant; & post abactam vicissim prædam de vita inter se, & sanguine dimicabant, omnisque passim furebat exercitus. Senatus rei gravitate permotus mox Carolo imperat, ut nullâ intermissâ morâ repentè ad copias advolet, fluctuantibusque consulat rebus. Literas Magistratus, & mandata simul exarari jubet. His acceptis Carolus ex classe jam ad castra, ex maritima in terrestrem militiam transiturus, armis repentè induitur, paucisque sociis comitatus celeri cursu Philistinam fertur. Dici vix, scribive potest, quàm furibundo tumultu ille tunc debacchabatur exercitus; ubique clamor, impetusque insultantium ferientiumque. Una ferè vox omnibus erat vindictam sanguinemque proclamitantium. Fremitu armorum, hominumque cœlum & litora resonabant. Carolus in hoc tam ancipiti malo, consilio utendum ratus, frequentes spargi rumores in vulgus, adesseque Imperatorem passim nuntiari promulgarique jubet. Canere tubicines, acciríque ad se milites concionem audituros. Ea vox ubi primùm accepta est, adeò furorem omnem compescere visa est, ut quasi ex turbulenta procella serena tranquillitas redderetur; repentèque ad eum concursus omnium ordinum fieri cœptus. Querelas singuli suas detulere. Alii jus dici, alii ultionem fieri flagitabant. Tum Carolus in eos versus quum pluribus nunc minis, terroribusque, nunc verò molliori oratione patrati illos gravis erroris increpitasset, amotis reliquis, principes factionum alloquuturus, quòd ab his summa rerum pendebat, sistere apud se jubet. Erant ex his plerique, qui aliis in expeditionibus sub Carolo militaverant, illique non vulgari familiaritate obstringebantur. Affatus ergo illos, qui vinculo Reipublicæ Venetæ devincti sint, quo illam in periculo constituissent commemorat; qui magnis affecti præmiis vix tum adscripti militiæ, tam perniciosam excitarint seditionem. A detestabili initio eos traxisse originem. Contemtibile suæ probitatis documentum dedisse. Oportuisse eos & gravitate, & prudentia eo præsertim tempore uti, nec tam levi motu, absente imperatore, ad intestina prœlia prorumpere. Nullum esse majus vecordis indicium, quàm temporum locorumque rationes non libratè pensare. Probatæ virtutis esse constanti animo ferre injurias, neque leviter arma corripere. Decuisse illos Imperatoris adventum dissimulando præstolari. Neque Rempublicam de ipsis benemeritam, mœstam suo facinore, hilares reddere hostes. Ceterùm errata increpari quidem posse, corrigi verò minimè; quippe quum mortalibus insita iniqua conditio sit, ut minus gerenda, quàm gesta prospiciant. Quæ autem jam acta sunt, ut facta non sint, rerum natura non patitur. Itaque quod reliquum est, ad opportuna morbis conferenda remedia recurrendum esse. Nullo autem pacto satiùs mederi morbo posse, quàm contrariarum usu rerum iis, quibus morbus ipse conflatus est. Bello igitur pacem, amicitiam inimicitiæ, odio amorem, dissensioni concordiam esse contraria. His virtutibus ea vitia pelli. Nunc ergo ut concilientur animi, remittantur injuriæ, controversiæ sibi uni imperatori & judici brevì rectè finiendæ permittantur, procul dubio opus fore. Senatum siquidem has intestinas dissensiones ferre pergraviter; neque enim nisi conjunctos animis sibi illos usui futuros animadvertit. Itaque Venetæ saltem Reipublicæ, cui semet suaque omnia debent, has omnes animorum contentiones condonandas videri. Reliqua, ut æquum est, sibi curæ futura.

Hæc atque hujusmodi plura monendo suadendoque tantum apud eos valuit, ut mensis inter partes sanciret inducias, & priusquam inde eorum quisquam abscederet, concitatos hoc pacto raptim tumultus sedaret. Quibus in hunc modum gestis, quum ad controversias quoque radicitus extinguendas, ineundamque pacem Carolus intenderet animum, quarta dehinc die certior Senatus est factus, Johannem Aucutum, quem primo loco exercitui imperatorem designarat, omnino imperium abnuisse, Venetorumque detrectasse stipendia. Sic enim missus ad illum Orator rediens referebat. Quare ut antea decretum erat, Carolum Princeps, Patresque imperatorem declaravere, præesseque exercitui libera potestate jusserunt. Ceterùm propter temporis angustias, ærariique tenuitatem, ut sinè stipendio Reipublicæ deserviret, Patribus est visum. Tam gravi itaque onere præditus, quum quantum calamitatis intestina afferre dissidia soleant, secum ipse animadverteret, operæ pretium duxit, in id potissimùm intentiore cura incumbere, ut perpetuâ concordiâ exercitus pacaretur. Ardua erat res, & operæ laborisque plurimi, quòd altera partium detrimento affecta instaurationem fieri postulabat; ab altera verò nihil omnino excerpi poterat, & sinè re nummaria sanciri fœdus nequibat. Enimvero unde pecuniæ contraherentur, satìs diuque cogitanti non apparebat. Hac tanta in periclitatione rerum non consilio modò Carolus, sed virtute opus fore ratus, Senatui rem aperit. Persuadet literis, nuntiisque, ne rem tantam, tam salubrem, tamque necessariam negligat. Imminens discrimen ante oculos ponit. Salutem tanti vulneris ut modico ære mercentur, quibus potest precibus orat. Se æqua cum Republica Veneta hac in re onera partiturum pollicetur. Sibi quidem cordi esse ex propria re familiari quingentos aureos læso militi instaurationi ac dono dare. Si tantumdem erogare Senatus voluerit (nihil

hil enim magis petere) sperare se pacem perpetuam in exercitu firmaturum. Senatus, etsi inopiâ plurimâ premebatur ærarium, Caroli tamen liberalitate convictus, ne inferior cive Res omnis publica videretur, Caroli suasionibus assensus est. Utque quingenti ex ærario ad pacem conficiendam aurei depromerentur decrevit. Eos quum accepisset Carolus, suos quoque gestans manibus, evocari ad se primores militum, exercitumque omnem jussit. Quibus quum dulci blandaque oratione Senatus Veneti, suamque itidem in illos benivolentiam pietatemque declarasset, læsisque nummario munere fecisset satis, usque adeò omnes demulsit, devinxitque, ut pax inter omnes inviolabilis sanciretur, nec ad belli exitum vel mediocris verborum contentio ex hujuscemodi causa deinceps excitata sit.

Pacato in hunc modum exercitu, intestinisque dissidiis non sedatis modò, sed prorsus extinctis, quum ductorum & militum animos in mutuam invicem benivolentiam conciliatos cerneret, ut aliquid jam adversùm hostes moliretur, opportunum fore tempus censuit. Tutò siquidem posse in Genuenses nunc demum milites ducere, quum domi jam esset parta concordia. Itaque paratis navibus quum exercitum imposuisset, trajectis quæ Philistinam & Clodiam interjacent maris faucibus in aliud litus, quod ad Clodiam spectat, ubi Veneti & turrim ligneam, & stationem habebant, copias exposuit. Nonus tum Februarii dies erat, quum ad Januarii Calendas (quod supra memoravimus) Clodiam, & classem Venetam attigisset. Jamque animus magni polliceri aliquid videbatur, protinusque in hostes tendere, mente conceperat. Quare ut primùm in litore expositæ copiæ constiterunt, quum curandis corporibus, armisque parandis incumbere reliquos monuisset, ipse parva sagittariorum dumtaxat assumta manu per litus, quod ad minorem Clodiam ducit, tentandi, explorandique gratiâ iter aggreditur. Haud procul campanaria turris erat. Eam Genuenses occupaverant, & militum, sagittariorumque valido præsidio communierant. Et quamquam nec scalas, nec machinas expugnationi aptas attulerat Carolus, neque miles quisquam, nisi sagittarius adesset sibi, tentandos tamen eorum, qui in turri erant, animos arbitratus, prœlium inchoari, sagittas profundi jubet. Qui inerant hostes, etsi pro viribus resisterent, à sagittarum tamen multitudine plurimum lædebantur. Quum aliquandiu prœliatum esset, plurimis hostium cum extinctis, tum vulneratis, receptui jam cani jusserat, ciboque refici milites cupiebat. Raptimque tum velox accurrens nuntius, ad majorem Clodiæ turrim fumo signum datum esse significat. Quum secum quidnam rei foret pervolveret animo, nuntius item alius adest, & à diversa regione ad Brunduli turrim fuisse quoque fumum conspectum refert. Id ubi accepit Carolus, aliquid moliri adversùm se hostes è vestigio suspicatus, evocari militum duces, cogi copias, pararique ad bellum, & in armis esse exercitum jussit. Ubi frequentes advenere, quum à duabus partibus accessum ad se fore hostibus animadverteret, bifrontem aciem instruit. Adversùm enim eos, qui ex majori Clodia

A proficiscebantur, Anglicos, Gallicos, Germanosque omnes opponit. Contra illos verò, qui ex Brundulo per apertum litus irruerent, Italicorum robur locat. Ipse medius cum sagittariis, domesticisque militibus, utrisque auxilio futurus substitit. Vix hæc instruxerat, quum utrinque hostes apparuere, alii à Clodia, à Brundulo alii elatis in cœlum clamoribus properantes. Enim verò dispar adventantium ratio erat. Siquidem hi, qui à Brunduli regione faciebant iter, libero, apertoque cursu per expeditam litoris planiciem irruere, instructisque semper aciebus catervatim, obsistente nullo, invadere Venetos poterant. Ad alteram verò partem

B aquæ inerat alveus non angustus, ponsque desuper latitudine haud exigua. Itaque à Clodia profectis pons medius detrimenti plurimum hostibus afferebat. Non enim turmatim acie structa pontem transire quibant, in Venetosque impetum facere; sed paucis simul prætergredientibus, tum postea in ordinem redigendi, instruendaque acies erat. Quod ubi Carolus animadvertit, elatus ingenti victoriæ spe, plurimis ex his, qui media in acie cum ipso substiterant, ad Italicorum robur adjectis, ipse cum reliquis se Germanis adiunxit; accitoque ad se Anglico ductore Guilielmo, quem cognomento Coquum nuncupabant sui, quòd inter primos

C ejus virtutem probitatemque expertus norat, de re gerenda, hostiumque adventu pleraque communicato consilio est colloquutus. Itaque ejus quoque mente perspecta, quum secum in sententia convenire illum intellexisset, concione advocata, hujuscemodi oratione milites hortari adoritur:

„ Non sum hodie apud vos verba facturus, commilitones, quo vestros magìs in
„ hostes accendam animos, neque ut ad pu-
„ gnam acriùs irritem; sed ut victoria insi-
„ gni ante oculos posita lætos vos reddam,
„ ad eamque alacriter capescendam non
„ tam exhorter, quàm manu ducam. Quo-
„ rum alterum supervacaneum censeo. Quid

D „ enim currenti calcar adjiciam? Opportu-
„ num verò reliquum, ut non solum egre-
„ giè dimicandi rationes suggeram vobis,
„ sed vincere vos, vincendique modum do-
„ ceam. Felicibus auspiciis hodierno die
„ induimus arma, commilitones, Supe-
„ ri cœptis favent. Immortali Deo volente
„ juvanteque victoria nostra est. Hostes
„ quippe nostri, aut militarium artium ru-
„ des omnino & imperiti sunt, aut con-
„ cepta fraudantur fide. Circumvenire nos
„ credidere, & noctis in medio, levi mo-
„ mento potiri, attonitos nos fortasse opi-
„ nati, aut captos luminibus, qui eorum

E „ adventus & capescendi prœlii rationes
„ haudquamquam perpenderemus. Sed raro,
„ commilitones, ex voto succedere consilia
„ solent, quæ minùs recta ratione digesta
„ sunt. Videtis siquidem nunc illos sensim
„ vicissimque pontem transire; neque enim
„ ab ulteriori ripa in hanc contendere ad
„ nos alio pacto queunt. Suntne adeò men-
„ tis vesanæ, ut nos hìc quieturos perpetuò
„ putent, & integram diem incassum operi-
„ turos, quoad copiæ illorum prætergressæ
„ omnes sint, structæque ab his acies, & or-
„ dinum contexta integra series? Impiis
„ profectò, & injustis ausibus semper adver-
„ san-

„ fantur Superi, & quorum actiones abhor- A
„ ruere, mentes obnubilant. Falluntur sanè
„ corrupto judicio de vestra, commilitones,
„ prudentia decernentes; & eorum vel er-
„ ror, vel imperitia virtuti & consilio ve-
„ stro gloriam pariet. Vos enim paulisper
„ quieti eritis, quoad pars copiarum in ci-
„ teriorem confluat ripam. Interim silen-
„ tium agentes, ne loco quidem cedetis.
„ Ubi verò adesse tempus cognovero, soli-
„ tumque protulero signum, tunc clamore
„ sublato, promto animo in hostes irruite,
„ & integri disjunctos, ordinati inconditos,
„ multi paucos profligate. Si viribus & ar-
„ mis utantur, trucidate. Si fugam, quod
„ magìs opinor, dederint, tergis inhærete, B
„ nec eorum quemquam elabi è manibus pa-
„ tiamini. Suppetias afferre non poterunt
„ sui, altitudine alvei, & pontis angustiâ
„ deterrentibus. Aut igitur se aquis credi-
„ turi sunt, aut in vestras declinaturi ma-
„ nus. Si intentiore cura incubueritis, nec
„ unum ex his evasurum salvum confido.
„ Cumulata sanè victoria non esse non po-
„ terit, quam & auspicia divina, & matura
„ consilia, humanæque afferent vires. His
„ autem hoc pacto profligatis, facilè illos
„ quoque, qui per litus à Brundulo veniunt,
„ si accesserint, superabimus, quod hujusce
„ partis victoria consternatos illos reddide-
„ rit, vobis verò efferatiùs auxerit animos. C
„ Quamquam mea quidem sententia sit, de
„ salute fugâ paranda, quàm de conserendo
„ certamine illos magìs consilium habituros.
„ Ita gloriosam, commilitones, palmam
„ omni ex parte reportabimus, Venetæque
„ Reipublicæ hactenus pæne destitutæ, tan-
„ tisque affectæ cladibus, respirationem cu-
„ mulatissimam afferemus: Urbem Venetam
„ ab imminenti horum terrore hostium li-
„ berabimus, ex victaque pæne victricem
„ reddemus. Quo enim in statu Venetæ res
„ hactenus fuerint, atque etiam nunc sint,
„ commilitones, prospicitis. Exhaustæ opes,
„ commeatus interclusi, vires exinanitæ; Ve-
„ neta Urbs toto semper orbe percelebris
„ squallida nunc, & ferè deserta jacet, D
„ orbata civibus, commeatibus vacua,
„ facultatibus nuda; ejus cervicibus im-
„ minet hostis, in illius excidium exardens
„ animo. Quidquid maximi roboris est, id
„ in vobis potissimum, commilitones, in
„ vestra virtute consistit. Ab hoc prœlio
„ Veneta pendet salus. Si, quod Deus omen
„ avertat, superaverint hostes, actum de
„ rebus Venetis est. Quippe & liberè in
„ mare prodire, & impetere Venetam Ur-
„ bem truces poterunt, nec jam nobis ex
„ classe vel humano quovis præsidio spei re-
„ liquum erit. Si vicerimus, non prœlio
„ modò, sed bello vincemus. Hæc dies, E
„ hæc pugna & hostium ausibus, & bello
„ felicem exitum dabit. Neque enim res
„ humanæ pari semper cursu fluunt; nec
„ fuit umquam tam turbida tam perniciosa
„ procella, quam aliquando tranquilla sere-
„ nitas sequuta non sit. Arridere hactenus
„ fortuna visa est Genuensibus, Venetis ad-
„ versari rebus: nunc iam æquum est, ut
„ vice versa grata & propitia nobis, illis
„ reddatur infausta; & temerarios eorum
„ ausus supplicio & pœnitentia vindicet.
„ Neque quidem aliter pro immortalis Dei
„ inexhausta pietate futurum autumo, fruor-
„ que hac concepta spe, & pæne certa fide,
„ quam & vobis communem fore pro jocun-
„ ditate vestra, commilitones, censui. Ite
„ itaque, & vestros pro officio servate or-
„ dines, & ad ea, quæ monui, promti in-
„ tendite animum.

Hæc dicente Carolo, interim pertransibant, utcumque poterant, pontem hostes, succedebantque aliis alii, à Clodiaque continuò recentes insequebantur. Jamque non mediocris eorum pars in planitie constiterant, & operientes reliquos se se in aciem disponebant, inireque parabant prœlium. Veneti silentium agentes quieti erant, horroremque de industria simulabant. Tum Carolus opportunè tempus fore ratus, signum dari, canere tubicines, clamoresque attolli jubet. Primi Anglici horrendis sublatis vocibus cursim in hostes irrumpunt. Insequuntur ceteri, non dispari animo, clamoreque; conserturi manum omnes in hostes properant. Hortatur Carolus, acceditque animos, signaque afferri promtiùs jubet. Tela jaciunt Veneti, hastis & ensibus acriter certant. Genuenses, qui spem omnem in circumvectione locaverant, maximèque sperarant nactum in medio facilè vinci Carolum posse, simulque ex silentio Venetorum illos primùm formidare crediderant, ut ingenti sublato clamore irrumpentem Carolum conspexere, consternati animo de fuga, quàm de prœlio magìs cogitare cœperunt. Vix itaque primo impetu perlato, quum Venetorum ferocitatem intuerentur, seque spe fraudatos, impares quoque congressui animadverterent, quòd non exigua exercitus eorum deerat pars, nostrorum quidem vix faciem sustinere. Sed Venetis efferatiùs imminentibus, eorumque plurimos prosternentibus, tum passim vertere terga, & ad suos, qui adhuc ultra pontem erant, fugam repentè capessere properarunt. Nec tamen eo pacto Caroli & Venetorum manus evadere valuere; sed in alias insuper perniciosissimas difficultates inciderunt. Siquidem propter pontis angustiam simul omnes prætergredi non poterant, sed compresso gradu succedere pedetentim oportebat. Incommodum quippe accedebat gravius, quod qui continuò ex hostibus adventabant, in hos impacti, atque in illos isti invicem distinebantur. Carolus, & sui, accenso animo, acriter tergis hostium inhærentes, nunc cædebant plurimos, nunc perniciosis ictibus afficiebant. Ceterùm tanta erat fugientium multitudo, perarduusque fugiendi modus, ut quamquam in ea salutem hostes locarent, à suis tamen magìs, quàm à Venetis ne progredi possent prohiberentur. Sic enim se constipaverant, compresserantque, ut nec fugientibus advenientes, nec primis ultimi recessum permitterent, sed perstare fixi, ferèque immobiles compellerentur inviti. Miserabilis verò erat ad pontem strages. Tanta enim ad illum hostium multitudo congesta est, ut impellentes invicem in subjectum aquæ alveum se detrudere cogerentur. Tandemque quum vim tantam ferre non quiret pons, adeò gravi pondere compressus est, ut violentiâ tignis diruptis, ingenti edito fragore, pons ipse perfringeretur. Tunc verò graviora prioribus superaddita mala sunt, tantaque est

est calamitas insequuta, ut dicere quis, vel audire perhorreat. Multitudo enim ingens, quæ in ipso ponte compressa perstabat, simul ut repentè confractus corruit, tota præceps in subjectas aquas prorupit, partimque undis submersi, partim tignorum fragmentis contriti, partimque suorummet pondere pressi interiere. Nonnulli quum nandi peritiâ agiliore corpore ex aquis emersissent, ut in ripam prodire voluerunt, à Venetis cæsi. Fortè inter reliquos Genuensis exercitus imperator Thomas Guanus tunc ad pontem aderat, suorumque saluti pro virili consulebat. Is in ipso pontis casu adeò raptim delapsus est, ut aliis super alios & illum quoque concidentibus, non magno intervallo perierit. Carolus ut illius quoquo pacto cognoscere casum potuit, mœrore affectus, intentiore cura eripere ab interitu insignem virum contendit. Verùm tametsi perstrenuè impenso conatu anniteretur, irrito tamen opere laboreque consequi vivum non potuit. Sed plures quoque auctoritate dignitateque non vulgari hunc in modum extincti sunt.

Is exitus ad eam regionem fuit. At qui per apertum litus à Brunduli regione adventarant hostes, adversùm quos florem Italicorum opposuisse Carolum diximus, quum profligatos suos ad pontem inspexere (neque enim cernere difficile erat) haud propiùs accedere, aut manum conserere sustinuerunt, sed fœdissimam & ipsi fugam iniere, ad paludumque præsidium cursu raptissimo convolarunt. Enim verò cymbis, & minoribus navigiolis illic ex Venetis quamplurimi de industria se locaverant, bellique inde exitum præstolabantur. Hostes itaque, qui ad paludes quasi in asylum quoddam, & tutissimum locum confugere judicabant, in horum manus omnes inciderunt. Adeòque ferè cuncti ad internecionem cæsi, aut intercepti sunt, ut pauci admodum ex multis evaderent. Sic utrinque fusi fugatique sunt hostes, & Carolus Venetique gloriosam victoriam retulerunt. Occisorum longè amplior numerus hostium, quàm captivorum fuit. Quippe desideratos tria millia & quingentos, memoratum invenio, quum captivi quingenti dumtaxat fuisse referantur. Et accessere quoque ii, quos in campanaria turri se diu tutatos diximus, qui suos passim prostratos conspicati, è vestigio Carolo se se dedentes, omnia ejus arbitrio potestatique permiserunt. Nec hostile aliquid in universa litoris, aut continentis regiones superfuit, quod in Caroli Venetorumque ditionem ea ipsa luce non cederet. Tantusque rerum successus admirabilisque prosperitas fuit, ut illo prœlio ex victis, procul dubio Veneti redderentur victores. Debellatumque propemodum fuisset eo die, & actum omnino de Genuensi hoste, si qui confractus est pons, integer constitisset. Mixti enim victis victores in Urbem Clodiam ingredi, & felicem bello dare finem potuerant. Ne cumulatior ab ea parte victoria sequeretur, fractio pontis deterruit. Qui enim ad ulteriorem ripam erant, tutò in Urbem ingressi, impunè saluti suæ consuluere. In reliquos, quacumque aditus patuit, diligentiùs inquirendos miles est missus. Nec ad opacam usque noctem, aut à cæde, aut à captivorum abductione cessatum est. Superveniens quoque nox victoriam majorem in modum adauxit. Nam quum stativa eo loco à Carolo exercituque id noctis per horridam aëris intemperiem durissimis conditionibus haberentur: qui ad Brunduli regionem arcemque reliqui erant cum triremibus Genuenses, nullam deinceps aut vincendi, aut evadendi trahentes fidem, desperatis rebus, triremibus cunctis, quas in loco habebant, ignem injecere. Turres quoque ligneas, quas magno sumtu & opere multo construxerant, ad unam omnes concremaverunt, seque universi mortales in Urbem Clodiam salutis gratiâ recepere. Tantusque eos horror invasit, ut nec ibi quoque tutò consistere posse arbitrarentur, sed vecordi formidine consternati, intempestæ noctis silentio fugæ alia atque alia diverticula quæritantes, quid agerent, aut quò se verterent vix decernere poterant. Magna eorum pars ad Patavinam Urbem animum applicabat, neque alibi commodiùs consultum eis fore opinabatur. Itaque quum id primores sequuti consilium, aliam quoque humiliorem turbam suopte vocatam exemplo in eam sententiam pertraxissent: sic in fugam omnes præcipites corruêre, ut ex tribus & decem pugnacissimorum hominum millibus, qui in prœlio fuerant, vix ad sex millia bellatorum ea nocte in Urbe Clodia superstites forent, & ii, queis variis casibus necessitas potiùs quàm voluntas prohibuisset fugam. Nam etsi una ferè cupiditas omnibus, unus animus esset, salutem fugiendo parare: non æquè tamen unus atque idem esse exitus poterat. Quòd enim Patavinum inter & Clodiense solum stagna quædam interjacent, plurimi in ea consternatione, trajicientium navium penuriâ, nautarumque inopiâ laborabant. Itaque ex inferiori turba innumeri, quibus ad trajiciendum navigia deerant, evadendi tamen omnino desiderio perciti, quum per paludes, & aquaticos tramites transmeare quoquo pacto conarentur (sic quippe in fugam præcipites erant animi) adeò noctis illius truci quadam acerbitate absorti sunt, ut pars debiliore corpore, vi frigoris congelati, ea ipsa nocte exanimati fuerint; pars, quibus robustiora erant membra, vix persistere semivivi anxiè ad lucem quiverint. Horum omnium ingentem numerum Veneti navigiis levioribus per paludes prædæ gratiâ discurrentes, quum penitus extinctos, tum gelidos, & immobiles quasi statuas, vix dentibus comprimentes spiritum invenere. Magnum profectò rerum humanarum exemplum, ut qui paulò ante expugnatis classibus, superatis hostibus, sauciis & cæsis, subactis & occupatis Urbibus, etiam pacis oblatas conditiones spreverant, ad Venetamque etiam diripiendam Urbem accingebantur, & per litora vectis triremibus in mare prodire, perque arenam ducere classem viribus & artibus confidebant, totque simul navalibus, terrestribusque insolescebant copiis, eos nunc deletos, & profligatos, facultatibus & omni præsidio destitutos, passim errabundos per paludes, & stagna dispersos, latibula quæque ac diverticula quæritantes, salutem quoque fugiendo vendicare non posse. Ita inconstanti vicissitudine res aguntur humanæ.

EXPLICIT LIBER TERTIUS.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

Quanta Venetam Urbem alacritate hæc salutaris victoria, lætaque exultatione compleverit, cogitari profectò magìs, quàm ullis exprimi literis poteſt. Nihil ſiquidem ad calamitoſam extremamque ferè perniciem antea planè defuerat. Profligatæ claſſes, exhauſtum ærarium, nuda & mortalibus & commeatu Civitas, hoſtes claſſe, & viribus ſuperiores in mediis ferè Veneti portus faucibus imminebant, vixque ulla trahi poterat certa ſalutis ſpes Quare quum tanta omni ex parte deſperatione rerum repentè tam felicem commutationem redditam cernerent, ut ex victis penitus victores fierent Veneti: tanta eſt quoque animorum commutatio conſequuta, ut Urbs antea lugubris & luctuoſa, ferèque deſerta & miſera in hilarem & feſtivam converteretur. Tam repentino motu terrena volvuntur. Itaque ab omni ordine ingens, ut par erat, jubilatio acta eſt, & ſonis, lampadibus, ignibus, laudibus, clamoribus, & omni alacritatis generi, hilaritati paſſim per Urbem indultum. Maximè omnium immortali Deo, ſacerrimo ritu, gratiæ habitæ ſunt, & omnifariàm ſupplicationes ad plurimos dies decretæ. Ceterùm eam noctem pergravem admodum Carolus exercituſque omnis pertulit; quippe tanta vis frigoris oborta eſt, ut compreſſo crudis nubibus æthere gelidus rigor ima etiam præcordia penetraret, medullaſque ipſas ferè videretur adurere; horribilem ſiquidem in paucis, & ſævam eam noctem viſam ſunt planè qui memoriæ commendarint. Verùm ut primum illuxit dies, duo ex Senatoribus acceſſere à Principe & Senatu miſſi. Qui quum Principis & Senatus alacritatem retuliſſent, Carolumque ſummis ornaſſent laudibus, id quoque adjecerunt: placere Senatui, ut è veſtigio eductis copiis ad Clodiam metaretur caſtra. His acceptis mandatis, Carolus quum obtemperaturus tubicines canere, exercitumque moveri juſſiſſet, tum repentè qui ordinem in exercitu ducebant, ferè omnes coacti ad imperatoriæ ſtationis fores frequentes affuere. Quibus ut fandi poteſtas eſt data: Partam victoriam, quamquam mercenarii ſint, ipſis tamen pro debita in Venetam Rempublicam obſervantia ingenti alacritati fuiſſe, dixere; eo magìs, quòd promtam pro ea adipiſcenda & ipſi navaſſent operam. Ceterùm cupere ſe in tanta proſperitate rerum Veneti quoque Senatus liberalitatem experiri. Siquidem æquum exiſtimare, decere Senatum benemeritos milites ſuos in hac communi omnium lætitia munere aliquo hilariores reddere. Nec ipſis tunc videri decentius, quàm ſi duplicata ejuſce menſis ſtipendia Veneti largiantur. Id enim muneris gratius in primis exercitui fore. Orare, ut voti compotes fiant, impenſiùſque id expetere, quòd conſequuti in omnem expeditionem promto animo profecturi ſint, pariturí imperio, & perſtrenuam operam navaturi. Sin verò morem non geſſerit Senatus, petitaque liberalitate uſus non ſit, conveniſſe in hanc ſententiam omnes, ut nec loco quidem ceſſuri ſint, nec uſpiam veſtigium promoturi. Sed neque ire inficias, militiam ſe quoque detrectaturos prædicere. Hæc eſſe, quæ per eorum voces univerſus exercitus dici voluiſſet. Carolus, & qui à Senatu erant miſſi, ut hæc accepere, blanda oratione demulcere eorum animos nitebantur, & quantum in ipſis erat, à ſententia ductores avertere. Verùm ubi nihil proficerent, quid maximè rei difficultati conveniret, aliquandiu ſimul conſultavere. Ceterùm quum diuturno experimento, longo militiæ uſu, induratas militum cervices, obſtinatoſque animos Carolus noſſet: temporum locorumque rationibus exactè penſatis, ad Senatum cauſam deferre cenſuit, ne quid detrimenti inconſultò Reſpublica pateretur. Itaque miſſis ad Principem literis, quo in ſtatu res eſſent, quid expeterent milites, docuit. Pertinaces illorum mentes, efferatos animos, perduriſſima his corda ineſſe. Non leniri verbis, non ſuaſione mulceri, neque ulla eos ratione deflecti. Cupiditates illos dumtaxat ſectari ſuas. Nihil apud illos ſanctum, nihil juſtum eſſe. Nullam his fidem, pietatem nullam, nihil virtutis, nihil religionis ineſſe; non quod deceat eos, ſed quod placeat, quod delectet conſiderare. Fixam jam cordi his ſtare ſententiam, ut adeptæ victoriæ gratiâ munus accipiant; eam nullo pacto eorum ex ferreis & adamantinis cervicibus evelli poſſe. Quòd ſi eorum votis mos geſtus non ſit, & ſi ſe ad Clodiam ſequuti fuerint, nil tamen egregium, nil niſi lentum ac tepidum patraturos, ſemperque exacerbato & infenſo in Venetos animo plus hoſtibus, quàm Reipublicæ profuturos. Itaque non ſatìs decernere ſe, quonam pacto fieri poſſit, quominus eorum pervicacia aliquo ære non redimatur. Hæc atque hujuſcemodi quum Senatui referri juſſiſſet, id quoque adjecit, ſe aliquid in partem oneris ex re familiari ſua ad levandam Reipublicæ ſolicitudinem pro conſuetudine depromturum. Senatus, etſi propter publicam inopiam extraordinaria uti largitione graviùs videbatur, tamen cedendum tempori ratus, ut ad Caroli arbitrium controverſiæ ſedarentur, decrevit. Ille igitur quum & patriæ, & ærarii, & belli, & temporis exactiſſimam rationem haberet, primùm omnium ductorum alliciendas mentes arbitratus, quo faciliùs minori Reipublicæ jactura res ſopirentur, aureis in eos quingentis ex privata, ut aſſueverat, pecunia contributis, mitiores ad componendas dehinc controverſias feroces eorum animos reddidit. Non enim dubitabat primoribus largitione delinitis, quod planè futurum erat, ceteram inferiorem turbam faciliùs quieturam. Quo initio veluti fundamento quodam patrandæ rei fretus, ſedare exercitum, & integrè controverſias ſopire adortus eſt: nec arduus dehinc labor fuit. Sic enim priori à ſe impenſo munere principum animos conciliaverat, ut minimè pergravi Reipublicæ contributione milites quoque & ſubjectiorem turbam ſedaret; nec ipſis modò à Senatu ſatisfactum eſſe decernerent, ſed ad reliquum, quod ſupererat belli per-

perficiundum animæ quiores alacrioresque redderentur; & qui antea arma capere, atque ad Clodiam prodire recusaverant, nunc ultro expeterent, ut ducerentur in hostes.

Quamobrem intestinæ dissensionis solutus curâ, jam Clodiam versùs iter aggreditur. Liber aditus erat, nulli hostes, turres & machinæ nullæ, nihil impedimenti adversabatur. Qui enim hostium superfuerant, in Clodia se se omnes inclusi continebant. Itaque ad Clodiam, nullo obsistente, eo die copiæ admotæ sunt. Ceterùm quoniam adhuc satis virium hostibus ex sagittariis potissimùm superat, Carolus ne quid incommodi exercitus pateretur, sub mœnibus persistere nequaquam censuit. Ecclesia erat haud procul Christiano cultu Joanni Baptistæ dicata. Ab ea quantum jaci bombardæ ictu poterat, tuto loco figere castra decrevit. Interea verò Senatus quamquam variæ inerant sententiæ patribus, quibusdam obsidione finiri bellum, aliis certamine oppugnari Urbem posse credentibus, quid salubrius foret, consultandum censuerat. Itaque accersiri ad se Carolum, cogique apud Principem in classe omnes jussit. Ubi frequentes advenere, controversia in medium prolata est. Qui expugnationem salubrem opinabantur fore, diuturnum bellum, inanitionem ærarii, difficultates Reipublicæ memorabant; obsidionis gravem & molestam fore moram; Senatum tantum mercenariorum militum alere diutiùs in tanta ærarii extenuatione non posse; quamplurima præterea, obsidione durante, discrimina imminere, multaque incommoda temporis intercapedine afferri consuevisse. Expugnationem rei celerem exitum allaturam; tantum virium esse in suis, ut non magno negotio expugnaturi Clodiam sint, ingenti terrore consternatis hostibus, & prœlio superiore perculsis. Venetos animis ex victoria auctos, largitione delinitos, accensosque diripiendæ Urbis spe, omne discrimen, omne pugnæ genus hilares obituros. Vani & vecordis esse, quæ consequi tum primùm queat, diuturno intervallo differre, ut habeat, circuitusque supervacaneos trahere, quum multa interim evenire possint, quæ felicem exitum prohibitura sint. Hujuscemodi illi. Quibus verò satiùs obsidio probabatur, prœlii ancipites exitus, tutiorem obsidionis partem, & alia quoque plurima in medium afferebant. Ita sententiis animisque in concionibus certabatur. Demum ad Carolum conversis oculis, quid è Republica censeret, edicere jubetur. Tum ille in hunc modum exorsus est:

„ Nisi mea in Rempublicam pietas, & „ jussio vestra, inclyte Princeps, vosque „ Conscripti Patres, consuetaque mea institutio commoveret, qua consulere pro virili imminentibus Patriæ periculis soleo, „ egissem hoc die silentium, & decretum „ vestrum præstolatus, imperio paruissem; „ ne fortè dum Reipublicæ consulo, militum & exercitus magis agere causam „ suspicari quisquam queat. De me enim „ (satis scio) nulla oboriri mentibus hominum sinistra cogitatio potest, quum magistratus hic, quo me exercitui præsidere „ voluistis, præter incredibiles curas, intolerabilesque labores, & anxias solicitudines, quibus per momenta singula torqueor, corpori, & fortunis meis incommodissimus fit, eoque futurus fit gravior, „ quo diuturnior. Sed optimi viri officium „ censeo, rectè agentem, quæ suspicentur „ ceteri spernere; optimi civis, sincero animo, ubi opus est, Patriæ afferre consilium, & quæ præferat animus, etiam inter aliorum adversos perturbatosque rumores in Reipublicæ suæ salutem promere. His confirmatus, de re dicere aggredior. Controversia oritur, Patres Conscripti, præstetne Reipublicæ obsideri Clodiam Urbem, vel expugnari. Plerique expugnationem probare sunt visi; alii salubriorem opinantur obsidionem fore; „ utrique validis rationibus suas tuentur „ partes. Ego verò pro mea in Patriam „ fide, pro usu & experimento rerum, pro „ eo ingenio, quo ab immortali Deo præditus sum, expugnationem Clodiæ Urbis „ non solùm improbandam puto, sed assequi „ nullo pacto posse judico. Primùm quippe „ Urbis situs me in hanc sententiam trahit. „ Aquis enim, paludibusque eam ferè undique cinctam videtis, prope ipsa quoque „ mœnia cohærentibus. Ubi ergo miles solido assuetus prœlio decertaturus consistet? „ Quòd si ratibus, aut compactis in id opus „ lignis copias imponetis, ut inde prœlientur: mementote, diversum esse à terrestri „ maritimum pugnæ genus, nec æquè ad „ hoc aptos fore milites, qui in illo versari „ sint soliti. Expugnatio suas quoque artes „ habet, nunc adhærere muro, nunc referre pedem præstat. Admovere tormenta, „ ubi opus est, mœnia dolabris cædere; tum „ succedere scalis oportet. Hæc in nutantibus, & continuò mobilibus aquis experiri „ miles nequit, qui armatus nec quidem „ sistere vestigio valeat. Accedit fluxus ipse „ refluxusque hujuscemodi aquis ferè perpetuus, quo navigia in concreto cœno brevi destituantur necesse est, ut inde nulla „ etiam vi divelli possint. Sic expugnaturi „ inde Urbem milites supernè ab hostibus „ obruentur, nec referre etiam coacti uspiam pedem poterunt. Existimatis verò „ torpere hostes otio, & nullam salutis agere curam? Sex millia pugnacissimorum „ hominum insunt, qui longè ampliorem „ murorum ambitum tueri commodè cum „ oppugnantium pernicie queant. Turres, „ mœnia, & ea maximè loca, queis gravius „ periculum imminet, omni præsidii genere „ impigrè communiere. Aggeres mœnibus „ æquavere, propugnacula debilioribus maximè locis excitaverunt; & hac suspicione anxii, ex quo profligati se intra portas clausere, numquam ab opere desierunt. „ Mœnia verò quàm valida, quàm compressa, quàm solida sint, videtis. Urbem ergo „ hanc ita communitam, tot refertam propugnatoribus, expugnari posse speratis? „ Parum ego quidem militarium artium peritos censeo, qui ita confidant. Si quid „ enim diuturno experimento consequutus „ sum, non hoc pacto modò. Urbe hac potiri nos minimè posse intelligo; sed exercitus vestri robur, ac promtissimos quosque milites in ea procul dubio perituros „ agnosco. Strenuè siquidem dimicantes prima cædis sors ferè semper manet. Et quum „ aliorum prœliorum eventus esse dubii soleant, hujus utinam non nimio certior fit, „ ir-

„ irrito labore opereque, fortium virorum manu vel cæsa vel saucia. A Quam stragem etiam dedecus consequatur oportet, & serâ pœnitentiâ, ubi integram adhuc fuisse rem, incassum tamen, deprecabimini. Hostibus quoque rei exitus augescet animos, & pervicaciores tuendæ in posterum validiùs Urbi reddet; vestris adimet, torpentesque deinceps ac consternatos efficiet. Hæc erit ergo tam affectata raptim expugnatio, & acceleratus belli propitius finis. Obsidio verò, etsi aliquot forsitan dierum morâ tardiuscula videatur, certam tamen & salutarem vobis victoriam pollicetur. Classis vobis magna satis, & accommodata est. B Copiæ militares abundè suppetunt. Si custodiæ diligentiùs actæ sint, nihil importari poterit. Inedia opprimat hostes necesse est. Evadere profectò manus vestras non potest Urbs, quæ tot classibus, tot exercitibus, tot maritimis terrestribusque copiis, fame præsertim urgente, circumsessa sit. Itaque sedentes quiescentesque Clodiâ potiemini. Inclusos hostes ad unum omnes intercipietis, abducetis captivos; exercitum vestrum vobis illæsum intactumque servabitis; à periculo immunes, gloriam ex ignominia consequemini. Quòd si vos tœdeat diuturno jam bello confectos, tot laboribus ac periculis C fatigatos brevem adhuc temporis intercapedinem operiri: animadvertite, Patres Conscripti, seram salutem celeri interitu longè esse potiorem. Nullum enim prolixum esse tempus potest, cui conjunctus sit rei exitus felix. Præstat profectò repentinæ cladi dilata victoria; & assequi quandocumque quod cupias, satius est, quàm ipso initio voto destitui. Gerendarum quippe rerum matura modestia, Patres Conscripti, numquam satis laudibus celebrari potuit; præcipitationem verò consiliorum & actionum semper damnavere sapientes. Majores nostros cunctatione pensata, sæpe numero deperditas restituisse res, D legimus, exercitus conservasse, superasse hostes, effrenatiori autem conficiendi cupiditate magna etiam imperia corruisse. Propterea senilia juvenilibus prælata apud doctissimos viros semper fuisse consilia, quòd sanguis in eis tepidior graviùs rem geri, hos ferventior præcipitantiùs agere compellat. Nolite, Patres, paucorum dierum formidine rem tantam, tales copias, tam floridum & insignem exercitum, non dico modò in discrimen inducere, sed penitus perditum ire. Fidelissimos vobis, & devotissimos milites hostium telis objicere, & de vobis, deque Republica benemeritos, lacerandos & trucidandos Genuensibus dare. E Eruntne hæc præmia, Patres, quæ benemerentibus tribuatis? Eos, qui pro salute vestra laboravere, decertaverunt, corpora sua obicem pro vobis opposuere, vulnera & ictus horridos pertulerunt, vobisque tamdem suo sudore ac sanguine gloriosam victoriam comparavere, hac mercede afficietis? Hæ siquidem erunt gratiæ, quas pro tot meritis referetis, ut eorum sanguine cæsis, vestris hostibus parentetis? Ubi est nunc celsus ille Venetorum animus? ubi solita nostræ Reipublicæ gratitudo, quæ numquam etiam ingenti beneficiorum exaggeratione devicta est, nulla relatione gratiæ potuit exhauriri? Ubi ingenita in suos pietas, ubi prudentia illa inter mortales rara toto orbe percelebris? Temerarii horridique animi signum est, quæ tutò, sinè sanguine ac cæde, assequi queas, ea certo malè vendicare supplicio. Digestæ ac consultæ rationis indicium est, quod omnino elabi è manibus non possit, aliquandiu differre, ut habeas quàm effrenato raptim consequendi ardore in præceps periculum ruere. Quid igitur de nobis existimaturæ ac prædicaturæ sint exteræ nationes, si vos temporis & pecuniæ, (quoniam de hac quoque plerique disseruere) pavore conterritos, ut his lubricis fortunæ bonis parceretis, non veritos viderint fortium virorum, & quidem de vobis benemerentium, raptim vitam profundere, qua nihil in humanis pretiosius est, quæ æstimari nullo ære potest? Quid nisi crudeles, avaros, ingratos, temerarios, & inconsultos vos poterunt nuncupare? Boni nominis ratio, Patres Conscripti, vobis spernenda non est; sed conservandæ dignitati, & gloriæ vestræ invigilandum. Est enim monumentum, & sacrarium quoddam præclaræ gestarum rerum gloria, cui nullæ opes adæquari queant; pro qua excellentissimi quique viri, & virtute inter mortales rara, ad ultima terrarum Orbis penetravere, & nulli labori, nulli periculo pepercerunt. Itaque & salutis & gloriæ longè ampliùs, quàm temporis, & impensæ habenda vobis ratio est; & quæ utique digniora sunt, ignobilioribus præferenda. Neque tamen adeò gravem obsidionis moram video, ut magnopere pendenda sit. Quippe commeatum ad paucos dies esse in Urbe compertum habeo. Diuturna planè obsidio esse non poterit, quæ cum esurie conjuncta sit. Extremum est inediæ malum. Tolerari diutiùs nequit, nec ullum perniciosius telum, nullum atrocius prœlium est mortali. Ita undique cingemus & concludemus hostes, ut brevì ad ultimum venturi sint vitæ discrimen. Nec quæ interea fortassis accidere possint incommoda perturbent animos. Sunt enim communes hæ hominum leges, & hujusce fortunæ insidiis exposita semper est vita nostra; nihilque adeò firmum est, cui periculum non immineat; neque tam validum quicquam, quod paulo momento debilitari non queat; nihil adeò tutum, quod discrimine careat. Mille variis casibus cogitationes & actiones nostræ subjectæ sunt; nec quisquam quovis maturo consilio à fortunæ impetu præstare se se umquam immunem potuit: tam mortalium lubrica fragilitas, tam humanarum rerum nutans vicissitudo est. Sed ut fortem decet non frangi adversis, ferreque æquo animo fortunæ ictus: ita prudentem quoque consulere, ubi opus est, & ingruentibus rerum gerendarum incommodis (quod in morbis Medici faciunt) opportuna pro tempore & loco adhibere remedia. Invigilabimus, Patres Conscripti, & intentiore cura quæ accident operiemur. His, ut res exegerit, consulemus; quantumque præstare humana vis poterit, emergentibus casibus succur-

„ re-

„ remus. Ita neque diuturnam, neque gravem, neque calamitosam obsidionem reddemus. Sinè sanguine nostro, sinè cæde periculoque exercitus vestri, hostibus & Clodia potiemur; laudabilique parta victoria, servata dignitate, & gloriâ vestrâ, bello felicem, Deo propitio, finem dabimus. Hæc sunt, quæ de proposita controversia, inclyte Princeps, Patresque Conscripti, sentio; quæ quoniam ut dicerem coëgistis, pro mea in Rempublicam fide depromsi, hæc è republica, hæc salubria patriæ fore censeo. Hoc consilium, quod salutare puto, vobis affero. Vestrum est amodo, ut quod præstare magis existimabitis, omnibus digestè pensatis, exacto judicio decernatis.

A

B

Quum dicendi Carolus fecisset finem, allata suffragia sunt, acceptaque considentium vota. Tandem commotis Caroli oratione Senatorum animis, ferè omnes in eam sententiam convenere, ut obsidione, non certamine dirimeretur bellum, atque in eam partem Senatus-consultum est promulgatum. Cum hoc ergo Senatus decreto Carolus ad exercitum revectus, dum ad ea potissimùm intenderet animum, quæ obsidentibus apta, obsessis adversa forent, animadvertit, plurimos ex suis incautè prolapsos ad mœnia ab hostium sagittariis lædi. Itaque ne quid penitus detrimenti afferret obsidio, providendum ratus, ligneam turrim construi jussit, eamque intempestæ noctis silentio hostibus nihil tale suspicantibus, procul à Clodia, quantum esse sagittæ ictus poterat, erexit, publico edicto proposito, ne quis prætergredi turrim auderet. Si quis injussus egressus fines esse præcisi pedis pœnam fore. Id imperium ad extremum belli exitum passim æquè servatum, salutem indubiam contulit, & mille cædes, ac vulnera, quæ sequutura videbantur, avertit. Et quidem quantum humano consilio provideri poterat, ad universa discrimina detrimentaque à Carolo diligenter consultum, & procuratum est. Ceterùm vis ingruens pestilentis morbi, quæ exercitum omnem haud paulò post invasit, non exiguam perturbationem gerendis attulit rebus; Carolumque cum dolore, tum verò non vulgari discrimine affecit. Nihil tamen ob eam causam ex opere intermissum, neque ab iis, quæ obsidioni expedire videbantur, ullo pacto destitum est. Nam per singulos ferè dies in hostem educere copias, nunc ad unam, nunc verò alteram ad partem aggredi, modò egressos in insidias trahere hostes non desistebat; quotidianaque ac prope continua cum his prœlia conserebantur; neque otiosos illos patiebatur esse. Et invalescebat in dies in Urbe Clodia famis atrocitas. Nec re frumentaria modò, sed omni quoque commeatus genere apud hostes laborabatur, duriorque in dies reddebatur obsidio. Itaque Genuenses, ut saluti suorùm, qui inclusi in Clodia tenebantur, consulerent, triginta Genuæ triremes armaverant, & ferre obsessis suppetias jusserant. Hæ per ea tempora quum in Adriatico freto comparuissent, qui illis præerant, satis ut ingredi portum Urbemque Clodiam possent annixi, nihil intentatum, quod ad rem proficeret, prætermisere. Sed tanta fuit Principis Veneti, eorumque, qui in classe aderant, quibusque id operis injunctum est, virtus, & providentia, ut numquam voti compotes fieri hostes valuerint. Ea enim rerum fortuna est, ut ubi in præceps ruituræ provolutæ sunt, nulla remorari vis queat. Itaque irritis conatibus vix procul à suis, qui obsidebantur, conspecti, nullo allato præsidio, desperatis rebus, mœsti retrocedere coacti sunt. Atque id quidem obsessorum longè vehementiùs confregerat animos, quòd eo auxilio, in quo maximè confidebant, se destitutos animadvertentes, nil deinceps reliquum spei trahi posse intelligebant. Et accedebat extremi ferè periculi sors, quòd ingravescentem inœdiam jam tolerare non poterant. Nam rerum usui necessariarum tanta caritudo reddita erat, ut ad esum spurcissimarum, fœdissimarumque rerum deveniretur, illaque homines in cibum cogerentur assumere, à quibus ipsa quoque bruta abhorruissent. Quare qui rebus Genuensibus in Clodia præerant, de deditione cogitare jam, consultareque cœperant. Apparebantque continuò plurima, ex quibus ferè non dubia trahebatur spes, Urbem, hostesque brevì in potestatem venturos. Gratum quidem Venetis opus erat, vixque illo aliud profectò jocundius. Quippe qui diutissimè ea belli calamitate vexati, nihil optabant impensiùs, per diesque noctesque supplices præcabantur, quàm ut patriam, dulcissimos liberos, caras conjuges, aras, penates, à quibus tam diu tanto cum periculo ac detrimento abfuerant, aliquando reviserent.

C

D

E

Ceterùm numquam adeò læta est, quin semper prosperis adversa fortuna permisceat, raròque accidit, ut suavissimam spem asperior non intorqueat rerum eventus. Mercenariis quippe militibus minus grata Genuensium deditio erat, profectò qui belli exitum mercedis & emolumenti finem fore non ignorabant. Usque adeò quoque prosperum eventum rerum pro insita generi hominum protervia quadam, iniquo perferebant animo. Ea de re plerique, quibus efferatior natura, ingeniumque immitius inerat, mutuò conspiravere, ut celerem rei successum, ultimamque victoriam perturbarent. Clam siquidem ad eos, qui ex Genuensibus præerant, nuntiis, literisque transmissis, ut forti & constanti essent animo, ne se se dejicerent, ne consternati tantum subirent dedecus suadebant. Si aliquandiu pertinaciùs perstitissent, se operam daturos pollicebantur, ut optimas quasque à Venetis conditiones haberent. Eam ob rem tacitos per noctem conventus clandestinasque confabulationes agebant; & ne prodirent consilia, duplicati stipendii simulato colore ea obtegere conabantur. Confidebant siquidem gratè admodum ab omni exercitu (quod quidem verum erat) id excipi posse. Animadverterat hæc Carolus, & suspectos hominum animos artesque gerens, perniciosum aliquid non formidare non poterat. Propterea astutè motus omnes, & colloquia rimabatur, exploratoribusque plerisque in eam operam usus, dolos tamdem, & conspirationes rescierat. Itaque quo prodi liberiùs res posset, diem præfigi lustrandi exercitus recensendique de more milites imperaverat. Sic enim arbitrabatur execrandos animorum conceptus faciliùs prodituros in lucem. Ceterùm

terùm quum auctores præsertim seditionis alacriores inde redditos, & affuturos ad diem lætis animis, ac tumultum concitaturos per speculatores cognovisset, repentè commutato consilio in aliud tempus differri rem jussit, idque palàm per præconem indici. Enim verò ubi advênit quæ primùm præfixa lux erat, qui iniquum gerebant animum, de industria dilationis ignorationem simulantes, frequentes armati instructique catervatim quasi prodituri in prœlium convenere. Ad quos conversus Carolus quum, quid sibi conveniret, & quid arma illa deposcerent, percontaretur, illique primùm dissimulatâ causâ ad hanc se diem comparere jussos dicerent: contra Carolus in aliud tempus dilatum opus, idque palàm proditum asseveraret, tamdem in apertum res erupit. Siquidem ex his, qui ordinem in exercitu ducebant Robertus erat quidam ex Picentibus Recaneto Urbe ortus, inter reliquos militum copia, & auctoritate nominis, haud inferior. Is conjurationis princeps, & moribus & animis complures haud dispares sui sibi confœderatos adsciverat, novarumque rerum cupidos, ut pariter conspirarent, facilè multa pollicitatione pellexerat. Vulgarem quoque militum turbam duplicatæ mercedis favore eo sibi devinctæ conciliarat, quod acturum curaturumque se, ut desiderii compotes fierent, polliceretur. Hic ergo inter reliquos stolida temeritate ferox, æstuque fervens animi, silentium ceteris ad imperatoris increpationem agentibus, prodiit ante alios primus, & versus in Carolum perfractamque profundens vocem: *Ad hoc*, inquit, *ita instructos armatosque nos omnes ad te convenisse cognoscas, ut duplicata stipendia demum ad belli exitum consequamur. Ea quippe obstinatissimè flagitamus, queis ut penitus potiamur, confirmato animo instituimus. Quæ si denegata sint nobis, te certiorem reddimus, in hunc modum armatos, & comparatos, ut cernis, ad hostes in Clodiamque Urbem omnes profusis signis quàm taptissimè commigraturos*. Carolum haud secus, quàm par erat, tam execrabiles ausus acriter permoverunt, nec auribus modò excepisse verba, sed tot jaculis confossa illi præcordia videbantur. Neque verò dissimulatione prætereundum scelus, sed animadversione condigna plectendum temerarium facinus non judicare non poterat. Prudentiâ tamen moderandum fervescentis impetum animi satius ducens, dissimulato dolore, hilariorem vultum effinxit, mollemque sermonem exorsus. Minimè sibi, inquit, imperare posse, ut crederet, quæ dicerentur, è sententia ab illo proferri, quòd ejus fidem, & observantiam, generositatemque animi noscat, sed in eam partem accipere quasi tentandi, explorandique magìs gratiâ, aut facetè confinxerit. Neque quidem immeritò, quoniam si ex animo hæc ab eo prodita sint, non exiguum facinus, & pessimi exempli rem videatur adortus. Nihil enim minus talem decere virum, eo loco apud Venetos habitum, eaque exercitu toto præditum auctoritate & gloria; neque quicquam minus planè Senatum Venetum, nunc à Roberto expectare, aut suspicari posse, quòd probitatis & fidei potissimùm spe fretus sibi devinctum illum mercede obstrinxerit. Militarem quippe artem, quam novit maximè in

A fide consistere, neque ullam magìs rem esse, quæ Venetæ Reipublicæ milites conciliet suos, & caros gratosque reddat. Nihil illos in humanis habere, quod intercedere pro his fidejubendo queat. Vnicam fidem eis vadem esse; sola illos fide probari. Fidei gratiâ apud Venetam Rempublicam reliquosque Principes ingentem auri vim consequi solere, grandique ab his ære donari. Eam si temeratam contemserint, si confractam violarint: quid jam reliquum erit, quo vitam fortunasque suas conjuges, liberos committere quis in eorum infidas & protervas audeat manus? Proinde irent nunc, & arma deponerent, in posterum eos sibi cordi fore, B propediemque hisce de rebus in Senatu se se acturum.

Hæc leni oratione commonefaciente Carolo, tum fremere multitudo asperiùsque nvehi cœpit, duplicatæque mercedis palàm voces jactare; eamque sibi dono dari pervicaciùs clamoribus sublatis expetere. Confecerant verò militaria signa quædam ex composito hanc ad rem accomodata. Ea erigi jubent, & quotquot illas sectarentur partes, adhærere his oportere proclamant. Hæc acta dictaque Caroli mentem jam ante lacessitam majorem in modum irritavere. Discriminis quoque metus, quòd in extremam perniciem C Reipublicæ ea verti cernebat, acriùs contorquebat animum. Arte tamen utendum, & leniendos, si qua fieri posset, concitatos motus existimans, ad sublata insignia subridens se se convertit, eorumque decore comiter collaudato, eas se quoque professurum partes, sub hisque, si placuisset, militaturum pollicebatur. Ceterùm frementibus illis, & irrideri se submurmurantibus, tum asperiùs in eos invectus, horrendumque detestatus facinus, protervam temeritatem rigidiori oratione compescuit. Interea dum hæc à Carolo militibusque geruntur, Genuenses de salute anxii, & de militum animis non ignari, ad octoginta in Urbe Clodia minores naviculas, quas antea construxerant, noD vum fugæ genus adorti, communierant, & pretiosissimis quibusque, quæ in Urbe habebant, constipaverant, cum hisque per paludes, & clandestina diverticula evadere annitebantur. Enim verò facilè miseris irrita quæque consilia fiunt. Nautarum sanè plerique illorum speculati motus, jam id rescierant, egredique ac clam præterlabi gestientes eos cum levibus & ipsi navigiolis insequuti, vocibus clamoribusque prodiderant. Jamque frequens passim irrepserat rumor, & conclamari ad arma cœptum erat. Carolus ergo ad clamoris armorumque fremitum permotus, ut rei seriem percontatus E didicit, è vestigio versa in milites voce, truci vultu, torvisque luminibus, eos graviùs castigare adoritur, verbisque durioribus increpans: *Quænam vos, ignavissimi hominum, vecors dementia tenet? In quorum conspectu hostes vestri prolabi, & auro, argentoque, & pretiosissimis quibusque onusti evadere moliuntur, vobis quasi per ludum inspectantibus, & frivolis ineptiis vanas altercationes puerorum more ducentibus?* Inde raptim signa efferri, & in hostes irruere omnes imperans, prominentiùs extollere vocem cœpit, atque ita proclamare, ut exaudire universus exercitus quiret, quotquot Venetæ Reipublicæ habuis-

buissent fidem, sectari se in hostem jubens. Nec mora: præmissis Imperatoriis signis, ipse inter primos ad paludes procurrens, aquis & luto ferè se ad pectus immersit. Itaque & vox, & impetus arguentis, acclamantis, accurrentisque tam vehementem habere vim sunt visa, ut ad unum omnes quasi priorum querelarum immemores, repentè imperatorem sint consequuti, certatimque se in hostes effuderint. Sic haud magno negotio expugnatis, captisque navigiis, profligati hostes ferè omnes in Caroli potestatem venêre. Præda verò ingens quanta ferè antea numquam abacta est; nec ad opacam usque noctem ulla cumulandæ victoriæ prædæque intermissio facta; ejusceque diei controversia hunc in modum ea occasione sedata est.

Ceterùm tam insigni clade adeò, ut par erat, Genuensium perfracti & consternati sunt animi, ut jam quid agerent, seu quò se verterent, vix decernere possent. Quum enim tentata omnia irrita reddi, nihilque prosperè succedere animadverterent, quicquam ferè ampliùs, quàm ut Venetis se se permitterent cogitabundis non occurrebat. Itaque quod reliquum erat, ad ultimam deditionem propensiores jam videbantur fore. Nam quotidiani alimenti inopia continuò graviùs pressos, excrescens perniciosiùs in dies esuries penitus exhauserat, ad ultimumque periculi compellebat. Ad eam siquidem extremam desperationem, miserabilis illos cibi non tam cupido, quàm rabies pertraxerat, ut canibus, muribusque, & aliis quibusque fœdissimis animantibus, & ab usu hominum alienis, quasi pro deliciis vescerentur, hisque consumtis, quum ejus generis alimenta deessent, insolitum ferè mortalibus ferculi genus conficere cogitaverunt, detractas scutis pelles, contractaque undique coria ubi fervida mollisset aqua, sic ad teneritudinem redacta decoquere, eoque pacto deficientis pæne spiritus ariditatem lenire. Sed quum neque in hunc modum diutiùs miseræ consulere vitæ quirent, quod postremum supererat, permittere se se Venetis necessarium fore intelligebant. Neque id obscurum erat, & jam creatos, qui deditionem facturi adirent Venetum Principem, fama celebrior increbuerat. At conjurati ut hæc eis perspecta sunt, ira furentes, perpetuo animi mœrore torquebantur, nihil prætermittere deliberantes, quo felix exitus rerum obtineretur. Itaque clam, palàmque frendere atque immurmurari, conventus agere, in execranda verba prorumpere, Venetos Carolumque, avaritiæ atque ingratitudinis incusare, probrisque eos ac contumeliis lacerare, pervicaciùs perseverabant. Serpebatque in dies morbus, & ut fit, ex paucis in plurimos transfusa infectio ferè omnes quasi pestifero contagio venenaverat. Neque procul ab intestina seditione distare videbatur res. Carolus ergo in tanto discrimine, ne quid detrimenti ad belli exitum res publica pateretur veritus, Principem Patresque consulere, reddereque illos conjurationis & periculi certiores operæ pretium censuit. Quod quum impigrè persolvisset, Senatus rei gravitate perterritus, Senatoribus duobus, majorique Scribæ demandatâ rei curâ, decrevit, ut quicquid cum Carolo è re publica judicavissent, gessissentque, ratum foret.

A Vix jam postera illuxerat dies, quum illi ad Carolum in castra vecti quæ acceperant jussa retulerunt. Conserti mutuò sermones, collatæ causæ, & quid operæ pretium foret, maturè consultatum est. Tamdem placari militum animos munere aliquo decreverunt. Stipendii menstrui dimidium in ea ærarii inopia difficultatibusque rei publicæ satis tunc fore pro tempore censuere. Id quum inter eos æquè convenisset, Carolus omnes, qui in exercitu ordinem ducebant, equestri pedestrique inscriptos militiæ, accersiri ad se jubet. Ubi ad imperium convenere, in stationeque ordine consederunt, astantibus Senatus Legatis, Carolus fari exorsus, quid sibi conventus velit, cur frequentes accersiti sint,
B profert. Gratam eorum operam Senatui esse, dicit, & quamquam secundùm ea, quæ convenissent stipendiis debitis cumulatè his satisfactum putet, neque ob eam rem magis illis quidquam deberi, tamen clementi admodum animo, liberalitate non exigua erga illos, quos de se optimè meritos censeat, Senatum Venetum uti decrevisse. Itaque præter solitam pactamque mercedem, mediam adhuc stipendiorum partem universis dono dare. Id muneris ut hilari corde suscipiant, Senatuique agant gratias, adhortari. Hæc atque hujuscemodi quum blanda oratione in medium protulisset, ferè omnes, qui
C aderant, potissimùm quorum aliquid consilii rationisque inerat animis, reverenter assurrexere; Senatui, Caroloque innumeras agentes gratias, collaudata liberalitate Senatus, oblatum munus fronte lætissima receperunt. His, dum in hunc modum gererentur, Robertus conjuratorum princeps tunc in conspectu aderat, & proponentem Carolum, benignèque respondentes, militum duces audierat. Itaque quum temperare deinceps non posset furenti animo, approbantibus ceteris, applaudentibusque, solus in scelestas voces prorupit. Sublato siquidem clamore, minimè se iis, inquit, quæ fierent, assentiri, quin vivere vincereque populum oportere. Re-
D seratisque inter hæc verba stationis foribus, turbam concitaturus prosiluit. Carolus ut hominis effrenem impudentiam vidit, dolore perculsus, tumultumque in castris eo concitari veritus, Robertum insequitur, nec pro tempore quicquam magis occurrebat animo, quàm ut perniciosum scelus merita illius mulctaretur nece; insignium Medicorum, eximiæque artis exemplo, qui graviores morbos asperioribus quibusque remediis curant, & pestilens membrum non tam liniunt, quàm præcidunt. Ignis enim vel exigua scintilla contemta ingens plerumque excitavit incendium. Adhærebat ergo lateri ejus pedestrium copiarum dux fidus, qui ducentis militibus
E præerat viris egregiis pugnacissimisque. Hunc enim cum caterva suorum ad corporis custodiam Carolus sibi jampridem adsciverat. Itaque quum Imperatoris notum & hi satellites consectarentur, Carolus ut manus in Robertum injiciant, sceleratumque facinus extremo diluant supplicio jubet. Ut ad hominem perventum est, scapulâ interceptum propriâ Carolus manu distinet, proditorem appellat, comminatur necem, moriundumque illi esse confirmat. Accurrunt jussi satellites, accinguntur que promti imperata perficere. Sed Legati à Senatu missi, veriti, ne hujus inte-

interitu gravior in exercitu seditio concitaretur, ad Caroli se se pedes gemebundi supplicesque prosternunt, ut errori veniam det, utque desistat cœpto, quibus maximè queunt studiis animisque enixè precantur. At Carolus perseverare, repugnare, instare, adversam sibi sententiam esse dicere. Pestilentem hujus animum, seditiosissimas voces acclamitare; obstandum initio, ne serpat infeliciùs morbus; videri succidendum putridum membrum, ne corrumpantur ejus contagio cetera; hujus interitum reliquis violatæ fidei exemplum fore. Non esse committendum, ut elabatur intactus, qui tam protervos ausus adortus sit. Neque enim dubitare se, naturâ viri, moribusque perspectis, si salvus evasisset, perniciosissima quæque moliturum. Atque id quidem rectè. Sicut enim observantiâ subjectorum maximè conservantur imperia, ita quum reverentia excessit animis, & summa imis confusa sunt, vi omnino opus est, ut proterva temeritas compescatur. Sed quum illi obtestari obstinatiùs, etiam manantibus lachrymis, perseverarent, tamdem ne supplicantium sprevisse videretur preces, exorabilem se se præstare oportere ratus, orantium annuit votis, & temperari à sanguine, abstinereque suos à cæde jussit. Quod tamen providebat futurum, palàm præmonuit, exitio & calamitati Reipublicæ hujus vitam & salutem fore. Neque quidem animo fraudatus est, quod ille, quamquam tanto beneficio vinctus, non diu sustinuit quin properè naturæ malignitatem ederet. Nullis enim meritis mitigari quovis pacto perfidia potest.

Vix siquidem ad ejus diei dimidium perventum erat, quum adhuc in statione considentibus, repentè tumultus in castris exoritur. Elati ubique clamores audiuntur, infestæ resonant voces, arma prædamque milites cient. Roberti hæ machinationes erant. Numquam enim temeritas infelix præfigit terminum rebus, sed avidiùs progressa semper excedit modum. Quippe post vitam salutemque Caroli beneficio, & Legatorum precibus vendicatam, novas artes prodendæ Reipublicæ meditatus, Genuenses in deditionem accedere, Clodiamque Venetis permittere, finxerat, priorque ipse prædatum ad Urbem milites concitarat. Sic enim existimarat, Carolum, & exercitum omnem, magna clade affectum iri, quòd incauti in Urbem progressi milites, ad unum omnes interciperentur ab hostibus. Sibi quoque cum Genuensium primoribus loqui, & quæ ferret animus pacisci, facultatem fore. Ad hos clamores Carolus, & qui unà Legati aderant, exciti, repentè è statione prorumpunt. Intuentur comoveri exercitum, milites in Urbem Clodiam certatim ruere. Ad primas siquidem voces adeò permotus universus exercitus erat, ut vix superesset quisquam, qui non raptissimo in Clodiam cursu prosiluisset: tanta levitas generi hominum, tamque in prædam æstuans & exardens est animus. Itaque ut hæc perspexit Carolus, mœrore, & solicitudine percitus, se se præcipitem in militum vulgus ingerit, clamat, vetat, comminatur; hunc ense, hunc manu percutit; alios in terram prosternit, alios apprehensos, ne progrediantur, avertit; falsas esse voces, commenta omnia, vanos rumores dicit. Levitatis illos avaritiæque arguit; ne in Clodiam prolabantur, imperat. Et quanto magìs efficere vis ulla potest, sedare tumultum, repentinamque avertere incursionem impensiùs nititur. Ceterùm tam ci us, & celer primus irruentium exstiterat cursus tamquam versi in seditionem animi, ut Carolus quamquam ad extremum omni arte fretus, haud omnino illæsas conservare copias quiverit. Complures enim, quibus in excidium Reipublicæ mens fervebat, vix primo sublato clamore, repentino impetu intra portas, & mœnia Clodiæ provolaverant. Maximè omnium verò Robertus, ac complices auctores seditionis, simulata prædæ cupidine, ceteros non vocibus modò, sed etiam exemplo provocantes, inter primos in Urbem prodierant. Carolus ergo, cui jampridem suspecti fuerant perniciosi hominis motus, quum solicita percontatione aliquandiu perquisitum cognovisset, prædatum accurrisse, intellexit latere dolos, & Robertum magni aliquid corde versari. Itaque ne quid calamitatis seditiosus incuteret, providendum ratus, sagax consilium capit. Probum militem, cujus industriam fidemque expertus norat, acciri ad se jubet, utque is simulata quoque cum ceteris prædæ spe delapsus in Urbem, Roberti motus omnes exploret, commonefacit; cautè illum procul sequatur; quò tendat, quos alloquatur, quid attractet, astutè animadvertat. Illius curam sibi cordi fore pollicetur, præmiique pellectum spe magìs accendit. Impiger ille quum se turbæ immiscuisset, unà cum reliquis interceptus ab hostibus, armis & vestimentis exuitur. Nam Genuenses ut stolidè proruentes inspexere, ad unum omnes exceperant, & priusquam abire paterentur, armis vestibusque nudaverant. Sic quidem Robertus ab initio composuerat rem.

Principes igitur conjurationis, etsi pari cum ceteris conditione armis viderentur exui, graviora tamen mente volvebant. Ut primùm enim data potestas est, cum iis, qui apud hostes summæ rerum præerant, colloquuti, se illis scelerato fœdere devinciunt. Deleri ea nocte exercitum Venetum, & confici bellum posse, si viri esse voluerint, docent. Minimè deinceps differendum esse, nec oblatam rei benegerendæ occasionem prætermittendam monent. Peropportunum advenisse tempus, quo ex obsidione esurieque soluti, ex victis victores fiant. Mercedem paciscuntur, conditiones dicunt, fidem præstant utrique, conventis fidem fore, pacta servatum iri. Perpetrando pernicioso facinori etiam adhibent modum. Conspiratores nocte proxima mersis sopore Venetis, tumultum excitare in castris. Carolumque in statione opprimere pollicentur. Genuenses luminibus signum in Urbe dare, quo tempore magìs aggredi opus præstaret. Subinde patefactis portis cum omnibus copiis eruptionem facere, in exercitumque Venetum, cæde Imperatoris, & suborto motu tumultuantem, intempestæ noctis silentio irrumpere, ad internecionemque omnes trucidare. Conjurationis hæc summa erat. Explorator ergo submissus à Carolo, ut relictis impedimentis expedire se primo congressu ab hostibus potuit, nihil cunctatus Clodiam ingreditur; insequutusque Roberti vestigia, ubi sisteret, quid ageret, volveretque

que sagaciter speculatur. Cum primis Genuensium arcana illum perstringentem colloquia videt, diutiùs colloquutos manus premere, fidem dare, grandia trutinare verba, toto moveri corpore, capite comminari, hilariores ad exitum esse. Ita dexteritate mira ingenii, aptitudineque naturæ, iniri conjurationem percipit. Post ubi illi abierant odio in Venetos simulato pleraque astutè à Genuensium servis extorquet, noctemque illam cognoscit excidio futuram Venetis.

Jam vergere in noctem videbatur dies, & militum plerique dantes levitatis pœnas, nudi ut erant inermesque revertebantur in castra. Quos ut Carolus mœstos redeuntes aspexit, ad viam, quæ Clodiam ducit, profectus, se se his ex itinere obvium præbuit. Cogebanturque singuli ferè ante illius prolabi pedes, & omnino in conspectum prodire. Tum in quosque, ut proximè accesserant, invectus, avaritiam levitatemque incusabat, calumniabaturque illos quasi pro meritis consequuti condignam pœnam essent. Interim quoque explorator venerat, & quæ comperta habebat Carolum exactiùs edocuerat. Quem Carolus, ne quicquam consiliorum prodiret in lucem, delitescere in statione, clandestinumque quiescere jussit. Ipse Roberti reditum anxius ad noctem præstolabatur. Tamdem primis tenebris cum plerisque, qui unà conspirarant, inermis ac spoliatus Robertus apparuit. Ad quem ubi primum adventantem conspicatus est, tentandi ac lacessendi animi gratiâ conversus Carolus, præclarumque appellans ducem: Quàm onustus fortunis hostium, quantum bonæ prædæ adeptus esset rogat; illum eo die locupletem effectum esse congratulari. Se quoque ex spoliis ab hoste delatis participem fieri æquum videri. Eane studia sua, hæ cogitationes, hæc opera, hæc præclara facinora essent, queis præstaret in ceteris? Eane generis & nobilitatis munia; Ea militaris artis stratagemata sua, ut qui talem in exercitu duceret ordinem, adeò stolidè proruptèque in manus hostium, se suosque præcipitaverit, exercitumque omnem tumultu ac perturbatione ingenti, se anxietate & pergravi cura complerit? Strenuos ea quippe minimè viros decere; minimè hoc pacto opes & gloriam, sed egestatem miseram, dedecus insigne atque indelebile comparari. Bonis magìs artibus, & consiliis opes cumulari oportere. Non temeritati, sed virtuti laudem esse. Nil magìs, quàm actiones animum edere. Posteritati quidem etiam tam inconsultos, & stolidos motus proditum iri. Eam esse notam, quæ perennis illi omni ævo futura sit. His atque hujuscemodi quum in eum convitiantis demum specie Carolus invectus esset, tantâ ille patientiâ increpationes adhibitas, ea mansuetudine illata probra excipere visus est, ut nec ullo asperiori inclementiorique verbo reddito ceu rubore perfusus, nihil magìs, quàm errasse se fateretur: adeò animis hominum innata simulatio, procliveque ad fingendum ingenium est, totque latebrarum capax. Nox erat, & jam curare milites corpora, cibumque capere cœperant. Sed Carolus in tanto discrimine haudquaquam cunctandum ratus, ubi ad stationem progressus est, convocari ad se quamprimum omnes jussit, qui equestris militiæ in exercitu ducebant ordinem. Nam pedestres ferè omnes conspiratione videbantur infecti. Qui protinus mensis, & cœna relictis ad imperium advenere. Tum Carolus orationem ad illos in hunc modum exorsus est.

» Suspensos animis vos intueor, o socii, » quòd noctu raptim accersiti nunc ad me » non frequentes, ut forsitan pro consuetudine putabatis, conveneritis. Verùm id » non casus quidem, sed fidei & amoris mei » erga vos, & in me vestri ratio fecit. Neque ille quidem recens, sed vetustus nobis, nostrisque jampridem ingenitus animis. Horum mea plerumque vobis ego » documenta dedi, & vestra habeo. Ut enim » superiora & tempora & gesta prætercam, » ab ipsis quidem hujus belli primordiis, » nullum fidei, nullum virtutis, nullum » benevolentiæ in Rempublicam Venetam » & me pignus & indicium omisistis. Ita » invigilastis ejus saluti, victoriæ insudastis, ingruentibus periculis invicto obstitistis animo, in hostes infesso corpore » semper strenuè decertastis, ut non mercede Senatui Veneto navare operam, sed » affectu ac pietate, non exteri quidem, » sed ex ipso Venetæ Urbis corpore progeniti videremini. Neque enim minùs vobis visa est cordi Veneta salus, quàm » vestra, non tam fortuna, quàm vita, quin » magìs vobis hæc vilior, quòd ita Veneti » nominis gratiâ quodcumque ingens discrimen, celso animo obire non dubitastis, » ut nullum vulnus, nullam tam sævam cædem recusaretis. Nam bellum hoc ad hanc » diem ea fide, ea virtute duxistis, ut non » rei alienæ incumbere, sed propriam gerere causam, & pro vestro sanguine dimicare ostenderetis; & quum fortes Viri » sitis, non fidem tamen minùs, quàm fortitudinem colueritis. Neque verò expedire censeo, ut ex innumeris, quæ mihi » versantur ante oculos, pauca commemorem, quum nulla excesserit tam obscura, » tam torpens, & ignava dies, quæ non » aliquod vestrum inclytum facinus viderit, » & efferre in lucem cum gloria & admiratione omnium queat. Nemo me horum » peritior est, qui præclaro documento & » fidem & virtutem vestram in dies magìs » expertus sum. Propterea ita equidem dedicavi meritò animum vobis, ut veluti » parentes venerarer, amarem ut fratres, » ut amicorum principes diligerem pectore » toto, & inter primos, quos caros haberem, præcipuè mihi conjunctos adsciscerem. Quantum vestris honoribus & commodis inservierim, in quibus vobis studuerim gerere morem, de imperio meo, » de comitate, de beneficentia ac liberalitate in vos, neminem magìs, quàm vos » ipsos testes affero. Sordescere hæc, si efferantur à me, non equidem ignoro. Nolim beneficiorum exprobrator cuipiam videri. Neque enim minùs strenui spiritus » virum decet, quàm cogitare, & prædicare de se, quæ ab aliis audire desideret. » Nemo est tam exactus rerum æstimator, » qui incorruptè de semetipso judicet. Placent cuique sua, & sæpe quod exiguum » est, cassa & inani æstimatione in cœlum » tollimus. Itaque nostra ab aliis, quàm à

„ nobis patientiùs atque avidiùs audiunt homines. Hoc unum ingenuè fateri ausim, quod finè crimine dici posse puto, ita meruisse vos, ut præconem me vestrarum laudum efficeretis, quibus quantum apud Senatum sæpe profecerim nostis, ut non tam sermone, quàm opere prodessem vobis, & Senatus in vos beneficentiam meo exemplo pellicerem. Sensit hoc plerumque res mea familiaris, sentient forsitan & liberi posterique mei, quæ clam palàmque, ubi exegit res, proprio ex ære depromsi. Sed hoc maximè lætor, quòd quantum ad vos attinet, in optimè meritos, & operibus animisque dignissimos viros contuli. Torqueor verò plurimum, quòd multi vobis dispares sint, & animo moribusque dissimiles. Qui ingratitudinem temeritati, temeritatemque ingratitudini permiscentes, se amore ac beneficiis reddidere indignos, immeritos quoque vestri consortii, quod fœdare protervè moliti sunt. Neque Rempublicam modò, & me, qui illos omni facilitate mihi conciliare contendi, sed vos quoque, præstantissimi viri, in ultimum periculum extremamque perniciem conantur adducere. Ingenti in discrimine versamur, o socii, & de salute, ac sanguine periclitamur. Hæc nox, nisi tulerint opem Superi, extrema nobis futura est. Nunc tot strenuè gesta, tot præteritique labores temporis, tot vestra præclara facinora uno momento irrita reddi video, nisi solita fides, virtusque vestra imminenti jam cladi succurrat. Sunt in exercitu, qui in capita fortunasque vestras, & Reipublicæ nostræ excidium, meumque pariter (mihi enim patriæ pernicies propria est) impiè conjuravere. Proditi sumus à nostris, & ut mancipia venumdati hostibus. Horrendum cum Genuensibus est ictum fœdus, capita nostra fortunasque mercede pepigere hostes. A quibus sperare præsidium decuerat, hi in Genuensium nos truculentas manus dilacerandos tradere properant. Nuper hæc cognita mihi sunt, quæ ut assequerer astutis sum artibus fretus. Omnia tamdem luce clariora comperta habeo. Accivi itaque vos, ut ea promerem vobis, & manibus palpanda ederem. Quo pro communi amore, ac fide in Rempublicam, & mutua inter nos pariter, tanto tamque pernicioso periculo consulerem. Neque enim minus præsidium à vobis, quàm consilium flagito. Quippe utroque perardua indiget res, & vos æquè ad utrumque præstatis. Itaque nunc & animo, & virtute, ac probitate vestra maximè opus est. Quantum vobis Venetæ Reipublicæ salus, quantum vestra nostraque cara sit, nunc strenuè commonefacite. Quantum fide ceteros anteitis, edere nunc casus datur. Si ulla vobis nominis & gloriæ inest cura, egregiam potiundi voti nacti facultatem estis. Neque enim ulla erit tam surda posteritas, tam ingrata fama, quæ non in cœlum vos debitis laudibus ferat. Liberate vos discrimine, Rempublicam clade, me benevolentissimum vobis anxia sollicitudine, nos omnes supremo exitio eripite. Expendant perfidi meritas pœnas; dignum tanto facinore supplicium luant; perfidiæ suæ, & innocentiæ ac fidei vestræ posteris exemplum linquant. Vos verò, ut optimos viros, & strenuos duces decet, solitæ probitatis, & fidelis animi memores, nomen vestrum hodierno die perpetuæ immortalitati meritissimi consecrate.

Concionantem Carolum intenti militum duces, defixisque in illum oculis ferè attoniti conspectabant. Reique novitas & magnitudo perterrefecerat animos. Ut verò anceps periculum solerti reputatione pensantes, præsentium statum rerum pervolvere mente cœperunt, vehemens cupido incesserat animis nosse, quinam essent, à quibus tam exitiabile prodisset scelus. Confirmato quippe animo omnes vires in eorum exitium, & Reipublicæ salutem vertendas fore censebant. Itaque ubi siluit, se se omnes jactatis invicem luminibus intuentes, agebant quidem ore silentium, magìsque animis, quàm vocibus loquebantur. Scilicet hanc incuti notam militari generi haudquaquam tolerandum fore, sed labem ab his inflictam contrario facto purgandam, & quantum in ipsis esset fidei comprobandum. Erat inter ceteros copiarum duces Guilielmus Britanniâ, quam Angliam dicimus, trahens originem. Is perstrenuæ virtutis, celsique animi vir, & probatæ fidei, prior assurgens, annuentibus ceteris, ita loquutus est: „ Oratio tua nos, imperator, alacres primùm, dehinc propemodum reddidit mœstos. Gratulamur quippe, quòd ea de nostra in Rempublicam fide, observantiaque, ac pietate in te geras animo, quibus nos neque digniora, nec potiora fingere nobis, nec optare etiam voto quidem possemus. Proinde tibi gratias agimus, quas nostræ ferre maximè vires queunt, habebimusque semper, dum spiritus hæc afflabunt corpora, eo majores, quo animi corporis fortunarumque vis præstabit. Te enim talem erga nos experti sumus, ut non Imperatoris, sed parentis loco & duceremus, & coleremus. Torquemur verò acriter, nostri generis homines tam execranda, tam sæva scelestaque ausos esse, quæ probatæ fidei, ac virtutis quemquam etiam cogitare nefas est. Horret animus, quum vel abs te referri audio, nuperque commemorante te pericula, clades, facinora, mente ferè destituebar, neque consistere mei compos poteram. Pertracto impudentium temeritatem, considero impios & funestissimos animos, imminens excidium animadverto, & nostri ordinis semper apud probos inviolati perpetuum dedecus. Neque enim finè nota, & calumnia militaris generis hæc tractari posse intelligo. Quamquam non sunt ejusdem artis hominum semper animi pares, & ubique terrarum strenuis ignavi, probis iniqui permixti sunt. Ceterùm quamquam hæc quàm gravissima sint, tamen vigilantiâ, curâ, solertiâ tuâ, sublimi illo ingenio, quo ceteros mortales excedis, tu debilia & facilia reddidisti. Invigilasti enim pro communi salute, & cervices ac fortunas nostras ex hostium ferocissimis unguibus eruisti. Nos verò pariter ab imminenti pernicie & labe servasti, qua fœdare nos passim vulgi poterant voces. Integram adhuc rem, pro tua clementia detulisti ad nos, & quantum tibi

„ esset

„ esset in nobis fidei, declarasti. Quibus ex „ rebus immortales etiam atque etiam debe„re tibi gratias non desinimus. Utinam re„ferre aliquando valeamus. Neque verò aut „ spe, aut judicio fraudatus es. Ecce tui su„mus omnes, in potestate nos habes tua; „ tibi jam pridem deditos, nunc tanto bene„ficio in perpetuum obnixè devinctos tenes. „ Utere nobis jure & arbitratu tuo; doce „ quæ facere nos fert animus. Ad imperium „ præsto sumus. Effer, si modò placet, eo„rum nomina, opera quorum in hæc nos „ pertraxere consilia. Permitte ut impii, „ scelesti, parricidæ pernotescant nobis. „ Experieris re ipsa magìs nunc eam fidem, „ quæ pridem de nobis tibi animo concepta „ est. Quid enim aliud consuli, quid cen„seri, quid præstari præsidii potest, quàm „ ut hos non mucronibus modò concidamus, „ sed unguibus & dentibus laceremus, eo„rumque sanguine satiemur? Quod ego qui„dem, etiam si ceteri desint, intrepidè me „ facturum polliceor; ultima quippe pro fide „ experiri certum est. Quid enim fidis ad„versùm perfidos esse terrori potest? & nu„mero, & viribus, & animis, & causa præ„stamus. Favebunt profectò Superi quique „ justi violatæ ultores fidei. Si modò dete„cta conjuratio sit, salva res est. Perculsis „ metu, & conscientia sceleris, nihil reli„quum erit vel animorum, vel virium. „ Nos verò quantum Veneta tuaque salus, „ sit cordi nobis, experimento comprobabi„mus. Facta verbis conrespondentia devo„tissimum Reipublicæ animum nostrum li„quidissimè proment. Fidei nostræ res ipsa „ documentum dabit.

A

Ubi responsis attulit finem, reliqui omnes vultu, vocibusque assensi sunt, & quæ protulerat is, ex eorum pari sententia & mente constare sunt contestati, ea denique ipsa haud disparibus animis, iteratis suggestionibus firmavere; nec ex illis unus quidem defuit, qui non quodvis sævum & horridum supplicii genus scelestissimis proditoribus & imprecatus, & comminatus non sit. Carolus ut ex vocibus, ore, gestu bene sentientes sincerasque omnium mentes vidit, & in salutem Reipublicæ, conjuratorumque internecionem ferventes, properè plerosque jam summiserat, qui raptim ad se Robertum accirent, satis fore ratus, si auctorem seditionisque principem solum hoc initio proderet, isque dumtaxat primùm luisset pœnas, ne nominatione plurium graviori forsitan discrimine involvi causam contingeret. Sed quum ille tum, cœnæ, tum alias atque alias simulationes captans, aliquandiu distulisset, non mediocris mora protracta est, ducibus ut rem lucidiùs cognoscerent anxiè præstolantibus. Ceterùm adhibitâ nuntiorum frequentiâ, quum tamdem advenisset: Carolus evocatum propius, & quasi honoris gratiâ considere juxta se jussum, manu ac lingua prodit. Eum quippe, inquit, esse, qui adversùs Rempublicam cum hostibus princeps auctorque conspirasset; esse illi quoque complices alios, quos suo tempore explicaturus sit. Negare ille primùm cœperat, & hujusce criminis se reum esse inficiari; sed ut Carolus obluctantis impudentiam convicturus, prodire speculatorem commonuisset, & singula quæque ordine in omnium conspectu referre, isque imperio parens, diligenter rei retulisset seriem, erumpere in clamores, & tumultum suorum excitare voluerat; plurimum enim in conjuratorum multitudine confidebat. Sed jam assurgere proclamareque gestienti qui assistebant satellites, graviores veriti motus, ligneo retinaculo ore compresso efferre voces prohibuerunt. Confluxerat interea ad stationis fores magna peditum turba. Robertum siquidem ab Imperatore raptim accitum, rumor per castra vulgaverat. Itaque avertendæ seditionis gratiâ per stationis posticum vinctum illum educi placuit, & ad Principem Senatumque in classem custodibus adhibitis deferri. Inde reseratis foribus, Carolus suorum comitatus manu, tabernaculo egreditur in Reipublicæ salutem acclamare omnes jubens. Quibus solitas fidei voces extollentibus, qui Roberti sectabantur partes, raptim ut amentes in Carolum impetu facto prorupere, denudatisque mucronibus injicere in illum manus non veriti, ingenti tumultu omnia miscuerunt; ad tantumque furoris perventum est, ut etiam ex his quispiam protensa manu strictoque acinace gravissimo ictu Caroli caput incuteret. Periissetque procul dubio, ni valida galea, quam gestabat, terribile id vulnus excipiens, tunc illius fuisset salutem tutata. Tum verò prœlium atrox accenditur, civilisque conseritur pugna, probis fidisque adversùm conspiratores acriter decertantibus. At Genuenses initarum conventionum memores, ad rem ex voto bene gerendam intentioribus perstabant animis. Itaque ut primùm tumultus rumor insonuit, signa ex composito, irruptionesque facere parabant, & quæque patrando facinori opportuna persolvere. Sed quum frequenti clamore continuò magìs magìsque invalescere fidelium Reipublicæ voces animadverterent, detectam conjurationem intelligentes se intra mœnia continuere. Ergo jam ad extremam desperationem impulsi, consilio intempestæ noctis silentio celebrato, demum deditionem facere decreverunt.

B

C

D

Igitur ut primùm lux excipi potuit ad Principem Senatumque in classem Oratores misere, qui Urbis Clodiæ rerumque omnium potestatem permitterent. Senatu ergo in classe de more coacto, Urbs Clodia his præfixis conditionibus accepta est: Ut quicumque Genuensi orti genere Venetias subvecti, in carceresque conjecti Senatus Veneti clementiam & misericordiam expectarent. Eorum bona miles nauticus diripienda desumeret. Exteris verò conducticiisque militibus, Genuensium stipendia mereri assuetis, arma dumtaxat asportare liceret, reliqua omnia exercitui, cui Carolus præerat, in prædam data. Conjurationis verò auctor princepsque Robertus Venetias perductus, judicibus torquendus traditur. Qui quæstionibus haud sanè pergravibus actus sceleratum facinus professus est, factusque læsæ majestatis reus. Itaque memorandum tanti facinoris supplicium expeti Senatus quum decrevisset, marmoreas inter columnas, quæ foro medio exstant, præclarè in crucem sublatus impiæ proditionis meritissimas pœnas luit. Genuenses verò Venetias vecti ad quinque hominum millia, in carceres & vincula constipati sunt, qui diuturna superiori inedia, in esum rabidissimi, paulò post affluentia cibi immodi-

E

cè sumti, ferè omnes interierunt. In hunc modum atrocissimo & periculosissimo Clodiensi bello, calamitosissimo quidem omnium, quæ umquam Respublica Veneta passa est, immortalis Dei clementiâ ac pietate, Carolique Zeni virtute finis est datus.

EXPLICIT LIBER QUARTUS.

INCIPIT LIBER QUINTUS.

EXacto tamdem eo bello, Urbeque Clodia finitima, & commodissima Venetis recuperata, quam aliquandiu Genuenses infestissimi occupaverant hostes; quippe qui paulò ante feroces Venetos irruperant finus, Venetamque diripere Urbem non tam cupierant, quàm sperarant: Princeps, Patresque haudquaquam protelandum rati, properè cum classe Venetias reverti constituere. Itaque quum priusquam abirent, de rerum summa decernerent, placuit maximè omnium, ut Carolus, cujus ductu & auspiciis vendicata erat Respublica, fungens vices haud dispar ovanti Urbem iniret, novaque Clodiæ possessione percepta, illi quoque Prætor præesset. Primum enim ea in Urbe magistratum ei potissimùm meritò deberi arbitrabantur, qui tanto in illa recuperanda non labore solùm, & indefesso studio ac operè desudaverat, sed nec opibus, nec sanguini, nec vitæ pepercerat. Carolus ergo Senatus decreto facturus satis, gloriosus inter frequentes astantium laudes, & exultantes voces Clodiam ingressus, pæne vacuam & desolatam comperit. Igitur quæ ad Venetæ Reipublicæ dignitatem, & Urbis populique salutem, ac tranquillum regimen attinebant, providere adortus, plerisque diebus, queis inibi mora protracta est, quæ usui erant impigrè persolvit. Ceterùm ut diutiùs præesset, magistratumque iniret, adduci non potuit, non ulla planè illiùs in dignitate permotus: nam per id temporis inter primores, & loco dignissimo judicabatur; sed quòd jam ultra biennium Reipublicæ usibus mancipatus ita Patria caruerat, ut ejus miro quodam desiderio, & animi ardore flagraret. Itaque Senatui agens gratias, magistratu se abdicavit, eo quidem consilio, ut aliquandiu quietus rei familiari, suorumque commodis incumberet. Ceterùm minimè illi ex voto successit, neque longiùs quàm optaverat, quiete perfrui datum. Siquidem quum magnam in Genuenses gravissimos hostes expeditionem decrevisset Senatus, classemque parasset, aptum bello Ducem quærebant. Ita in Carolum omnium mentes & vota conversa sunt. Nam & Victor Pisaneus celebri fama vir paulò ante Venetiis cum classe digressus, apud Sipontum Apuliæ extremum fati persolverat munus, destitutaque classis duce novum Imperatorem præstolabatur. Quamobrem Carolus cunctis suffragiis imperator designatus, paratæque classi summa omnium expectatione præficitur. Præclarum verò spectaculum fuit, quum Princeps Venetus solemni ritu sacris primùm persolutis, eleganti oratione collaudato Carolo, sacro in Templo, quod Evangelistæ Marco dicatum est, quem præcipuum patronum Veneta Civitas colit, Imperatoria signa de more contulit. Quò quum Senatus, Plebis, Clerique, & omnium ordinum ageretur concursus frequens, haud impar festo dies ingenti applausu celebratus est, ferèque populi totius voces in Caroli gloriam resonabant. Itaque inter voventium & supplicum manus Venetiis solvens ad classem, quæ apud Parentium Hystriæ operiebatur, properè vectus est.

Erat autem Classis magna quidem ab initio comparata. Quippe quinquaginta armatæ triremes prodierant ex Urbe. Eo etiam validior aptiorque, quòd & militum magna manu Senatus illam jusserat constipandam. Ceterùm quum primùm perlustrare Carolus classem cœpit, & singula quæque intentiore cura prospicere, vacuæ triremium quamplurimæ nudatæque nautarum, remigumque turbâ apparuere. Quibus ad robur celeritatemque reparandis, quum intendisset animum, salubrius visum, paucarum, quæ minùs videbantur utiles, desumtis copiis, reliquas affluentiùs communire. Quippe robur numero, fortitudinemque multitudini præstat semper in bello præferre. Itaque quatuor supra XL. optimarum velociumque triremium classe reddita, Parentio solvens in Illyricum navigavit, spei quidem bonæ plenus, si modò rei bene gerendæ oblata facultas foret. At Genuenses quum & ipsi classem armassent, è Ligustico in Adriaticum pelagus per Tyrrhenum venerant mare, & apud Jaderam Lyburniæ Urbem de itinere cum classe substiterant. Illa enim ut pleraque alia ejus regionis oppida Urbesque Genuensium ea tempestate ditioni suberant. Illi igitur, cognito Caroli adventu, anxio pavore consternati, prodire in publicum, seque pelago ac prœlio committere formidarunt. Sed Jaderam ingressi, sic se intra mœnia portumque continebant, ut accessu undique septo egredi neminem ingredive paterentur. Carolus ubi territos hostes vidit, de industria ad portus fauces prolapsus, provocare illos ad prœlium conabatur. Eamque in rem astu, & arte fretus, nunc velut inconsultè prætergredi, modò majori triremium parte relicta, cum paucis accedere, nonnumquam clamoribus injuriisque lacessere non desistebat hostes, si quoquo pacto vel irritatos contumeliis, aut spe rei benegerendæ pellectos, portu educere, aut accendere aliquando in certamen quiret. Ceterùm adeò pertinax erat perstandi sententia, tantusque illos invaserat terror, ut non classis modò, vel triremis ulla prodiret in pelagus, sed nec ex minoribus quoque navigiis, plurium dierum morâ, quæ hisce in locis contracta est, vel unum aliqua ex parte conspici quiverit. Angebatur animo Carolus, & qui in bellum exardens nihil magìs, quàm hostium copiam flagrabat, frustrari se non speratâ modò, sed pæne certâ victoria torquebatur. Cupidum quippe pugnæ, plerumque acriùs afficit hostium detrectatio, quàm belli labor & exitus. Expugnare verò Urbem, & vi portus irrumpere fauces, quodque sponte non permitteretur, aut artibus elici posset,

mar-

marte & viribus impetrare, animus profectò non deerat. Sed id cogitari magis concupiscique, quàm prudenti ratione sperari poterat. Sic enim ad eam partem, quæ ad mare spectat, Urbs muro cincta egregiè, validissimoque præsidio communita erat, portusque turribus, propugnaculis, & catenis septus & constipatus, ut nihil magis, quàm indubitata ad internecionem cædes expectanda videretur impetum facientibus. Accedebant & pleraque incommoda graviora, quæ non expugnationi modò insistere prohiberent, sed in anxias difficultates Carolum adducebant. Nam primùm quidem execrabile vertebatur nautis anni tempus, mediaque hyems, quæ etiam solito duriùs inhorruerat, tantum gelidissimi frigoris, tantum procellarum invexerat, ut neque consistere in classe miles, nec in mari classis posset; & quod anxietatem graviorem incusserat animis, ad extremam in classe inœdiam deventum erat. Nec enim simpliciter ingruere adversa fortuna solet, sed in multiplicatos, ubi sævire cœpit, semper exaggerat casus. Siquidem prætorquam quòd sterilitate ingenti ea tempestate in omni ferè terrarum Orbe laborabatur, etiam quamplurima, quæ commeatum ad classem navigia deferebant, vi maris & procellarum per horridam hyemis intemperiem, fluctibus hausta perierant. Itaque nec nautæ militesque, quibus vesci possent, habebant; nec imperator, quibus ferocia corpora præ inopia necessariarum victui rerum aleret. Ita simul gelu & fame classis acriter premebatur; nec salubri remedio provideri imminentibus calamitatibus quibat. Quod enim ad maris attinebat discrimen, etsi Carolus prudentiâ fretus salvam reddere classem conaretur, commodioribus delectis locis, quòd maritimarum rerum probè artem callebat, tanta tamen erat nautis famis impatientia, ut ferè ad ultimam illos miserabilem desperationem impelleret, nec à detestandis etiam clamoribus temperarent. Quietem quippe agere esuriens vulgus nequit. Nam etsi interdiu aut herbarum radicibus, aut conchiliis, quæ per litora contrahebant, aliquantisper ariditatem spiritus lenirent, quum primùm tamen nox ingruisset, quo potissimùm tempore solidiores capere cibos erant soliti, ita furore & rabie trahebantur, ut Inferos etiam implorantes spiritus execrandis vocibus (horrendum quidem dictu) ab his supplices panes exposcerent.

Carolus verò, quo tantæ calamitati consuleret, ad omnes portus Urbesque circumvicinas enavigans, quum carnium quidem aliquid, panis autem nihil assequi posset, aliquandiu solis & puris carnibus copias aluit. Nec enim quisquam ea in classe compertus est, qui ad quindecim continuos dies vel parumper panis degustarit. In hac tanta omni ex parte difficultate rerum, quum dissipari in dies classem, ruereque in perniciem cerneret, & jam nautarum animos gelu inœdiaque ad extremum exhaustos, prœlii verò nullam amodo spem videri, haud ampliùs differendum ratus, classis primores cogendos, & quid facto foret opus, consultandum censuit. Re igitur ad consilium delata, haudquaquam anceps controversia acta est, neque diutiùs suffragiis decertatum; quippe periculi magnitudo dilucidaverat causam, & celeritate indigens omnem moram obtriverat. Itaque patefaciendos Senatui periculórum casus, explicandasque iniquas conditiones rerum, universi non tam maturè quàm cupidè decreverunt. Id igitur quum placuisset, raptim Carolus exaratis literis, quo in statu res essent, quæ temporum fortunarumque ratio, quid agerent hostes, quid nautæ, quæ famis, & frigoris vis, quæ mentes, docet. Extremam classi imminere perniciem, si diutiùs hisce in regionibus protraxisset moram. Succurrendum imminenti excidio; providendum, ne tanta pereat classis; ne Reipublicæ tantum calamitatis inflictum sit monet; & omnino in eam rem quæ cognitu digna videbantur, Senatum certiorem facit. Ut primùm literæ in Senatu perlectæ sunt, mœror omnes metusque pervasit. Sed ubi deliberandi facultas est data, confirmatis jam mentibus variari sententiis cœptum est. Nam etsi classi consulendum nautarumque saluti ferè omnes arbitrarentur, queis potissimùm pietatis aliquid inerat animis, erant tamen frequentes, qui minimè revocandam classem, sed alia ad loca divertendum censerent. Plerique verò etiam expugnandis aliis Urbibus, plurimisque Reipublicæ usibus, priusquam rediret in Patriam, utilem persuadebant fore. Potissimùm quòd ea etiam tempestate Senatus cum Aquilejensi Præsule gerebat bellum, erantque nonnulla Fori-Juliensis oppida ad mare spectantia, quæ per eam hyemem expugnanda esse cum classe judicabant. Inter reliqua verò Maranum (sic enim loco nomen est) adducebatur in medium. Cujus potiundi studio, quo flagrabant plurimùm, pervicaciter asseverabant in potestatem Senatus redigi facilè posse, ad idque peraccommodatum tempus fore. Causâ ergo in controversiam deductâ, inter diversas conciones concertantium Patrum tamdem ea prævaluit, ut Carolus non Venetias rectà, sed ad Maranum expugnandum classem educeret. Quum in eam partem decrevisset Senatus, id quoque adjectum est, Carolo tum demum Marano subacto, cum triremium parte redeundi in Patriam facultatem fore, reliquas Clodiæ relictum iri. Hisce mandatis acceptis, Carolus Illyrico movens, per Adriaticum sinum Maranum versùs cum classe contendit, Senatus voto pro virili facturus satis.

Est autem Maranum Carniæ Provinciæ prisco nomine oppidum, quam nunc *Fori-Julii patriam* vulgus appellat, à Foro-Julio quondam præclaro Carnorum loco, ut plerique autumant, nuncupatione deducta. Idque ad maritimam quidem oram vergit, non tamen adeò cohærens, & imminens mari, ut rectà navibus ad ipsum aditus fiat. Sed oppidum inter ac mare cœnosæ ac paludosæ aquæ fluunt circiter ad quingentos & ampliùs passus, quibus angusto meatu, & vix exiguo cuique navigio transmeabili ad illum accessum esse necesse est, & quod incommodius accidit, loco tanta ex aquarum fluxu refluxuque siccitas certa temporis intercapedine suboriri solita est, ut quæ tumescentibus aquis ingressa navigia sint, paulò post exhausta, adverso cursu, aquarum congerie, velut in arido destituta, fixa, ferèque immobilia reddi oporteat. Itaque ut speculari loci situm naturamque Carolus cœpit, etsi non mediocri

cri mœrore concuteretur, quòd nullum præclari facinoris casum sibi videret offerri, tamen ne concidisse animo, aut detrectare videretur imperium, experiri fortunam, & aggredi opus constituit. Ceterùm ne repentino fortassis hostium adventu quicquam incommodi in has detrusæ angustias classi posset afferri, providendum arbitratus, duabus speculatoriis triremibus ex universa classe delectis, earum præfectos ad se acciri jubet. Cum quibus pleraque, ut res exigebat, loquutus, ubi consistere loci velit, quidve agere, commonefacit. Ipse cum reliquis fauces ingressus, Maranum petere properat. Vix aliquantum exegerat spatii, triremibus pro angustia loci ægrè invicem succedentibus, quum procul speculatoria navis conspecta suspicione quadam suspendit animos. Ut verò ea propiùs accessit, qui præsidebant signo dato, hostium triremes comparuisse significant. Tum Carolus converti proras, & in altum progredi jussit. Ipse prior, quòd loci natura nonnihil difficultatis afferebat, non sinè labore ex angustis faucibus in apertum se se recepit. Ubi omnes affuere, parari ad bellum, & esse in armis monuit. Tubicines canere, refici militum nautarumque corpora curavit. Acies deinde instruit, & quid cuique agendum, unde movendum, quò prodeundum, ubi persistendum sit, docet, perindeque parari omnia jubet, ceu cum hostibus manum è vestigio conserturus. Et lætus quidem animo oblatam certaminis occasionem gratulabatur quam diu antea multis pertentaverat artibus. Verùm quo certiùs rem cognosceret, alia insuper speculatoria navigia exploratum transmisit. Triduum sic ad certamen paratus hostes præstolatur. Tandem redeuntes exploratorum plerique delusos se conspectu, nullam esse hostium in hisce aquis classem nuntiavere. Ita spe victoriæ prærepta non minor exstitit mœror, quàm voluptas antea fuerat. Eo enim semper pertinacior spes est, quo cupido tenaciùs inhæserit animo; quæ ubi jam menti defixa fallit, adeò grave est, ut nec cupivisse, nec sperasse satius foret; plusque incommodi affert, quod potitus sperato non sis, quàm voluptatis, si consequaris. Igitur quum quid consilii capiundum, quidve facto foret opus, secum agitaret animo, quod Maranum classe triremica propter loci angustiam, aquarumque profluxum intelligeret expugnari non posse, rem ad consilium deferre statuit, ordinemque in classe ducentium scrutari vota. Ut convenere omnes, rerum difficultates aperit; Senatus mandata eo pacto compleri non posse memorat; situs locique naturam ostendit; inœdiam dehinc, rerumque necessariarum penuriam; classem, & nauticas copias sinè cibo in summo versari discrimine; hostium nullam copiam fieri, prœlii facultatem nullam dari; tantum eos adversùs famem ac frigus certare, rigore algere nautarum corpora, & exsiccari esurie. Ultimum malorum inœdiam esse; nulla illi vi posse obsisti. Cernere se hanc classem, si aliquandiu ita perseverarit, deleri ac dissipari oportere. Ancipitem verò, & calamitosam sibi causam hanc videri, hinc Senatus mandatis, inde salute classis, & Reipublicæ, quæ ab ea maximè dependeret, urgentibus. Evocasse ergo se illos, ut unà quid consultius foret deliberarent. Orare obtestarique pro ea caritate, qua Patriæ tenerentur, ut quæ magis e re publica censuissent consulerent.

Ut primùm dicendi finem fecit, ex triremium præfectis plerique dixere sententiam, & de causa quantum rei magnitudo poscebat disseruere. Tamdem quique omnes in classe agebant ordines, in eam sententiam convenere, id potissimum e re publica fore, nihil eo magis rebus conducere, quàm ut repentè cum classe Venetias Carolus peteret. Præstare siquidem salvam classem, & virorum robur Reipublicæ conservare, quàm nihil proficientes deperire inœdia, classemque ac cives ad internecionem deleri. Hoc Patriæ consilium salubrius esse. Alioquin non dubitare, à se pro deperdita classe aliquando rationem Senatui exactè redditum iri. In eam partem quum omnes qui consilio aderant, frequentissimi accederent: Carolus & ratione & auctoritate permotus, ne si quid gravius emersisset, culpâ suâ detrimentum Respublica pateretur: postquam prosperè gerendæ rei nullus dabatur casus, digredi inde constituit, classemque adhuc integram, priusquam sæviora ingruerent, salvam conducere in Patriam. Enavigaverat quod medium est freti, & Veneta sensim conspici litora poterant; jamque crebri rumores compleverant Urbem, Carolum adventare. Sed Senatus ut de classis Carolique adventu certior redditus est, haud salubri quidem consilio, mœrore affici, improbareque factum est visus. Itaque nonnullis ex ordine Senatorio delectis, ut ad Carolum profecti illi reditum prohiberent jussit; quin mandarent repetere Illyricum, ibique nova imperia præstolari. Perventum erat ad Portus Veneti fauces, & jam ingredi Carolus cum classe parabat, quum à Senatu celeres adsunt nuntii, mandata literasque perferunt; ne portum adeat, neve Urbem ineat, jussu Senatus monent; sed in Lyburniam reducere classem, quæ in posterum præscriberentur exequuturum. Nisi paruisset, capite luendum fore; Senatus ita quippe decreverat. Supremi discriminis erat res. Hinc enim capitis supplicium, indignatioque Senatus, & vitæ sanguinisque extrema pernicies; inde verò caritas pietasque Patriæ, & totius classis salus proponebantur in medium, acclamantibus universis, nec Præfectis modò triremium, sed ordinibus ceteris, & classiario vulgo toto indignabundas in Senatum voces tollentibus. Itaque nuntiorum jussa Caroli haud secus quàm par erat, suspenderant animum, & imminentium imago rerum mentem turbaverat. Quare aliquandiu tacitus perstabat, multa secum utrinque pervolvens. Vertebatur siquidem illi ante oculos, quonam hæc mandata tendere viderentur, & hinc Patriæ calamitatem, inde suam animo prospectabat; non enim dubitabat, se in certam mitti perniciem. Quod si paruisset, numquam deinceps classem illam Venetam Urbem esse visuram. Quippe & rerum conditiones noverat, & temporis inœdiæque difficultates, & nautarum animos intuebatur. Non parêre verò Senatui, extremum præsertim supplicium comminanti, periculosissimum videbatur. Ceterùm publica cum propria salute certantibus, vicit tamdem apud civem magis Patriæ natum, quàm sibi, publica salus, vitæque suæ di-

discrimen. Quin immo non obscurum, ut credebatur, exitium, Patriæ commoditas superavit.

Itaque ad eos, qui missi à Senatu erant, conversus, id sibi, inquit, ab ineunte ætate semper defixum animo, à suo numquam divelli corde quivisse Patriæ salutem humanis omnibus præponendam. Se pro ea invigilasse, desudasse, prœliatum esse; pro ea centies profudisse sanguinem; ejus gratiâ non exterioribus modò fortunæ bonis, quæ toties in Patriæ usum egesserit, sed membris etiam sui corporis plurimis non debilitatum modò se, sed penitus exhaustum esse; mortem quoque ipsam, quam maximi rerum omnium pendere mortales solent, ejus causâ non solùm non expavisse, sed præsenti semper & integro animo etiam appetere non dubitasse. Itaque non esse se talem, cui extremi comminatio fati terrorem incutiat, si modò eâ sequutâ Patria suo jure non fraudetur; Vitam ac necem suam in Senatus potestate posita esse; pro patriæ salute, si jusserint, se mortem non recusare. Ut verò in extremam perniciem adducat Patriam, ut suo ductu calamitatem illi intolerandam infligat, adduci non posse. Sibi enim quid Reipublicæ conducat magis, probè perspectum esse. Rerum statum conditionesque temporum experimento se doctum scire, quas in Senatu, quum res exegerit, depromturus sit. Si Senatus mandata ejuscemodi cerneret, ut sinè Patriæ clade servari quirent, nihil se obtemperantius obsequiosiusque facturum. Sed quum in evidens Reipublicæ exitium vergant, referant Senatui, nulla se vi compelli posse, ut suo ductu Patria periclitetur. Esse Veneta in Republica cives complures, qui ad id muneris apti sint; eos classi præficiant; quos maximè strenuos putent in Lyburniam mittant, de se pro arbitrio suo jure decernant. Neque enim ultimam quamque sortem pro salute Patriæ detrectare.

Visa erat nuntiis Caroli oratio durior, neque satis constantiam viri, & celsitudinem animi admirabantur. Itaque tentare, si qua possent placidiùs mentem inflectere, non desiere. At ubi se incassum niti animadvertere, immobilemque illi perstare sententiam, neque alia responsa dari; in Urbem vecti Caroli animum vocesque in Senatu, ut acceperant, retulere. Quæ ut audiere Patres, vario affectu, ut cuique natura, & ingenium, & cupido erat, permoti sunt. Plurimi tam sublimem spiritus magnitudinem attoniti ferè stupebant, raramque inter mortales esse rebantur; caritatem verò in Patriam summis efferebant laudibus. Non deerant tamen, qui improbarent gesta, & crimini magìs ac vitio darent; temeritatique atque imprudentiæ adscribenda censentes, oportuisse illum, contenderent, parêre imperio. Ita diversæ causæ dispares quoque animorum conceptus protulerant. Adeò quippe varias difformesque hominibus mentes, dissonasque voluntates rerum natura indidit, quibus sæpe res publica veluti navis jactata undis fluctuat. Ceterùm quum pervicaciùs insisterent sententiæ, Senatorum plerisque placuit rursum experiri fortunam, tentareque etiam, si qua vel demulceri, vel conteri ampliùs aggeratione pœnarum Caroli animus quiret. Itaque alios insuper ad eum Oratores rursus destinare decreverunt, pœnasque item rigidioribus comminationibus repeti, acrioresque etiam congeri. Hi ergo ad Carolum delati mandata referentes vehementiùs gravavere causam, minarumque & suppliciorum atrocitatem acrioribus verbis effluentiùs coacervavere; nihilque ab his impendio est prætermissum, quo in eam partem cujuspiam flecterent animum.

At Carolus nihilo magìs permotus, non disparia secundis depromsit, iis, quæ primis protulerat. Hæc responsionum summa sententia fuit. Tempus incassum teri, pœnas multiplicari non oportere, nullum se necis genus, nullum pro Patria supplicium recusare. Ceterùm nullam tantam vim fore, quæ liberum cogere animum queat. Non se formidine mortis obrui, non suppliciorum congestione demergi. Decere optimum civem humana omnia pro Patria postergare, nihilique pendere, interritum se ad omnes casus esse; non suam se, sed Patriæ vicem dolere, quam cives inconsultis decretis perditum eant. Sibi de hisce magìs fidem esse oportere, in cujus pectore manibusque versantur. Nullum præclarius edi judicium, quàm de his, quæ sensu percepta sint. Falli prospectantis non posse animum. Periculosum esse de ignotis sententiam dicere. Callentibus artem de ea credendum fore. Patriam, quam proprio cruore liberarit, numquam à se facto suo improbè subversum iri. Orare obtestarique Senatum, ut magìs tantæ classis illi ratio sit, & quo in discrimine per horridam hyemem, & procellosum maré inter portus fauces versetur animadvertat. Turbas quoque nauticas omnes tumultuantes cernat, quas in seditionem verti formidandum sit. Sibi, si in Senatum veniat, rationem omnium esse reddendam. Neque enim ab re hæc ab eo dicebantur. Quippe jam in classe tumultuari cœptum erat, clamoresque plurimi undique obstrepebant. Nec à seditione procul videbatur res distare. Fremebant nautæ militesque, Senatum, Senatoresque omnes probris & contumeliis lacerantes, quòd pro laboribus & periculis tali eos mercede donarent; & post tot naufragia, inœdias, algores, calamitates, patriâ illos excluderent, & domo propellerent, quum jam in foribus essent, dulcissimisque conjugum & liberorum amplexibus prohiberent. Nulla tunc pietas, nulla superiorum Majestatis reverentia perturbatis inhæserat animis. Omnia jam observantiæ munia cordibus excusserant. Ira furorque gentes indomitas agitabat. Ad vim quoque se venturos minitabantur, si diutiùs Senatus contumaciter pergere perseverasset. Quis enim irritatæ accensæque multitudinis animis linguisque statuere modum queat? Nullum quippe tam sævum facinus est, quod lacessita non ausit.

Tertia jam dies illuxerat, qua id loci in anchoris perstabat classis. Gelu algebant viri, & triremes medios inter imbres. In ipso siquidem hyemis fervore versabantur. Procellosum mare concutiebat, & in Urbe quoque frequentes querelæ rumoresque jactabantur. Quod quisque pro suorum salute solicitus non dolere, ac immurmurare non poterat, palàmque ab omni plebe Senatus factum obterebatur. Igitur Senatus, ut incassum teri tempus vidit, Caroli constantiam admiratus, simul-

simulque seditionem pavescens populi, quum aliquandiu sententiis & orationibus certatum esset, tamdem decrevit, ut Carolus cum classe in Urbem admitteretur. Ingressus ergo ingentique gratulatione omnium, populique potissimùm exceptus, nihil duxit antiquius, quàm ut in Senatum se se conferret, & gestorum à se redderet patribus rationem. Vix autem in terram prodierat, quum tanta maris procella oborta est, ut quæ in portu, & tuto jam loco erant triremes vix contineri anchoris quiverint; neminique fuerit ambiguum, si vel minima intercapedine temporis in portus faucibus, ubi triduum ante constiterat, deinceps perseverasset classis, ad internecionem fuisse perituram. Gratias itaque immortali Deo agens Carolus, Præfectis triremium, & plurimâ nobilitatis ac popularium frequentiâ constipatus, Curiam iniit, Principem Patresque salutandi, alloquendique animo. Offendit autem Senatum unà consultantem. Princeps verò quòd senex, & valitudinarius esset, aberat Senatu. Mos apud Venetos vetus invaluit, ubi Princeps vel Senatu, vel auditorio abest, quod maximè valetudine præpediente solet accidere, qui natu major inter collegas est, quos Consiliarios vocant, is Principis gerat vices. Ergo Carolus locum ingressus, quum ut decebat veneratus hominem esset, salutemque illi pro consuetudine precaretur, responsum ab illo est: Eos ita venire, ut digni forent. Ad ea Carolus: *Bene*, inquit, *profectò venimus, si ut digni sumus, venimus*. Quæ vox illis elatior visa, & eo gravior acriùs quàm par erat incendit animos, pridem priorum actionum serie satìs antea concitatos. Itaque properè in contentiones profluere, & verbis verba asperiora connectere cœperunt. Nec animo satìs temperare poterant, quin ad contumelias, probra, minasque prorumperent. Sed Carolus modestiâ fretus, debitæ Majestatis memor, nihil acerbum, nil indignum referebat. Taciturnitateque magìs ac patientia perferre modestè etiam durissima quæque fixerat animo, nec lacessere magìs perturbatas mentes, sed quovis contentiosæ orationis genere abstinere decreverat. Præfectis triremium mens ferocior inerat, indignatioque ferventior, nec pariter ab elatis contentionibus temperabant. Itaque ex his quispiam ad Senatores conversus, sublata jam & erectiori voce: Non esse, inquit, cur comminari debeant. Vitio dandum, & adscribendum illis, quòd noxia impiaque mandarint; non ipsis, quòd perperam jussa non fecerint. Quo sermone vehementius Patribus irritatis, & atrociùs sævientibus, ut Carolus, Præfectique seorsum diverterent, operirenturque jussa Senatus, est imperatum. Tum consultare pervicaciùs cœperunt, & qui aberant acciri, frequentioresque convenire. Nec erat obscurum, quin de vinculis & carcere tractaretur: tanta illorum animos iracundia presserat. Ceterùm jam populi multitudo ingens Templum Evangelistæ Marco dicatum, cohærensque forum compleverat tanto concursu omnium ordinum, ut nec fuisse planè quemquam, qui se se per id temporis domi continuisset videretur: tanto omnes Caroli amore ac desiderio trahebantur; vixque capere locus profusissimam turbam quibat. Quippe universi descendentem Carolum præstolabantur; & cunctantem diutiùs non sine querelis & probris impensè objectis in Patres anxiè tolerabant. Est siquidem nimium impatiens moræ vulgus. Senatorium enim ordinem causabantur plurimum, præsentiumque culpam rerum in Senatum frequentes rejiciebant. Eoque liberiùs obloquebantur, quo magìs in maritimis nutriti rebus, semperque versati diuturno experimento multum peritiæ arrogabant sibi, plurimumque animis suis inesse consilii sibi persuadebant. Itaque veluti jugo discusso, non convitia modò, sed minas etiam ingerebant; omnisque ferè reverentia excesserat animis, nec à sævis & gravibus temperebatur. Arma animusque non deerant. Neque profectò dubium videbatur, quin si qua vis supernè foret illata, populum quoque jam infestum patribus ad perniciosam repentè vim, irrupturum esse.

Hæc quum secum animo pervolveret Carolus, ingenti pavore consternabatur, veritus, ne plebs in seditionem versa periculosum aliquid auderet, neve illa dies execrabilis foret Venetæ Urbi. Itaque ne quo Respublica ea ex re detrimento afficeretur, tam calamitoso incumbenti discrimine, astu & arte consulendum censuit. Ad eos ergo, qui convenerant, Senatores conversus: Cernere se, ait, Senatum frequentiùs cogi, Senatoriosque viros accitos accelerare. Sed quum eum locum sui tunc muneris non esse intelligat, minimè decens sibi videri implicari hisce rebus, quarum se expertem novit. Itaque cessurum se consultantibus, domumque bonâ eorum veniâ profecturum, deinceps quum libuerit, exegeritque res, præsto fore, ad eosque in Senatum esse venturum. At quum illi ne abscederet, sustineretque aliquandiu contenderent obstinatiùs: tunc accensus magìs animo, vultuque inflammatiore: *Quod tantum*, inquit, *atrocis iræ pervasit animos Cives? cur Rempublicam & Urbem hanc, simul & nos, qui ejus salutis cultores sumus, hodie perdere properatis? Ego, si rectè prospectans vos omnes intueor, neminem omnium video, qui hoc bello pro Patria vel sanguinis guttam effuderit. Nos autem, qui certavimus, qui vicimus, qui belli molem humeris nostris sustinuimus, qui opes, membra, sanguinem pro Patria dedimus, qui corpora nostra perniciosæ neci centies obtulimus; qui nullum laborem, nullum supplicium, nullum mortis genus pro Patria recusavimus, pro mercede laborum, discriminum, vulnerum, nunc vestris sententiis vinculis & carcere concludemur? Non efficietis hodie, Cives; neque quantum in nobis erit, permittetur vobis, ut Civitas hæc per nos nostro sanguine conservata hoc hodie dedecore per vos fœdata sit, tamque turpi clade perculsa. Consulite jam, & ut libet, decernite*. His dictis abscedens, sequutisque triremium ducibus, in Divi Marci Basilicam optimo maximo Deo supplicia persoluturus descendit. Perque forum medium faciens iter, omni populo constipatus, domum deductus est. Qui ergo coacti erant Senatores tam acrem spiritus vim intuentes, obstupefacti pæneque amentes perstitere. Pars eorum gestum probare, Caroli virtutem in Cœlum tollere; nihil dignius geri potuisse prædicare. Pars ut cuique animus erat, damnare, & maledictis incessere. Sic invicem diffidentes, altercantesque

que re infecta Senatu egressi ad lares & ipsi se receperunt, neque quisquam adversùs Caroli dignitatem moliri quippiam, aut decernere ausus fuit. In eum modum imminenti sævo discrimini obviam itum. Præstat siquidem in summa difficultate celeri & audaci consilio uti; nec quicquam est planè in gerendis rebus promto ingenio & animo clarius, aliquandoque audaciam pro virtute præferre non inutile compertum est.

Itaque Carolus quum triduo se domi continuisset, satis habuit negotii adeuntium consultantiumque ex omni ordine alloqutiones accipere. Dehinc post triduum accersitus in Senatum vênit; nova enim cupido Patrum mentes incesserat, Maranum Fori-Julii, quod antea memoravimus; postquam triremes usui esse nequibant, minoribus navigiis expugnari. Erant qui loci oppidique situm in tabulis, aut membranis pictum attulerant. Itineris prœliique rationes docere, victoriamque ante oculos ponere contendebant. Censebantque plurimi ducentes minutiores hujuscemodi naves construi, militibus compleri, Carolum his præfici, cumque his copiis oppidum oppugnari. Ceterùm Carolo, qui oculis situm, locique naturam contemplatus, peritiùs, certiùsque rem tenebat, minimè ea sententia probabatur. Itaque præclaram nactus occasionem, qua & præteritarum & præsentium rerum rationes afferret in medium, facta dicendi potestate, orationem in hunc modum exorsus est:

„ Admonet me locus, Patres conscripti, „ ut priusquam præsentium rerum sermonem „ aggrediar, pleraque de præteritis disseram. Neque enim sum nescius, vestrum „ plurimos superiorum dierum actionibus „ fuisse permotos, & tum solicitudine, tum „ etiam admiratione affectos. Verùm si anteactam ætatem meam, & numquam fatigata in Rempublicam studia, & opera „ mente volvetis, invictumque in hujus Urbis salute animum, spero forsitan, qui affectu posito sincerè judicare volent, pristinum exuent animum; & quæ à me gesta sunt, optimam in partem vertent. Scio „ equidem, Patres conscripti, utilius esse „ civi parêre dicto, quàm afferre consilium, „ propterea quod qui obtemperant, commune discrimen subeunt, ut in deterius lapsa „ re non nisi quod ceteros exitium maneat; „ eorum verò, qui consulunt, deterior causa est, quippe queis proprium periculum „ imminet, & quamcumque in partem versa res sit, de vita saluteque, ancipiti eventu, decertant. Quæ quidem etsi inter mores hominum, & eos potissimum, qui administrationi Reipublicæ præsunt, ita se „ habeant, tamen quod ad emolumentum „ attinet Patriæ, contra est. Reipublicæ „ enim præstat bene consulere civem, quàm „ malè parêre. Si quidem rectè consulentes „ numquam afficere; inconsultè parentes semper obesse potuerunt. In hos ergo nuper „ anfractus incidi, Patres conscripti, quum „ de Reipublicæ salute solicitus de mea periclitarer. Intelligebam equidem Senatui „ in hac Urbe supremam pacis ac belli, vitæ ac necis potestatem esse; me civem esse, non dominum; in hac Republica „ membrum esse, non corpus. Parendum „ esse Summo Magistratui inferiori non

A „ ignorabam. Ceterùm quia in hac Urbe „ Senatorio genere natus altusque, tot hujus Reipublicæ honoribus præditus, civem me, non hostem; non ingratum, sed „ beneficiorum memorem; amare Patriam, „ non odisse me oportere sciebam; id in „ primis cordi defixeram; ubi facultas foret, prodesse semper Patriæ, lædere numquam. Imperator à vobis rei publicæ causâ „ delectus, in Lyburniam Classem vestro „ imperio duxi. Hostium, & prœliis copiam, quamquam omnia expertus, assequi „ non potui; gelu & famem ad internecionem perpessus sum; fremitum, & pæne „ seditionem Classicorum pertuli. Inde ad

B „ Maranum vestro decreto me contuli, loca „ perlustravi: pergere ad oppidum aggressus sum, sed angusto & infido aditu, aquarumque defluxu deterritus, vix me ex „ loci difficultatibus explicavi. Triremicam „ classem ad id operis haud aptam fore experimento didici. Hactenus quidem nihil „ est criminis. Omnium, quæ decrevistis, „ nihil consultè omissum est. Aut patrata „ sunt, aut quin persolverentur, adhibita „ cura non defuit. Sed non est ab immortali Deo ita delatum nobis, Patres conscripti, ut omnia pro voto eveniant. Sæpe volumus, quod adipisci non licet; cre-

C „ brò quæ flagitamus, assequendi facultas „ non datur. Irritæ sunt cogitationes hominum, & exacti labores incassum eunt. „ Sæpe nos concepta fallit spes. Ausis nostris innumeri semper imminent adversi „ casus, & mille modis à destinatorum prospero exitu destituimur. Crebrò fortuna „ invida reluctatur cœptis; nonnumquam „ & nostrâ nostrorumque causâ desiderio fraudamur. Plerumque præscribentis magis „ minùsque maturè pensantis, quàm ad præscriptum gerentis est culpa. Hæc ab humanarum rerum fragili, lubrica, & semper variata vicissitudine, ut innumera „ alia hominum incommoda, fluere ita in

D „ promtu est, ut non tam credere, quàm „ experiri continuò compellamur. Verùm „ Patres conscripti, etsi gerendi belli & navandi egregio aliquo in facinore operam „ à vobis ratio habita esset, de esurie tamen „ ac gelu, nulla à vobis consultatio acta, „ nulla languidis refectio data est. Locum „ jussu vestro, non cladem mutavimus. Ad „ externa vendicanda contendimus; sed nullum intestinæ calamitati remedium tulimus. Perseverabat enim civibus vestris „ cum fame ac frigore perniciosissimis hostibus horridum prœlium. Hostes siquidem „ hos non exteriùs propulsantes, sed intrinsecùs corrodentes perpetuò patiebantur.

E „ Non de imperio, ac gloria, non de fortunis, & oppidis, sed de vita ac nece „ crudeliter certabatur. Neque spes ulla „ trahi, nec induciarum, aut pacis intermissio afferri poterat. Rigebant membra „ gelu, & viscera inedia urebantur; immobilesque ac stupidos vitalis exesus calor „ linquebat; mentisque impotes redditi vix „ spiritus continebant, minùs cibi, quàm „ ætheris haurientes. Horridus squallor & „ macies ora corporaque fœdaverat. Corporum umbras, & monstra hominum se videre quis crederet: languidi humo prosternebantur, nec recto perstare vestigio debi-

„ les

les poterant. Imbelles mihi profectò, & inepti ad classica munia redditi videbantur, nec ad ullum imperium præsto esse. Torpentes illos vis famis & frigoris, & consternatos effecerat. Unicus illis vocis superstiterat usus, quam & ariditas spiritus extenuarat, & furens tamen ira ferociùs accendebat. Desidem illam haudquaquam patiebantur esse. Quippe lucibus noctes frementes æquaverant, & querulos semper edentes gemitus, ab horrendis clamoribus temperare nequibant, procacemque ac maledicam linguam conviitiis & imprecationibus assuefecerant, nec illam ab ullis probris & contumeliis prohibebant. Vos, quorum gratiâ se illa perpeti arbitrabantur, maledictis, & injuriis asperioribus lacerantes, extrema vobis omnia frendentes imprecabantur. Ita mente attoniti in tantum vesaniæ proruperant, ut infandos quoque cierent manes; & omni divinarum humanarumque rerum pietate discussa, in Superos etiam execrandis vocibus inveherentur. Nec sanè profluentes æstu animi lachrymas continebant. Fletibus, & ejulatibus omnia complebantur. In iram calamitas, ira in rabiem versa erat. Tot malorum impotes desperatio ultima occupaverat animos. Et accedebant maris incommoda, fluctus, procellæ, semper æstuantes undæ, furentes ventorum flatus, & perpetuò exagitatum pelagus. Nec umquam perniciosæ maris tempestates deerant, quæ momento haud quietum esse nautam patiebantur. Perhorridum quippe erat tempus anni; in ipsaque hyemis feritate media versabamur, quæ & solito etiam tunc crudior ingruebat. Nec inœdia, & algore modò, perniciosissimo hominum hoste nautæ conterebantur; sed adversùs quoque furentes maris impetus, & temporis, ac ætheris atrocitatem perpetuum subire prœlium oportebat. Nec nobis ulla pacis spes aliqua ex parte dabatur, aut requies. Cœlum, & sydera ipsa, & elementorum vis, adversa esse proculdubio videbantur. Quid igitur mihi in tanta ærumnarum congerie agendum, quid consilii capiundum fuisse censetis? Lyburniamne classem hanc ducerem ita confectam, ita prostratam, vergentem in interitum, in extremam perniciem corruentem, proximè delendam, & properè perituram? Ego hujus Patriæ optimos Cives, de Urbe hac egregiè meritos, ad omnem expeditionem accommodatos, utiles, necessarios Reipublicæ, sciens volensque perditum irem? Urbem hanc fortissimis viris, pugnacissimis bellatoribus, validissimis militibus, expertissimis nautis destituerem? Conjuges maritis, liberos patribus, Cives suâ patriâ fraudarem? Ego florem rei maritimæ, qui profectò ex Urbe tota decerptus in hanc classem congestus est, in certum exitium ducerem? Tantum ego impiissimi sceleris patrare, Patres conscripti, bonus vel vir, vel Civis, vel imperator profectò non debui. Procumbebant ante oculos meos promtissimi ac robustissimi viri, & qui hostium multitudinem animo, & viribus minimè formidassent, imbribus, gelu, & esurie obruebantur. Evacuabatur continuò classis, & pæne solitudinis facies, & imago quædam obversabatur oculis. Egone itaque rursus Illyriam peterem, ut solus denudatus viris, lignis tantùm præsidens destituerer? Quid vobis ergo, & mihi vacuæ hominibus prodesse triremes poterant, quas haud scio, an umquam ad Urbem hanc, quippe sinè nautis, pertrahere valuissem? Sciebam hostes intra mœnia munitionesque confixos, pugnandi copiam non facturos, quod id quidem minus suis usibus conducebat. Nullam præclari facinoris prosperam occasionem sperabam. Neque ambigebam, nil emolumenti, nil gloriæ Reipublicæ posse conferri. Detrimenti verò ac dedecoris jam pignora & documenta cumulata erant. Classis propter tempestatum vim atroci exagitatione concussa pelagi faciem tolerare nequibat. Neque navigare, nec consistere in anchoris sinè certo internecionis periculo poteram. Quid igitur? Ad Insulas incultas, & sterilia promontoria divertere oportebat, ut in his scilicet Cives vestri placidiùs interirent, & quos vivos Patria excipere non volebat, deserta, & arida loca reconderent; hocque mihi exercitii genus incumberet, cadentium in dies Civium vestrorum humare corpora, & sepulcra consternere. Ita ergo absumtis mortalibus consumi quoque dehinc continenti incendio ligna ipsa necesse erat. Quòd si forsitan excusso vano timore in pelagus prodiisset hostis, languidæ profectò sic fuerant vires, & consternati animi, ut timenda potiùs clades, quàm speranda victoria videretur. Quippe nec pugnare debiles, nec vincere territi, nec enerves fugere poterant. Itaque quò me cumque volvebam, imminentis excidii forma animo & luminibus succurrebat. Ego igitur, Patres conscripti, qui me totum ab ineunte ætate usibus Patriæ dedicaveram, viresque meas omnes, cogitationes, & studia ad Reipublicæ emolumenta animo infatigato contuleram, in re perardua tutius Patriæ consilium afferendum putavi, classem conservavi, Cives vestros, ac milites ab imminenti exitio præripui, incolumes ad vos adduxi, triremes vobis integras restitui. Ab hostibus, & mari, fame, & frigore homines & ligna protexi. Classem hanc totam, hujus Urbis robur, cui repentè ultimum periculum imminebat, aliis bellis & usibus aptam reddidi. Salubriùs providere vobis mihi visus sum. Pietate & caritate fretus non inutile, ut arbitror, Patriæ consilium attuli, haud ignarus, quin diversa sentientes perturbarem animis, & infensos efficerem mihi. Sed apud me plus emolumenti vestri, & patriæ salutis, quàm periculi mei ratio valuit. Intelligebam enim, si in sententia perstitissem, plus commodi Patriæ, quàm mihi criminis fore. Conjectabam siquidem, si rerum causas degustaretis, pro vestra prudentia, & amore in Patriam acquieturos vos consilio meo, & quæ bona mente persolveram, haudquaquam improbaturos. Sciebam quippe, Cladem Reipublicæ minimè gratam esse vobis, & quæ decernebatis, etsi forsitan minùs peritè, bono tamen animo vos decrevisse non dubitabam; sperabamque li-

„ qui-

„ quidiùs perspecta re, homines vos esse, tamdem in mentem vobis esse venturum. Neque enim tam sententiâ meâ, quicquam horum à me gestum est, Patres conscripti, quàm legatorum, & præfectorum, ordinumque omnium, & universæ classis judicio. Falli profectò non potuimus, qui vidimus, qui audivimus, manibus attrectavimus, & quantum sensibiles afficere queunt vires, certiores effecti sumus; & qui cuncta naviter callebamus, rectiùs planè de discrimine rerum decernere valuimus. Itaque si jussi, non ad præscriptum obtemperavimus, date veniam non errori, sed pietati; non flagitio, sed consilio; non contumaciæ, sed caritati, qua huic Urbi, Reipublicæ, ac vobis omni jure devincimur. Si culpa est utiliter consulere Patriæ, peccavimus; si calamitatem avertere à Republica vitium est, castigari non recusamus. Quicquid denique à nobis in hac causâ patratum fuit, non protervis, sed benevolentissimis & observantissimis animis vos adscribere oportere, æquum puto. Quòd si omnino luenda hæc pietas est, promtus & libens meum interitum, cum Patriæ clade permutare propriam pro Reipublicæ salute præstare, Patres conscripti, paratus sum. Reliquum est, ut jam de iis, quæ in medium hodie protulistis, pauca dicenda sint. Si me e Republica sententiam dicere poscitis, Patres conscripti, efferam equidem ingenuè, quæ præfert animus, & liberè, ut soleo, quod salutare judico, consilium promam. Neque enim ego adulator sum, Patres conscripti, neque esse præsertim pro Patria mea debeo. Exitiale siquidem est Reipublicæ malum ignorare, quod consulas; proximum consulere, quod ignores; supremum ullo affectu animi dissimulare quod scias. Illa enim imperitiâ fiunt, hoc dolo. Nec alia perniciosior clades est Reipublicæ, quàm quod minus salubre noveris, adulando decernere, pluresque egregias Urbes assentatio, quam hostis evertit. Sunt ex vobis, qui expugnationem hujusce Oppidi sibi vel animo, vel picturâ finxerunt, eoque pacto eventura omnia affatim autumant, quo mente conceperant. Sed sese aliter habet res, Patres conscripti. Visune rem prospectes, vel animo non visa cogites, interest plurimum; nec exactè percipi quicquam potest animo, nisi oculorum ipse sensus affectus sit. Supereminet hic quippe ceteris, & ab eo effluxæ visarum rerum imagines intelligendi rationes veluti fœtus quosdam pariunt. Hinc etiam experimenta manant, quæ nihil magis, quàm perceptarum documenta sunt rerum. Nec afferendi consilii ulla est ratio potior. Verbis præterea tractare bella Patres conscripti, & inermes de hostibus judicare, & strato cubantes, acriter voce velut in pugna certare, concionabundumque multam cædem magnificis jactationibus edere, leve quidem, & commune omni hominum generi est; neque tam facilia hæc factu, quàm dictu sunt. Nam ut commessabundi de esurientium & sitientium conditionibus corruptè judicant, ita de armatis togati. Bella non verbis geruntur, sed armis; non sermone, sed opere; non lingua, sed manu. Si rectè consultum Reipublicæ cupitis esse, Patres conscripti, periti earum rerum in consilium adhibendi sunt vobis, de quibus deliberaturi estis. Iis habenda fides est, qui maximè experimento valent, ex quo peritia quoque sensim conflata est. Nam si omnibus passim credetis, Reipublicæ plurimæ sæpe calamitates deesse non poterunt. Itaque sentiant quæ velint ceteri, & prœlium, naturamque rerum pro voto confingant: eorum bonâ veniâ dixerim, Maranum expugnari ulla classe non posse equidem sentio. Situs enim loci in primis adversus est; cœnosa siquidem ac paludosa stagna cohærent Oppido. Hinc aquæ alveus in mare vergit, coarctatis ripis, & angusto meatu. Aquarum varia vicissitudo est. Nunc secundo cursu, nunc adverso fluunt; modò uberes, paulò post tenues, & exiles sunt; vix eodem consistunt statu. Circa Oppidum verò potissimùm tanta plerumque siccitas est, ita locus exhaustus humore, ut numquam ibi pæne inundasse aquas credas. Oppidum, etsi antehac & muro, & turribus, & fossis, atque aggeribus egregiè communitum sit, ut omnem tolerare vim possit, nunc verò potissimùm, quum à vobis terror immineat, & militibus, & oppidanis, & machinis, & omni munimenti genere ad robur tutelamque validiùs exactiùsque redactum est. Aquilejensis Antistes, cujus Oppidani parent imperio, haud procul abest exercitu, & copiis militaribus abundè stipatus; hostis quidem non suis tuendis modò, sed etiam inferendo bello idoneus. Hæc ego vobis, Patres conscripti, non picta, non audita, neque concepta, sed perlustrata oculis, & exactè perspecta affero. Ibimus igitur Maranum expugnaturi. Aquas cumulatas, tumefactasque comperiemus. Ex navigiis quidem adoriri Oppidum, & oppugnari oportere, neminem adeò inconsultum ausurum dicere credam, quod & navigiorum mobilitas, & aquarum varietas omnino prohibeant, nec nisi ab una tantùm parte oppugnari inde possit. Quid itaque? copias in continentem exponemus, prœlium aggrediemur, acri pugna certabimus. Resistent Oppidani pro viribus, & Oppidum alioquin validè communitum strenuè tutabuntur. Saxa, & pila supernè volvent; sagittis & missilibus conficient milites; superior locus illis saluti, vestris calamitati erit. Sauciabuntur multi, interimentur complures; expugnari profectò primo impetu Oppidum nullo poterit pacto. Accurret Antistes suis laturus opem; impigrè contra nos irruet. Interea defluent aquæ, & pro consuetudine comminutæ potissimùm per proxima Oppidi loca exhaustum pæne alveum reddent. Si perstiterit classis: & navigia, & milites, nautæque in hostium manus incidant necesse est; neque enim excipi fuga, neque sisti vis poterit. Si soluta inde ad uberiores aquas procul divertat, nos, & ab Oppido, & ab exercitu obruamur oportet. In hunc se expugnatio vestra exitium vertet. Desistere itaque vos, Patres, hoc instituto hortor. Quod quidem non periculosum

„ solùm, sed perniciosum intueor. Nullam
„ equidem prosperè gerendæ rei spem præ-
„ fero. Plena omnia calamitatis video, cæ-
„ des, vulnera, clades, & horridos luctus
„ haud defutura non dubito. Multo Civium
„ & militum cruore hæc vobis expeditio
„ stabit Patres conscripti: dedecus & detri-
„ mentum assequi potestis; victoriam verò
„ ac gloriam minimè. Stolidæ mentis est
„ tentare magno discrimine, quod ratione
„ persuasum sit, perniciosum fore. Ubi ad-
„ versa omnia proponuntur ante oculos,
„ prosperi nil sperari queat, quis nisi atto-
„ nita mente facere periculum ausit? Parcite
„ Civibus, parcite militibus, parcite cædi
„ & sanguini de Republica præclarè meren-
„ tium, & fortissimorum hominum, Patres
„ conscripti, ignominia vos, & dedecore
„ liberate; saluti & emolumento consulite;
„ expertis rerum, & Rempublicam exco-
„ lentibus credite. Quòd si pervicaciùs in
„ sententia perseveretis, & omnino me
„ hanc expeditionem inire obstinatè decer-
„ nitis, ne aut nimiùm timidus, aut
„ semper temerarius & contumax videar
„ vobis, si modò ita habet, parebo im-
„ perio, & me cum reliquis ultimo discri-
„ mini objiciam. Quantum ulla vi effici,
„ ullo consilio provideri, ullâ intendi curâ
„ possit, indefessus annitar. Sed præsaga
„ mens autumat, serâ tamdem pœnitentiâ
„ facti vos animis vestris excruciatum iri.

Caroli oratione multorum animi à proposito declinaverant. Sed vicit saniorem partem major inconsultiorque: tanta inermibus decertandi libido incesserat. Utque expeditionem iniret, pergeretque Carolus, tamdem sancitum. Scribi milites, navigia expediri communirique, & comparari omnia cœptum est. Ut primùm quæ res exigebat, persoluta sunt, die dicta præsto esse omnes præfinito tempore ad navigandum expeditos quum imperasset, classem solvit ex Urbe. Centum quinquaginta navigia erant; totidem enim ad hoc opus Senatus fabricari curaverat. Sagittarii cuique navigio inerant, lanceati milites plurimi. Quum peragrato pelago pervenisset ad aditum, qui ad Oppidum ducit, aquarumque affluentiam comperisset, ingressus cum classe ut ad Maranum venit, expositis in continentem copiis, expugnare Oppidum adoritur, acies instruit, milites per opportuna loca disponit; quid facto cuique opus sit, imperat, prœlium accendi jubet. Certatur utrinque magno impetu, nec disparibus viribus animisque. Sed qui in Oppido erant, egregiè resistebant, & supernè sagittas, omnisque generis jacientes tela, ingentiaque volventes saxa, detrimenti plurimum Venetis inferebant. Ne verò ipsi vulneribus confici possent, mœnia scutaque tutabantur. Quæ autem de supernis jacta erant, quamplurimos feriebant; nec incassum quicquam ex Oppidanorum manibus elabebatur. Carolus verò voce, vultu, manu, consilioque incendebat prœlium, fessis recentes, vulneratis integros submittens, ad omnesque casus, quantum anniti poterat, impigrè consulens præsto erat. Sed quum inter prœliandum ad aggeres fossasque Oppidi perventum esset, atque id loci persolveret quæ rerum poscebant vices, lapis è mœnibus de industria provolutus, rapidoque

A detrusus impetu, ejus cervicem ita contudit, ut semianimis repentè in fossas prosterneretur. Ad cujus casum quum Veneti milites accurrissent, advehereque illum è fossa contenderent, atrocius certamen ad id loci coortum est, Oppidanis studiosiùs, ne traheretur, annitentibus, missiliumque vim effusissimam, omnemque materiam supernè jactantibus. Tanta tamen fuit Venetorum militum virtus, ut quamquam plueret telis, lapidibus, sagittisque, tamen Carolum nihil horum scientem sentientemque vix quidem & anxiè è fossa subducerent. Templum paululum aberat; in hoc deferentes illum, quæ recuperando spiritui necessaria erant curavere. Dum ii excitandis torpentibus

B membris, admovendisque sopito corpori fomentis incumbunt, prœlium interim à Venetis, etsi non penitus omissum erat, tamen tepidiùs lentiùsque procedebat, quod omnes Imperatoris clade consternati, & mœrore confecti, de illius salute magis, quàm de hostium clade videbantur solliciti. Horarum trium intervallo Carolus vi vulneris jacuit. Tamdem quum adhibitâ medentium diligentiâ ad se rediisset, ex astantibusque gestam didicisset rem, obligato celeriter vulnere quamprimum in prœlium conversus milites alacriores promtioresque suâ præsentiâ reddidit. Quos cohortatus quum rursus in certamen vultu & vocibus accendisset, enixiori

C studio res geritur, atrociùsque pugnatur. Dum hæc à Carolo geruntur, quæ in adventu suo uberiores fuerant aquæ, solito more defluxerant; nautæque, & qui navigiorum gerebant curam, ne in arido destituta navigia linquerentur, diverterant longiùs, ad intumescentesque magis affluentioresque aquas retroverterant classem. Pugnantibus militibus Caroloque dimissis, perseverabat tamen adhuc certamen, & utrinque atrociter pugnabatur. Sed Veneti quòd inferiori sisterent loco, perniciosiùs lædebantur, cadebantque illorum continuò plurimi ictibus lethalibus consternati, eratque sauciorum numerus ingens, interemtorum non modicus.

D Interea qui Oppidum & regionem ditione tenebat, Aquilejensis Antistes Caroli adventum, Maranique oppugnationem volitantibus nuntiis noverat. Quare suis quamprimum arma capere, & copias expedire jussis, quum pro tempore exercitum comparasset, in prœlium iter festinatò arripuerat, celerique, quo magis poterat, cursu Maranum versùs accelerabat, Oppidanis auxilium allaturus. Jamque non procul aberat, quum Carolo & adventare illum, magnasque ducere copias, & classem siccitatis formidine retroactam, sub idem ferè tempus nuntiatum est.

E Itaque quid in rebus tam gravibus consilii capiundum foret, secum pervolvens animo, quòd hostes integros ac recentes in se irrumpere animadverteret, suos defessos, vulneratos, & interemtos, quos etiam ante oculos confodi & sterni passim intuebatur; recipiendi verò se, aut reparandi vires neque locum ullum, neque tempus opportunum fore: non dubitabat, si aliquandiu magis perstitisset, brevi in hostium se suosque omnes potestatem venturos, neque quemquam eo die Veneti nominis militem evasurum. Ita minimè amplius differendum ratus, abeundi consilium cepit. Quo autem pergeret cum suis,

suis, cui nulla præsto classis esset, quæ procul, ut memoravimus, aberat? Neque enim illa propter aquarum & alvei siccitatem accedere ad Carolum poterat; neque quonam pacto ad illam is pergeret, vel modus ullus, vel aditus apparebat. Ergo anxius animo quum diligentius & locorum opportunitates, & si quos consequi posset accessus, oculis in omnem partem conjectis, prospectaret, omnesque passim potissimum regionis gnaros intentiore cura percontaretur: tamdem iter quoddam, sed difficillimum, ac pæne invium esse cognovit, quo per aquosas cœnosasque paludes se militesque ad classem deducere utcumque posset. Id igitur itineris, quamquam grave periculosumque foret, compellente discrimine rerum, arripiens, ægrè quidem & anxiè vix se sustinentibus militibus, & passim proruentibus, per stagnaque & paludes undique procumbentibus, tamdem multo labore ad classem pervenit. Ut itaque fatigatus in classe substitit, nihil duxit antiquius, quàm omnium, quæ sequuta fuerant, Senatum certiorem efficere. Operæ quidem pretium se fecisse arbitratus, quòd ab internecione & extrema pernicie saltem classem, & majori ex parte nautas, militesque servasset. Ergo nuntios cum literis rei seriem describentibus, occisorumque ac sauciorum numerum explicantibus, repentè Venetias exaravit; siquidem circiter quadraginta desideraverant, vulnerati ducentorum numerum excedebant. Senatus igitur cognitis, quæ gesta erant, serâ pœnitentiâ ductus, pro suorumque clade mœstus, proque non adhibita Carolo fide dolore affectus, ut rediret in patriam, classemque reduceret jussit. Quamobrem Carolus perlectis Senatus literis, & ejus mente perspectâ, sauciorum primùm adhibitâ exactissimâ curâ, classeque ad navigandum comparatâ, ut mandatum erat, Venetias rediit. Non tam aliàs partâ victoriâ, quàm tunc integra devotaque in Rempublicem fide, ac singulari prudentia clarus.

EXPLICIT LIBER QUINTUS.

INCI-

INCIPIT LIBER SEXTUS.

INterea Genuenses acerrimi Veneti nominis hostes revocatis, quæ apud Jaderam Lyburniæ perstiterunt ad eam diem triremibus, novam classem, validam quidem belloque inferendo aptam parabant. Duas enim supra viginti triremes armaverant, Imperatoremque illis Isimarum Iguarcum dederant. Eratque animus magni quippiam adversùm Venetos moliri. Senatus itaque, ut primum certior eorum, quæ apud hostes gererentur, est factus, ne improvisum se adorirentur hostes, classem quoque communiendam, Imperatoremque deligendum decrevit. Armatæ quinque supra XX. triremes, Carolus frequenti Senatu Imperator designatus, insignia Magistratus in Divi Marci Basilica illi de more à Principe, ut sæpe aliàs, collata fuere. Insuper Legati duo, quos Provisores vocant, & viri quidem præstantes, & Senatorum primoribus à Senatu additi Michaël Stenus, Thomasque Mozenigius, qui postea Veneti Principatus fastigium tenuere. Profectus ergo quum in Græciam navigasset aliquot dies importandis in patriam mercibus (sic enim jussus erat) incubuit. Dein Senatus certior literis redditus, hostilem classem ex Genua solvisse, Græciamque versùs contendere, differendam in aliud tempus rem censuit. Quare exoneratis Methone mercibus, earumque curâ Veneto præclaro civi demandatâ, ipse ad capescendum cum hoste prœlium se se exquisita cura, fortique animo convertit. Primum omnium quo classis ad decertandum redderetur, validior, unius triremis nautas omnes, milites, sagittariosque distributos ceteræ classi, ut maximè res exigebat; ingessit. Sic una evacuata triremi quatuor supra viginti relictæ sunt, numero quidem pauciores, verùm robore longè præstantes. Deinde quo perspecta sibi forent hostium consilia, itineraque, speculatorias plures ad cursum velocissimum comparat, easque vicissim prodire, & quæ comperissent afferre jubet. Nec esse earum ullam, quæ ab opere, vel minimo temporis intervallo, desistat. Qua diligentia brevi effecit, & quæcumque apud hostes non fierent modò, sed pæne cogitarentur, sibi quamprimum per momenta ferè singula pernotescerent. Imperite siquidem de rerum militarium arte decernit, si quis aliud strenuo imperatori incumbere magìs munus putat, quàm consilia conditionesque hostium nosse.

Itaque quum adventare illos, & jam propius accessisse ex speculatoriis triremibus didicisset, suos quoque esse in armis, lapides, tela, missilia, instrumentaque omnis generis ad belligerandum accommodata conferri, in promtuque fore, atque in manibus versari jussit. Triremes ordine instruit, & quo unamquamque loco sistere operæ pretium sit commonefacit. Reliqua ut certaminis poscere ratio videbatur, expediri, atque accelerari curat. Ita compositis omnibus, suppliciisque immortali Deo exactè celebratis, signa imperatoria erigi, tubicines canere, anchoras tolli, classemque solvi jubet, non minore vincendi quàm decertandi fide. Quòd verò hostium triremes duas tantum supra viginti ex speculatoribus acceperat esse, seque duabus illas excedere, ne hostes eo pavore conterriti detrectarent pugnam, fallere hoc pacto illos adoritur. Nempe astu ne, an vi, cum hoste agas, parum interest; nec bonam fidem exigunt bella. Igitur ex omni classe triremes duas minores delegit, reliquisque ordine suo redactis in aciem, has clam post eam, qua ipse vehebatur, (quòd aliquantisper illa ceteras excellebat) posse insequi, delitescereque, quoad ejus fieri possit, imperat, & ignotas hostibus esse. Jam appropinquabant classes, & clamore sublato suos Carolus irruere in hostes, jactareque missilia, & manum conserere jusserat. Sed Genuenses, incertum quo permoti animo, seu quòd ad irruentium Venetorum impetum mentibus consternarentur, aut quòd in suspicionem inciderent doli, Venetasque triremes suas numero superare veriti, ob id inire prœlium formidarent, scapha quadam speculatoria à sua classe dimissâ, non pugnæ quidem, sed fugæ consilium sumserant. Vix igitur Caroli triremis proram speculatoria hostilis attigerat, quum hostes tanta celeritate terga dedere, ut insequentium ingenia studiaque præverterent. Eos ergo Carolus fœdissimè fugientes conspicatus, suis, ut cunctis annixi viribus persequantur, è vestigio signo nautico imperat. Terribilis tum repente à Venetis in cœlum tollitur clamor; insudant remis nautæ; velocem cursum classicæ turbæ viribus animisque fatiscunt. Enim verò longè dispar erat insequentium ratio, fugientiumque. Primum quidem, quòd hostes admodum agiles triremes ducebant, ad celeritatemque constructas. Deinde quòd minus oneratas ferè, & vacuas eas domo extulerant, spe plurium, quas in Illyrico tenebant Urbium freti; quarum ope facilè quibus indigebant affatim suppeditatis communiri continuò poterant. Venetæ verò triremes gravioribus validioribusque compactæ lignis, ex structura ipsa corpulentiores, & pressiores fuerant. Rerum quoque usui necessariarum copia confertæ, armis, instrumentisque bellicis oneratiores, oportebat quidem habetiores & tardiores fore. Itaque facilè Genuenses fugiendo antecellebant, insequentiumque conatus & studia frustrabantur. Sed Veneti structuræ onerisque detrimentum virtute, animo, ac labore impensius compensabant. Nec anniti, contendere, insudareque, totosque efferre conatus prætermittebant, quo hostibus propinquarent. Et Carolus huc atque illuc volitari, eos accendere in apertam victoriam, & prædam opulentissimam conabatur. In hac animorum corporumque contentione, Ragusium usque pervenere utræque classes. Ragusini per id temporis Genuensium favebant partibus, infestos Venetis habebant animos. Itaque quum expeditas complures inpromtu triremes haberent, eas illico addidere Genuensium classi. Ex Jadera quoque, ac Sebenico, & reliquis Liburniæ Urbibus, quæ in illorum potestate erant, quamplurima insuper navigia, suppetias illis transmissa sunt,

sunt. Sic brevi hostilis classis & numero & robore aucta, Venetamque non celeritate solùm, sed etiam multitudine ac vi superexcedens redacta est. Neque intermisere tamen propterea navigandi cursum Genuenses, sed eo magìs in hunc modum animis viribusque confirmati, ex magnitudine classis audacioresque redditi, rectâ Venetias tendere cogitabant, ad idque se se accingere ociùs videbantur.

Ergo Carolus ut adjecta subsidia hostibus, eorumque progressus animadvertit, facilè ingenii acumine intellexit, quæ illorum mens, quæ vota, quæ tamdem sententia inhæsisset animis. Igitur accommodandum se se tempori ratus, prætermissâ persequendi ratione salubrius consilium capiundum censuit. Quod enim hostes copiarum robore velocitateque præstare classem suam jam imparem hisce omnibus cerneret veritus, ne si Adriaticum mare, sinusque irrupissent Venetos, detrimenti quippiam pateretur Veneta res, nihil ducebat antiquius, quàm si qua posset, proposito & itinere deterreret hostes. Cogitanti verò, quonam pacto, quibusve artibus fieri desiderii compos quiret, id maximè aptum arbitrabatur, Africani superioris exemplo, hostili Urbi ac regioni quam proximè inferre bellum. Quod etiam superiori tempore, ut antea memoravimus, ab eo aliàs usurpatum erat. Quare sicut ille in Africam duxerat, sic sibi quoque Genuam navigandum, classemque ad hostilia litora producendum fore. Non enim dubitabat quin ut primum Genuenses suis in finibus se novissent esse, ipsi quoque repentè ad propria tutanda properanter se se converterent. Tantam quippe patriæ fortunarumque cuique curam natura indidit, ut nulla tam ingens alieni assequendi spes proponi queat, quæ divertat à propriis, & suorum immemorem reddat. Profectoque servandis jam partis incumbere, quàm insudare pariendis recta ratio præstare convincit. Eo consilio cum tota classe Anchonam Picæni agri Urbem advectus est. Eo loci de re patranda sedulò pertractans animo aggredi omnino, persolvereque mente conceptum destinatumque opus decrevit. Ne verò quicquam prætermitteret, cui consuli oporteret, decem triremes Clodiam ire jussit, ne fortè si hostes eo pervenissent, imparatam penitus, & defensoribus vacuam adorirentur Urbem. Ipse cum reliquis (quatuor enim supra X. erant) magna, & assidua navigatione in Ligusticum pelagus & Genuensium fines delatus est: classe profectò tanto in opere satìs exigua, ceterùm optima robustissimaque. Illam siquidem de industria ad fortitudinem, celeritatemque egregiè comparaverat; nam validissimos quosque decerptos ex iis triremibus, quas Clodiam miserat, iis, quas ipse ducebat, adjecerat; oneraque atque impedimenta omnia quicquidve grave, & magni ponderis esset, importandum illis jusserat dari. Ita ut non viribus modò virorumque robore, ac promtitudine, sed velocitate agilitateque suarum triremium, etiam longè majores hostium copias haudquaquam sibi formidandas censeret.

Est in Ligustico mari haud procul Genua locus, quem portum Veneris dicunt, cujus & nos antea meminimus. In eo Genuenses triremes sex pro consuetudine, maris loco-

A rumque custodiæ constituerant. Igitur Carolus quum studioso cursu, exacto pæne mense Junio, ad portum Veneris appulisset, qui hostilibus præerant triremibus, eum procul conspicati, improviso pavore consternati sunt; primumque an hostes, an sui, quive gentium forent, attoniti ancipiti volvebant animo, multitudinem triremium obstupentes. Nec enim adventare Carolum adhuc ulla fama pertulerat. Ast ubi hostilem esse classem concipere potuerunt, de salute anxii, fugæ se se repentè enixissimè dedere, & Urbem versùs cursum arripuerunt. Eas ergo, ut par erat, Carolus persequutus, ut interciperet annitebatur. Verùm ex his quinque structura velociores, frequenti remorum

B pulsu, & studio nautarum evasere incolumes. Sexta quum lentiùs languidiùsque incederet, qui ei præerant, ne in manus inciderent hostium, de industria triremem ad continentem impegere; atque ita ipsi prosilientes solam nudamque reliquerunt. Eam captam cremari Carolus quum jussisset, vergente jam in noctem die, ad Veneris portum se contulit. Decreverat siquidem postera luce ad litora usque Genuæ penetrare, nec ullum benegerendæ rei casum linquere.

C Itaque quamprimum lux excipi potuit, tubicines canere, & omnes in armis esse jubet, Genuamque versùs ire contendit. Sed magnis ausibus invida fortuna semper infesta est. Vix quippe è Veneris solverat portu, quum tanta ventorum vis, & maris procella oborta est, ut non jam Julius mensis, æstivumque tempus, sed hibernus Januarius videretur. Tanto enim impetu irrumpebant undique, & ceu altercantes, adversique perflabant venti, ut nec contineri classis, nec sustinere tempestatis atrocitatem quiret; sed omnes nautarum vires impetu ventorum exsuperante, ad terram proruere triremes invitis gubernatoribus cogerentur. Nec quidem procul aberant, sed ad id extremi casus sævitia illos procellæ compulerat, ut vix

D mille passibus à continenti distarent. Cucurrerant jam incolæ omnes, littoraque compleverant, classisque naufragium prospectantes, læti jam jam in terram impingendas triremes præstolabantur, avidissimè prædam, & sanguinem inhiantes. Carolus in tanto periculo cohortatus suos ad omnes casus, quantum humana ope provideri poterat succurrebat. Et nautarum ac militum apparebat virtus, quòd adversùs ventorum, ac maris vim ceu ferocissimos hostes naviter resistebant. Carolo verò ea intentiori cura erat, ne classis violenter impulsa continentem attingeret, sed pelago magìs fidens in altum protendere conabatur. Dum hæc esset fortuna rerum,

E tamdem ad meridiem aliquantisper ventorum impetus quievere. Tum insurgere remiges, anniti viribus, remisque incumbere properant. Ita relictis jam montibus scopulisque, haud diuturna intercapedine temporis in altum delabitur classis. Ceterum etsi rectè ad eam partem videretur consultum, non minus tamen discriminis laborisque suboriebatur à pelago, quod ventorum exagitatione fervefactum, & exæstuans mare tolleret ad cœlum undas, procellamque formidabilem excitaret. Itaque triremes vento, undis, procellosoque jactatas salo, mirum in modum concussas quassatasque ferox tempestatis vis reddiderat.

In

In ea difficultate rerum, tamque pernicioso discrimine quum integram diem versaretur classis, ingruens demum nox etiam terrorem adauxit. Quippe noctis opacitas, haud impar sævæ cuique procellæ credita semper nautis, etiam levissima quæque perhorrenda videri facit; redduntque graviorem omnem casum tenebræ; & facilè quodvis discrimen nox in perniciem vertit. Sed quum omnes adversæ tempestatis iras nautarum virtus, & Imperatoris consilium superassent, in portum se se aliquem Carolus omni studio recipere annitebatur. Ita intendentes in opus impensiori cura moniti nautæ tamdem sub primam lucem Lyburni classem applicuere. Enimvero etsi classis tota procellarum atrocitate non parum pertulisset incommodi, quinque tamen triremes maximè omnium adeò tempestas concusserat, perfregeratque, ut illarum resarciendarum gratiâ integram diem apud Lyburnum moram trahere Carolus cogeretur.

Dum hæc à Carolo geruntur, iis, qui hostili classi præerant, illum ad Genuensia littora prætervectum, Clodiamque ab eo transmissas triremes, Anchonitanis maximè significantibus, pernotuit. Quamobrem inito inter se consilio, nihil existimare satius potuere, quàm & Genuam repetentes patriam suam, regionemque omnem tuerentur, Caroloque pro viribus obsisterent. Eoque illos magìs ad hoc alliciebat spes, quòd Carolum quatuor supra X. dumtaxat ducere triremes non ignari, ipsi suarum multitudine freti, si pugnæ copia quivisset afferri, certam se victoriam consequuturos confiderent. Itaque quum se pelago navigaturi dedissent, fortè prosperos ventorum flatus nacti (nam qui Carolo adversi, illis fortunati fuerant) ea ipsa die, quæ Lyburni à Carolo acta est, ad Genuensia litora pervenere. Ibi cognitis superiorum dierum actionibus, & quæ à Carolo gesta erant, quive illi accidissent casus, & eum adversa tempestate perculsum in tutiora divertisse, illum adhuc rediturum, ut par erat, opinati, insidias ei struere machinantur. Quinque siquidem triremes in portu Veneris constituunt, quas cùm primùm Carolum venientem conspicerent, simulatam arripere fugam docent, & celeri cursu Genuam versùs contendere. Reliquas verò, quæ quinque supra XX. erant, cum navigiis quibusque minoribus, ita intra rupes abdidere, ut omnino etiam à Venetis speculatoribus cerni non possent. Sperabant siquidem, Carolum velut adventus inscium sui, perinde fugientes triremes improvidè persequutum iri, quasi illas, quæ pridie dederant fugam, foret opinaturus. Ita facilè conjectabant, in eum modum in medio circumclusum nullo illum pacto suas evasurum manus. Nempe ut maximè cupiunt, sic affatim eventura quæque solent mortales persuadere sibi. Ceterum Carolo longè alia mens inerat. Namque ingenio perspicaci, & maritimarum rerum experimento fretus jam ipse secum hostilis classis adventum conceperat animo, qui superiorem procellam illi fuisse prosperam intelligebat. Itaque & structuros hostes insidias meditabatur, & ceu ferè eorum consilii gnarus, quid agerent, quid sperarent, secum ipse mente volvebat. Instauratis ergo reparatisque triremibus, quum è Lyburnico portu solutus rursum ad Genuensia se litora decrevisset conferre, primum omnium tentanda suorum consilia, & quid cuique veniret in mentem explorandum censuit. Probabant omnes in litora Genuensia reditum; & si quæ facultas rei prosperè gerendæ foret oblata, non aspernari. Nullam quippe classem esse dicebant, quæ impedimenti quippiam posset afferre, quominus libera maris possessione fruerentur. Tum Carolus quid sibi præsagiret animus, quid de re perficiunda judicaret, enucleans, minimè dubitare se, inquit, hostilem classem superioribus ventis prosperè fretam, in Lygusticum pelagus concitata navigatione venisse; hostes quoque fuisse insidias machinatos; graviter agendum, sensim maturèque incedendum, & ab eorum dolis callidè cavendum fore. Verùm triremium Præfecti, quique in consilium adhibiti erant, ad unum omnes dissentientes, haudquaquam imperatoris sententiam comprobabant. Non potuisse hostes per horridam tempestatem ullo pacto navigare contendentes. Nec erat tota in classe quisquam, qui Caroli judicio non pervicaciter adversaretur. Sed quantum in omni bello peritia ducis momenti habeat, nisi livida fortuna reluctata sit, semper rerum eventus docet. Ipse siquidem minimè de arbitrio deflexus, nec suorum suasionibus à vera deturbatus sententia, quum injussum neminem prodire in hostem audere accuratè præmonuisset, classem ordine conjunctimque jussit incedere. Ventum erat ad portus Veneris fauces, & eo usque nihil jam hostile prodierat. Carolus igitur, ne inexplorato faceret iter, quoniam portus bicipitem ingressum noverat, triremes quatuor, à quolibet siquidem aditu duas, speculatum ire, & eorum, quæ inspexerint, signa dare, nec longiùs progredi jubet; hostilesque triremes etiam numero impares, ne ullo prosequantur pacto, commonefacit. Ipse rei exitum operiturus substitit. Qui ergo Venetis speculatoriis præerant, ut ab utraque parte ingredi portum cœperunt, è vestigio quinque hostium triremes, quæ, ut diximus, arte quadam dispositæ palàm apparebant, conspexere. Quæ ut primum Venetas videre potuerunt, simulato, ut inter eos constitutum erat, de industria pavore, fugam arripuere. Datur à suis signum Carolo; triremes tantum adesse quinque significatur; moxque illæ Genuam versùm contendentes in conspectum prodeunt. Fit tum clamor ingens; nautæ, milites, ducesque voces in Cœlum tollunt: insequi oportere hostium triremes, in easque impetum faciundum unà omnes obstinatis animis vocibusque deposcunt. Tum Carolus sensim & cautè procedendum ratus, silentium & quietem agi, neminem progredi quum jussisset, speculatoriis, ut ad se revertantur, signo nautico imperat. Quod verò earum duæ transgressæ mandata aliquantisper longius excesserant, qui in insidiis delitescebant hostes, tres ex majori classe demissas ex suis triremes, illas circumvenire, & ne ad Carolum redire possent, aditum his intercipere jusserant. Quod quum impigrè fecissent, non parum Venetis duabus formidinis attulere. Sed virtute & audacia freti Veneti milites per medias ferè hostium proras facientes impetum, vix, anxièque prætergressi ad suos tamdem se receperunt, triumque

que insuper hostilium triremium signum Carolo protulere. Ergo Carolus, ubi certius jam sibi adesse hostilem classem pernotuit (quod semper tamen antea suspicabatur) nec se frustratum esse præsago animo, non jam in portum progredi, sed in vastum pelagus sibi fore prodeundum animadvertit. Itaque collectis ad se suis, ut omnibus annixi viribus, in altum evehi contendant, jubet, ratus (quod verum erat) hostes haud diutius acturos moram, sed brevì prodituros in lucem, seseque insecuturos omni conatu. Vix jam in pelagus prætergressi erant, quum prospicientibus, hostes procul apparere cœperunt. Illi enim, ut detectas machinationes intellexere, Carolumque mare petentem conspicati sunt, emicantes ex insidiis persequendi cepere consilium. Distabant tamen longo spatio, & vix etiam attentè prospectantibus discerni poterant. Quare Carolus suos triremium malos ascendere, & numerum eorum referre monuit. Illi jussa exequuti, viginti octo hostiles triremes præter minora navigia numeravere. Itaque Carolus ad triremium Præfectos, classisque suæ primores conversus, quum eorum imperitiam & temeritatem exprobrasset, & quantum calamitatis esset allatum, si illorum acquievisset votis, castigans commonuisset, nunc tamdem opus esse, inquit, ut viri sint, & virtutem si quam habere se putant, strenuè patefaciant. Contendantque omni ope, ut ex hostium elabantur manibus, & errata compensent. Ut ergo depositis armis remis omnes incumberent, ocius monet. Sagittarios tantum præsto esse, sagittandique muniis insistere, & insudare jubet. Animadvertebat siquidem fugientium sagittas velocius insequentes, ferociusque ferri, plusque detrimenti inferre sequentibus, quàm insequentium fugientibus. Quippe quod in celeri navigatione elongari semper cursu perpetuo præcedentes, propinquare verò continuò magis insequentes antecedentibus contingat. Cohortatur bono animo sint; si viri esse velint, haud se hostium impetum formidare.

Dum hæc à Carolo disponuntur, jam propiùs accesserant hostes, nec ad sagittæ jactum procul abesse videbantur. Itaque quoniam nisi in remorum pulsu, & cursus velocitate spei nihil reliquum erat, magna Carolum cupido incessit speculari classicum cursum, & quæ magis, sua ne, an hostilis celeritate præstaret, nosse. Ergo ut primùm propinquam conspexit hostilem classem, suos ut remis summa ope insistant, prosilireque è conspectu hostium enixè contendant, commonefacit. Parari interea, quæ reficiendis defessis labore corporibus usui forent, imperat. Impigrè nautæ opus adorti remos enixè impellunt, & profusis viribus concitant classem. Nec diu incubuerant, quum magno maris spatio ab hostium classe Carolus se disjunctum conspexit. Quamobrem de salute jam fidens, profusus gaudio, quietem agere, & desistere aliquandiu à labore remiges, vina cibariaque largiora conferri, canere tubicines, alacresque omnes esse jubet. Tollitur ingens ab omni classe clamor; turbæ, nautæ, militesque læti voces ad sidera jactant; ovantium & clamantium sonitu circum omnia resonant Maria. Genuenses contra mœsti anxiique nihilominus insequi properabant, summaque vi annitebantur. Itaque Carolus eos, quoad propiùs ad sagittæ jactum accedant, præstolatur. Ubi propinquiores videt, lætis jam exhilaratisque suis, rursum ingenti certamine concitare remos imperat, in altumque provolare. Insurgunt illi, & ingenti alacritate iterum remos & mare concutiunt; elabuntur properè è conspectu hostium triremes Venetæ, & ceu volitantes in pelagus profluunt, proculque hostilem deserunt classem. Agitur tum demum iteratò quies. Circumferri vinum Carolus largiùs jubet; poculum classicis datur, reficiuntur omnium animi corporaque. Ut propiùs accessere hostes, in eos tela bellicaque instrumenta jactantur. Crescit animorum ardor nautis; rursumque gaudio exhilarati in altum tendunt Veneti, insequentesque ludificant hostes. In eum modum integra ducitur dies; Genuensium incassum jacitur labor. Ergo Genuenses quum se frustratos spe sua, anniti temerè viribus, irritosque conatus edere tamdem animadverterunt, primis etiam jam appetentibus tenebris, abeundi cepere consilium. Quare classe Caroloque abire permissis ipsi cum suis se se ad Portum Veneris receperunt.

Carolus celeri cursu ea nocte Lyburnum venit; exaratisque inde per Pisas ad Senatum literis, omnium, quæ ad id tempus erant sequuta, Principem Patresque certiores fecit. Sed qui Pisis erant mercaturæ gratiâ Genuenses, interceptum eo die à suis Carolum opinati, hilaritate perfundi, & Civitatem ludis spectaculisque complere cœperunt. Nec poterant ab omni alacritatis genere, nullis etiam gravioribus parcentes sumtibus temperare. Qua in re quum aliquandiu perseverarent, asserentibusque, classem Venetam salvam esse, obstinatè adversarentur, in sententiaque pervicaciter persisterent: tamdem re dilucidiùs patefacta, plurium navigiorum adventu, literis, nuntiisque, Carolum in tuto esse cognovere, demumque adhibuere fidem. Tanto ergo pudore levitate facti consternati sunt, tantoque rubore perfusi, ut conclusi ædibus, ad plures dies in conspectum prodire hominum, lucemque conspicere formidarint. Nec quidem injuriâ. Non tam enim falli, quàm velle his crimini fuit; utque temerè credere, sic pervicaciùs creditis inhærere, culpa non caruit. Ast Carolus quum è Lyburno ad Ilvam Insulam, inde longo itinere, ut nonnumquam aliàs, Methonam Græciæ navigasset, id loci quod commodum reparandæ classi, tuendoque mari sæpe numero expertus norat, cum jussa Senatus præstolari decreverat, tum verò instaurare classem turmasque recreare. Ut ergo Venetiis superiora gesta, resque bono eventu habitæ pernotuere, prosperèque successisse Carolo, & salvam classem esse, ingens passim acta habitaque alacritas est, & omnium animis læta serenitas. Decrevitque quamprimum Senatus, Ludovicum Laureanum, virtute atque auctoritate præstantem ea tempestate civem, decem ad Carolum triremes ducere, easque conjungere ceteræ classi; Carolum verò novo supplemento refectum, rursum cum omni classe in Ligusticum reverti mare, & Genuensium litora locaque, qua acriori quiret, clade conficere. Fama enim erat, hostes jam

è suo digressos sinu, in Adriaticum pelagus Carolum insequutos esse. Gratus Carolo triremium adventus fuit, Senatus verò decretum jocundius. Inde quippe præclari patrandi facinoris occasionem sibi sperabat fore. Itaque pro consuetudine ex duarum triremium militibus, ceteram classem robustiùs communire adoritur. Duasque supra XX. triremes ducens, Ligustica repetere maria parat.

Dum ea geruntur, interea Princeps Venetus, qui ea tempestate præerat, Andreas Contarenus, vir senecta, & mente insignis, ex humanis excesserat. Quare coacti Patres de novo surrogando Principe consultare cœperunt, solitoque Urbis more delectores deligere. Ventum erat ad extremum deligentium delectorumque ordinem, & omnes unâ ferè sententiâ, una consona voce acclamare Carolum gestiebant, in eumque potissimùm universa suffragia videbantur ferri. Nec ambiguum apparebat, quin Carolus Venetus Princeps cunctis sententiis crearetur. Erat inter delectores tunc Zacharias Contarenus familiâ Senatoriâ non parvæ per id tempus auctoritatis in Republica vir, eloquentia quoque dicendique arte præstans. Is quum jam collegarum mente perspecta (neque enim difficile erat intelligere, Principatus sortem in Carolum casuram) animadvertens, sive quòd bono in Rempublicam animo quæ diceret vera esse, & Patriæ salutaria judicaret, seu quòd fortè Carolo dignitatis invideret fastigium: concionabundus assurrexisset, in hanc ferme sententiam orationem habuisse memoratur:

„ Immortalem Deum testor, Patres Conscripti, me hunc locum hoc tempore nulla quidem alia humanarum rerum, nisi Patriæ tantum reique publicæ nostræ, cui omnia debemus gratiâ, ac pietate conscendisse. Itaque quæ apud vos ego hodierno die sum imo de pectore in medium allaturus, si à me prodita pro innata vobis benignitate excipietis, Patres Conscripti, in eam omnino partem à me dicta esse intelligetis, ut à Cive Reipublicæ observantissimo cupidissimoque ipsiu salutis, omni affectu posito, recto sinceroque animo prolata sint. Convenimus etenim omnes, Patres Conscripti, ut optimum saluberrimumque Venetis Principem eligeremus. Videre autem videor vel omnium vota in Carolum Zenum esse conjecta, ad illumque unum eligentium mentem atque animum dirigi. Nec quidem injuriâ. Quippe quum inter omnes Venetos Cives, aliorum bonâ veniâ dixerim, nemo vir melior, nemo dignior, nemo virtute præstantior sit. Nec enim ullum esse judico omnium, quos per hoc tempus nostra Civitas habet, qui & experimento rerum, laboribus, periculisque pro patria susceptis, & sanguine fuso, eam sibi dignitatis arcem, illud fastigii culmen digniùs jure optimo vendicarit. Quare si pro meritis Venetus Princeps deligendus sit, aut is locus pro mercede laborem periculorumque cuique de Republica optimè merito contribuendus videatur: Carolo Zeno maximè omnium, quos jam pridem Veneta Civitas extulit, ego profectò adeò deberi profiteor, quòd si omnium vota in potestate sita sint mea, in illum unum singula quæque sparsis ulnis sim effusurus. Ceterùm quantum mihi nunc quidem videatur, non ego tantùm, Patres, in conferenda maxima dignitate, cujusque merita, quàm patriæ emolumentum atque salutem, quidve Reipublicæ conducat magìs, pendendum censeo; ne dum benemeritos mercede afficere cupimus, Patriæ calamitatem infligamus. Cives siquidem honore afficere, Patres Conscripti, si digni sint, rectè profectò decet; sed si detrimentum inde Patria sentiat, absurdum exitialeque puto. Neque enim Civibus honos in perniciem, sed in salutem ac gloriam Reipublicæ conferendus inventus est. Cogitare namque vos, & intensiore cura considerare oportet, Patres Conscripti, vobis adversùm Genuenses perpetuum esse bellum; exardere illud fervescereque in dies magìs; Venetiis verò esse neminem, quod invitum, & ægro animo dicere me necessitas magìs, quàm voluntas cogit, nec ad cujusquam contumeliam relatum velim, qui tantæ moli rerum æquè peraccommodatus sit. Carolum siquidem unum Genuensium malleum, & flagellum esse, eumque virum Rempublicam Venetam solum habere, quo adversùm tantam belli molem uti possit. Neque enim est apud nos quisquam, si non impudenter ire inficias, sed fateri ingenuè vera velimus, qui navalium, maritimarumque rerum peritiâ, prudentiâ, consilio, ingenio, experimento, animo, fide, & pietate in Patriam, rerum gestarum gloriâ, magnanimitateque, ac felicitate gerendarum, quoquam illi pacto æquiparandus videatur. Quòd si principatui devincire illum volueritis, Patres Conscripti, domique consistere, & quietem agere, rebus urbanis demersum compelletis (sic enim prisco more principes decet) quem alium, quæso, obsecro per immortalem Deum, habebitis, quem classibus, & imperiis præficiatis, cui tam sævi, & tremendi belli committatis onus, quem adversùm hostium vires ut turrim, & propugnaculum opponatis? Imminent cervicibus vestris acerrimi, & funestissimi hostes, à quibus paulò antea hæc urbs in ultimum pæne periculum perducta est. Neque properè quieturos aut infestos, ferocesque in vos animos mitigaturos esse, ulla jam nobis tradi spes, aut fides potest. Per tot continuos annos, quibus adversùm eos gessistis bellum, hoc uno imperatore solùm ex quo cœpistis, neque umquam quovis alio hactenus usos vos esse non ignoratis, eum dumtaxat hostibus illis opposuistis obicem, & semper saluberrimum comperistis. Aptiorem verò eo neminem. Atque, ut præterita prætermittam, nonne nuper eum tota urbe delectum expiditioni maritimæ præfecistis? Nonne imperatorem classi vestræ delegistis? Bellum in Genuenses, quod geritis, ei demandastis: Rerum summam, & actionum illi uni maximè omnium commisistis: Nonne nunc is pro vobis, pro Patria, pro Republica, pro civibus, pro liberis fortunisque vestris adversùm vestros infestissimos hostes assiduè gerens bellum in classe jam tot mensibus constipatus in mari

„ ver-

„ versatur? Inter fluctus, & undas, procellas, tempestates, & ventorum impetus, invictus, & indefessus perstat. Modò Græca percurrens maria, nunc Lygusticum pelagus petens semper hostibus adversus, & imminens, & præclari facinoris intensissimâ curâ quæritans casum. Vix dum verò postremi hujus decreti vestri obsignatio facta est, Patres Conscripti, quum eum nuperrimè auctum à vobis decem triremium supplemento Genuenses penetrare sinus hostilesque irrumpere oras sanxistis, & Genuensia litora hostilemque regionem quàm maxima clade conficere. Quid igitur consilii, quid prudentiæ quid caritatis in Patriam præferetis, Patres Conscripti? Quid inesse recti regiminis, & solidæ rationis animis vestris patefacietis, si nunc illum à tam salubri & glorioso opere distraxeritis, & Patriam speratâ victoriâ Rempublicam tanto emolumento & beneficio fraudetis? Vecordem ego quidem eum judico, Patres, qui dignitatis alienæ memor, salutis oblitus est suæ; semperque Patriæ pietatem, civium non gloriæ modò, sed vitæ esse præferendam sum arbitratus. Neque enim patria civibus nata est, sed patriæ cives, quam tueri etiam civium sanguine necesse est, naturæ lege servata. Atque haud scio equidem, quid uspiam gratius hostibus, quid desiderabilius evenire queat, nec quo meliùs illorum commodo atque saluti consulere vos, vel si voto quidem fingere detur, possitis. Nec quid illi optare ab immortali Deo suppliciùs, quid pro bonorum culmine maximo sublatis in cœlum palmis deposcere avidiùs valeant, aut exhilaratiùs pro parto & impetrato lætari. Quippe solum viri nomen tam illis horrendum est, tantoque universis Genuensium populis terrori atque formidini, ut qui neminem alium Veneti juris æquè vereantur, Carolo in alios translato usus, ingenti se solicitudine liberari non dubitent, potissimamque belli, laboris, discriminis partem sibi sublatum iri. Itaque si Carolum nunc à classe & bello dimotum concluserimus Urbi, haud in disparem profectò cum illis coincidentes animorum cupidinem, in eoque potissimùm, quod maximè volunt, affatim gerentes morem, non secus illis quàm ad præscriptum & imperium obsequemur. Ille verò non tam imperitus, quàm iniquus rerum existimator censeri debet, Patres Conscripti, qui maturè deliberans prodesse hosti, obesse Patriæ velit. Satisfacere quippe aliis, lædere semet, quis non extremæ dementiæ putet? Quid autem Cives, nisi membra Reipublicæ? Quid Respublica Civitasque, nisi civium coadunata conjunctio, ceu omnium unum compactum & integrum corpus? Quis igitur Patriæ hostis sit, qui non sit sibi? Aut quis officere Reipublicæ possit, qui non lædat & civem? Idem sumus omnes, Patres Conscripti; nostrum quisque Reipublicæ partes gerit; conjuncti verò universum Civitatis Reipublicæ corpus efficimus. Pati profectò corpus non potest, quin æquè contorqueantur & membra. Si Patria conflictatur, nemo nostrum est, qui non cum illa pariter concidat. Quid autem detestabilius, quid insanius, quàm prodesse hosti, voluptatemque afferre Patriæ, ac sibi calamitatem, ac mœrorem incutere. Itaque si sapitis, Patres Conscripti, quoad liceat uti viri vita atque virtute, Carolum non ad quietis & otii locum, sed ad salutem Patriæ, ad graviora Reipublicæ pericula conservandum decernetis; sic enim & Reipublicæ consuletis, & civi quoque optimè merito accumulabitis gloriam, quod Reipublicæ præsidium in eo potissimùm situm esse patefacietis. Neque quidem inferior erit Carolo Zeno dignitas, quòd Patriæ salus ab eo pendeat, quàm quòd supremum magistratum adeptus sit. Optimos quoque vos, & prudentes declarabitis Cives, qui & honore afficiendum egregiè merentem censueritis, & tamen emolumentum præferentes Patriæ, vobis illam omnibus potiorem judicaveritis. Muneribus quoque publicis pro cujusque virtute & opere, ac Reipublicæ commodo rectissimè distributis, nil curaveritis magìs, quàm postergatis ceterarum rationibus rerum, Venetæ Urbi quàm saluberrimè consultum iri. Non sunt siquidem æquè belli & pacis artes, Patres Conscripti, neque tam foris, quàm domi quisque idoneus est. Dispares sunt regendi Urbem, & conferendi prœlii rationes, quibus quum pariter Carolus valeat, equidem velim in Republica nostra Carolos complures esse. Sed valebunt alii urbanis artibus, & domi Reipublicæ usui poterunt esse, qui bellicas parciùs calluerunt. Quòd si plurimos nunc Carolos necessitudinibus Reipublicæ promtos haberetis, Patres Conscripti, equidem ipse inter omnes vobis potissimùm auctor forem, ut maximè hunc Urbi Principem deligeritis. Sic planè & solatio civium, & emolumento ac saluti urbanarum rerum, & præclari viri meritis simul consulere valeretis; atque insuper Respublica bellicis in rebus optato præsidio non careret. Sed quum inter omnes unum illum solum esse cernatis, ad illud potissimum opus, eo vobis utendum conservandumque illum vobis satius censeo, Patres Conscripti, qui Patriæ, qui Reipublicæ maximè salutaris & necessarius sit. Itaque quum plus bello, quàm pace, plus foris, quàm domi prodesse Reipublicæ possit, quis tam imperitus rerum ambigere poterit, quin nullo ille sit impedimento volvendus, nullo implicandus & obstringendus vinculo, sed omni magìs nexu solvendus sit, quo promtus & expeditus ad belli munia, & Reipublicæ necessitates queat intendere? Igitur ego, Patres, non solùm nunc illum huic Principatus oneri non alligandum censeo; sed etiam si eo præditus sit, pro salute Patriæ protinus eo pondere liberandum & absolvendum decerno. Quippe quòd Rempublicam in bellicos potissimùm usus eo maximè viro, hoc præsertim tempore, plurimum indigere, illumque tot imminentibus belli molibus, tot adversantibus hostibus longè aptiorem Reipublicæ usibus Patriæque salubriorem solutum, quàm vinctum fore intelligo.

Commovit hæc oratio non mediocriter Pa-

Patrum animos, adeòque à pristina voluntate deflexit, ut qui antea in Carolum Principatui præficiendum obstinatè conjecerant studia, tunc si id actum foret, judicarent Reipublicæ non vulgare detrimentum afferri. Itaque affectis demum in hanc sententiam mentibus, atque ita tamdem in proposito persistentibus, Carolum belli & periculis reservandum salubrius Patriæ decreverunt; ad aliosque, quos minus necessarios utilesque Reipublicæ opinabantur, conversis animis in Principis electione, detractis à Carolo studiis, mutatisque mentibus, progressi sunt. In eum modum Carolus tunc summo Veneta in Urbe fastigio, patriæ salutis simulato colore, planè fraudatus est. Callidè siquidem plerumque novos potiundi voti modos in Rebuspublicis excogitant cives, ut quo majorem fidem oratio faciat, non contumeliis, sed laudibus agant. Sic quæ cupiunt, obliquis tramitibus impetrant, quæ assequi viâ directâ nequissent. Carolus ergo exarato feliciter, quod interjacet Tyrrheno mari, Genuenses invasurus opes, quod illi præscripsisse Senatum diximus, Lyburnum vênit. Eratque illi animus postera luce in hostium irrumpere litora, & regionem passim clade ac terrore complere. Ea mente quum navigaret, quamplurima Genuensium navigia circum ea loca deferentia merces comperit, illorumque maximam partem cepit, prædamque inde ingentem abegit. Igitur vergente jam in tenebras luce, quum in Lyburnicum divertisset portum, tum repentè adest ad classem scapha exultans clangore tubicinum, luminumque fulgore coruscans. Inerat illi nuntius pacis perferens literas, unàque Genuensium accedebat Orator à Sabaudiæ Principe, Venetisque Legatis, qui cum hostibus pacem pertractarant sanxerantque, submissus. Is siquidem generosi animi Princeps, pro ingenita mansuetudine sumtâ partium curâ, quod his affectus bellum Venetos inter Genuensesque tamdiu sævire atrociter, minùs æquo tolerare animo videretur, perpetua populos pace devincire concupierat; cujus suasione pellecti Veneti Genuensesque ad Taurinum suæ ditionis Urbem Oratores transmiserant. Qui tamdem per ea tempora controversias omnes, conventionibus datis, acceptisque, componentes, inter se se sancierant pacem. Summa igitur literarum erat. Nullum esse jam Venetos inter Genuensesque bellum. Inter utrumque populum inviolabile ictum fœdus. Pace perpetua dissensiones esse sublatas. Carolum à præda detrimentoque Genuensibus inferendo abstinere in posterum oportere. Quicquid ex eo die, quo sancita pax est, prædæ abegisset, aut intulisset cladis, resarciundum fore. Carolus Oratore nuntioque benignè exceptis, quum ex illorum alloquio, habitisque per eos literis, quæ gesta erant, illi pernotuissent universa, nuper ex Genuensium extorta navigiis intensiori studio reddi curavit. Nec quicquam quantum humana ope potuit anniti prætermissum ab eo est, quin illis pro voto fieret satis.

Omnibus igitur, quæ ad eam rem attinebant exactè persolutis, subinde è Lyburnico portu movens, solito & sæpe aliàs pertrito cursu, rursum in Peloponesum Achajæ enavigavit, Methone, ut adfuerat, Senatus jussa opperiturus. Senatus ergo, ubi sancitam Taurini pacem allatum est, gaudio & hilaritate refertus, supplicia gratiarumque actiones primùm immortali Deo celebrari per Urbem, sacrosque religioso ritu conventus agi jussit. Ad Carolumque dehinc curâ conversâ, posteaquam pace jam parta, minùs deinceps necessarius tantæ classis videretur usus, ut acceptis, quæ Methone asservabantur, mercibus, reverteretur in Patriam, classem militesque in Urbem reduceret, decrevit. Erant autem eæ, quas in id loci, ad magnam vim Carolum deposuisse in superioribus memoravimus. Igitur Carolus Senatus mente perspecta, triremibus, ut capere quæque poterat oneratis, per Liburniam, & Hystriam Venetias versùs progressus est. Quumque navigatione feliciter persoluta ad Veneta salvus litora pervenisset, classem integram, incolumesque nauticas turbas, & milites Patriæ penatibusque restituit. Rerumque insuper copiam afferens uberem, pretioque æstimandam ingenti, maximo Urbem omnem, cives, populum gaudio & exultatione affecit.

Ceterùm quod inter pacis conditiones conventum erat, Oppidum, quod ad eam diem in Tenedo Insula fuerat, demoliendum fore, Senatus, quo servaretur conventis fides, arcis Præfecto mandaverat, ut confestim dirutum æquaret solo. Erat autem is Zanachius quidam Mudatius Senatorio genere, horridi animi, extremæque pervicaciæ vir. Sed ille incertum qua mente ductus, haudquaquam paruerat monitis, demolirique prohibuerat arcem. Ægrè verò id pertulerant Genuenses, & fidejussores servandæ pacis, pro consequendis fracti fœderis pœnis, acriter interpellabant. Florentini siquidem intercesserant vades. Multa non observanti ducentorum millium adjecta erat. Pergravis profectò videbatur res, Venetorumque Rempublicam, ictumque fœdus molestiùs perturbabat. Itaque Carolo rem Veneti committunt. Ut ea perturbatione Rempublicam liberet, jubent. Verbis primùm, & suasione utatur. Si id non succedat, classem paret, & viribus agat. Carolus igitur quamquam durissimam viri cervicem nosset, quippe quocum à tenerrimis unguilis studiorum & actionum fuerat mutua illi consuetudo, neque potiundi voti conciperet animo spem: ut Patriæ tamen gereret morem, Veneriis profectus, Tenedon vênit, Præfectoque ipso ad colloquium evocato, quibus maximè valuit artibus contendit, ut Senatus ille capesseret jussa. Quumque is pervicaciter obsisteret, Carolus nihilominus suadendo perseverans, precibus, minis, pollicitationibus, ac omni verborum genere in sententiam allicere pertinacem hominem conabatur. Sed neque demulceri verbis, ullisque mollescere precibus, neque terreri minis saxeum ferreumque pectus poterat. Ergo quum tracti sermones ad plurimos ducerentur dies, frustraque niti se Carolus animadverteret, digressus inde, vim & arma statuerat experiri. Hæc gerentem parantemque illum, rursumque classis in id opus imperatorem designatum, adversa valetudo invasit. Itaque cœptum linquere coactus onus, ut persolverentur aliorum operâ, quæ ipse morbo correptus exequi non poterat, curam impendit. Egitque in Urbe quie-

quietem, instaurandæ adversæ valetudinis adhibens studium, quoad pacis conditionibus exactissimè satisfactum, Remquepublicam ab omni belli metu, & hostili exagita- A tione undique liberam atque immunem est conspicatus.

EXPLICIT LIBER SEXTUS.

INCIPIT LIBER SEPTIMUS.

PAce jam parta conditionibusque servatis, in posterum Veneta Urbs, & ab hostium terrore soluta, & quavis alia perturbatione immunis, quietura diutiùs videbatur. Itaque quum animadverteret Carolus, se Patriæ usibus, quoad exegisset res, pro sua virili incubuisse, quod reliquum erat, ut amicis quoque aliqua ex parte quod debebatur B exsolveret, sui fore muneris censuit. Ergo ejus rei gratiâ subiit animo peragrare Italiam, visendi potissimùm salutandique studio quotquot sparsim, in ea tenerent Imperia Principes, quorum plurimis non vulgari benivolentia devinctus erat. Igitur Urbe digressus, in primis omnium Ferrariam venit, Estensemque Nicolaum, qui per id temporis Ferrariæ præerat, adiit primùm. Ab eo jocundè admodum ac benignè exceptus apud illum aliquot commoratus dies, non minus suo digressu gravem, quàm antea adventu lætum effecerat, abscedens liquit. Ad C Antonium Scala Veronæ Vicentiæque dominantem dehinc accessit. Qui Caroli adventu exhilaratus, nihil officii, nil gratulationis omisit; magnificùmque se ac splendidum exhibere annixus, ejus amplexibus, & suavissimis alloquiis, ingenti animi voluptate perfunctus, perjocundè inhæsit. Sed quum apud illum aliquandiu protractâ morâ satìs se fecisse officio Carolus prospexisset, longiùs prætergressus, Mediolanum petiit. Ea tempestate Cisalpinæ Galliæ, unà cum Bernabeo patruo tenebat Imperium Galeatius Virtutum Comes, vir quidem eximiis animi corporisque dotibus admodum præstans, perce- D lebratæque gloriæ, & re profectò ac cognomento pari omni virtute insignis. Is maximè omnium splendido Carolum apparatu excipiens, tam ferventi illum caritate complexus est, ut inter amicorum principes sibi in primis ascisceret, ascriberetque in paucissimis, nec abdicari à se ullo pacto pateretur. Præerat per id tempus Mediolano Bernabeus Vicecomes, Galeatio, ut diximus, patruus, Urbemque premebat tyrannico jugo. Quare ut ejusmodi solet accidere, in factiosa præsertim Urbe, erant plurimi, qui ejus flagrantes interitum, in ipsius cædem ac perniciem exarderent. Quorum tamdem operâ effectum est, ut structis insidiis Tyrannus obtruncare- E tur. Ejus igitur nece Civitas fluctuare cœperat, & armis militibusque repleri. Nec à seditione procul aberat res, quòd quamplurimi, qui defuncti sectabantur partes, aderant in Urbe, de vindicta & sanguine cogitantes; nec enim illi amici defuerant. Sic pavore ac trepidatione omnia permiscebantur. Galeatius itaque cognita patrui nece, quum in Mediolanum conversâ curâ de Civium Urbisque salute anxius agitaret animo, exortosque tumultus sedare cuperet, pacique consulere, quo pacto, quove magìs auctore percupitos animorum conceptus exequi posset, secum corde volvebat. Hæc tractanti vario consilio, ancipitique pectore Principi Caroli pervagata virtus, & celebre nomen subiit animo, effecitque, ut abolitâ antiquatâque ceterorum memoriâ, in illum dumtaxat unum oculos Princeps mentemque converteret. Quippe inclita virtus ubique terrarum si nota sit, semper in pretio est, & in tenebris lucem, in abditis atque obscuris locum comperit, nec quòcumque pergas, strenuis honos deest.

Itaque ut præesset Mediolano Carolus, regeret Urbem, moderareturque summæ rerum Galeatius Princeps decrevit. Ergo Carolus, qui Principi in primis benivolentissimo sibi, de seque optimè merito percuperet impensè gerere morem, indignum se, suisque abhorrens moribus, æquoque amicitiæ fœderi, cupitis obluctari votis ratus, obsequi affectis precibus, facereque satìs dedicato orantis animo, sui censuit muneris fore. Inito igitur Magistratu desumtâque Urbis curâ, quamquam Guelforum, Gibellinorumque factiones, (sic enim vulgus appellat) turbarent Urbem, bonis tamen Carolus artibus fretus, imminentibus morbis periculisque studio & virtute consuluit. Primùm siquidem excitatos tumultus non sedare solùm, sed extinguere exstirpareque penitus adjiciens animum, sic sensim tumultuantes composuit res, ut ea brevì Urbs tranquillo & pacatissimo redderetur loco. Nec ulla deinceps necis & factionis vel recordatione suborta, aboleretur quoque pristinarum dissensionum non omnis modò vis, sed ipsa ferè quoque memoria. Eum Magistratum anno integro mensibus tribus administrans Carolus pergratum se Mediolanensi populo fecit, amoremque omnium in semet largo & pervulgato favore conciliavit. Nec civium modò, quos justitia paceque foverat, sed Principis quoque potissimùm placatissimum sibi reddens animum, mirum in modum ad gratiam & acceptionem accendit. Per ea tempora Galeatius Princeps per Cisalpinæ Galliæ provincias latum ductabat imperium. Pedemontium quoque regionem amplam ditione tenebat, opulenta quidem loca, magnoque referta hominum numero, ceterùm ferocitate factionum adeò infesta & horrida, ut ægrè anxièque vix contineri jugo possent, perstrenuosque ac gubernandi artibus insignes Præsides diffidentium sæpe feritas fatigarat. Compositis ergo jam in Urbe Mediolano Caroli diligentiâ rebus Galeatius, quod deinceps non tam necessariò Caroli conspectum desideratura videbatur tranquillitas temporis, salutarem magìs, ubi atrocius immineret discrimen, Carolum fore ratus, optimum factu censuit, saluberrimumque regioni, si aliquandiu gubernaculis eorum populorum insistens, nutantem provinciam solito suo rexisset imperio. Quæ sententia quum inhæsisset animo, datis quantum temporum ac locorum difficultates videbantur

tur expetere, equestribus pedestribusque copiis, præesse regioni, opportunèque ingruentibus consulere periculis, factiosorumque coërcere ferocitatem, Carolum voluit. Paruit Carolus, in Provinciamque delatus, factiosissimæ regionis gerere curam adortus est.

Erat Galeatio Principi nubili ætate filia. Hanc ille Aurelianensi Duci Matrimonio spoponderat, Pedemontanamque provinciam dotis designaverat nomine. Id ut apud incolas exploratum est, qui Guelforum, ut ajunt, sectabantur partes, elatis repentè pectoribus, & cordibus inflammatis in vindictam & sanguinem hostium exardere cœperunt. Nam quantum ad Principis favores attinebat, Gibellina factio ad eum diem videbatur aliquanto superior fuisse, & Galeatio gratior. Semper enim arrectis animis, ad mutationesque rerum pendentibus atque intentis factiosi sunt, omnemque explendi furoris casum opportunè oblatum sibi, & suum putant. Itaque conspirantes inter se se Guelfinæ factionis Primores, in adversarios irrumpere, eos ad unum trucidare, illorum ædes evertere, facultatesque diripere decreverunt. Quo verò aptiùs cogitata succederent, omnes quotquot ejusce factionis circumvicina incolebant loca, clam accersierant, diemque præfixerant, ut unà cuncti delere Gibellinorum nomen quirent. Sperabant siquidem id se impunè patraturos, quòd Gallicum Ducem, in cujus ditionem venturi erant, confiderent suas partes sectari: Nec jam à rebellionis natura distare videbatur seditio. Raro quippe intestinus quisque motus in Urbe præsertim factiosa suboritur, quin de summa rerum, atque imperii periculum fiat. Appropinquabat ergo jam præstituta obeundi calamitosi facinoris dies, se seque Guelfi omnes ad ultionem cædemque parabant, ubi proxima suboriri cœpisset lux, incolarum ingentem multitudinem exultantibus operientes animis. Ceterùm tantus illos cœcus premebat furor, tantus illis inerat animorum ardor, ut nec sustinere passi sint accitos complices, neque compositum perficiendæ rei tempus præstolari, sed repentè quasi nova quadam rabie perciti arma amentes rapiunt, è domibus furentes erumpunt, discurrunt armati Urbem, Gibellinorum aggrediuntur ædes, fores perfringunt, bona diripiunt: si quos obvios habuissent, impetu facto mutilant obtruncantque. Fit ingens per Urbem strepitus, arma omnes clamitant, undique ad arma concurritur. Gallorum Regi salus proclamatur & vita; penetrant voces ad sidera: trepidatione, atque timore complentur omnia.

Fortè per id temporis Galeatius Princeps adversùs Veronenses moturus bellum, exercitum expedire decreverat. Cujus rei gratiâ omnes, quæ in Pedemontana regione ad eam diem Carolo militare consueverant, copias ad se acciverat, transmiseratque in hostes. Neque enim ulla sinistri motus hisce in locis deinceps suspicio videbatur fore, quòd ad paucos post inde interjectos dies, ea provincia dotis nomine, Principis decreto, ut ante docuimus, permittenda erat Gallico Duci. Itaque sinè copiis militaribus, sinè præsidiis relictus Carolus, se se in dies magis persolvendis imperiis, perficiundæque rei, profectionique dehinc, & itineri continuò comparabat. Ergo sic illi ad digressum intento ea quidem factiosorum conjuratio penitus initio ignota & obscura fuerat; nec minùs suspicari per id tempus videbatur posse, neque planè ad ejuscemodi animum applicabat. Igitur ut commotam Urbem, sævireque in hunc modum factiones intellexit primùm, dehinc quoque prospexit: subito motu, & rei novitate perculsus substitit; mœstus quippe, & anxius animo quid acturus foret, quò se versurus, quonamve pacto excitatam extincturus seditionem esset, impensiùs cogitabat. Nullæ siquidem, ut memoravimus, tunc illi aderant copiæ, nulli milites, quibus se se, Urbemque tueri, & obsistere insolescentium multitudini quiret. In primaria siquidem, & populosissima regionis Urbe res gerebatur. Itaque angebatur animo vehementer, neque tam de sævientium temeritate dolebat, quàm quòd occurrere, & mederi ingruenti morbo non posset. Extremi enim angoris est, ubi maximè opus sit, sinè spe potiundi, deesse quod cupis, nec id dari, quo indiges. Sed quum multa secum versaret animo, gravisque imminentium discriminum sollicitudo mentem turbaret, animadverteretque imminens loci & regionis excidium verti ante oculos, nisi celeri remedio consuleretur; collapsisque in deterius rebus, quantum Principi suo mœroris atque dedecoris, quantum sibi calamitatis & ignominiæ incussura foret ea pernicies; etsi vix quidem satìs sui compos consisteret; tamen tamdem confirmatus animo, nihil, quantum in ipso erat, intermittere, se telis & armis objicere, tentare experirique omnia statuit; & priùs certam obire necem, quàm se Præside, tantam tamque sævam Provinciæ calamitatem perferret. In ardua quippe & ancipiti rerum sorte ultima quæque impavidè subire pericula, ingens incitamentum necessitas facit; neque quicquam tam grave, quod horreat periturus. Itaque domo prosiliens, decem tantùm ex domestica familia comitantibus, in medias certantium furentiumque procellas erumpit, clamat, comminatur, ab incœpto desistere, arma deponere, quibus maximè precibus minisque potest contendit. Agit, tentatque omnia; nil prætermittit, quo in sententiam allicere, demulcere, deterrereque verbis irritatos valeat animos. Enim verò tam obstinata erant in sanguinem, & cædem fervida æstuantium pectora, ut nec auctoritas Præsidis, nec voces, minæ, precesque sedare, feroces & indomitas mentes quirent. Sed nullâ reverentiâ, aut formidine permoti, si curam salutis haberet suæ, abire illum, neu se commiscere prœlio commonebant. Quare Carolus commoto planè jam, & accenso animo, viribus tentare decernens, quod efficere arte non poterat. Nil siquidem extremi concitatus refugit spiritus, omneque supremum & horridum audet stricto pugione in eos ferox invehitur; factionisque primorem de industria correptum percutit ferro, & semianimem moribundumque solo prosternit. In reliquos insultat, verbisque, & ense minatur. Ita se se acturum in ceteros, nisi abeant, & arma deponant, jurejurando confirmat. Hoc audax Caroli facinus adeò exterruit, conturbavitque factiosorum omnium animos, ut miro quodam stupore attoniti, ferèque amentes

tes

tes redigerentur, nec jam de hostium cæde, fed de salute propria consternati corde pervolverent. Nullus enim tam ferox est, quem imminens ante oculos ultimum malorum omnium mors non repentè perterreat. In hunc modum singulis huc illucque divertentibus, ab occisione vastationeque cessantibus, per id temporis afferri visa est quies. Jam ingruerat nox, ex armisque ad epulas factiosi se se contulerant, ut ab hujuscemodi assolet, vino largiùs indulgentes. Itaque quum jam multo incaluissent mero, & crapula pariter æstuarent, rursum excandescentes corripiunt arma. Gibellinorum adoriuntur ædes, hostes ad necem vocant. Continebant se parietibus illi, nec adversùs furibundos prodire ausi tutabantur se, clausis foribus, quibus maximè viribus poterant. Prævalebant tamen nihilominus Guelfi, non minùs audacia superiores, quàm numero. Sed Carolus eorum furori nunc arte, nunc armis obsistens, quantum anniti humana valebat vis, ingruentibus calamitatibus consulebat; stragesque & cædes, quæ versabantur ante oculos, avertebat quamplurimas. Magna jam parte ejusce noctis prolapsa, quum vini fervor soporem pertinaciùs inflixisset, in forum delati Guelfi, per subsellia circumquaque prosterni cœperant, somnoque gravissimo mergebantur. Tum Carolus haud ampliùs differendum ratus, expeditum repentè nuntium ad Astam Liguftinorum Urbem, quæ Gallicis suberat, properare jubet, eumque, qui Ducis Aurelianensis nomine desumeret Provinciæ ditionem, accersitum quàm raptissimè accelerare. Paruerat monitis velox nuntius, Astamque versùs citatissimo cursu festinaverat iter. Jamque abscedentibus tenebris, apparere prima videbatur lux, quum ad portas Urbis ingens tumultus exoritur, innumerabilesque ferè armatorum copiæ conspectantur. Erant hi Guelfinæ factionis omnes, quotquot proxima Oppida & loca colebant, à complicibus, ut memoravimus, ad eam diem acciti. Carolus claudi Urbis portas jusserat, ingredique neminem patiebatur. Illi verò ut intromitterentur, obstinatiùs contendebant, terrore, minis, clamoribusque aditum flagitantes. Qui itaque intra Urbem erant Guelfi, vini jam fervore mitigato, ad voces clamantium exciti, animi corporisque sopore discusso, subita quoque perciti rabie, rursum in vesaniam temeritatemque solitam ferociùs incenduntur. Ad Caroli tribunal velut amentes properant, referari Urbis portas, dari aditum sociis, proclamitantes comminabundique contendunt. Tunc Carolus quod viribus non præstabatur, providendum consilio ingenioque decernens, novum sedandæ seditionis genus adoritur.

Erat inter Guelfæ factionis principes Johannes quidam potentiâ & auctoritate inter ceteros eminens, in primisque locuples, & fortunæ inter reliquos raræ. Hunc ad se Carolus accitum ante omnia jurejurando adigit, quæ à se acceperit, arcana illi & abdita fore. Deinde colore benevolentiæ simulato, benignè commonefacit, advertendum illi esse intentiore cura, quo in periculo status vitæ, fortunarumque suarum versetur. Videri quippe sibi illam diem in ejus excidium facilè conversum iri, si operientes ad Urbis portas introduxissent. Nam etsi initio adversùm Gibellinos arma viderentur moturi, demum tamen rabiem omnem in eum potissimùm eos acriter profusuros. Non enim tam sociis suppetias allaturos venisse, quàm opibus diripiendis, speque rerum eorum pellectos accurrisse illos. Neque tantùm favoris & benevolentiæ gratiâ ad præfixam diem accelerasse, quàm prædæ; nec tam hostium sanguinem, quàm facultates passim omnium inhiare. Id sibi certa primum cognitione liquidò constitisse; dehinc etiam ratione probari, quòd vulgi ea natura sit, hi mores, hæc studia, ut semper anhelet in prædam, & in divitum fortunas exæstuet. Nihil incondita multitudine periculosius esse; in gravi tumultu ingens non deesse discrimen; tam hostes, quàm amicos in concitata seditione de vita atque salute periculum facere; semper vulgus rerum novitates expetere, quòd sitibundos in his explere animos, & complere sceleratas cupidines facilè posse credat. Omne sævum oppetere factiosos, audere etiam extrema quæque; nil tam impium, tam execrandum, quod non levissimum putent. Divitum causam in hisce perturbationibus rerum semper esse deteriorem, plusque illis, quàm ceteris imminere discrimen. Propterea accuratiùs his omni consilio providendum videri; neque profectò dubitare se, si ingrediendi potestas permissa illis fuisset, non ab ullo modo temperaturos eos latrocinii genere, sed nec ejus quoque sanguini parcituros. Quod enim locupletiorem omnium eum non sit obscurum, discrimini planè propiorem eo esse neminem. Nec ad aliud tamdem casuram ejus sortis cladem, eamque pestem perniciemque venturam. Itaque, si sapiat, si vitam, salutemque suam caram habeat, tutamque cupiat fore, ne ingluvies hæc intromittatur in Urbem, illi omnino adhibendam operam esse, quam cernit meridiana luce clarius illi excidium comminari, vergereque tamdem in extremam ejus perniciem.

Servabat oris & habitus venustatem, hæc dicens, Carolus, & gravi oratione dignitatemque præferente, hominem alloquebatur; veraque omnia ita dicere videbatur, ut ex proposito serioque ea afferre quis crederet. Ergo arduum haud fuit in sententiam pellicere virum, & verbis incendere. Nam rei etiam per se ea conditio erat, ut facilè quemvis afficere animo quiret. Itaque usque adeò ei pro arbitrio persuasit, ut non secus præsagiret mente rebus exitum fore, quem Carolus præscripsisset. Numquam enim intentiùs applicant aures & animum homines, quàm ubi obversatur, salutis & fortunarum ratio. Quare & voce, & vultu assentiri monitis visus, ingentes tantæ pietatis primùm Carolo gratias habet; dein repentè conversus in suos, sublata proclamitat voce, proditorum se omnes habiturum loco, qui externos & peregrinos in capitis & fortunarum suarum exitium admittere intra Urbem deposcerent. Quotquot deinceps id pertentare contendissent, ferro perituros. Insurgunt verò ad hujus voces contra alii; introducendos exclamant; pars hunc, pars illos sequitur: sic unita priùs Guelforum conscinduntur examina. Fit strepitus ingens. Prœlium jam intestinum in eadem ipsa factione suboritur. Nemo ad Gibellinorum necem intendit dein-

deinceps animum. Guelfi se se dilacerantes invicem digladiantur. Tum Carolus astutè se quasi medium, sedatoremque discordiarum offert; dissidentibus adversatur; componere controversias nititur; nunc his, nunc illis simulat se favori esse. Distinere illos verbis, abalienare à sanguine furentes nititur animos; atque in hunc modum tempus incassum teri, quantum effici ingenio queat, impensiùs studet. Sperabat siquidem interea accersitum ab Asta Gallici Ducis nuntium brevì venturum. Elapsum jam erat ejus diei aliquantum spatii, & inter hæc Aureliani Ducis ipse accersitus Orator percurrens accelerav erat. Jamque propinquaverat Urbi, excitatosque tumultus noverat, videratque ad portas Guelforum acclamantium turbam. Igitur ut adesse illum Carolo nuntiatum est, per posticum clam introactum duci ad se, coramque consistere jubet. Tum tubicines canere, silentium indici, acciri ad se omnes tota Urbe imperat. Ubi frequentes advenere, orationem orditur. Quid Gallici hujus adventus velit, quis Galeatii Principis animus sit, effert. Demumque Urbis ac Provinciæ jus omne illius ditioni ac potestati tradit, se Magistratu abdicat, liberamque omnium rerum Gallo facultatem permittit. Dum hæc geruntur, qui præstolabantur ad fores Guelfi, ubi neminem apparere suorum, neque ullam ingressus sibi fieri potestatem sunt conspicati, nullasque acclamantium, tumultuantiumque deinceps exaudiri voces, sed silentium passim agi, arbitrati seditionem sedatam esse, abeundi assumsere consilium. Itaque desperato jam aditu, & ultionis facultate præreptа, relicta Urbe, ad propria rediere. Per eum modum, quies & in oppido, & foris est pacta, seditionique maximæ ac perniciosissimæ finis datus, & ab imminenti quidem, & pæne, jam certa clade Urbs Provinciaque servata est.

Rebus igitur ita compositis, ubi nulla deinceps in re usui esse ampliùs, eo in loco videbatur, fore tempus admonebatur, ut Urbe digrederetur. Postea ergo jam splendorem attulerat lux, quum Carolus se accingens itineri, quæ incumbere videbantur parabat, ultimumque populis vale dicturus erat. Tum frequens ex Urbe tota omnium ordinum ad illum concursus fit. Clamor exoritur ingens; resonat vocibus Civitas omnis; tendunt singuli ad Cœlum palmas; gratias agunt, optima quæque precantur. Matresfamilias, quæ consternatæ antea cæde atque tumultu eversionem formidaverant Urbis, nunc pro liberorum & conjugum parta salute profusæ gaudio profluentes continere lachrymas nequibant. Plura etiam quàm assequi mortales queant, Carolo devotissimis exoptantes precibus Viri, ingentes & immortales agendo gratias, defatigari non poterant, suo beneficio se habere quòd viverent; quòd liberis & conjugibus fruerentur; quòd Patria & fortunis uterentur suis, dulcique aura vescerentur. Conservatorem suæ Urbis, parentem unicum appellabant, qui deletam ea nocte, pessumdatamque Civitatem, se, fortunas, liberosque suos restituisset suo consilio, & tamquam ab inferis excitasset. Sempiternumque Caroli nomen apud eos fore pollicebantur. Nec puerorum quoque deerant studia, sed in Caroli laudes omnium ora & pectora profundebantur. Inhærebant abeuntis vestigio, & vestimentis incumbentes, etiam ne abscederet, distinere gestiebant. Adeòque confluxerant undique, ut se se comprimentes, visendi & alloquendi studio, nec explicare invicem, nec abeundi cedere locum, Carolo videbantur posse. Inter has benedicentium, & laudantium, supplicantiumque cumulatissimas voces, dedicatissimum præ se ferentes animum, constipatus omni populi frequentia, qui vix divelli ab humeris quibat, tamdem exiit Urbe, lætos parta salute, tristes illos suo digressu linquens.

Itaque jam profectus recta ad Principem Galeatium venit. Noverat jam is quoque, quæ per eos acciderant dies, & Caroli celsum & insuperabilem animum, prudentiamque singularem admirari, & in Cœlum maximis efferre laudibus cessare nequiverat. Itaque ut primum in conspectu ejus apparuit, incredibile dictu est, quanto applausu, quantaque propagati amoris significatione exceptus sit. Nam se se, ait, gratias illi debere innumeras, quòd Pedemontanam Provinciam suâ operâ & diligentiâ conservatam, & ab atroci pernicie liberatam cernat. Non minus id sibi pergratum esse, nec minoris muneris loco ascribere, quàm si recuperatam ab hostibus, vel ab inferis excitatam, in suas denuo ingessisset manus. Dilexisse se illum antea, & virtutis opinione affectum magni fecisse. Nunc verò tantum ad pristinam benivolentiam ob hæc præclara facinora adjectum & accumulatum amori esse, ut nullus pæne sibi reliquus, relictusque videatur amandi locus, ea vi Caroli Zeni nomen maximè ceterorum mortalium suum omne pectus impleverit. Flagrare incredibili ardore animi, quam debeat illi referre gratiam posse. Ceterùm etsi intelligat, haud id suæ opis esse, censuisse tamen, quod bonum virum decet, non deesse officio. Nullum se quidem majus Virtuti præmium, quàm honoris scire; quanto ea altior sit, tanto sublimius illi præmium deberi. Æquam se illi pro tot meritis profectò rependere gratiam non valere, sed quam queat relatum ire; & quod maximum in potestate habeat, præstare promtum fore. Eam sibi cordi affixam perstare sententiam, ut aliqua ex parte, quam mente intrinsecus caritatem gerit, etiam foris exhibeat. Hoc ergo se illi polliceri, hoc afferre, quo sublimiùs quicquam non habeat, ut Carolus sicut animi corporisque, ita & fortunarum particeps communi secum rerum omnium sorte fruatur, suique imperii ac ditionis unà par illi jus fasque sit. *Siquidem ego te*, inquit, *amicorum optime, velut alterum memet universa in ditione mea Ducales gerere vices decerno. Galliamque Cisalpinam meo parentem imperio, pari quadam & æqua lance tuis te gubernaculis regere jubeo. Mediolani considere; ex imperio toto ad te confluere omnes; unum Carolum universis præesse, leges, & jura dare, Provincias moderari; ab ore tuo, ductu, auspiciisque, Galliarum meos populos pendere, tuisque gestis dictisque haud secus ac meis obtemperare oportere omnes constituo, atque in eum modum nuntiorum præconumque vocibus palàm indici ac promulgari passim impero. Siquid sublimius mea esse in facultate animadverterem, id quidem etiam existimare te velim,*

velim, exhibiturum me tibi jocundius esse, quàm adepturum quicquam eorum, quæ in primis expetere mortales solent. Sed quo exornatum amicum de me optimè meritum reddam, equidem non ibo inficias, nec dignius esse mihi quicquam ampliùs scio, nec gloriosius nempe intelligo. His in frequentissimo omnium ordinum conventu à Principe proditis, ut verbis facta conresponderent, insignia dignitatis is Carolo contulit, potestatemque ineundi, exercendique magistratus fecit. Nuntiorum dein copiam per Galliam omnem obtemperantem ditioni suæ transmisit, qui populos omnium, quæ gesta erant, redditos certiores, ut Carolo subjicerentur, obtemperarentque universi commonefacerent. Amplissimas dehinc & magnificentissimas ædes, quæ quondam Bernabei Vicecomitis patrui fuerant, illi constituit incolendas. Pedites ducentos ad corporis Prætoriique tutelam dedit. Pannonios sagittarios quinquaginta; equites quoque illi centum quinquaginta contribuit, qui incedentem obequitantemque Carolum perpetuò comitarentur, nec ab illius conspectu ullo pacto diverterent. Graves causas, & appellationum querelas ex omni undique ditione ad eum deferri jussit. Urbis Mediolani curam, & eorum, quæ in majestatem salutemque Principis patrata forent, animadversionem spectare illi; seque demum, suaque passim omnia eum in modum ejus animo curæque permisit, ut totus in illius consilio, prudentia, fide, quasi vacuus & immunis ab omni rerum solicitudine penitus videretur acquieturus.

Carolus ergo peractis modestè Principi condignis gratiis, pariturus imperio, properè, ut præscribebatur, magistratum iniit desumsitque è vestigio exactissimam Urbis curam. Fluere primùm omnia luxu, & labare disciplina morum antea videbatur, plurimæque civiles pestes obterebant Urbem. Eratque ferè ut procellis agitata navis, & fluctuans undis. Itaque primùm omnium ad nocturnos prospectans motus, quòd illos perniciosiores parere solitos exitus sciret, agi excubias curat; speculatoresque, & explorandi arte peritos plurimos per Urbem disponit, quid acturi essent docet, quo pacto se se habeant civium mores, exquirere jubet, quibus artibus & studiis vitam ducant, quæ sentiant, quæ ferant, proloquanturque, rimari adoritur. Ubi prodita illi omnia sunt, quæ res exigit, quæ facto opportuna censeret, imperat. Jubet antiquas servari leges, optimas consuetudines Civibus sectandas esse. Novas quoque ipse leges condit, proponit edicta, & voce præconia quæ sanxerit, lucida esse populo studet. In diurnas quoque factiosorum conventiones, & arcana colloquia, nequid ex his exoriri seditionis quiret, præ facinorum gravitate animadvertit. Inimicitiis dissensionibusque Civium optimo consilio pacandis operam adhibet; armaque passim deferri prohibet, ne ex his quoque causis, quod plurimum solet, sinistri quippiam posset ingruere. Observari deinde in arcibus, mœnibusque Urbis accuratissimè nocturnas custodias à vigilibus imperat. Interdiu quoque ad portas Urbis, perque loca publica opportunè disponit milites eo consilio, ut facinorosos hoc pacto perterrefaceret armis, & ab omni impetu tutam redderet Civitatem. Incendiis quoque nocturnis providere operam adhibet, ut quàm velocissimè excitata restinguerentur, deformationi Urbis, & tumultui, qui plurimùm in hujuscemodi concitatur, simul hoc consulens pacto. Ad fures præterea direptoresque alienarum rerum undique exactissimo studio conquirendos majorem in modum intendit animum, & horum criminum reos atrociùs multimodis suppliciis afficit. Propterea juventutem incumbere atque assuefieri bonis Artibus impendit operam, ne iners, vagaque, & marcescens otio faciliùs lasciviret, & ad scelera quæque pronior redderetur. Atque omnia quidem rectè. Ad civilem quippe vitam, & pacatum Civitatis statum id potissimum attinet, ut Cives ab omni perturbatione immunes, tutique à sceleratorum insolentia sint: neque umquam salubriter consultum ulli esse Urbi poterit, in qua facinorosi pro libidine grassantur impunè. Commeatus etiam largiùs in Urbem deferri curat, esseque rerum omnium necessariarum humano usui, affluentissimam in Urbe copiam, populumque nulla rei caritate premi, ne in rapinas & seditiones accendi, & ulla mali inde suboriri posset occasio. Quippe famelico vulgo nihil in Urbe periculosius & perniciosius est.

Quum ad omnes casus, quantum exigebat res, intra mœnia consuluisset, optimamque bene beatèque vivendi indixisset formam, Urbe quieta, & ad mores optimos, pacatamque vitam instituta, ad externa demum protulit animum. Comensemque se in provinciam contulit. Et quòd factionum æstus hisce in locis afferre clades plurimas consuerant, in componendis sedandisque controversiis, devinciendisque invicem dissentientium & factiosorum animis intentiore cura incubuit. Inimicitias pacavit Civium, odia extinxit, ex hostibus benevolentissimos, eloquio & arte redegit. Factionum verò primores etiam matrimoniorum affinitatumque glutino connectere, peculiari quodam munere in primis illi curæ erat; quòd factionum furentibus malis obviam iri eo potissimùm pacto intelligebat. Reddere denique provinciam, Comensemque Urbem ab omni seditionis tumultusque discrimine liberam studio enixo contendit; & quantum assequi humanum ingenium valet, etiam effecit. Bergomum inde profectus, quòd vel pari, vel graviori laboraret morbo, eo longè majori industria & vigilantia usus, quo rerum difficultates poscebant, magìs eam curandam componendamque Urbem adortus est, plurimoque cultu & opere circa illam impensis, brevì redegit innoxiam, & quibus commaculata erat malis immunem reddidit. Brixiam dehinc, Parmamque, ac Ticinum, quam Papiam vocant, Placentiam quoque, ac Laudum, Tertonam, Astam, Novariamque, ac ceteras Galliæ Cisalpinæ Urbes lustravit; & quæ usui hisce erant, exactissimè intentiore cura persolvit. Sed in Asta Colonia Franciscum Carrariam juniorem, senioris quondam Francisci filium, comperit, ei quippe Galeatius Princeps intercepto exilii ea in Urbe contulerat locum, sedemque permiserat. Illum igitur adiit Carolus, partim quidem, quòd imperatum sibi esset à Principe, partim etiam ut officio faceret satis, quod

quod incumberet sibi pro vicinitate Urbium. Nam Patavium vigintiquinque passuum millibus Venetiis abest, & pro Veneti Senatus in illum benevolentia censebat. Itaque quum Principis sui, tum suo nomine gratam Francisco Carolus salutationem impendit; mœroreque confectum, & de Patris interitu, deque exilii perturbatione solicitum refovere adortus est. Erexitque propemodum languentes spiritus, quum Franciscum patrem non veneno, ut ille putaverat, sed communi sorte persolvisse extremum diem, certiorem effecit. Is enim paulò antea vitâ (*) excesserat. Quòd verò patria & opibus destitutus, rei familiaris angustia premebatur, permotus pietate Carolus nullis pepercit casibus, queis solari afflictum animum quiret. Quadringentos ex proprio ære aureos nummos egeno mutuos dedit. Commeatu juvit, munera insuper addidit, nullumque officium, nullum pietatis omisit munus. Tellinam hinc Vallem, difficilioraque ac periculosiora Cisalpinæ Galliæ perlustrans Oppida, opportunè imminentibus causis invigilans atque insudans, ubi exigebat res, consulere verbis & facto, insistere, seditionum exstirpare origines, & civilibus morbis eximia arte mederi non destitit. In eum modum brevì Galeatii Principis dignitatem perpetua Carolus stabilitate firmavit.

Peragratis hoc pacto universæ Cisalpinæ Galliæ regionibus, ad bonosque mores tranquillamque redactis vitam, demum Mediolanum revectus est. Ad cujus quidem insignis & primariæ Urbis, quanto in humanis esse major potest, felicitatem, omne ingenium, cunctasque profundere maximè vires decreverat. In ea enim non frequentem modò, sed pæne continuam protrahebat moram, illiusque saluti non secus ac propriæ invigilabat. Usque adeòque sibi ejus curam menti defixerat, ut nec divelli animo, nec fluere gerendarum rerum ingruentibus imbribus, ex ejus pectore, manibusque, & opere quiret. Nec eam planè linquere solam, vel exigua intercapedine temporis ab illa divertere, adduci poterat, nisi quid forsitan gravius & opportunius emersisset. Occurrebant siquidem plerumque pro humanarum rerum variata vicissitudine diversorum generum casus, qui assueta interrumpere munia, & Urbe plerumque illum digredi compellebant. Ubi enim novos obortos & concitatos noverat motus, eò ipse raptim advolabat, & expeditum ductabat exercitum, & periculis ac calamitatibus ingruentibus impigrè providebat. Manu satis ipse promtus erat, sed consilio diligentiaque præstabat, incredibilique gerundis in rebus & vigilantia utebatur, & animo. Eloquentia verò ac comitate excellebat in paucissimis. Itaque quum nunc ferro, & armis, nunc ingenio, & optimis artibus, expeditionibus prospero eventu attulisset finem, rursum Mediolanum, quasi ad arcem imperii, sedemque propriam remeare, solitasque regendi rationes resumere consueverat. Accedentes siquidem ex tota Vicecomitum ditione, facilitate promtissima excipiebat. Alloquebatur singulos comitate præcipua, facilem iis, quæ proponerentur, semper audiendo se perhibens. Prensabat cives manibus, gratis luminibus inspectabat, ore jocundo, hilari vultu, lætaque fronte accedentes singulos confovebat. Gravitatemque humanitati permixtam non deserebat; nec facilè scires, gravior, an comior videretur. Non tam timeri, quàm amari Carolo cordi erat. Quippe non ignorabat, neminem illi satis fidum esse, quem metuat, nec diuturnitatis metum probum custodem fore. Curabat amicos conciliare sibi, non subditos vendicare. Auctoritatem verò non rigidiori severitate, sed gravitate morum justitiæque, ac veritatis cultu apud omnes impensiùs comparaverat. Insigne præferebat clementiæ documentum, benignitate largiori fretus, dulcique mansuetudine agens alloquia. Promtissimas quidem, & patientissimas querelis aures, & suavem vocem consiliis afferebat. In coërcendis sceleribus plectendisque facinorosis solers & oculatus erat; sed ad lenitatem videbatur propensior. Nulla flectere animum cujusque generis munera poterant, quæ etiam abnuebat oblata, & collata spernebat. Virtutis & Justitiæ nomen in pretio erat. Integritatem ac sanctitatem vitæ plurimæ munditiæ opera præseferebant; & quamquam supremam illi potestatem Princeps contulerat, minùs tamen quàm liceret usurpare volebat, sed gravissima quæque ad Principem deferens, nihil arduum pro arbitrio, inconsulto Principe, aggredi satagebat, veluti permissa sibi, non vendicata facultate usus. Nec gloriæ suæ, aut emolumenti ulla sibi deserviebat cura; sed Principi suo accepta referebat omnia, & illi, non sibi quæ poterat, posse volebat. Fidem servare, observantes fore, præsto adesse imperiis, emolumentis invigilare omnes populos Principi pia caritate docebat. Nec ardentius illi studium inhærebat animo, quàm ut fide, & amore ferventes cives, & populos adscisceret Galeatio Principi.

Ad hæc munia intendebat enixè nervos; hæc illi perpetuò obversabantur in oculis; ad hæc tota semper mente flagrabat. In hunc modum rerum habenas regens, Galliarum Principis vices in universo ejus Cisalpino Imperio integro quinquennio tenuit; Magistratumque incredibili ipsius Principis, Mediolanensisque populi, atque omnium ordinum amore ac laude administravit. Urbes omnes, provincias, regiones ejus ditioni subjectas salvas & observantissimas reddidit, Principique magìs magìsque dedicatas in dies. Populorum verò in Carolum ingens reverentia erat, & amor eximius, illiusque nomen Galliâ totâ percelebre. Quibus ex rebus *Bergomensis Gasparinus*, *Rhetorum ea ætate facilè princeps*, præsidentem Carolum contemplatus, quum præclaras ejus artes, & optimas regiminis rationes pertractaret animo, innumeraque eo in Magistratu egregia patrata facinora, viro pernoscendi omnia cupidissimo pernotescerent: contineri non potuit, quin luculentam Orationem rerum à Carolo ea tempestate gestarum refertam ederet, quam plerisque visam perlectamque ad hanc quoque diem exstare accepimus.

Dum hæc esset fortuna rerum, Carolusque apud Principem eo auctoritatis & amplitudinis versaretur loco, ingens Patriæ solicitudo incessit animo; cujus absentia diuturna inexhaustum desiderium in dies acriùs accen-

(*) Id falsum; serius enim Franciscus Carrariensis senior è vivis excessit. Vide Gatarorum Historiam.

cendebat; vilescereque illi videbantur tot magistratus, & honorum culmina, nec in his quicquam eo magìs pensi habere, nihil se, etiamsi maximus esset, sinè Patria reputans esse. Nec imperare sibi poterat, ut crederet, quicquam Civi uspiam nisi in Patria gloriosum videri. Hac sæpius mentis exagitatione vexatus, diu anceps animo hæsitans, fluctuabundusque perstitit. Hinc enim Principis amor, & invicta fides, quibus se se illi devinctum intelligebat, dein suscepta beneficia, adeò digna, ita præclara ornamenta honorum ac dignitatum pectori succurrebant. Primum sibi toto Imperio penes Principem collatum locum, omnium oculos in se esse conjectos; Galliæ se jura dare; sibi passim in omnes pro arbitrio potestatem esse; cunctis Cisalpinæ Galliæ populis percarum & venerabundum haberi; Principis in se se acquiescere animum; adeò se illius inhæsisse cordi, ut vix videatur posse divelli. Vereri se, ne impietatis, & ingratitudinis subeat, opinione hominum, crimen, si ita meritum de se Principem, sic affectum, ita dedicatum nomini suo, & dignitati ac gloriæ pronum, in ea præsertim temporum rerumque tam affluenti felicitate relinquat. Formidare, ne propitium illius & clementissimum animum horrore afficiat, paratumque perturbet, ne quem diligit, quem colit & veneratur, lædat, ne tamdem precibus non assentiatur suis, sed vim inferat, & renitentem sistere cogat; irritoque labore incassum preces jactet & operam, ut satius fuerit integra re ab initio non tentasse. Hujuscemodi in hanc partem plurima sæpe numero secum ipse mente volvebat, quæ suspensum & anxium non reddere non poterant animum. Inde verò ingenita Patriæ pietas, & debita illi cura divertebant à ceteris mentem, & illi uni maximè, quantum præsertim ad humana pertinet, se genitum esse, memoriâ repetebat; Amicisque se decennio, quo obsequio ejus caruerat, fecisse satìs & abundè censebat. In hac tanta animi conflictatione versanti, vicit tamdem cetera officia, & reliqua omnia cumulatissima fortunæ bona, ipsius Patriæ caritas, quæ & sæpenumero apud eumdem metum etiam extremi periculi superaverat. Itaque quòcumque se verterent res, reserare animum Principi, & quæ mente præferret, intrepidè efferre decrevit. Eo proposito Galeatium Principem alloquitur, quid ferat animus, quid secum ipse defixè mente sanxisset edisserit. Ille, ut audivit velut perniciosum quemdam & funestissimum nuntium, ita Caroli sententiam execratus, aliquandiu admirabundus tacitusque substitit. Tamdem in hæc verba collabitur:

„ Ego te, quum superioribus annis Imperium meum tuæ fidei ac curæ commisi, amice omnium mihi quidem carissime, præsidium vitæ meæ, perpetuumque mihi patrocinium certè comparasse credideram; & requiem laboribus meis, periculisque tutamen & parentem meis populis sempiternum esse me assequutum, pro voto atque arbitrio existimaram, speraveramque Statui fortunisque meis egregiè consultum esse, nec mihi deinceps, aut Imperio formidandum meo, sed in fide, prudentia, que, virtuteque tua mihi perpetuò ab omni solicitudine immuni acquiescendum. Agebam immortali Deo gratias, quòd hæc se se obtulisset occasio, teque contulisset usibus meis, quo vivo felicem mihi agendam vitam dubitare non poteram. Nunc versa omnia in contrarium video, cogitationesque meas irritas redditas esse, in cassum jacta consilia, speque omni, fideque mea, me (quod dolens gemensque dico) frustratum intueor. Admiror & torqueor, quis hic te novus furor invaserit, quæ tam sæva cupido occupaverit animum, ut me, quem in te uno hæsisse cernis, deserere patiare. Equidem vix nunc dicentem te audire sustinui: tantus mentem horror incusserat. Quàm enim semper spiritus meus ex te pependerit, nosti; quantum fidei speique in te locarim, nemo te melior testis est. Ego Imperii mei vires dedicavi tibi, fortunas meas in arbitrio permisi tuo; Urbes, oppida, rura, agros, populos, regiones tuæ potestati & auctoritati subegi; vitam salutemque meam tuo in pectore fixi; amicis & necessariis quibusque prætuli; mihi non imparem te redegi. Mecum in tota Cisalpina Gallia jus tibi æquè volui fore. Neque ullus te mihi carior nemo magìs est cordi. Si hæc angustiora videantur animo tuo, animadverte, obsecro, si quid majus est: effer ingenuè conceptus animi tuos. Nihil erit, si periculum feceris ex his, quæ vel autumare mens mea queat, quod accumulatè tibi delatum, quod opis facultatisque non sit tuæ. Numquam tu ad me subitus & improvisus accedes, nec imparatum me uspiam renitentemque comperies; vacuus numquam abibis à me; neque umquam à me quicquam frustra petes. Imperium hoc omne, quodcumque est, tuum est. Neque ego minùs tuus, quàm mea sunt. Populi dedicatissimi tibi, & devotissimi nominis tui. Apud omnes suprema veneratione coleris: quod rarum inter mortales est, nullo invidiæ ictu pressus, quam gloria & virtute vicisti. Tuosne igitur linquere, concipere animus potest? Si nos deseras, te ipsum dividas necesse est. Sic enim nos optimo obsequio devinxisti tibi, ut caritatis vinculo juncti unitique videamur. Age itaque solicitudinem hanc & minùs commodam tibi, & nobis gravissimam obrue. Evelle è pectore tuo penitus omnem digrediendi curam. Per ego te eam fidem, quam jampridem præstitisti mihi, per invicti amoris pignus, quem semper erga te gessi, semperque geram, per amicitiæ nostræ indelebiles atque inviolabiles nexus oro obtestorque, ne hisce de rebus deinceps nobiscum agas. Nec de digressu tuo vel verbum ullum, audiente me, in posterum tibi ex ore excidat. Nihil enim, quod ad hanc rem attineat, proficere apud nos planè poteris, nisi nos fortè contorqueri acriùs, conficique animo plurimum, quod conjectare non possumus, jocundum ducas.

Ad hæc Carolus gratias ingentes agere Principi; scire se potiora, quàm pro meritis assequutum; neque digniora expeti posse. Nulla se fortunæ rerum cupidine protrahi; quàm fluxa & vana humana sint, non ignorare; abundè illi apud Principem pro ejus clementia cuncta suppetere. Mœrore angi se

A non vulgari, quòd ipsius spiritum perturbaverit; non minùs de illius mœstitia, quàm de propria condolere. Sed jam per annos decem absentem Patriâ, debito ejus officio, necessariorumque lachrymis revocari. Initio adivisse se illum salutandi tantùm causâ, paucosque commorandi dies. Accumulatè se muneri fecisse satis, qui apud eum decennium persolvisset. Jam Patriam civesque suos afferre de sua tarditate querelas. Nec diuturniorem absentiam passuros videri. Ne gravetur ferre æquo animo, si his morem gerat, & officium, quod debet, impendat. Non divelli ab eo se, quem semper cordi astrictum teneat, gesturusque perpetuò sit. Præsentiam dumtaxat suam ad breve intermitti oportere. B Futurum dehinc in potestate sua, quum libuisset, atque ubicumque terrarum constitisset, semper se illius imperio præsto fore, obsequentissimèque obtemperatum ire. Hæc & hujuscemodi pleraque referens Carolus apud Principem, tamen insistere, obsecrare, summasque preces afferre; ut voto annueret, orare, reditumque in Patriam supplicans deprecari non desistebat. Sed ille continuò durior, de digressu quicquam audire non abhorrebat modò, sed infesto animo prohibebat. Perseverabat tamen pertinax Carolus, & Principis Clementiam implorabat; utque oranti obsequeretur, lenibus verbis justisque C rationibus precabatur. Verùm nec is tantum demulcendo flectere, quantum ille resistendo pervicacior detrectare petitionem poterat. Quum aliquandiu ea in conflictatione perseverassent, utrisque non dispari animorum contentione certantibus, tantum tamen Caroli valuere artes, perpetuaque & exacta sedulitas, facundæ profluentique linguæ permixta, vim habere visa est, ut ad extremum Principis animus flecteretur. Sic tamdem Galeatius Princeps assiduis deprecationibus Caroli, æquisque suasionibus devictus est. Itaque quanquam invitus admodum, & ægro animo, postquam tamen ita obstinatè placebat, ut in Patriam se se conferret Carolus, D annuit. Eo pacto, decennio postquam illum adierat, summo dolore omnium Mediolano digressurus, magistratu se abdicavit.

Interea discessurum inde Carolum Galliâ totâ fama vulgaverat, regionemque passim, & populos ingens oppleverat mœror; nec secus ac si Principe ipso communique parente destituendi forent, torquebantur angore animi; vixque lachrymis & ejulatibus temperabant. Ergo ut præscripta itineris dies pernotuit, ex omni ferè imperio populorum frequens multitudo visendi studio Mediolanum confluxit, certatimque singuli, ut cujusque facultas & natura erat, ultimo perfuncturi officio concurrebant. Nullus est tam saxeo E corde, & impio pectore, quem miserabiles clamores tot simul gentium, & querulæ voces non permovissent. Ingemiscebant populi vices suas, quòd tali patroni, tam pio parente, optimoque præside destituti, ferè orbati ac miseri linquerentur. Magno se beneficio, & incomparabili munere ab immortali Deo præditos, quòd talem essent consequuti patrem, majori, quòd illo hactenus perfrui licuisset. Nunc ergo eo graviori calamitate ejus è digressu conficiendos. Neminem jam Carolo parem eo loco futurum, haud planè posse sperare. Nihil omnium, quæ in optimo Præside desiderari queant, illi vel minima ex parte deesse. Invictam fidem, inexhaustam pietatem, clementiam inusitatam, continentiam supra humanum modum, diligentiam in agendis, in perseverando constantiam, in benefaciendo promtitudinem, dando hilaritatem, promissorum fidem, & beneficiorum memoriam, gratitudinemque admirabilem. Ad hæc militarium rerum peritiam exactissimam, & in ferendis bellis veluti perpetuum, atque peculiare experimentum, suavissimam facundiam, dicendique ingentem vim, supraque imperatorum munus, acritudinem, dexteritatemque ingenii, rerumque omnium cognitionem, & ceterarum virtutum condimentum Prudentiam. Omnia tamdem & naturæ, & fortunæ, & ingenii, & studii munera in hunc unum ab immortali Deo accumulatè fuisse congesta. Quem igitur umquam similem adepturi sint? Quem alium comperiri posse putent? Qui civilium militariumque rerum artes æquè integrè calleat? Qui tot clarescat virtutibus, eo vigore animi, eo acumine ingenii, eâ peritiâ rerum fulgeat? Eo morum habitu, & oris ornatu resplendeat? Infelices se in posterum fore. Ingenti clade sua Cisalpinam Galliam tanto præsidio, tam pretioso thesauro spoliatum iri. Hæc atque hujuscemodi plurima jactabant passim omnes majorem in modum gravitate rei animo consternati.

Carolus inter hæc frequenti civium populariumque catervâ stipatus, digrediebatur Urbe Venetias versùs tendens iter. Illi verò pertinaci acclamatione, fortunata illi omnia precabantur, & lachrymarum profluviis querulisque vocibus summi mœroris indicibus prosequebantur abeuntem diutiùs. Ita regione discedens Patriam repetebat. In itinere verò ingentes illi apparatus, & sublimes honores per Urbes omnes, queis transeundum erat, redditi sunt. Sed Franciscus Patavinus Princeps omnium studia excessit & vota. Nam restitutus in Patriam, haud immemor suscepti in Cisalpina Gallia, dum exularet, in Urbe Asta à Carolo beneficii, tanta hilaritate illum excepit, tantaque significatione gratissimi & amantissimi animi prosequutus est, pæne ut fidem superet. Fixum sibi, inquit, esse cordi Caroli Zeni nomen. Numquam ex animo illius memoriam defluxum delapsumque iri. Ita se se devinctum illi, ut nulla relatione gratiæ, nullo ætatis decursu, interjectique temporis spatio exhauriri dissolvique obligationis suæ vinculum possit. Proinde ut quos mutuo ipse antea sumserat quadringentos aureos nummos caperet Carolus; recusantem etiam illum, pervicaciterque obsistentem, compulit; eique jus pro arbitrio in omni suo passim imperio æquè ac sibi jussit fore. Ut primùm verò de Caroli adventu est Venetiis nuntiatum, concursus omnium ordinum per multa passuum millia celebratus est, obviam prodeuntium, gratulantiumque, Urbsque omnis gaudio passim, & exultatione referta. Desiderio siquidem viri flagrabant unà pari affectu & ardore animi Senatus, Populusque; illiusque diuturniorem absentiam ægro & iniquissimo ferentes animo, ejus in Patriam reditum cupidissimè flagitabant. Itaque opportunè adveniens refovit civium animos suavi consuetudine, Civitatemque omnem conspectu gratissi-

tissimo recreavit, Venetumque universum populum incredibili voluptate affecit.

Quæ tamen minimè illi pro voto diuturnior potuit esse. Quippe quòd diutiùs agere in Urbe Carolum necessitudines Patriæ haudquaquam permitterent. Quibus illum ab Urbe Veneta sæpenumero distrahentibus affectos suâ præsentiâ cives, non sine perturbatione animi destituere cogebatur. Ea siquidem tempestate urgentibus causis ad Gallicum Anglicumque Reges Oratores transmittere decreverant Patres; quærebaturque, quisnam idoneus obeundo muneri foret. Senatus ergo in Carolum potissimùm conjectis omnium studiis, legationem suscipere, properareque ad Reges compulit, unico dumtaxat adjecto Collega. Digressus itaque jussis facturus satis, peragrata magna transalpinæ Galliæ parte, Parisiensium fines ingressus est. Considebat fortè per id tempus in splendida Parisiensium Urbe Rex, qui Venetos Oratores auditurus diem dixerat, præfinitoque tempore parari jusserat locum, omniumque ordinum, ut assolet, conventum fieri. Ut ergo in conspectum prodiit Carolus, quòd literarum disciplinas, dicendique artem, ut per ea tempora satis incallebat, Latino primùm eloquio orationem exorsus est, Gallico dehinc sermone, quæ antea Latinè dixerat repetens, cum Regem, tum etiam, qui astabant omnes in admirationem adduxit. Gallicum siquidem idioma egregiè ipse noverat, quod adolescentulus dum ageret Avinioni, jam pridem didicerat. Quibus ex rebus non mediocrem sibi Gallici Regis benevolentiam conciliavit. Familiariter diutiùs apud illum versatus, omnium quæ ferebat animus, quæve Senatui Veneto grata erant, uberrimè compos est factus. In Britanniam deinde Insulam, quam Angliam vocitant, profectus, Latinè tantùm causam peregit, quòd indigenæ Linguæ consuetudinem non haberet. Impetravitque nihilominus, quæ Senatus deposcenda mandaverat, & Britannico Regi pergratus evasit. Persolutis demum Reipublicæ, negotiis omnibus, quorum gratiâ demissus erat, Venetias rediit, novem jam decursis mensibus, ex quo Urbe discesserat.

Est Venetiis inter ceteros Magistratus insignis, qui non in Urbe minùs quàm extra exercet imperium. Hunc patrio usu Reipublicæ *Advocatum* dixere; quippe quòd ubi quicquam minùs rectè vel domi, vel foris, gestum apparet, ad normam æquitatemque redigi velut nomine publico exactissimam gerat curam. Is auctoritate ac dignitate inter reliquos ferme omnes, paucis admodum demtis, facilè princeps, nonnisi integerrimis præstantissimisque commendari civibus solet. Magistratus hic Carolo tunc primùm à Gallica, Britannicaque legatione redeunti cunctis suffragiis collatus est; ejusque administratio, quæ biennio ex institutione protrahi consuevit, illi pro Patriæ consuetudine demandata. Quem quum iniisset, complures ex animi dotibus brevì etiam Venetiis patefecit, declaravitque, non in Patria parciùs, quàm Mediolani effecerat, non minus ingenio se valere, quàm viribus. Nec tam in exercitu classeque bellicis artibus uti, quàm domi justitiam severitatemque posse servare. Sæpenumero siquidem adversùs facinorosos, ut assolent, qui ejusmodi Magistratum gerunt, agens causas, non facundum modò se, sed delictorum vindicatorem acerrimum vehementissimumque præstabat. Nihilque satagebat magìs, quàm purgare Urbem sceleribus, & bonis artibus moribusque vitam Venetos ducere. Per id temporis præclarus admodum civis, qui Procuratoria Beati Marci ædium dignitate fungebatur, extremum obierat diem. Eam verò, quòd pæne supremo loco Veneta in Republica sita est; ex illaque ad summum in Civitate fastigium accessus præstatur, nec tempore ullo, sed iisdem quibus & vita terminis clauditur. Qui præstantes erant in Urbe viri enixissimo studio flagitabant. Commota tota ferme Civitas erat, precibus, amicitiis, & affinitatibus certabatur. Coacto Senatu, qui in ejuscemodi convenire assolet frequentissimus universis, quibus conferendi suffragii facultas est, passim confluentibus, placuit tamdem, ut amplissimæ dignitati Carolus præficeretur; in illumque potissimum ferme omnium vota, & suffragia convenere. Sperantibus plurimis, & expectantibus, inde illi brevì ad principatus etiam culmen commigrandum fore. Quoniam verò pecuniarum in pias causas erogandarum, reparandæque Divi Marci Basilicæ cura Magistratui huic magna ex parte annexa est, Carolus occasionem nactus, quantum pietate quoque præstaret edocuit. Seque & in exequendis testatorum voluntatibus obsequentem, & in egenos misericordem comprobavit. Ad Sacram quoque Basilicam Marco dicatam usque adeò convertit animum, ut in ea colenda ornandaque priscorum etiam studia & ingenia superaret.

EXPLICIT LIBER SEPTIMUS.

INCI-

INCIPIT LIBER OCTAVUS.

SIc pacatis apud Venetos rebus, Genuam per ea tempora plurimæ rerum perturbationes & difficultates invaserant. Fluctuantes siquidem animis, factionumque dissidiis exagitati cives, tamdem Transalpinarum Galliarum Regi dediderant se se, Urbesque, ac totius sui Imperii ditionem illius arbitrio potestatique permiserant. Erat apud ipsum Regem Bucicardus quidam, vir ea tempestate militarium rerum navalium, terrestriumque peritissimus, qui & auctoritate, & gloria rei bellicæ totâ Galliâ clarissimus habebatur. Nam & pergratus propemodum, & carissimus Regi inter raros benevolentiæ, fideique primum sibi vendicaverat locum. Illum Rex Genuæ præfecerat, cumque regendæ Urbi præsidem, tum etiam factionum, quæ in Urbe forisque plurimùm apud illos vigent, moderatorem voluerat esse. Bucicardus ergo, ut in maritima constitit Urbe, opesque, atque navalia, conficiendæque classis oportunitatem animadvertit, eminentis spiritus vir, ingentia quædam concipere animo cœpit. At Genuenses, qui odio in Venetos æstuabant, ne ob actam pacem, animum, sed verba mutaverant, ubi virum bellicis apparatibus aptum, in martemque proclivem, se pro voto nactos, intellexerunt, apud Bucicardum veteres injurias, cladesque à Venetis ante susceptas memoriâ repetentes, in id in primis studia convertebant, quo ferocem illius animum in Venetorum execrationem incenderent, & in odium acrius irritarent. Itaque nulla occasione omissa, ubi locus tempusque tulisset, lacessere verbis, probrisque afficere Venetos, atque illos fœdis insimulare criminibus non desistebant. Quibus artibus quum aliquandiu frequentes incumberent, haud difficulter homini alioquin suoque ingenio ad bellum prono, & ad ingentium rerum spem erecto, deprecando, pollicendo, monendo, tamdem persuaserunt, ut classem pararet, Venetisque inferret bellum. Quòd verò pax inter utrumque populum antea sancita dehonestare causam videbatur, & consilia perturbare: ex composito convenere, ut simulata adversum Turcos, Syrosque, ac reliquos Religionis hostes expeditione, Venetos nihil veritos tale, atque ob id imparatos, incautosque opprimerent. Eo consilio quum fabricari armarique classem placuisset, Imperatorem se illi futurum Bucicardus edixerat, idque propalam passim vulgatum curaverat fore.

Venetiis primùm de paranda Genuæ classe rumores quidam subobscuri fuerant allati. Certiores dehinc nuntii, literæque, expediri re ipsa classem, liquidiùs significaverant. Senatus ergo repentina rei novitate permotus, initio ut hæc accepit, non potuit non commoveri. Quod enim Genuenses consuevisse, adversùm infestumque in se habere animum, mente volvebat, in suspicionem, ut par erat, facilè inciderat, novos hos motus in Venetum tamdem excidium proruptúros. Deinde verò postrema icta fœdera proponens in medium, quonam pacto ea violari paterentur Genuenses, non satis intelligebat. Ita inter spem & metum anxius, quid hæc classis, quid hæc expeditio vellet, haudquaquam perpenso exactoque judicio decernebat. Ceterùm quum causâ aliquandiu in Senatu actâ, quid è Republica statuendum foret, deliberare cuperent Patres, tutius tamdem dubia in re consilium capi decretum est, ut scilicet expedientibus classem Genuensibus, Venetiis quoque haud dispari numero viribusque classis itidem armaretur, nè improvisos imparatosque prævenire se Genuenses possent. Itaque quum in dies magìs de Bucicardi, Genuensiumque motibus frequentiores increbescerent nuntii, parari expedirique ex Navalibus Venetas triremes, illicoque illas armis compleri jussum. De Imperatore deligendo consultatio tantùm reliqua erat. Carolus, ut antea diximus, Procuratoriæ dignitatis munere fungebatur, nec ex illa vel facilè nisi urgentibus, & ingentibus causis desumi in expeditiones bellicas, imperator consuerat. Ceterùm tantus erat hostilis classis, Bucicardique nominis tunc apud Venetos vel terror, vel quædam titubatio, vel formido, ut nisi classi Venetæ Carolus imperator daretur, actum pæne de Venetis crederetur rebus. Omnium ergo non consensu modò, sed sententiis vocibusque, imperator Carolus designatur, parat æque præficitur classi. Enimverò extrema quoque superesse videbatur consultationis ratio, quid imperandum à Senatu esset, quidve agendum Carolo foret. Ad hanc quoque partem prudenter cautèque consultum est. Tutari primùm sinus Venetos, Urbesque maritimas Carolus jubetur. Adriaticum pelagus, Hystriam, Lyburniam, Dalmatiam, Illyriam, Peloponesum, & Græciam omnem peragrare cursu perpetuo. Ne quid detrimenti navigia, Populi, Urbes, Oppida Venetæ ditionis excipiant, studiosam curam habere. Genuensibus spontaneum minimè inferre bellum, illatum verò suscipere, ac propulsare. Hostilem classem, quòcumque incedat, pone sensim insequi. Ne quid afferat incommodi, omni conatu, quantum in eo sit, anniti; rectè salubriterque omnia sint Venetis, operam dare. Hisce mandatis acceptis armata jam & expedita in bellum classe, Carolus Venetiis solvens, Hystrico, Lyburnicoque, atque Illyrico pelago celeriter perlustratis, in Græciam pervênit.

Bucicardus jam cum classe Genuam, Lygusticumque mare digressus erat, perque Tyrrhenum pelagus in Ionicum pertransierat, Græciamque versùs cursum tendebat. Atque in Syriam, quemadmodum antea constituerat, per Creticum mare facere navigationem velle simulabat. Carolus ergo quum per speculatorias, quarum operâ plurimum utebatur, de adventu profectioneque hostium certior redditus esset, quòd sciret per Venetæ ditionis maria urbesque illi prætergrediendum fore (nam & Peloponesi, Eubœæ, Cretæque, ac totius Græciæ, ferè omnia loca maritima Venetorum, ut nunc quoque, impe-

parebant imperio) maturiùs accuratiùsque agendum, neve quos motus Bucicardi transitus excitaret, animadvertendum censuit. Itaque prætergredientem illum diligenter observans, quàm proximiùs illi annavigare, nec à Genuensium classe disjungi longiùs enitebatur. Ille tamen in aliud tempus machinatione dilata, per portus, & oppida ditionis Venetæ prolapsus, nihil hostile palàm edere videbatur, nec detrimenti quicquam populis inferre. Sed Carolus nihilominus Senatus mandatis facturus satis, pone sensim insequebatur, & quid ageret, quòve tenderet conspicatus, suorum saluti consulebat. In eum modum Bucicardi vestigia continua navigatione persecutus Rhodum usque pervênit. Quod siquidem ille per Creticum pelagus exarato prosperè, quod Cretam, & Rhodum interjacet, freto, illuc usque contenderat. Bucicardus itaque quum Rhodi perstitisset, Carolumque sedulò se prosecutum, suaque itinera speculatum, tamdem etiam Rhodum accessisse animadvertit, non mediocri suspicione affectus est, & formidine veritus, ne quid consiliorum suorum Carolo proditum innotuisset. Quare quo ejuscemodi opinionem aboleret è Caroli pectore, quam iniquè suæ erga Venetos mentis inhæsisse illi conjectabat animo, novas insuper machinationes aggreditur. Promulgata quippe initio magna belli adversùm Turcos, Syrosque gerendi significatione, adversa se captum valetudine tum proximè de industria simulat, nec usquam posse prodire. Lectuloque insidens nuntios ad Carolum mittit, qui suo nomine referant, de maximis gravissimisque rebus sibi sermonem apud illum fore oportere. Ceterùm morbo, quo afficitur, deterreri, ne eum ipse adire queat; quippe si per adversam valetudinem licuisset, non fuisse prætermissurum, quin è vestigio ad illius triremem provolarit. Orare itaque atque obtestari, ut colloquendi facere Carolus potestatem velit, nec ad se accedere pergravetur, neu spernat affectas preces, & percupita colloquia. Quamplurima enim sibi esse, quæ coram prolata non ingrata illi, nec inutilia fore confidat.

At Carolus ut hæc illi relata sunt, admiratione affectus, quid sibi hæc alloquia, quid hæc tam exquisita postulatio flagitarent, quòve tenderent rerum, secum meditari animo cœpit. Pervolventi aliquantisper nihil magìs subire in mentem poterat, quàm aut Bucicardo fastu quodam animi vanam celsitudinis gloriam percupitam, quòd delatum digniori videretur, aut eo pacto vitæ salutique suæ struere illum insidias meditatum. Nec enim virum talem ab re his artibus usum opinari poterat. Quæ etsi sola satìs forent, ne petitis annueretur, præter hæc tamen perurgentes aliæ rationes erant, quibus Bucicardo gerere morem prohibebatur. Nam & vetusta Veneta lex imperatorem è classe digressum majestatis reum faciebat, & hoc quoque Senatus expressiùs vetuerat. Itaque dignitatis, ac gloriæ, & simul salutis rationem habendam arbitratus, ne inconsulta & incauta fides, vel auctoritatem minueret, vel detrimenti quicquam afferre Reipublicæ quiret, haud annuendum voto, sed abstinendum colloquio censuit. Nuntios verò ad Bucicardum remittens, prohiberi, inquit, se antiqua Veneta lege, novoque insuper Senatus Consulto, ne classe abscedat. Itaque ad eum sinè periculo capitis fortunarumque accessum sibi esse non posse. Licere illi, si quid gravius emergat, per Oratores vel epistolas significare. Se quæ ferret animus, eo illi pacto relaturum. Bucicardus igitur, ut non profecisse artes agnovit, quòd Carolum omni suspicione prorsus redderet immunem, consultò ad eum Oratores mittere, fabricatumque mentis conceptum explicare illos jussit. Hi ergo quum apud Carolum constitissent, longam orationem exorsi primùm fœdera quàm plurima Venetam inter Genuensemque Rempublicam antehac icta, potissimùmque hoc postremum, omniumque novissimum, tanta stabilitate sancitum commemoravere, quorum robore atque præsidio Genuenses de Veneta Republica intemeratam gererent fidem, & ubi quicquam gravius accidisset, minimè sibi illos defuturos sperarent. Quare quum nuper adversùs Syros expeditionem inire decrevissent, pergratum Bucicardo, & Genuensibus fore, ut Carolus Venetique unà secum classe conjuncti contra communes hostes susciperent bellum. Si enim simul fœderatæ utræque classes in eos irrupissent, posse non magno negotio ingentem illis cladem inferre, illorumque opes & vires constringere. Orare itaque Bucicardum Genuensesque, ut sociali in id operis conjungi fœdere assentiatur. Neu se solos deserat, patiaturque frustrari fide, speque sua, percupitisque votis, & sequuta victoria. Bucicardum de his coram, si licuisset, agere maluisse; deliberandi tempus Carolo se jussos permittere, ut postridie redituri, quid illi tulerit animus accipere & referre Bucicardo possint.

Quum dicendi Oratores fecissent finem, Carolus nullum esse hac in re consultandi locum ratus, quòd belli pacisque ratio à Senatus tantùm auctoritate ac voluntate penderet. Non expedire, inquit, ut de iis, quæ proposuissent, intercapedinem ullam temporis, cogitationis deliberationisque gratiâ, tereret. Sibi quidem jam in promtu fore, quæ responsurus sit. Minimè se quippe admirari, si Bucicardus Veneti juris vetustæque Veneta in Urbe consuetudinis ignarus, hisce de rebus secum agere voluisset. Consuevisse Venetum Senatum, quum in expeditionem destinaturus imperatorem classi exercituique præficeret, mandata dare, legesque præscribere, quas prætergredi non liceret. Venetos imperatores, eorum, quæ ad demandatum bellum attineant, affatim instructos digredi ex Urbe; eosque parere monitis oportere, nec punctim à præfixis terminis divertere arbitrio suo. Alienis autem, quàm de belli gerendi rebus, nil imperatoribus committi solere. Quæ quum ita se haberent, nullam sibi de hisce, quæ peterentur, statuendi potestatem fore; Belli Pacisve jura ineundique fœderis rationes prisco Civitatis more apud Venetos penes unicum Senatum esse. Se quidem communi Patriæ lege à Senatu imperatorem classi datum, quæ esset acturus præscripta & præfixa sibi. Instituta majorum exactè sibi servanda esse. Non violaturum se jura patria, quæ semper tueri & augere studuerit. Temerarium & periculosum esse sibi præfixos à majoribus exce-

excedere limites. Nihil inconsultè actum impunitum apud Venetos fore. Adversùm legum & consuetudinum transgressores acres illos vindices se se præstare, ultoresque. Itaque inconsulto Senatu, nullam se adversùm quempiam inire expeditionem posse. Nec cum aliquo de pace ac bello decernere. Magistratui quippe minori haudquaquam decere usurpare majoris munia. Non ire se tamen inficias, si hoc indictum esset, ut icto cum Bucicardo fœdere adversùs barbaros gereret bellum, aut si fortè Senatus ejus arbitrio permisisset, jocundo se animo gesturum morem. Proinde quum id haudquaquam memoratum sit, minimè fore æquum, ut inferior ipse superioris gerere munus ausit. Itaque Bucicardum Genuensesque non graviter, sed æquo animo ferre oportere, si quod non liceat, facturus non sit. Quòd si hæc modò fixa illi sententia perstiterit animo, ad Senatum Venetias mittendum, ab illoque quod cupiat implorandum atque impetrandum videri.

Bucicardus iis, quæ à Carolo responsa dabantur, per oratores auditis, ubi jam dolis & artibus nihil proficere animadvertit, sed in cassum operas consiliaque jactari, irritatus, atque accensus animo, pervicacique in Venetos odio fervens, minimè deinceps dissimulandum, sed manu & armis palàm agendum censuit. Est in Ægyptio pelago Beriton percelebre Oppidum ad mare prospectans, quod peropportunum importandis mercibus receptaculum fama, & negotiatorum ex omni genere confluentium copia pervulgat. Id nunc nostri Barutium vocitant, cujus etiam à nobis in superioribus habita memoria est. In eo quòd triremes Venetæ singulis quotannis efferendorum inde aromatum gratiâ accedere ad locum solent, magna vis ejuscemodi rerum Veneti nominis mercaturæ causâ servabatur; inerantque ex Venetis Senatoribus, atque ex omni populo complures negotiationi ejusmodi dedicati. Bucicardus ergo, cui hæc probè perspecta erant, adjunctis sibi quoque nonnullis Rhodiorum triremibus Beriton profectus, expositis in continentem copiis, Oppidum oppugnare adoritur, oppidanosque incautos, nihilque tale suspicantes invadit. Nec magno negotio, quòd ad resistendum imparata erant omnia, capit vi Oppidum, ingressusque per muros, expugnatos profligatosque incolas, languidiùs obsistentes subigit. Ad prædamque dehinc conversus, quæ Venetorum erant omnia, etiam exquisitissimè perquisita diripit, abducit, & suis in prædam permittit. Tectis injicit ignem, & locum omnem ferro incendioque consumit. Qui aderant Veneti, Bucicardum hostiliter agere conspicati, de vita & sanguine formidantes fugâ saluti suæ consuluere. Carolus, ut primùm quæ à Bucicardo in Venetos gesta erant, accepit, non mediocri dolore ac perturbatione affectus est; & quamquam propterea violata esse pacis fœdera satis censeret, atque ob id justè se Bucicardum bello posse impetere: modestiùs tamen agere, tentareque, atque experiri priùs omnia statuit, quàm ad vim & arma prorumpere. Itaque submissis ad Bucicardum nuntiis angi se, inquit, animo, quòd intelligat, Bucicardum occasiones quærere, quibus Veneti Genuensesque ex amicis ac fœderatis acerrimi redigantur hostes. Liquidum jam & apertum esse adversùs conditiones pacis prædam de Venetis rebus fuisse abactam, insignique hac injuria temerata sancti fœderis jura. Se tamen ejus adhuc animi fore, ut quantum in eo sit, illæsa & integra conservatum eat. Monere se igitur, atque orare, ut quæ de Venetis abstulisset, restituere, Venetisque tanto detrimento affectis facere satis velit. Neve acriorem Veneto Senatui, sibique querelarum in Genuenses occasionem præstet. Senatum siquidem, & se quoque, si Bucicardus ablata restituisset, in optimam accepturum partem.

Quum à Carolo transmissi, quæ injuncta erant exposuissent, tum ille efferatiore animo, & exæstuans ira in Venetos invehi, eos maledictis incessere, convitia & probra jactare, adversùmque Rempublicam Venetam in contumelias graviores prorumpere; ablata verò restituere etiam palàm pervicaciter recusare. Nec omnino pacatum quicquam excerpi ab illo poterat. At Carolus non eo magìs deterritus alios insuper atque insuper alios mittere ad Bucicardum nuntios non desistebat, & pro virili interpellabat assiduè, atque ad restitutionem allicere conabatur. Sed incassum operum verborumque artes omnes labore irrito jactabantur, indiesque incendi pervicaciùs Bucicardi animus videbatur, in Venetosque hostiliter agere, eosque pæne habere ludibrio, ac penitus aspernari. Siquidem ea depravati vis animi est, ut quo minus malè cogitata succedunt, eo acriùs cupidinis æstu incensus sævior fit, atque in extrema quæque scelerum facilè præceps ruat. Gravissima hæc ergo Carolo profectò erant, indignabundumque acriter torquebant animum. Patriæ siquidem civiumque suorum pietas ardenti zelo pectus urebat, tantumque injuriarum incuti Veneto nomini tolerare nequibat. Nec quidem servata Veneti Senatus dignitate fieri posse putabat, quin armis & sanguine decerneretur. In eamque pæne sententiam venerat, nec procul ab opere consilium aberat. Ceterùm quum exactiùs pertractans animo, omnino ad salutem Patriæ converteret ingenii rationisque aciem omnem, animadverteretque, quantum momenti esset in bello, & quàm intento animo, & perpenso consilio ad id suscipiendum procedendum foret; quippe quum non æquè in cujuspiam potestate consistat, ut suscipere, sic susceptum pro arbitrio linquere; iisque, qui facilè ad belligerandum accessissent, præter alia incommoda gravissima, numquam seram pœnitentiam defuisse, Reipublicæ verò suæ, cujus commodis insudabat, ut ceteris, saluberiorem pacem, quàm bellum, esse. Quantas præterea clades, quæ sæva discrimina præferre consueverint prœliorum vices, quantumque incerti atque ancipites soleant belli exitus fore; veniretque in mentem postrema hæc Venetos inter Genuensesque sancita pax, quæ plures jam annos ad eamusque diem illæsa perstiterat: verebatur non mediocriter, ne minus dignitati, ac saluti Patriæ cederet, si ab eo belli prodiisset initium, ne fortè pacis violatores appellari Veneti, & fidefragii criminari uspiam possent.

Dum in hac controversia secum ipse aliquandiu animo versaretur, tamdem ea senten-

tentia placuit, abstinere armis, & prœlio temperare, nisi deinceps prodeuntem hostiliter Bucicardum, seque lacessentem intueretur, ne videretur fœderum corruptio à se protraxisse originem. Ad gloriam siquidem Venetæ Reipublicæ magis spectare arbitrabatur adversa incommoda quæcumque perferre, quàm sancta pacis jura perfringere. Quod enim attineret ad ablatas à Bucicardo merces, excusatione, ut assolet, ab eo velari factum posse, quòd Syris, non Venetis se intulisse bellum forsitan dicturus foret. Hisceque de rebus quin alio loco temporeque cum fidejussoribus pacis, etiam ea stante, haberi ratio quiret, facultatem minimè ademtam videri, nec ob id omnino pacis spem auferri oportere. Quòd si nunc illum primus prœlio adoriatur, actum penitus de fœderis opinione, & jactam aleam esse. Id ipsum itaque quum fixum inhæsisset animo, ut pro virili conservatam pacem vellet, deditâ operâ ex Ægyptiaco Creticum pertransiens pelagus, in Græciam rediit, satis sibi fore arbitratus, si maria, urbes, portus, quæ Venetorum in fide erant, diligentiùs tutaretur. At Bucicardus, ut nihil omnino eorum, quæ conceperat animo, satìs succedere sibi conspicatus est, Carolumque nec præda, nec contumeliis, nec tot illatis injuriis, ut prius adoriretur prœlium, impelli posse, haud ampliùs differendum ratus, adversùs Caroli classem contendere, prœlioque ipse penitus decertare decrevit. Eo proposito Berito solvens, per Rhodum, & Cretam præterlapsus, in Ionium pelagus vênit. Est autem Insula eo in mari famâ percelebris, quam nunc pertrito nomine Sapientiam nuncupant, ferèque mille passibus à Metona Peloponesi abest, illique quasi objecta videtur. Habetque Insula ad Septentrionem portum, amplum quidem satìs ac tutum, in quem divertere sæpe numero navigia omnis generis solent. Supereminent verò mari in Insulæ ferè medio rupes saxaque, quibus cavernæ insunt plures, habentes abdita receptacula. Incoluntque illas speculatores nonnulli, de industria in id instituti, è quarum fastigio in subjectum pelagus prospectum habent. In ea tunc (quoniam locus Venetorum ditioni subest) inerant viri plerique ad eam operam mercede conducti, agebantque frequentes ex illa maris custodias, & passim de more speculabantur. Bucicardus quum ad primam lucem Carolum impetere decrevisset, quòd ille haud procul ad passuum duo millia aberat, primùm de itinere hoc loco constitit. Nulloque dato signo, neque iis, qui præsidebant admonitis, noctu clam portum ingressus est. Nihilque cupidiùs gestans animo, quàm ut si qua posset, falleret custodes, nec ullam adventus sui significationem ederet; improvisum enim & imparatum adoriri Carolum cogitabat. Propterea suos quoque nautas copiasque triremicas agere silentium, quietasque esse docuerat, nec ullam sui ostentationem efferre. Parare se tamen ad prœlium omnes, & arma expedire jusserat; nec ipse à communienda in certamen classe telis, sagittis, instrumentisque bellicis per omnes triremes distribuendis tota nocte cessabat. Ceterùm non usque adeò Bucicardi valuerant artes, neque adeò tacitus furtivusque in portum ingressus quiverat esse, ut eos, qui loci observabant vigilias, omnino lateret. Illi enim exploratoriam sagaciter incallentes, & accedentem in Sapientiam Bucicardum, & classem in prœlium comparantem, astutè speculati erant; nec eos hostium actiones consiliaque fefellerant. Itaque raptim ad Carolum nuntium exarantes, Bucicardi adventum, rerumque omnium conditiones, liquidè ordine quæque suo significaverant.

Carolus ea nocte non procul à Methonæ Urbe, loco quodam constiterat, qui eadem in Sapientiæ insula, ab ea parte, quæ ad Orientem est, vergens, portum efficit, quem Longum portum usitatiore vocabulo appellare nautæ solent. Nec adhuc advenisse Bucicardum, aut prœlio sibi ad lucem decertandum fore cognoverat. Itaque ut rem jam eò deductam animadvertit, quo semper antea mente conceperat, deque spe pacis omnino actum esse, bellumque necessariò subeundum videri, properè sublatis anchoris è portu Longo solvens, Methonam se se cum classe ea nocte repente recepit, ibi quòd in bellicos usus rerum omnium affatim adesset copia, triremes communiturus in prœlium. Quare quum armis, telis, sagittis, reliquisque missilibus, & bellicis omnis generis instrumentis complesset classem, apparatus omnes in eam rem opportunos studiosè persolvit. Quòd verò Methonæ ex majoribus triremes duæ, mercibus importandis assuetæ constiterant, quæ Tanaim videbantur navigaturæ, illas quoque in prœlium aptas, & armis instructas reddens, reliquæ classi adjecit, quo consultiùs adversùm majores apparatioresque Bucicardi copias Venetam tueri gloriam quiret. Ceterùm ne pervulgata Bucicardi nominis fama, & vehemens quædam de illius militarium artium peritiâ jam ferè pertrita opinio mentibus hominum, pristinæ quoque Venetos inter Genuensesque pacis recordatio tepidiores fortasse nautas, milites que suæ classis reddere utcumque posset, non alienum fore censuit, si priùs, quàm illucesceret, quòd opportuna tunc commoditas offerebatur, & futuræ pugnæ suis rationem præferret, & eorum animos confirmaret in prœlium. Igitur convocatis ad se iis potissimùm, quorum usus major in certamine foret, in hunc modum exorsus est:

„ Quantis, quàm gravibus, quàm perniciosis injuriis detrimentisque à Bucicardo, „ ac Genuensibus Senatus Venetus, & nos „ nuper affecti sumus, commilitones, nemo „ vestrûm est, qui, ut arbitramur, ignoret. „ Nam toties illum dolis & fraudibus, ut „ nos circumveniret adortum esse, ut no„ stras apud Beriton pretiosas opes, contra „ humana divinaque jura, & pacis fœdera „ temerariè deprædatum, atque in Urbem, „ Remque publicam nostram, universumque „ Venetum nomen obscœnis conviciis turpi„ ter invectum, injuriisque gravioribus to„ ties impudenter fuisse grassatum, vos ipsi „ omnes, quòd non procul à vobis hæc ge„ sta sunt, facilè cognoscere valuistis. Nunc „ verò tamdem, ut omnes irarum & odii in „ vos, & Patriam vestram furores & impe„ tus penitus evomat, ecce jam advolavit ce„ lerrimo cursu, hostili animo, rabido pe„ ctore, incautos vos & imparatos oppressu„ rus, & sanguine vestro, si modò queat, „ sitibundi cordis rabiem expleturus. Sa-

pientiæ portum furtivè ingressus est. Noctu, ut doli laterent, advênit. Nullo signo dato locum Venetæ ditionis accessit, observatores loci fallere contendit; quietos esse suos, & nullam classis significationem afferre commonefecit. Ejuscemodi artibus fretus ad prœlium se se tota nocte paravit, classem bellicis instrumentis communiit, distribuit arma, triremes lustravit, & quæ proximo prœlio necessaria forent intentiore cura expedire conatus est. In vos ad primam lucem irrumpere illi fert animus, potiri victoriâ sperat, quòd inermes, improvisosque, ut nihil formidantes hostile aggredi vos & opprimere temerarius arbitratur. Jam pacis fœdera postergavit, sancta concordiæ vincula soluta illi penitus & confracta sunt; quodque multis artibus à nobis, ut efficeremus, impetrare non potuit, ipse nunc, ut corrupta & violata perperam pace perpetuò Venetos habeat hostes, persolvere indignabundus aggreditur. Ceterùm, ut nihil est tam immortali Deo gratum, quàm pactam servare fidem, ita quidem illi nihil execrabile magìs, quàm eam habere ludibrio, & impiè protervèque temerare. Scelerisque hujus semper ego profectò acrem illum ultorem comperi. Itaque quum humanarum rerum, actionumque nostrarum imperium illi & cura sit, ut Bucicardus perfidi, & sacrilegi voti fieret compos, justus ipse planè pati non potuit. Speculatores nostros, qui locum de more observant, ejus quamquam nocturnus & dissimulatus accessus minimè latuit. Advenientem illum, armaque in prœlium expedientem concavas inter rupes, & abdita receptacula non visi quidem ipsi, nec auditi, viderunt, audieruntque, nobisque repentè significarunt. Quo nuntio adducti sumus, ut huc intempestæ noctis silentio perveniremus, classemque peropportunè communiremus ad pugnam, quæve in proximum certamen usui forent, exactissimè persolveremus. Quamobrem victoriam in manibus nostris jam sitam esse, non equidem commilitones dubito. Primùm quippe, quòd superna numina hostibus adversa video, nobis verò esse propitia, quoniam machinatas in nos Bucicardi fraudes etiam piè justèque detegere voluerunt. Deinde quòd injustissimum adversùm nos bellum suscepere. Nullâ provocati injuriâ Venetas merces diripuere; Rempublicam Venetam toto Orbe percelebrem probris & convitiis indignissimis affecerunt; pacis jura violaverunt; primi ad prœlium non lacessiti, iniquo proruunt animo. Nos contra læsi, non calumniati, non quicquam impii machinati sumus, pacem servavimus, fidem tenuimus, à conditionibus pacis nusquam divertimus, neque impelli umquam, etiam incensi irritatique, valuimus, ut icta fœdera uspiam violaremus. Coacti verò, non sponte nostra prœlio decernere magìs compellimur, quàm velimus; pacem quidem longè gratiùs acturi, quàm cum Genuensibus bellum hoc tempore suscepturi. Fallitur enim, si quis me illaturum bellum fore credat, commilitones, quod tamen illatum pro gloria Veneta haudquaquam recusaturus sim. Atque utinam non ille in nos primus erumpat, nec ad arma referenda compellat. Neque enim adeò vincendi cupiditate ardeo, ut non pacem servare malim, quàm vincere; semperque profectò certam pacem speratæ victoriæ anteponendam putavi. Ponderato siquidem consilio ad inferendum bellum prodeundum censeo, commilitones. Nam facilè quippe suscipi bella possunt, & cuique id pro arbitrio licet; sed ducere, agere, finemque his felicem dare pro voluntate, neminem posse intelligo. Quòd si dehinc suscepti pœniteat belli, non nostræ opis est, dum libet, omittere, & à cœpto jam bello desistere, exitusque, atque initii non semper idem æquè jus est. Accidere profectò plurima possunt, quæ perturbare prosperos eventus queant, plusque in fortunæ semper, quàm rationis arbitrio bella versantur. Itaque inconsulti, & imprudentis reor iis involvere atque implicare se se, quibus ita obstrictus sit, ut quum velit, extricari atque explicari non possit; & tamen quò tendat rerum quisve futurus exitus sit, prorsus ignoret. Bellum ergo ego numquam, o socii, nisi pacis gratiâ suscipiendum censeo. Ad pacem enim rectè susceptum bellum intendit, bellique exitus pacis initium est. Respublicas verò semper pace coaluisse, bello concidisse experimento diuturno didici. Nec ullam perniciosiorem Reipublicæ pestem reor. Quare si nunc etiam temperare injuriis, abstinere bello, persistere in antehabita pace Bucicardo ferat animus, nec prior in nos prœlio decertaturus irruat: quantum attinebit ad nos, nihil quidem hostile passurus est, neque prœlio provocabimus Genuenses, quorum acres plures injurias toleravimus, ut cum his inviolata fœdera custodiremus, persistereque adhuc forsitan poterit diu conservata pax, & patria nostra hac nunc belli mole levabitur. Non enim primi aggrediemini vos, commilitones, neque nisi lacessiti, & necessitate compulsi, arma pro Imperio capietis; satìsque vobis fuerit, si Urbes & Oppida Venetæ Reipublicæ tutati fueritis. Hæc enim ad dignitatem & salutem Reipublicæ nostræ, & causæ justitiam, quam omnino penes nos volumus esse, spectare censeo. Sed jam videre videor nos quietam navigationem agentes, Bucicardum adversùs classem nostram dirigentem proras, impetum facientem, sagittasque jaci, clamores attolli, prœlium accendi, protervè, ut assolet, imperantem. Quid tum igitur agendum nobis, quid consilii capiundum censetis, commilitones? Capescendane fuga, & terga vertenda? Minimè quidem. Viros enim fortes, ut inferre bellum sinè magna & justa causa non decet, ita ubi illatum est, ubi necessitas & dignitas urgeat, magno animo suscipere & propulsare oportet. Quamquam enim grata pax, & in pretio sit, tamen illa, ut conservetur, vel acquiratur, nihil turpiter & indecorè, strenuis præsertim, & bene institutis animis, aut agendum profectò, aut patiendum existimo. Quare non ingraviter fugiendum, sed præsenti, & forti animo insultantis temeritati resistendum censeo, sic enim & dignitatem & auctoritatem Reipublicæ decet, & Senatus-consulta, dum

„ de bello gerendo deliberatum est, in hanc „ sententiam decreta sunt. Itaque violatæ „ pacis meritas celeriter temerarius pœnas „ dabit, & vos pro fide servata, pro hone- „ state, pro justitia freti, superno præsidio, „ solitaque virtute vestra perstrenuè, ut con- „ suevistis, dimicantes, procul dubio fide- „ fragos istos profligabitis, in fugam verte- „ tis, gloriosam victoriam referetis. Atque „ eo quidem magis, quòd delusos se spe sua, „ & irritas machinationes vana figmenta „ reddita esse intuebuntur. Qui incautos im- „ paratosque fore vos rati, paratissimos at- „ que promtissimos experientur, in suamque „ fidefragii temeritatisque impudentiam fe- „ rocissimos. Hæc vos nunc admonuisse ve- „ lim, o socii, ut quo in statu res se se ha- „ beant, intelligeretis, neve repentina mu- „ tatio admirationis quicquam possit afferre. „ Ut verò exhortatione alia ampliùs utar, „ vosque contendam accendere magis in „ prœlium, atque ut quàm fortissimè dimi- „ cetis, commonefaciam; expedire minimè „ quidem arbitror. Vos enim, virtutemque, „ ac fortitudinem vestram jamdudum ad li- „ quidum novi, & quibus viribus, quibus „ animis, armisque in pugna uti consueve- „ ritis, magno documento sæpenumero ex- „ pertus scio. Unum hoc tantum commemo- „ rasse licuerit, vos solitæ probitatis, & cre- „ brò alias significatæ virtutis memores, ju- „ stum gerentes Bellum, immortali Deo „ propitio ac fautore freti, adversùm pacis „ fideique corruptores, contra omnia hu- „ mana divinaque jura inferentes arma, vir- „ tute, animis, robore, longè impares vo- „ bis, prima luce depugnaturos. Ergo ite „ jam, & curate corpora, ad certam cape- „ scendam victoriam vos hilares comparan- „ tes.

Hæc præfatus, quum dimisisset conventum, quod reliquum erat noctis, quieti datum. Illucescere ferme jam dies cœperat, quum Bucicardus è Sapientiæ portu, Carolusque è Methone solventes, continentè relicto, in mare medium se contulere. Simulabat initio de industria Bucicardus longiorem navigationem facere, progredique ulteriùs destinasse. Carolus, quòd regio illa omnis Venetorum in fide est, ponè sensim insequebatur. Ut ergo propiùs accedentem Carolum Bucicardus conspicatus est, adesse jam percupitum tempus animadvertens, verti repentè proras, & in Venetam classem irruere suos, atque impetum facere jussit. Dat solitum pugnæ signum; ipse prior irrumpere properat. Vix edixerat, quum è tota Genuensium classe terribili mox orto clamore unà omnes summa velocitate, permutato jam cursu, in Venetos convertuntur. Fit strepitus ingens, bellico more concinunt turbæ, resonant maria vocibus litoraque; per æthera sagittæ volitant; missilium turbine atque fragore cuncta complentur. Carolus ut irruentem Bucicardum vidit, suis fortiter resistere, prœliumque capescere imperat. Tum illi sublatis ad sidera vocibus, pugnam excipiunt. Alii sagittas jacere in hostes, bombardas alii, plumbeasque glandes expedire contendunt; pars scandunt malos, plures in antennis sistunt, inde saxa, pila, ferreaque jacula in subjectas hostium triremes mittunt. Prœlium ferox accenditur, utrinque acriter

A decertatur. Nullum ferri genus, nullus lædendi amittitur modus. Sed Bucicardus novas machinatus vincendi artes, in Carolum, & qua ille vehebatur triremem, studium omne converterat, opinatus eà profligatâ omni se Veneta classe facilè potiturum. Itaque delectis ex sua classe triremibus tribus, quas maximè validiores apparatioresque arbitrabatur, earum Præfectos monet, ut Carolum adoriantur, ejusque triremem mediam circumcludant expugnentque. Auxilio se opportunè affuturum, si res exegerit, pollicetur. Illi ergo quum se præsto fore dixissent, celeriter capessentes jussa, tres pariter

B Carolum aggrediuntur. Ad latera dextrum sinistrumque, hinc atque inde, triremes hostium duæ, ad proram tertia se se constituunt; mediamque Caroli triremem ceu circumseptam à se ascendere ac profligare moliuntur. Summi res discriminis erat, quòd impar una triremis trium viribus minimè se adversùm illas tueri posse videbatur. Nam & copiæ, ut par est, longè illis majores inerant, & qui aderant Carolo milites disjunctos esse oportebat, quippe quòd pluribus locis à lateribus & à fronte illis pugnandum erat, hostibus potissimùm egregiam navantibus operam, & accenso animo nihil extremi etiam prætermittentibus. Neque enim missi-

C libus, & sagittis modò, sed manu atque mucrone gerebatur res, contendebantque hostes enixiùs ex omni parte Caroli triremem conscendere, quosque obvios obsistentesque habuissent, trucidare. Inde pice, sulphure, tædis, & facibus, ignem injicere, calcem in oculos jactare, triremis armamenta exurere, ferro incendioque passim vastare omnia conabantur. Ex sagittarum verò multitudine, quæ à Genuensibus vasta ejus generis expedientibus instrumenta jactabantur, ingens edebatur strages. Confluere siquidem videbantur provolantia veruta tam confertè affluenterque, ut ceu nimbum quemdam inde reddentes Solis dieique lucem paulò minùs

D obtenebrarent. Neque irritus quidem vertebatur labor, sed plurimis passim cadentibus, & letho prostratis perhorridum prœlium evadebat. Gallorum autem, quorum ingens numerus, & pugnacissimorum quidem, hostili inerat classi, ferocior erat pugna; siquidem quòd armis corporibusque præstarent, intentiore verò cura hi ferè omnes, quod edocti fuerant, Carolum perquirebant, evocantes illum; proprioque vocabulo compellantes, ut se se dederet Bucicardo, elatioribus vocibus interpellabant. Ad illumque si qua possent penetrare moliebantur, strictisque mucronibus frendentes, comminabantur necem. Eadem ferme cupido ceteris, idem

E studium erat, sagittis, telis, glandibus, jaculis certatim Caroli caput impetere, rectè jam inde prævidentibus, ab ejus exitio prœlii finem pendere. Itaque in illum intentis animis, telorum, & sagittarum imbres dirigebantur, quarum usque adeò profluens vis ceu grandinis è Cœlo prolapsæ ferè per momenta singula ingruebat, ut scutum, quo Carolus tegebat corpus, spiculis perforatum cribro simillimum redderetur.

In tanta omni ex parte difficultate rerum, tamque atroci ac pernicioso certamine, neque dejecto animo consternatus est Carolus, neque consilio destitutus. Ut enim discrimen im-

imminens agnovit, ingenio magìs, quàm viribus opus fore ratus, novo medelæ genere, novum pellere morbum aggreditur. Insigni enim navalium rerum peritia, experimentoque, & acri ac perspicaci animo fretus, è vestigio, quæ salutis via foret, mente conspicatus, unico tantùm opere, minimèque difficili à trium imminentium hostilium triremium excidio, suam seque servavit. Siquidem signo dato, quotquot remigum, nautarum, militum triremi inerant suæ, ad dextrum triremis latus uno impetu omnes properanter confluere, pendentemque ab ea parte reddere triremem jubet, corporum armorumque pondere pressam. Id ubi obsequenter repentè est persolutum (quod mirandum fortè, vixque primo aspectu credendum cuipiam apparebit) discrimen omne, quod prope supremum ab hostibus erat, à quolibet latere depugnantium triremium trium uno in tempore sublatum est. Ad dextrum enim ipsum latus, res ad justum certamen inde primùm est redacta, Venetæ triremis cunctis jam copiis contra hostem, qui ad eamdem partem adversus erat, æquo marte certantibus. Sic enim suos Carolus persistere loco, & oppositis in id latus Genuensibus obsistere commonuerat. Nec dispar jam decernendi ratio, nec impares vires ad eam partem erant, potissimùm quòd in conspectu Imperatoris res gerebatur. Ad sinistrum autem latus eo Caroli triremis ab hoste defensa apparuit, quod lateris dextri depressione sublimior ab ea parte, atque erectior evaserat, subjectorique hostili triremi situ superior imminebat. Remorum quoque condita series tutum quoddam reddere propugnaculum videbatur. Tela siquidem missiliaque ab hoste loco demissiore pugnante conjecta, remorum situs excipiebat. Ita hostes incassum ab ea parte expendebant vires, nec lædere inde Venetos poterant. Nonnullos tamen etiam ad id latus observare jusserat Carolus, & si quos hostium ab ea parte emicare in triremem enixos conspexissent, depellere; magno quippe militum numero loci commoditas non indigebat. Illi ergo quoniam ex fortioribus de industria delecti erant, ingentem sicam vibrantes manibus non exiguam, ad id lateris edidere stragem, plurimosque hostium triremem conscendere ea ex parte annixos trucidaverunt, neminemque in superna evadere passi, inviolatum locum servavere. Nec minùs ad eam, quæ imminebat à fronte hostium, triremem Caroli quoque consilium profuit. Quòd enim ferè initio ferocissimi quique, animoque ac manu promtissimi, quorum pars major Gallorum erat, in Caroli triremem prosilierant, ubi ea, quam memoravimus, repentina triremis commutatio effecta est, ipsi maritimarum rerum rudes, & inexperti, magna dehinc gestantes corpora, pondereque armorum pergravia, se se continere recto vestigio non valuere, sed præcipites proruentes, passim prostrati conciderunt. Pars ad dextrum triremis latus, quo ea declinaverat, provoluti, vehementiori procidentes impetu in subjectum etiam mare collapsi sunt, pars in remos, & impedimenta impacti terribiles adegerunt ictus. Neque verò consurgendi, aut consistendi pedibus etiam enixè contendentibus facultas dabatur, quòd mobilitas volubilitasque triremis nutantes redderet, atque enixos erigi cogeret rursum præcipites ruere. Quod ut Veneti animadvertêre, illos ensibus, mucronibusque adorti, tantam eorum cædem ediderunt, ut nec fugæ, nec miserationi permitteretur locus. Ita extincto ejus triremis flore, qui superfuere languidius deinceps gessere certamen.

Dum hæc apud Carolum geruntur, aliis tamen locis pugna non deerat, sed adversùs hostium triremes reliquas acriter Veneti dimicabant, quodque numero præstabant & viribus, hostium robore (quod ante docuimus) in Carolum magna ex parte converso, superiores evasuri Veneti videbantur. Ceterùm ex Præfectis Venetis plerique quo in discrimine versaretur imperator conspicati (neque enim cernere difficile erat) præstare laboranti opem operæ pretium censuerunt. Eo proposito moventes veloci cursu, decertantes in Carolum invaserunt hostes, & in eas triremes, quæ lateribus inhæserant acriter irrumpentes, præsidium lætitiamque sociis, pavorem hostibus consternationemque fecere. Sic enim suorum opportuno adventu recreatis Venetorum animis ferocior instaurata pugna est, Carolusque cum suis in vindictam sanguinemque hostium ferventiùs irritati, tanto ardore contra Genuenses decernere annixi sunt, ut post accumulatas utrinque cædes, & ingentia vulnera, sparsumque latè cruorem devictos demum profligaverint hostes, ipsisque triremibus tribus, quæ Carolum velut medium circumcluserant, tam feliciter potirentur, ut vel nuntius quidem cladis haudquaquam evadere Venetorum quiverit manus. His ergo tribus in potestatem redactis, Carolus in Bucicardum atque reliquas Genuensium triremes mente conversa, ad unam omnes intercipere constituerat. Jamque properans extulerat signum, & prior ipse clamore sublato invectus in hostes, suos quamquam diuturno gravique marte defessos in prœlium accendebat, promtior ipse, ac velut in pugna recens, ceteris faciens animos. Sagittas ergo, bombardasque jacere Veneti cœperant, sæviusque certamen in Bucicardum, & qui reliqui erant hostes, incendebatur. Sed Bucicardus, ut profligatas à Carolo, captasque validiores ex tota sua classe tres triremes vidit, in quarum robore primariam victoriæ spem locarat, impetumque irruentis in se Caroli conspicatus est: pavore consternatus, non sustinuit insultantium ferocitatem, neque de pugna jam, sed de fuga cogitare cœpit. Itaque terga dare suos, verti triremem jubet, remos capere, in cursum celerem intendere omnes, victoriamque concedens Carolo, ipse de vita ambigere, nec ulla illi intentior cura esse, quàm salutem fugâ parare, quæ una quippe anxium premebat animum. Ita in fugam præceps Caroli ad certamen intenti manus elabitur. Ut verò reliqui Genuensium triremium duces Imperatorem suum capessere fugam viderunt, illum imitati, pugnâ relictâ, converti proras protinus curavere, fœdamque ipsi quoque arripientes fugam saluti consuluere.

Carolus, ut in fugam versos aspexit hostes, commotus animo, quòd ut viros fortes decet, vincere pugnando maluisset, & marte magìs ac viribus, quàm cursu celeri superare

perare initio quidem promtior in persequendo erat. Atque quòd ægrè & gravi animo fraudari se hostibus pateretur, proclivius in eam sententiam ferebatur, cœperatque, ad persequendos ociùs hostes adhortari suos, signum tubâ dare, atque accendere animos. Sed sensim ad se reversus, quum Senatus consulta mente pervolveret, ne Bucicardo Genuensibusque inferret bellum, sed illatum exciperet, seque non sponte sua, sed lacessitum provocatumque non tam prœlio decertasse, quàm ab hostium impetu se se fuisse tutatum, tutaminisque magìs quàm belli persolvisse vices, tepidior quidem in insequendo languidiorque redditus est. Satis persolutum à se videri, quòd non prior inferens bellum vicisset profligassetque hostes, robustissimas è tota classe tres triremes cepisset, fugam eos arripere compulisset, demumque gloriosam victoriam retulisset. Functum se & viri boni, & civis, & imperatoris officio; Modestiores se deinceps gesturum partes, relaturumque à Veneto Senatu eximiam gratiam, si jam versos in fugam veluti victoriam concedentes, errorem professos veniam implorantes dimitteret. Gloriam dignitatemque Reipublicæ Venetæ jam à se conservatam esse; nihil dignitatis in posterum fore in fugientes sævire. Victoriam permittentium inermium, nec se tuentium sanguine manus fœdare suas, nihil laudis afferre. Si fugientem Bucicardum læserit, videri magìs inferri bellum, quàm propulsari. Nullum efficacius innocentiæ modestiæque suæ præstari documentum posse, quàm quòd fugâ prolapsum, dum opprimendi facultas daretur, evadere, quàm capi maluerit. Tunc à Genuensibus fidem adhibitum iri, quòd minimè hostili erga eos animo gessisset pugnam, si devictorum sanguine abstinuisset. Non inutilemque rem hanc fortasse ad conciliandos utrinque animos fore. Plurimæ hujuscemodi graves exactæque sententiæ Caroli mentem agitabant, quibus demum persuasit sibi, modestius à se consultiusque factum iri, si à persequendo Bucicardo continuisset impetum. Potissimùm quum magnam eorum partem, qui triremi sua vehebantur, perniciosis ictos vulneribus procumbere languentes intueretur. Quorum plures vix jam trahere spiritum poterant; plerique sagittis, telisque confossi prostrati jacebant, non sinè discrimine ancipitem trahentes vitam. Si qui verò bellica evaserant arma, adeò prœlium fatigatos reddiderat, ut quietem magìs, quàm novos insuper labores deposcerent, nec toleraturi deinceps difficultates bellicas viderentur. Triremium verò plerique duces etiam palàm immurmurabant, impietatis Carolum arguentes, quòd minimè misertus copiis, dum recreandæ magìs forent, novo adhuc integroque involveret prœlio, apparebatque, eorum plurimos haudquaquam promto & alacri animo sequuturos. Itaque quum demum eâ confirmatâ sententiâ ab insequendo destitisset, Bucicardus ac reliquæ Genuensium triremes è Venetorum manibus prolapsæ sunt, atque ingenti beneficio fugâ salutem comparavere. Carolus ad suorum curanda corpora conversus ex prœlio Methonam vênit, quo magìs ægris consuleret, quòd ejus generis rerum, quæ medelæ salutique vindicandæ congruebant, affluentiam medicosque artis præclaræ locus abundè præstaret. Ibi quum intentiore animo quæque curandis languoribus apta adhiberi sauciis studuisset, paucos admodum suorum desideravit. Reliquos incolumitati pristinæ exactâ diligentiâ reddidit; classem quoque qua parte labefactata & attrita prœlio fuerat, resarcivit, supplementumque, quod ex occisis deerat, adjecit. Ex Genuensibus innumeri ferè vulneribus consternati, plures cæde oppetierunt. Captivorum quoque ex hostibus ingentem vim Carolus abduxit. Quos quum Methone recensuisset, Bucicardi germanum fratrem, Genuensium & Gallorum multos nobilitate insignes comperit.

Is exitus eo prœlio fuit. Hæc ut gesta erant Venetiis nuntiata, non mediocri jocunditate Senatum Populumque Venetum affecere, Urbsque tota exultatione referta est. Supplicationes gratiæque immortali Deo pro parta victoria actæ habitæque. Senatui verò, etsi placebat hostium profligatio; Caroli tamen consilia etiam pergrata videbantur, quòd prudentissima & saluberrima judicabat. Nec enim illi tam consequuta victoria, quàm vincendi modus probari; quippe gerendis in rebus à Carolo omni ex parte gravitatem modestiamque servatam, tuendæque Venetæ Reipublicæ dignitatis adhibitam ab eo rationem esse. Nec illum initio in bellum præcipitem prorupisse, sed ante prœlium ultima quæque, ne pax corrumperetur, expertum; lacessitum verò ab hoste non detrectasse certamen, sed Venetam gloriam conservasse. At ubi ad pugnam protractus est, peritissimi imperatoris defunctum munere, omnibus rebus providè consuluisse, effecisseque perstrenuè navatâ operâ, ut Venetis victoria cederet. Insigni verò ingenio, consilioque suo demum partâ victoriâ moderatissimè usum esse. Nec tam ab eo fugientium sanguinem, quàm conciliationem hostium, novamque pacem quæsitam. Successisse ex voto omnia, nec è Republica quicquam magìs geri quivisse. Nam & paritura in dies ea meliores exitus plurimam spem oblatam videri. Hæc in Senatu frequentibus vocibus efferebantur, proniores que ad pacem ferri videbantur omnium animi. Genuensibus verò contra accepta clades plurimum consternationis inflixerat. Nec minùs insti dedecoris, quàm detrimenti ratio mentes torquebat. Et Bucicardus jam Venetorum vires, & Caroli ingenium animumque satis expertus, rejecta elata illa efferatione animi mollior jam mitiorque redditus erat. Cœptique illum inconsulti facinoris haud dubiè non injuriâ pœnitebat. Itaque haudquaquam arduum fuit opus, rursum ad ineundam pacem utrosque pellicere, propensioribus in id pari studio mentibus, quietemque agere magìs, quàm belli deinceps motibus exagitari flagrantibus. Purgatis ergo proximi prœlii dissensionumque rationibus, Venetos inter Genuensesque datis acceptisque conditionibus pax convênit. Nec Genuenses, quorum causâ fœdera corrupta erant, pœnitentiâ temeratæ fidei affici, & inflictam mulctam pati, facereque satis læsis indignum tulere. Igitur ubi mitigatis rebus nullo usui distineri in mari classem minimè deinceps opus fore Senatus animadvertit, revocari Carolum, & in Patriam ducere illum classiarias

fariis copias jussit. Ita victor ingenti gloria Venetias revectus est, certatim omnium laudibus & praeconiis celebratus. Nec quicquam jam versabatur ea tempestate in ore hominum clarius.

Ut primum portus fauces ingressus, Terrae triremem appulit, excessione facta primum ad Basilicam Evangelistae Marco dicatam, quae in foro sita cohaeret Curiae, se se contulit. Ibique gratiarum actionibus, plurimisque supplicationibus devotissimè persolutis, in Curiam ad Principem pro consuetudine profectus est, Triremium Praefectis, & suorum frequentibus constipatus. Tum orationem orsus, quae sex mensium spatio, ex quo Venetiis solverat, ab eo fuerant gesta, temporum, locorum, rerumque ratione servata, ordine omnia protulit, ut nec universorum, quae singulo quoque egisset die, ubi constitisset, quantum maris esset emensus, ubi pernoctasset, quae hostium consilia exploravisset, quae sibi praetulisset animus, quid hostes, quid ipse patrasset quicquam praetermiserit: tanta memoriae vis animo inerat. Ita Senatui gestarum semestrium rerum consiliorumque ratione reddita, facilè omnes ut ferè attonitos mente in stuporem ingentem impulsi. Tum collaudatus à Principe, dignisque ornatus verbis, plurimo, de proelio, gestisque rebus, ut primo congressu assolet, sermone conferto, aditurus domum inde digressus est. Sed tanta undique populi multitudo confluxerat, ut frequenti constipatione compressioneque hominum paene septa redderentur itinera, evadendique inter confertos vix permitteretur locus. Prodibant è tectis matres familias, accurrebant ad prospectus & limina aedium virgines, visendique Carolum quasi novum hominem studio ac desiderio concertabant: tanto stupore viri virtus rerumque gestarum gloria mentes omnium occupaverat. Nec laudibus & gratiis pertinaci acclamatione temperabant, junctasque protendentes in Coelum palmas, ut quam diutiùs civem talem conservaret Patriae immortalem Deum supplices precabantur. Sic inter omnium voces & laudes ad eas, quas incolebat, aedes, delato magis quàm incedenti similis, tandem pervenit. Ceterum tantus deinceps per dies singulos ad eum omnium ordinum concursus est actus, ut paene tolerare is occurrentium multitudinem, totque confluentium alloquiis haud quidem satis videretur ipse posse sufficere. Tantaque profectò tunc fuit pervagata ubique gentium celebris illius victoriae fama, ut plures exterarum Urbium incolae, virtutis opinione pellecti, visendi alloquendique illius fervore Venetias peterent. Felixque sibi esse videbatur, cui alloqui virum, atque ejus perfrui consortio licuisset. Plurimi quoque praestantes atque doctissimi viri, quum accedere ipsi aut non possent, aut non ducerent accedendum, literas ad illum elegantes exaravere. Neque satietate laudationum, qui rerum humanarum quicquam sapiebant, affici poterant. Nam & inter omnes in primis Petrus Paulus Vergerius summâ doctrinâ & auctoritate praecipua vir, atque Oratorum ea aetate facilè princeps, luculentissimam ad Carolum de eo potissimùm proelio, & gloriosa parta victoria conscripsit Epistolam, quam ad plures legimus, & ad extremum Operis hujus pro tanti viri memoria annectendam censuimus.

EXPLICIT LIBER OCTAVUS.

INCI-

INCIPIT LIBER NONUS.

DUm in hunc modum res se haberent, & ubique Caroli nomen celebri gloria eminens passim excelleret, Senatus Venetus adversùs Franciscum Carrariam Paduæ Principem bellum decrevit. Erat autem Carraria vetusta nobilique in Paduana Urbe familia, Patre quoque Francisco Seniore ortus. Quorum progenitoribus ante plurimos annos Urbis Paduæ fuerat imperium. Hunc olim Venetus Senatus unicè dilexerat, carissimumque filium non appellaverat modò, sed ut talem omni amore ac pietate confoverat. Jus commerciumque Civitatis, aditus in Senatum publico decreto illi collatus erat. Mutua cum Civibus communicatio, & quotidiana consuetudo pertractandarumque Venetarum facultas rerum pergratum Venetis effecerant. Nec secus ac Veneta progenitum altumque Urbe omnes censebant. Et accedebat loci propinquitas, quòd Patavina Urbs XXV. passuum millibus tantùm Venetiis abest. Hinc illi Venetiis plurimum moræ erat, intereratque Senatui, & Civium amore conciliato sibi, eorum operâ, & familiari colloquio pariter utebatur; nec beneficiorum vicissim aberat certamen. Carolum in primis ille ob eximium virtutis nomen colebat, ingentique virum amore complexus parentis videbatur loco ducere, mutuaque simul meritorum cumulatione certabant, quòd Carolus quem Reipublicæ pergratum prospiceret esse, sibi quoque diligendum censebat; & naturâ liberalis ac splendidus haud patiebatur, se ab illo beneficio vinci. Ita Carrarii Principes ea tempestate sub umbra fideque Venetæ Reipublicæ quietè ducebant vitam. Quibus quidem ex rebus adeò Venetis cordi videbatur Franciscus esse, ut ubi quicquam emersisset adversi, illius curam, perinde ac civis Senatus desumeret. Nam & Insubrium Principem bello Franciscum impetere satagentem, Oratoribus transmissis, ne adversùm illum inferret arma, deterruerant, comminati, ni quietum eum permisisset, se pro eo ut cive, dilectissimoque filio propulsaturos bellum. Quicquid enim injuriarum in illum collatum esset, erga Venetam Urbem illatum existimare: tanta Carrarii nominis vis per ea tempora Venetorum perstrinxerat animos. Ceterùm ut est humanarum rerum facilè nutans, semperque fluctuans vicissitudo, quum aliquandiu tam devincta inter utrosque benevolentia perstitisset, ingruentibus demum rixarum occasionibus, dissolutis amicitiæ vinculis, pristinus ille amor effluxit, atque ex caritate odium, ex concordia dissensio, ex beneficiis mutuis injuriæ, ex plurimis tamdem pristinis bonis perniciosissima mala brevì emersere, atque irritatis accensisque utrinque animis, ad extremum in apertum bellum res erupit; infestique mente utrique ab hostilibus injuriis detrimentisque minimè temperabant.

Ergo Senatus, quum inhæsisset penitus animo, Franciscum bello impetere, magnas militares copias mercede conduxerat, validissi-
A mumque compararat exercitum. Quòd verò inter militaris artis eximios duces ea tempestate Ariminensis Princeps existimabatur in paucissimis (siquidem vir erat omni præstans virtute, bellique admodum peritus) eum Senatus stipendio accitum sibi exercitui præfecerat, indixeratque bello gerendo imperatorem. Ceterùm quia vetustus apud Venetos mos inoleverat, quum terrâ belligerandum esset, quòd mercenario, non populari milite, ut classe, res geratur, Legatos cives, Senatoresque Venetos, Senatu toto selectos ex præcipuis mittere ad exercitum, ac veluti collegas comitesque gerendarum
B rerum, extero imperatori adjicere (eos Provisores majores dixere) & belli pondus, rerumque summam in his Venetis semper sistere voluere; quòd indubitatæ illos fidei reddat Patriæ pietas. Ergo ut hos Patavini indicti belli gratiâ deligere Veneti decreverunt, Carolum potissimum decerpsere, quem Legatum tantæ rerum moli præficerent. Igitur ad exercitum properè vectus, uno tantùm comitante collega, paulò post solus in castris pro eo munere Veneto nomine perstitit. Nam adhibitus Senatorius comes, aliis ex causis revocatus in Patriam, Magistratu se abdicaverat. Itaque Carolus, ut omnem
C pæne ejus belli molem suis humeris, suæque curæ fideique permissam vidit, imperatoris militumque & animos & mores nosse primùm omnium mentem adjecit. Quorum quum brevì voti compos est factus, ut ea deinde quàm citissimè, persolverentur, quæ felix deposcere videbatur exitus rerum, impensiorem intendit curam. Et militares quidem copias, exercitusque non tam propulsando, quàm inferendo aptas bello, habebat abundè Patavus. Nec tutabatur Urbem modò, sed regionem circum omnem communierat, aditusque singulos, queis in agrum
D Patavum accessus patet, validè sepserat; impositoque præsidio militari, diligenti custodia observari undique ingressus curabat. Annitebaturque summo studio arcere Venetos, ne penetrare intima regionis quirent. Locorum præterea natura situsque satis ad id subministrabat opis. Quippe fluminibus, & aquis referta, palustribusque undique ferè circumcincta regio est.

Venetus ergo ad claustra ipsa exercitus erat, ad eaque munimenta imperator, & copiarum duces, Carolusque constiterant. Itaque quum de ratione gerendi belli, pro consuetudine haberi consilium placuisset, variæque, ut sunt ingenia studiaque hominum
E sententiæ dicerentur: Carolus, ubi dicendi obtigit sors, magnificè scitèque de bello administrando disseruit, & quæ agenda forent, quæ vitanda, quis vincendi modus, quis belli futurus finis esset edocuit. Ad hæc tentandam primum rei gerendæ fortunam, experiri oportere omnia, ut allicerentur ad prœlium hostes. Manu quidem consertâ, si speratâ potitus victoriâ Venetus esset, ingens momentum rebus, consternationemque hosti inflictum iri. Si id non successisset, tum aut viribus, aut arte in septa claustra pene-

penetrandum fore. Ad id ingenium vimque naturæ fortunæque omnem adhiberi oportere. Modos cuique excogitandos esse; se pro virili & corpore & animo navaturum operam polliceri. Hæc & hujuscemodi plura monendo suadendoque Imperatorem, duces, militesque in admirationem induxit. Atque unde Veneto viro maritimis, ut rebantur, semper innutrito rebus, tantum bellicarum artium peritiæ, atque experimenti esset, haud satis decernere poterant. Erantque in illum, omnium oculi & ora conversa. Probitatis quoque indicium, venerabilis benevolentia consequebatur. Fama est, Malatestam Arimini Principem acri ingenio, & excellenti virtute virum, quem Imperatorem à Senatu datum exercitui ante docuimus, tum versum in suos (& aderant quidem ex omni genere frequentissimi) ingenti se dixisse stupore affici, cur Veneti censerent extero Imperatore in expeditionibus uti, quum domi talem haberent Civem, quem ipse cuique bellicis rebus pertrito non æquare modo queat, sed in paucissimis anteponendum credat.

Ergo probato Caroli consilio, prœlia in dies singulos inde conseri cœpta, & hostes verbis exemploque in certamen incendi. Carolo verò noctu vigilias agi, & speculari hostium consilia curæ erat, ad casumque præclari facinoris intentum ipse gerebat animum. Ceterùm ubi aliquot dies experti fortunam, pellicere hostes magno numero extra munimenta nequivere, viribus autem propugnatores depelli loco non posse, sed levibus tantum prœliis occasionem dari: tum Carolus moræ impatiens, omninoque penetrare in claustra exardens animo (cupienti quippe nullum tam breve tempus non esse ferum non potest) quod armis nequibat, arte efficere adoritur. Nihil siquidem tam arduum est, quod non speret flagrans animus assequi, nil tam sublime, quod speratum tentare aggredique non ausit. Igitur astus eximii speculatores, eosque regionis peritos toto exercitu deligit. Circumvehere passim aditus omnes, & perlustrare loca jubet; & si qua queant, efficere aditum in regionis interiora commonet, præmiorumque sponsione incendit animos. Ipse percontari locorum gnaros, latebras quasque pervestigare, fluminum paludumque naturam exquisitius indagare; nunc hunc, nunc illum expetere; apud omnes exactissima disquisitione uti; solerti & provido consilio semper promtus esse; ut hæc abdita & ignota hostibus forent, operam dare; nihil intermittere, quod ad destinatam animo rem spectaret. Neque destitit, quoad tamdem aliquid fortè abditi itineris per palustria præstari posse edoctus est. Quamquam illud difficile admodum, & pæne invium, auctores haudquaquam tamen invictæ fidei contestarentur. Itaque minimè ad hæc mente quietus pergere ipsemet & oculis lustrare locum, struereque accessum constituit. Quo verò arcanam redderet rem, ne vulgata forsitan suspicionem incuteret hostibus, noctu è castris egressus, paucis hisque fidis comitibus una desumptis pergere ad locum adoritur; emensoque magno & itineris & noctis spatio, tamdem ad paludosas cœnosasque valles, vepribus, & arundinibus obsitas pervenit. A Avia quidem initio videbantur loca, nec mortalibus umquam præbuisse iter. Tum ille pervicacis ad omnia, quæ instituerat, animi, paludes ingressus, neque periculo, neque labori parcebat. Sed palustribus etiam umbilico tenus immersus, perinde ac in solido gradiebatur. At ubi tumentiores comperisset aquas, nandi peritia impavidus emergebat, vincebatque loci difficultates cum promtitudine animi, tum indefesso laboribus corpore. Sæpe arundines non tegebant modò, sed excedebant cervicem. Crebrò palustribus consitus herbis, ne vestigium proferret, distineri videbatur. Ita noctem ferè totam, aquarum vada perlustrans, errabundus expendit, facillima omnia ratus, si modò B exercitui pandere utcumque iter posset. Eo pacto nunc reptans, nunc verò pernatans, aditus asperitatibus superatis, tamdem in solidum evasit, nec procul ab Urbe Patava se constitutum comperit. Itaque intellexit, si per eos anfractus pervio itineri, utcumque coaptatos duci quoquomodo exercitus quiret, in agrum Patavum inde iter posse Venetis pandi, quòd ea loca tuta satis, munitaque, & omnino invia, Paduano Principi visa, haudquaquam militum præsidio observari oportere censuisset. Ergo iisdem meatibus revectus in castra, communicato cum Malatesta solum Imperatore consilio, quo res C obscurior foret, quæ gesta nuper ab eo, quæ sibi comperta essent, edocuit. Ita uterque de rerum eventu opportuno sermone conserto, collatisque invicem causis rationibusque in eam rem pertinentibus, & quæ expetere res videbatur, diligenter exactis, tamdem ducendas ad locum copias pariter decrevere. Igitur præfixo tempore, & fallendi hostis curâ impensâ, exercitus partem ante lucem ad conceptum paratumque transitus aditum duxerunt; ignarisque quò ducerentur militibus, evadere per palustres calles, trito jam & pervio reddito itinere, militares copias docuere. Per eum modum exercitus in D Patavum agrum, hoste etiam ignaro, perductus est, Carrarioque Principi claustra struendi, prohibendique iter Venetis spes ablata.

Ut ergo Venetorum exercitum esse intra sua munimenta, Francisco nuntiatum est, consternatus animo, ingentem mœroris speciem prætulit. Nam & præter opinionem acciderat, & frustratum se fide sua intuebatur, quòd ea in re ita mentem defixerat, ut spem suam omnem non in alio magis, quàm interclusione prohibitioneque aditus videretur locasse. Inde igitur excidii initium sui jam prævidens animo, minus in dies fidere suis rebus, languescere corde, linquisse spiritu cœpit. Intelligebat enim, quantum sibi calamitatis, quantum inde discriminis immineret, quæve consequutura perniciosa mala, E eo deinceps facto, portenderentur sibi, regionis totius libera jam possessione reddita Venetis, & quàcumque ferret animus, per Patavinum agrum discurrendi debacchandique facultate oblata. Nec enim illi tantùm virium erat, ut æquo marte cum Veneto exercitu congredi, paresque efferre copias posset. Unicam ergo tantùm sibi tutandæ Urbis relictam spem videbat. Ea paulisper anxium refovebat animum, quod naturâ valida, & interfluenti amne, triplicique circum-

cum-

cum cincta muro Patava Civitas, militarique manu ad resistendum satis munita, sive oppugnari, sive obsideri contigisset, videretur, hostilem vim egregiè perlatura. Veneti itaque, ut in Patavino agro liberè constiterunt, passim per regionem pervagati, terroris plurimùm incolis intulere. Nam discurrere, circuire, deprædari, vastareque omnia passim pro arbitrio poterant, & crebras ad Urbis usque portas irruptiones incursionesque facere. Ingenti ergo pavore perterriti accolæ, fortunisque atque corporibus pertimescentes, suis consulere fugâ afflictis rebus, intraque Urbem se se recipere, & sua quæque perferre coacti sunt, quo Venetorum manus & impetus evitarent. Ita confluenti undique frequenti copia rerum, atque mortalium, confertim in dies jumentorum & suppellectilium multitudine Urbs Patava complebatur, reddebaturque continuò fœdior Urbis facies, tetro passim jumentorum odore vulgato. Regionem verò ingens in dies solitudo excipiebat, nec ullæ in agro pecudes, nec in tectis homines visebantur. Tuguria quidem ipsa vacua & nuda mortalibus; pecora nulla, nullique in agris cultores erant. Rura ingressus miles, neminem habebat obvium, neminem offendebat. Ergo ubi nihil jam prodibat hostile, Veneti obsidere Urbem adorti, propiùs copias admovere, Pataviumque undique perstrinxere. Et ne importari quicquam victui necessariarum rerum quiret, exactâ diligentiâ providebant. Sed Patavi eruptione facta, plura sæpe cum Veneto conserebant prœlia, & Urbem strenuè tutabantur. Ita nullo memorando facinore magìs patrato, æstivi menses fluxere. Jam hyems ingruerat, brumalesque rigores solito acriùs convexerant gelu, sævisque imbribus, algoribusque truciter lædebatur exercitus. Nec deinceps consistere in castris videbatur miles posse, & pro voto premere Urbem, ita contractis rigore artubus, ut neque prodire in prœlium, & erumpentibus obsistere, nec observare pro officio aditus, nec ulla exercere belli munia facultas esset.

Quæ ut à Carolo animadversa sunt, ingruentibus morbis, ne in deterius improvisæ laberentur res, opportunis consulere medelis statuit. Itaque quum aliquandiu pensitaret animo, subit mentem tutam illam salutis rationem fore, si constructæ in Castelli speciem, & erectæ frequentes ligneæ turres, perque Regionem, locorum opportunitate servata dispositæ, militaribus complerentur ordinibus. Nam eo pacto algoris, & imbrium vim toleraturos milites, & inde facilè adversùm irrumpentem propugnaturos hostem, & obsidioni haud magno negotio sedulò inhæsuros. Eam animi sui rationem, quum in consilium protulisset, ubi approbari collaudarique ab imperatore, & copiarum ducibus vidit, nullâ intermissâ morâ opus adortus, adhibitâ curâ, ministrorumque atque opificum frequentiâ, brevì cœptum absolvit; distributisque per castella militibus, equestribus, pedestribusque copiarum ducibus, ut res exigere videbatur, inde observare, & frequentes diurnas nocturnasque agere custodias docuit. Nihil quidem salubrius excogitari à Carolo potuit. Quippe eo consilio, non solùm illæsus exercitus conservatus, sed potiundæ Patavinæ Urbis præclara occasio reddita est. Tecti siquidem turribus milites, ingruens gelu, fragoresque ventorum, & imbrium æquo perferre animo potuerunt, & erumpentium hostium impetum non solùm sustinuere, sed manu conserta acriter pugnantes profligaverunt, ad portasque usque Urbis insequuti, plurimos intercepere, in fugamque conversos propulere in Urbem; tantumque terroris Carrariis militibus incussere, ut minimè deinceps tam crebris eruptionibus pro arbitrio grassari ausi, consistere intra munimenta compellerentur. Et Carolus quidem in perlustrandis sedulò militum operibus non impiger erat, sed singulis frequenter turribus obequitans, observari aditus, vigilias agi, speculatum mitti, caveri ab insidiis, servarique ordines, & ut exigebat res, ex composito commonebat; atque ut in eam partem succederent cuncta prosperè infatigatâ diligentiâ, & laborioso opere annitebatur. Nec inœdiæ, nec vigiliæ parcere grave ducebat, sed sæpe ubi operæ pretium censuisset, integras noctes agebat insomnes. Ad servandam verò Reipublicæ Venetæ fidem hortari milites impensior illi semper cura erat. Quid illis conduceret, quo pacto consulere suæ gloriæ quirent, quibus vinculis obstringerentur, blanda oratione commemorabat. Proponebat præmia, gratitudinem Senatus; Urbis opulentiam ponebat ante oculos. Pollicebatur plurima, & ipse quoque, ut eos in Reipublicæ firmaret fidem, ex re familiari sua hilariter, ubi opus erat, multa promebat in dies, liberalemque se ac comem militibus exhibebat. Quòd si causas ad ipsum controversiasque detulissent milites, æquas illis præstabat aures, & benignè illos excipiens, controversiis justum & celerem exitum dabat. Dissidentes animis conciliare, concitatas sedare rixas satagebat, nec diutiùs invicem infestos perseverare illos patiebatur. Optimè meritos verò, virtutique ac probitati deditos, strenuosque armis, & celsi spiritus milites, tanta caritate complectebatur, ita se se illis exhibebat, ut fratrum & liberorum duceret loco. Disciplinæ quoque militaris accuratus erat cultor, eamque exactè servari, intentiorem adhibebat operam. Itaque in transgressores, facinorososque, ac vecordes, nebulones animadverti pro delicti ratione volebat, eo pacto tamen, ut severitatis rigorem plerumque mansuetudine temperaret, nisi fortè quid gravius, & perniciosius emersisset, ubi rerum, locorum, temporum, hominumque rationibus maturè pensatis, decuisset rigidiùs vindicari.

In hunc modum disciplinâ servatâ, Patavium in dies acriùs premebatur, & commeatus inopia compleverat Urbem. Torquebanturque continuè magìs necessariarum rerum penuria Patavi, quippe nihil importari ob diligentem Venetorum observationem intra mœnia poterat. Præter cives præterea solitumque popularium vulgus, tantum mortalium examen è tota passim regione undique in Urbem confluxerat, ut exhaurire brevì potuissent quàm amplissimam copiam commeatus, nec ulla tam ingens annonæ vis satìs esse, tot avidè anxièque commessabundis, & semper hiantibus corporibus quiret. Nam & jumenta pastu alere cupientes, ne inœ-

inœdiâ consumtis detrimento afficerentur, duplici onere præpediri eos necesse erat, & comparare sibi, tum jumentis cibos. Itaque propior extremo periculo reddita erat res, haudque diutiùs obsidionem Urbs videbatur latura. Dum ea esset fortuna rerum, parum abfuit, quin commotio militaris in exercitu orta tot ad eam diem præclarè gesta fœdaret. Sic sunt semper promta pericula, & vergentes in malum casus. Absolverat siquidem se imperatorio munere Malatestius Imperator, quem initio Præfectum exercitui diximus; ejusque loco Paulum Sabellum nobili & Senatoria Romanæ Urbis familia suffecerant Veneti, virum quidem & pervagati nominis, & militarium peritum rerum. In exercitu complures virtute ac nobilitate præstantes ordinem ducebant; atque inter reliquos Aquilani Comites; sic enim eos ab Aquila Brutiorum ductantes originem vocabant milites, habebantur præclari. Hi adversùm Petrum Polentani alium copiarum ducem, illi vel opibus, vel viribus, vel nobilitate non imparem, graves inimicitias exercebant. Igitur occasione suborta quum se primùm probris & conviciis lacerassent, tamdem ad arma prorumpunt. Concurrunt utrinque acriter, nec animis, nec manibus temperant. Oritur inde tumultus in castris, clamor validus obstrepit undique. Ita paulo momento brevi totus furit & perturbatur exercitus. Accurrunt frequentes ex omni ordine milites; ut cuique cupido & affectus erat, suis quisque ferre opem satagit. Nam hi auctoritate & opibus freti totum ferè exercitum suis deditum partibus animorum conciliatione diviserant. Quippe vel uni, vel alteri partium pæne omnes favebant. Nihil jam in hostes gerebat exercitus, sed intestinum ferè flagrabat bellum, seseque mutuò milites lacerabant, ita fervescentibus inter se odiis, ut nec ipsis factionum principibus cederent complices. Nec à sanguine civili aberant procul, conserturique continuò atrox prœlium videbantur. Imperator Sabellius tanto discrimine, ut par erat, permotus, rem ad Senatum deferendam censuit. Itaque exaratis raptim literis concitatæ seditionis reddere Senatum certiorem curat. Quo in statu sint res, quid agat exercitus, quid furoris militum pervaserit animos, pandit.

Fortè per id temporis ab exercitu Carolus aberat, curabatque alio loco quæ maximè prospero eventui rerum præstarent; neque adhuc illi militares pernotuerant intestini motus. Senatus ergo ut rem accepit, gravi periculo territus, promtos repentè ad Carolum nuntios advolare jubet, imminensque discrimen perferre. Atque ut properè ipse ad exercitum vectus, pernicioso succurrat morbo, conciliatisque, si id efficere humana vis queat, animis, labantibus consulat rebus, cumulata etiam exaggeratione pœnarum imperat. Igitur Carolus rei cum gravitate, tum novitate, improvisoque perculsus malo, velox ad exercitum properat, æstuantes offendit copias, accensosque in pugnam comperit animos. Tum pauca pro tempore cum Sabellio colloquutus, ut seditionis originem, & rerum causas agnovit, acciri ad se quamprimum factionum principes, ducesque copiarum jussit, eosque hunc in modum affatus est.

„ Existimaram, vos, o viri, pro generis „ claritudine, proque usu & experimento „ cum militarium, tum humanarum rerum, „ moderatioribus esse animis, neque tam „ affectu, quàm prudentia regi. Ea enim „ est vera nobilitas, quæ cum virtute con„ juncta est; neque quicquam tam genero„ sum virum decet, quàm animi tranquilla „ modestia, & gravitas actionum. Sordescit „ quippe quævis inclita propago sanguinis, „ nisi decora morum dignitate sit condita. „ Sed nimio vereor, ne forsitan sim senten„ tiâ fraudatus, quum vos intueor usque „ adeò spiritibus concitatos, ut prudentiæ, „ moderationis, & rationis habenas penitus „ excussisse videamini. At vos saltem dedi„ ta nobis continuisset fides, debitaque Ve„ netam in Rempublicam pietas, & compli„ catæ manus, ac junctæ dexteræ, quibus „ vos, ut animorum pignoribus, certisque „ vadibus obstrinxistis. An ignoratis, quan„ tum cladis, quantum periculi vestra hæc „ dissidia Venetis perferant? quo emolumen„ to, qua voluptate seditiosæ vestræ mentes „ & manus afficiant hostes? Conciliatis enim „ pactisque vobis Venetus Senatus, non tu„ multuantibus & dissidentibus eget. Non „ ut vobis, & inter vos, sed ut Carrarien„ sibus inferretis bellum, stipendio adscivit „ sibi. Arma & vires vestras, ut in hostes „ protenderent milites sui, non ut se se in„ vicem lacerarent, mercede conduxit. „ Neque enim minùs cordi est nobis, quàm „ civilia ferere prœlia, à quibus mille ferè „ annis immunem expertemque viguisse „ gloriari Civitas Veneta potest. Neque „ enim nos latet, quantas calamitates ciere, „ atque infligere queant intestina dissidia. „ Concordiâ quippe tenues initio res ex„ auctas & propagatas esse, discordiâ vero „ collapsas & funditus extirpatas, & apud „ majores legimus, & ipsi vidimus & ex„ perti sumus. Neque ullum est tam stabile „ Regnum, nulla tam fixa solidaque pote„ stas, quæ si discordiarum incendio flagret, „ conservari diutiùs queat. Quo studio, qui„ bus laboribus, difficultatibus, sumtibus ad „ hanc usque diem hoc deductum sit bel„ lum, videtis. Septa claustra superavimus, „ penetravimus aditus, Urbem obsedimus, „ turres ereximus, custodias observavimus, „ Civitatem commerciis interclusimus, com„ meatum prohibuimus, regionem percur„ rimus, ferro incendioque passim vastavi„ mus omnia. In Urbem confertim cursim„ que confugere compulimus incolas. Ter„ rore & consternatione cuncta complevi„ mus. Ad extremumque periculi tamdem „ Patavam Civitatem adduximus. Ferèque „ jam ad ultimam desperationem compuli„ mus hostes. Exhausta propemodum jam „ sunt in Urbe omnia. Fœda ubique, & „ horrida calamitatis imago reddita. Penu„ ria primùm, hinc fames incussa est. Esu„ ries est quidem amodo in rabiem versa. „ Ad extremum tamdem, o socii, belli per„ ventum est. Sudoribus, & vigiliis felix „ exitus datur. Præmiorum jam nobis, & „ victoriæ gaudia manent. Quid agatis igi„ tur o viri, quid cupitis, quid tentatis? „ Quis sævus furor attonitos occupat ani„ mos? cur quum in hostem ad belli jam „ prosperum exitum convertenda sunt arma

vi-

» virefque, retorquetis in vofmet, & infefta, quæ gerere deceret in Patavos, pectora invicem exercetis? An fert animus tot profperè gefta levi momento, pervicaci corde fœdare? Tot fumtus, labores, vigilias, inœdias, difficultates jacere incaffum, tot conatus, & poftremam felicis victoriæ fpem irritos reddere? Ubi nunc funt fublimes illi & celfi fpiritus veftri, nobiliffimi viri, quos præftare pares claritudini generis decet? Ubi nunc generofitas animorum, corporumque, ubi mores, ubi decus condimentumque nobilitatis virtus? Ubi prudentia, nervus, alimentumque virtutum omnium? Ubi fides invicta, quæ vos potiffimùm Venetæ Reipublicæ dedicavit? Patieminine, quæfo fortiffimi viri, culpâ & fcelere veftro, pervicacibufque & obduratis cervicibus tot menfium opera unâ horâ corruere? Agite igitur, obfecro, generofi duces, fi quid præclari animi, fi quid virtutis & fidei, & veræ nobilitatis in vobis eft, nunc edite, nunc afferte in medium. Arma deponite, iram fedate, conciliate mentes, pacate infefta pectora, extinguite odia, rixis probrifque exitum date; redite invicem in gratiam, priftinamque benevolentiam mutuò revocate. Reipublicæ noftræ, mihique has omnes, quæfo, precor, donate injurias. Date hoc nunc precibus meis, affectè orantem ne fpernite. Plurima jam quondam vobis imperavi: hoc unum modò perpetuò debiturus fum vobis. Quòd fi id omnino fieri repentè non queat, ad breve faltem tempus mei gratiâ intermittite iras, ultimamque victoriam, quæ Deo propitio jam in manibus eft, perturbare nolite. Si quid enim apud vos Senatus Venetus auctoritatis habet & dignitatis, fi quid ego vobifcum amore in vos meo valeo, hæc à vobis impenfiffimo ftudio petimus, hæc impetrare contendimus, hæc ut permittantur nobis, atque ut non fruftra petierimus, æquum effe, veftrique officii munerifque cenfemus. Quum orationi tuliffet finem, Sabellius, & plerique alii, qui fortè aderant Veneti Senatores, paucique, qui factionibus abftinuerant, copiarum duces, plurimis illos in eam fententiam hortabantur. Sed qùum illi pronis capitibus terram defixis luminibus intuerentur, & feu erroris rubore, feu rigiditate quadam animi priftino adhuc odio pervicaciter inhærente, nihil ad ea, quæ dicta erant, referrent: tunc Carolus rurfum ad illos verfus, plurimifque in eorum cordis atrocitatem invectus, monendo, fuadendoque tantum invaluit, ut fedaret aliquantifper feroces animos, intermittendifque paululum contentionibus redderet pronos. Ita bimeftribus, induciis, delinito mitigatoque fatis irarum æftu, affentiri demum pellecti funt. In hunc modum imminenti pergravi periculo obviam itum, ad reliquaque perfolvenda belli munia promtus exercitus redditus eft.

Sed jam eò rerum perventum erat, ut ferre deinceps miferabilem famis atrocitatem Patavini non poffent. Nihil alimenti reliquum inerat, omnia quippe etiam ufui humano abhorrenda confumferant, extremaque defperatio occupaverat animos. Nam & odor jumentorum, & villicorum frequentia Urbe ferè tota vulgaverant morbos. Itaque frequentes interdiu noctuque conventus agebantur, & querelarum vis ingens efferebatur, probraque ac maledicta jactare in Principem populus cœperat. Craffabanturque in illum odio vulgus, ejufque tyrannidem incufare, omnemque belli, fuæque calamitatis fævitiem in illum conjicere, quòd tot cruciatibus ipfius culpâ contorquerentur, quòd ejecti tectis, agris privati, fpoliati fortunis, quòd tamdem inœdia exhaufti, vix comprimerent fpiritus, & jam letho propiores ad ultimum periculi compellerentur. Nec in his quidem diuturnior mora acta eft, fed de permittenda Venetis Urbe confilia paffim haberi cœpta. Quæ ubi primùm clam coaluere, indè folidiùs animis inhæferunt, plerique civium auctoritate infigni, queis fides apud populum fuprema erat, ad Carolum acceffere, & de rerum ftatu, deque fua in Venetos fide plurimo fermone conferto, nec non de Principis fui tyrannide multa conquefti; commemoratâ etiam vetuftiffimâ obfervantiâ gentis, & cognatione quadam, ac propagatione originis, quòd Venetos inde magna ex parte profluxiffe creditum eft: tamdem acceptis datifque conditionibus, Urbis imperium Senatui Veneto detulerunt, poteftatemque ingreffus Imperatori, ac Legato, exercituique fecere. In eum modum Patava Urbs Venetorum in fide fufcepta eft. Vetuftiffima quidem ac regia Civitas Padua, cujus originem etiam à Trojano Anthenore prodidere Scriptores. Gymnafio difciplinarum omnium, & optimarum Artium, ftructurâ & mœnium opere infignis, ac famâ Orbe toto percelebris. Carrarius Princeps, quondam Venetis amicus ac filius, Venetias perductus, carcerique ac vinculis adactus eft, ubi paulò poft obire coactus mortem, Imperii, & vitæ exitum tulit, ingenti profectò humanæ fragilitatis & mutabilitatis exemplo. Quippe quod monere nos is exitus præclaro documento potuit, nulla tam clara nobilitate, nullis opibus, imperio, gloria efferri animos oportere, quum levi momento prolabi omnia, ruere, decidereque in præceps queant. Igitur Veneti tam infigni Urbe potiti, profufa hilaritate referti funt, fupplicationefque gratiarumque actiones immortali Deo folemniis, ac cærimoniis edidere. Atque exultatio ad plures dies paffim per Urbem acta. Deinde quod ad Patavinas attinebat res, vertentes animos, quamquam exacto bello, Carolum tamen perfeverare in Magiftratu, & cum Fifcalibus juribus, rationibufque Patavini ærarii pernofcendis componendifque intendere animum, tum etiam fi quid reliqui caufarum foret, cui confuli oportuiffet, curare illum & exequi Senatus decrevit. Adhibitufque ex Senatoribus illi collega. Ceterùm Carolus, quòd res haudquaquam perardua videbatur, & graviora illum diu Urbe abfentem in Patriam revocabant, minimè deinceps perfiftere loco, fed abdicare fe Magiftratu cenfuit. Itaque à Senatu per literas petitâ veniâ, impetratâque, Patavio digreffus, collegæ negotium, ejufcemodique rerum curam liquit. Ipfe Venetias fecundo amne pervectus, à Principe, Patribufque fummâ gloriâ concelebratus eft. Gratiæque illi actæ, quòd partum Patavinæ Urbis imperium fuo cum ingenio confilioque, tum la-

labori sudorique suo adscribendum profiterentur.

At collega quum destinata exequi adortus disquirendis fiscalibus ærarii Patavini libris sedulò incubuisset, nec recentia modò, sed multorum annorum rationibus revolutis repeteret exactissimè vetustiora quæque, animadvertit, aliqua librorum parte inscriptum Carolo Zeno, quadringentos aureos nummos numeratos esse. Sic enim fiscales Principis Patavi scribæ ad rationes pridem retulisse videbantur. Erant autem ii, quos apud Astam Coloniam exulanti Carrario Carolum mutuò dedisse, supra memoravimus. Quos Principem non immemorem beneficii, reque ipsa devinctum, ut par erat, persolvi Carolo etiam obnixè reluctanti jussisse, ante retulimus. Itaque incertum, qua mente ductus, ad Decemviros ille rem detulit. Est autem is Magistratus Veneta in Urbe supremi imperii, animadversionisque in quosque pro arbitrio fas ei potestasque est; nec appellandi ab eorum facto, decretoque jus ulli permissum, sed adeò perpetuò ratum est quod gessere, ut nec in ambiguum verti, nec jurene, an injuria gestum sit, cognosci, nec rescindi factum ullis umquam aut Seculis, aut caussis queat. Igitur Decemviri, ut perlustravere libros, scripturamque inspexere, ex his fuere plerique, qui haud aliter perspecta re in legem incidisse Carolum cernerent. Est enim vetus lex jam antea apud Venetos promulgata, quæ Venetum civem annuum censum, stipendiumve ab extero capere Principe vetat; accipientem Senatu Magistratuque amoveri prohiberique jubet. Quare audiri Carolum placuit, scripturæque ab eo rationem exigere. Profectus ergo ad illos Carolus, seriò rem pandit, ordine ut gesta erant cuncta docet. Astam se quondam Coloniam petentem pro eo Magistratu, quem in Galliis administravit, Franciscum Carrarium exulantem ea in Urbe convenisse. Ut amicum, & Senatui gratum, Senatoremque Venetum salutasse. Indigenti, quòd patrio solo, imperioque carebat, se quadringenta mutuo contulisse; anxiumque curis & inopia pressum respiratione haud exigua consovisse; munera etiam pleraque insuper addita ab se. Dum ex Galliis rediret in Patriam, Carrarii nomine sibi neque petenti, neque volenti, sed obstinatè etiam recusanti, & planè invito redditam mutuatam pecuniam esse. Ceterùm se in beneficiorum, munerum quoque congestione haud umquam illi cessisse. Certasse plerumque cum illo, ut cive Veneto, & amico de meritis. Ingenuè se posse fateri, neque ire inficias, numquam se ab illo fuisse superatum. Hæc à Carolo magnificè liberèque, nulla suspicionis umbra occupante animum, prolata Decemviris sunt.

Et erant quidem illorum plerique, qui audito Carolo, reique cognita serie, satis sibi factum putarent, neque reum modò legis non esse, aut animadverti in illum ex lege non oportere, sed laudatione quoque afficiendum censerent. Facilè enim quod verum erat, persuadebant sibi, neque aliam in partem verti potuisse rem credere poterant. Nam Franciscum Carrarium apud Galeatium Insubrium Ducem diutiùs exulasse, Carolumque apud eumdem habitum esse summo honore, constare. Inopia rei familiaris in

A exilio obstrictum, & pecuniis exhaustum, credibile quidem, & vero simillimum esse, Carolum semper naturâ liberalem, & splendidum, tum potissimum quum locupletior videbatur, succurrisse amico, haud alienum ab illius moribus & institutione videri. Eum quoque semper plus gloriæ, quàm pecuniarum percupidum fuisse, neque magnipendisse fortunas, accumulandisque pecuniis studuisse umquam, sed illas, ubi res exegisset, facilè & magno corde profudisse. Celsi & magnifici animi, qualem Caroli sciant esse, consuevisse plus dando, quàm recipiendo lætari. Ingentem quoque auri vim Genuensi bello, in Reipublicæ usus ab eo largiter je-

B ctam esse; in amicorum largitionibus plurima ab illo consumta, haud quidem obscurum esse. Magistratu quoque Patavo, post captam Urbem se se abdicasse Carolum, neque discutiendis ærarii supputationibus interesse voluisse, munusque id spretum ab eo libero animo esse, serenitatem quidem mentis liquidè præ se ferre, & innocentiæ indicium exploratissimum, atque integritatis sinceritatisque suæ validissimum testimonium esse. Siquidem si conscientia ulla minus rectè gestæ rei distinuisset animum, potuisse, inito Magistratu, facilè omnem hujuscemodi notam obterere, efficereque pro voto atque arbitrio, ne prodiret in lucem, vel consum-

C tis, vel deletis, quod non magni negotii erat opus, fiscalibus libris. Conscios criminis sui nullam occasionem velandi facinoris prætermittere consuevisse, quin extrema quæque ad purgandam omnem inustæ notæ suspicionem aggredi, & tentare solere. Carolum tantæ prudentiæ, tanti nominis virum, non usque adeò mente attonitum fuisse, ut tantæ molis res è pectore delapsa illi excidisset animo, nec quemquam adeò rerum omnium imperitum existimare id, aut credere posse. Carrarium præterea tunc, quum & mutuo nummos acceperit, reddideritque, non exterum Principem, non alienigenam,

D sed Venetum Civem, Senatoremque, ac carissimum exstitisse Venetæ Reipublicæ. Nullo umquam gentium jure, nulla lege, nullo more majorum inter ejusmodi interdictum commercium esse. Decuisse civem civi, amicum amico in adversa fortuna ferre opem. Idque ingentis pietatis munus laudi & gloriæ attribuendum videri. Licuisse illis præterea omni divino humanoque jure, mutuò inter se de beneficiorum, munerum, meritorumque concertatione contendere. Neque hujuscemodi benefici gratique animi munia uspiam gentium, vel apud feros quidem & indomitos barbaros, ulla interdicta vel lege, vel consuetudine umquam fuisse.

E Magìs quidem gloriâ dignum Carolum videri, meritòque mercede afficiendum, quòd Reipublicæ imitatus exemplum, Franciscum favore, ac mutua caritate, beneficiisque complexus sit. Non enim tam privatâ, quàm publicâ causâ amare quis videtur eum, quem iccirco amet, quòd ametur à Patria. Nam & deinde amicitiam Carolum cum Reipublicæ voluntate mutasse. Eo usque enim amicum voluisse illum sibi, quoad Patriæ fuisset amicus. Reipublicæ verò benevolentiâ sublatâ, habuisse hostem, & acerrimum in eum bellum gessisse. Quantum enim insudasset, quantum invigilasset eo ipso Patavino bello, ut

ut illum privaret imperio, Venetaque Respublica, ut feliciter actum est, gloriosâ victoriâ potiretur, promulgatum passim & pervagatum esse. Resonare adhuc in auribus hominum ea præconia, quæ Princeps Patresque redeunti Carolo detulissent. Quòd si præmiis illum ullis Carrarius affecisset, facilè quidem ipsum potuisse vel dissuadere, vel differre bellum, aut desinere omnino; vel saltem languidiùs gerere rem. Ingenium, consilia, studia, curas, vigilantiam, sedulitatem invictam, gerendarum providentiam rerum, optimi & sanctissimi animi documentum edere. Itaque quid adversùm illum objici queat, aut quonam pacto commisisset in legem, nulla ex parte videri. Nullum quippe indicium, argumentum, vestigiumque vel levissimæ culpæ constare.

Hæc atque hujuscemodi plurima, qui recto judicio, solutoque ab omni affectu animo erant, in medium efferebant. Neque impetendum Civem talem præclarè de Republica meritum, injuriaque hac nullo pacto afficiendum censebant. Sed vicit hanc partem aliorum opinio, qui damnandum Carolum judicabant. Itaque placuit incidisse in legem, esseque legis reum. Propterea Senatu illum Magistratuque amoveri jussere Decemviri, atque insuper biennalem carcerem adjecerunt, quo magìs animis, quàm legibus tulisse sententiam viderentur. Ingenti igitur consternatione omnium animi hoc pergravi & indigno casu confecti sunt, mœstaque universa Civitas reddita, & velut in publica orbitate lugubri squalore refecta est. Populusque omnis in primis ægerrimo & iniquissimo animo rem pertulit. Et quamquam Magistratus pavor, & reverentia obtereret animos, linguis tamen & vocibus temperare non poterant, quin liberiùs mentis conceptus efferrent. Itaque per ædes, & templa conventus edere, probra in Decemviros jactare; Caroli virtutem ferre ad sidera. Ejus gestas ubique res, fusum pro Patria sanguinem, invictam in Patriam fidem caritatemque prædicare. Nullum similem in Republica Veneta fuisse umquam, tantâ terræ marisque, belli & pacis artium peritiâ præditum, neque umquam futurum dicere. Injuriâ illum perperam & iniquè damnatum conclamitare, neque iccirco quidem, quòd deliquisset in legem, sed quòd nimiùm jam auctoritate ac dignitate crevisset. Ejus virtutem, gloriam, benevolentiam omnium suspectam & invisam fuisse pluribus, qui se impares meritis, posteriores semper honoribus futuros intelligerent. Iccirco tollendum eum ab oculis & conspectu Curiæ, amovendumque Senatu censuisse, ne tantæ claritudinis fulgore confunderentur, & ipsi priores evaderent, quos alioquin sequi procul oportuisset. Singulares animi, corporis, fortunarumque dotes, quas immortalis Deus in eo viro accumulatè congesserat, invidiam illi perniciosissimam excitasse. Res quippe insigniter gestas, & præclara facinora maximos semper animi rancores, atque ingentem invidiam conflare inter homines consuevisse. Nullam siquidem ignaviæ socordiæque æmulationem haberi solere; Virtutem verò semper patuisse invidiæ. Eam esse in Rebuspublicis communem pestem. Id semper criminis in rebus humanis inolevisse, ut adversùm præstantissimos in Republica Viros, æmuli atque impotentis animi quique consurgerent Cives. Sic audisse quondam se, apud Romanos P. Coriolanum, M. Furium Camillum, P. Scipionem, clarissimos & præstantissimos viros, quibus plurimum Romana Urbs debebat; apudque Carthaginenses Hannibalem, Civium invidiâ, patriâ & magistratibus pulsos, summisque injuriis fuisse affectos. Pessimum id virus in Rebuspublicis magno earum detrimento serpere, easque hoc pacto sæpenumero dignissimis suis & strenuissimis Civibus, atque imperatoribus spoliari. Carolum Zenum, parentem, liberatorem, conservatorem Patriæ, qui suo sudore, labore, sanguine, ingenio, consilio, tantum illi emolumenti, tantum salutis dedisset, tantum victoriarum congessisset, tantum subegisset hostium, tantum vulnerum pro ejus salute ac dignitate tuenda pertulisset, tantum pro ea sanguinis effudisset, ut plures cicatrices, quàm membra gerat in corpore, nunc in Reipublicæ cladem à paucis invidis & æmulis Civibus damnatum esse, quasi censum à Paduano Principe acceperit, qui non opes modò suas, sed vitam centies pro Patria dare non dubitaverit. Confictam esse causam, falsò calumniatum & insimulatum esse; neque credi quicquam minus de illo viro posse videri, qui pecuniarum semper contemtor saluti atque emolumento Patriæ suæ, virtutique ac gloriæ dedicatus omni ætate sua, omni studio cunctis viribus insudarit. Ante actam quippe vitam, strenua gesta, & præclara facinora, egregium innocentiæ suæ documentum præstare. Neque acceptos quidem à Carrario nummos, sed magìs pro Patria fusos, sparsumque latè cruorem, quæ res Civium in eum animos concitarunt, illi profectò potiùs offuisse videri.

Liquidam esse rem hanc, & tergiversari non posse. Cur enim & carcerem adjectum esse, quòd supplicium lege non decernatur, nisi quòd se continere non valuissent, quin æstum, & affectum mentis efferrent, quasi sola animorum ægritudine irretiti, non jure permoti, id facere voluisse viderentur. Proinde plus illos calamitatis Venetæ Urbi inflixisse, quàm Carolo. Ingemiscendum Reipublicæ, Patriæque vices dolendas esse. Eam non minores de Magistratibus suis attollere posse querelas, quòd tantæ virtutis, tam sublimis & celsi animi virum ab ejus regimine & cura dimoverit. Quid igitur, si Genuenses rursum intulerint bellum? Quid, si Imperator in maritimam terrestremque Legatus expeditionem mittendus fuerit? Tunc visuros Venetos, quantum vir homini præstet, quantum inter mortales intersit. Itaque invidia atque odio Civium, quos salutem & gloriam afferre decuerat Patriæ, cladem & dedecus parta esse. Quid enim Itali omnes populi, exteræque nationes nunc de Venetis prædicaturæ sint? Siquidem ubique terrarum celebrari Caroli nomen, & summis laudibus ad sidera tolli. Quæ verò pro Republica gesserit, adeò pervagata esse, ut jam universo perspicua terrarum Orbi prodierint. Neque quisquam sit adeò vecors, & hebes rerum, cui sint obscura. Quid igitur, nisi ingratitudinem, & animorum proterviam incusare, atque id universæ Civitati adscribere, quod à paucis secus quàm decuerit patra-

tratum esset, quasi quæ in Magistratu constituti judicavissent, ea ex universo Reipublicæ judicio profluxisse, sibi homines, quamquam minùs quidem rectè, persuadeant? Carolo profectò non solùm nihil deperisse, sed accessisse magis, ac propterea illi congratulandum videri, quòd integrè nunc summâ ei gloriâ cumulatâ, omnesque consummatæ felicitatis partes, eo casu sit consequutus. Quippe quum nihil illi jam reliquum esse videbatur, quo inter raros eminentis celsitudinis viros adscribendus atque annumerandus esset. Ejus itaque virtutem nunc cumulatiùs in invidia proditam, ejus nomen immortale, gloriam sempiternam fore.

His querelis, his vocibus, cives, populusque omnis, cum Venetæ, tum exterarum Urbium, ad quos ejus rei fama pervenerat, frendentes & indignabundi, plurimisque etiam manantibus lachrymis utebantur. Nec conviciis & contumeliis temperabant. At Carolus mira moderatione fretus mentis, æquo & forti animo invidentis fortunæ impetum ac sævitiam pertulit. Nec ullum inclementius verbum, nullum anxii pectoris indicium protulit. Neque ob eam causam quicquam de solita in Patriam fide ac caritate mutavit. Solùm agnoscere se, inquit, humanarum rerum fluxum, cursumque instabilem, ac labiles vices, fortunæque solitam vim. Consuevisse illam ad summum usque fastigii culmen provehere. At ubi eò perventum videt, verso cursu devolvere inde raptim, detrusosque agere in præceps. Sibi eam frequentem & communem hominum sortem jampridem perspectam & tritam esse, neque quicquam novi aut ignoti sibi accidisse putare. Quàm fallaces sint cogitationes hominum, quàm vana consilia, quàm fluxi honores, lubricæ dignitatum sublimitates, clientelæ, aspirationes, favoresque mortalium irriti, instabiles, & incerti rerum successus, quantæ latebræ recessusque insint hominum animis, egregium se documentum omnibus dare. Quòd minùs in his frivolis fortunæ ineptiis confidere oporteat, posteros suo exemplo peritiores & cautiores fore. Sic providentem universæ Reipublicæ Deum rectè humana omnia labentia esse voluisse, ne demersum in his hominum genus tamquam in solida felicitate defigeret animum. Sed memor, nullas hic esse perpetuas sedes, ex hac fragili fæce rerum emergens, ad veram perpetuamque jocundissimam felicitatem spiritus celsos subveheret. Et hujuscemodi quidem plurima illius erant. Ceterùm compertum ego habeo, fuisse plerosque Italiæ Germaniæque Principes, qui Venetæ Reipublicæ minus affecti, ut quæ gesta apud Venetos erant novere, rati Caroli mentem injuriâ lacessitam, facilè in Venetos infestam & irritatam redigi posse, clam ad eum nuntios literasque transmiserint, & præesse illum suis exercitibus, gerereque adversùm Venetos bellum, omni suasione contenderint, ingentia polliciti, si eorum votis fecisset satis. E quibus Henricum Romanorum, Ladislaumque Siculorum Reges memoratos accepimus.

Sed Carolus nihilò magis motus, Venetam Urbem Patriam sibi semper fore, & illius hostes æquè communes sibi referens, eorum petitionibus est adversatus. Proinde quum primum illi facultas oblata est, liberque soluto aditus patuit, potissimùm omnium ad sacros cultus, religionemque ingerens animum, Hierosolymam petere, venerandaque loca, à quibus Christiana salus traxit originem, invisere ac venerari constituit. Parata itaque atque expedita triremi, librorumque illi ac vestium suppellectili plurima imposita, Venetiis solvens Hierosolymam vectus est. Ibique persolvendis quæ devotus præferebat animus, supplicationibus, sacrisque cœremoniis religiosè incubuit, impensiori divinorum cura, & voluptate affectus, quàm umquam antea humanis inhæserat. Quum aliquandiu id loci traheret moram, alter ex Scotiæ Regis liberis (Petro illi nomen erat) Religionis quoque gratiâ pellectus ad Hierosolymam Urbem venit. Quem quum Carolus pro innata modestia, & bonitate naturæ, salutandum, invisendumque venerabundus adisset, ille gravitate morum sermonumque perspecta facilè (acris enim ingenii, & præclaræ indolis erat Rex) insignes intellexit animo latere virtutes. Itaque de Caroli origine, rebusque gestis altiùs pernoscendi desiderio accensus, ut optati compos effectus est, incredibile est memoratu, quantâ illius benevolentiâ, quàmve repentè devinctus sit, quantaque illi gerendi morem cupiditate flagraverit. Nam maximis apud Carolum precibus contendit, ut unà pergere in suam Patriam vellet, magna exercituum imperia, insigniumque Urbium ditionem pollicitus, si desiderii se compotem effecisset. Verùm Carolus Principi agens gratias, ingravescentis jam ætatis, ne voto annueret, causam prætulit. Quod quum ille ferret ægerrimè, cuperetque facto aliquo sui memoriam Caroli figere cordi, hoc saltem deprecatus est, ad hoc annixus intentiore cura, effecitque sedulo studio tamdem, ut velut amantissimi sui animi pignus, equestri à se ordine insigniri Carolus pateretur. Ita post amplexus, collatasque sæpe dexteras, & profusas utrinque caritatis indices lachrymas, ab invicem tamdem sejuncti sunt. Ceterùm dum hæc à Carolo geruntur, triremem, qua devectus erat, naufragium passam, scopuloque impactam maritimi fluctus exhauserant. Itaque & triremis, vestium, librorumque, quos pluris pendebat, solatio non exiguo destitutus, per mediterranea capere iter compellitur. Igitur equo subvectus, magna ex parte Syriam, Phœnicemque peragravit, pellectus desiderio visendarum insignium Urbium, celebriumque locorum, queis referta Provincia est.

Nondum excesserat regione, quum Cyprii Regis ad illum perlatæ literæ sunt. Quibus ne gravaretur Carolus se adire, multa Rex suasione orabat. Imperabat siquidem per eam ætatem Cypro Insulæ inclytæ claritudinis, strenuissimique animi Rex Janus, Genuensibus hostis ferè perpetuus, & tunc ab iis bello atrociùs repetitus. Ille ergo, ut Carolum versari in Syria fama vulgavit, præclaram occasionem nactum se ratus, qua tueri se, Regnumque Caroli operâ quiret, ingenti munere ab immortali Deo se præditum, præclarèque suis consultum rebus, haudque quidem spernendum ingens beneficium censuerat, sed oblatam prosperi successus occasionem amplecti, Carolumque ad se accer-

cerfiri decreverat, quo illius operâ adversùs Genuenses, quibus terrori ejus nomen esse sciebat, eo bello uteretur. At Carolus, quamquam omnino ignarus, quæ consilia Regis incesserant animo, neque id satis conjectare poterat, tamen quum adeò promtam prospectaret illius mentem, indecens suis moribus, neque se dignum arbitrabatur fore, si requisitos aditus, & expetita colloquia, tanti Regis interpellatione provocatus, abnueret. A Quod quidem officium sui magis muneris esse, sponteque sua, in tanta præsertim propinquitate loci, id persolvendum sibi fuisse intelligebat. Itaque desiderii Regem compotem facere, gerereque illi morem decrevit. Eo consilio Syriâ solvens, trajecto quod interjacet mari, attigit Cyprum, excessioneque in continentem facta, ad Regem mediterraneo itinere profectus est.

EXPLICIT LIBER NONUS.

INCI-

INCIPIT LIBER DECIMUS.

A Rex per id tempus Nicosiæ agebat, quæ primaria Insulæ Cypri Urbs, caputque Regni habetur. Ad quem ut Carolus venit, haud facilè dixerim, qua is exultatione animi arreptus sit, qua gratulatione, qua hilaritate illum exceperit. Gratias egit, laude ornavit, fovit amplexu, lætitiæ atque amoris officia universa persolvit, nihil omisit, quo lætissimi & benevolentissimi animi præferret indicium. Interea verò Genuenses expedierant classem, infestisque in Regem animis, atrox inferre Regi bellum parabant. Decem & novem illis triremes erant, B duodecimque magnas ducebant naves. Eas sagittariis, militibusque præter classiariorum ingentem turbam, compleverant. Asciverant siquidem sibi militum tria millia stipendiis conciliatos, quibus in continenti uti, & solida per eos conserere prœlia quirent, atque ita asperrimum terra marique adversùs Regem gerere bellum. Commeatum quoque onerariis navibus affatim intulerant, ne ulla prosperè gerendæ rei deesset occasio. Primùm ergo propinquos adesse hostes, subinde Insulam attigisse, hinc classem applicasse litori, exposuisseque in continentem copias, volans initio fama, inde ce- C leres percurrentes nuntii properè pertulerant. Quæ ut pernotuere, tantus terror Insulares invasit, ut nusquam Insulâ totâ sisti præceps fuga posset, nec continere se quidem incolæ quirent, quin regione deserta ad proxima oppida, viciniores que Urbes confugerent, majoremque in modum perterrefacti, vix in his tutum sibi fore præsidium crederent. Siquidem in Urbes etiam insignes, & in ea Insula munitissimas penetraverat terror, nullisque mœnibus, nullis portis & claustris se satìs tutos arbitrabantur cives, sed consternati animo alia insuper munitiora præsidia quæritabant. Qui ergo D in Regis consilio erant, ut linqueret Urbem, seque conferret in arcem, studiosè persuadebant, tantumque pavoris incusserant Regi, ut prope quotidianis succlamationibus victus, assentiri, iisque quæ persuadebant sui, & pæne jam efficere, induceret animum. Itaque Rex in tanta undique conflictatione rerum animorumque Caroli potissimùm consilio præsidioque sibi opus fore ratus, accersiri ad se illum jubet, eumque his verbis alloquitur:

„ Quòd dedicatissimus tibi animus meus, & ingenti erga te caritate affectus, hoc initio jocundissimi mihi adventus tui vi- E deretur exigere, amicorum optime, ut quàm elaboratè, quàm impensè & consilii & propositi mei causas pluribus agerem tecum, hoc nunc temporis rerumque mearum adversa conditio vetat, efficitque, ut pressior esse compellar, quàm statueram; & ut ego profectò arbitror, æquum erat. Ubi enim ratio periculi in foribus est, re, quàm verbis agere præstat. Perstringendusque maximè labilis fluxus temporis, ubi necessitudo operæ pretium facit. Itaque ne ægrè tuleris, quæso, si multa, quæ dicere consilium fuerat, de industria præteriero, sed æquo capias animo, si quæ mens mea pro rerum temporisque angustia proferat, paucis absolvam. Neque enim speciosa dictu, sed usu necessaria in adversis rebus mihi sequenda sunt. Ego ut te in Syria agere nuntiatum est mihi, demissum esse à Superis ingenti meo beneficio judicavi. Te enim, & eximias tuas virtutes, rarasque inter mortales celsi animi, & invicti corporis præclaras dotes argumentis plurimis noveram. Pervagatamque Orbe toto gloriam tuam ex solido constare, non fallacem esse sciebam. Præsentium verò rerum mearum, perturbatæ sorti, & imminenti meo Regno discrimini, & necessarium fore te, & opportunè quidem advenisse intelligebam. Itaque tam promti in te animi fui, tecum ea fide sum usus, ut te, quem nullis meis beneficiis, nullis meritis mihi devinctum non ignorabam, solùm tamen persuasa mihi generositate animi tui, accersire ad me per literas non erubescerem. Vide quantum ausus, quantum de te mihi pollicitus sim. Nec me quidem fefellit opinio; tu enim haud dispari erga me animo desiderii me compotem facere pro tua claritudine dignatus es. Quare si tibi aut magìs, quàm decebat gravis, vel forsitan temerarius visus fuerim, ignosce obsecro, vel fidei, vel necessitudini meæ; idque magìs adscribe glorioso nomini tuo, cujus celebris & pervulgatæ famæ tanta vis est, ut facilè quamvis protrahere ad hos ausus queat. Proinde Superis, quorum munere mihi oblatus es, subinde tibi, qui persuavi conspectu tuo refecisti languidum animum meum, immortales gratias habeo, utque felix mihi sit adventus hic tuus opto & precor. Neque enim fingere mihi gratius quicquam ne voto quidem quivissem. En igitur spes omnis & fides in te sita est. Regni mei salus, fortunarum mearum vis, liberi, cognati, amicique mei abs te, ab animo, à virtute pendent tua. Quicquid meo terminatur imperio, in te conjectum est. Universa, quæ ditioni meæ subjecta sunt, in tuas congero manus. Quid hostium, quid bellorum adversùm me subortum sit, vides. Quantum navium, triremium, militum attulerint sævissimi hostes, quantum illis virium sit, quibus copiis, qualibus animis mihi Regnoque meo infesti inferant bellum, cernere licet. Me quidem imparem his omni rerum genere fortuna facit. Neque copiis, neque viribus satìs polleo. Nec æquè mei pro rei magnitudine strenuis præstant animis. Formidine omnia & consternatione completa sunt; terror omnes pervasit. Nec consistere, aut se se tueri mœnibus Cives queunt. Quin me ut Urbe deserta arcem ingrediar, ut validioreque me præsidio concludam, non tam monent, quàm compellunt mei. In tot adversis tu mihi solus solatio es, tu mihi unus præsidio à Superis datus. Abs te quicquid opis conferri mihi potest,

„ ope-

„ operior. Si te unum adhærere lateri meo, „ curare afflictas res, intendere bello video, satis mihi præsidii ad omnes casus, ad „ omnes imminentium calamitates rerum, „ mihi fore putabo. Tutum meum Regnum „ te præsente credam, nec nisi optimè consultum saluti meæ, quamdiu apud me fueris, non arbitrari non potero. Nomeigitur deseras, ne voto destituas, ne me horum tuorumque pariter impiissimorum hostium unguibus dilaceratum iri patiare. „ Quantum imperatoris virtus in bello possit, quanti in exercitu dux momenti sit, „ quàm ab eo uno salus victoriaque dependeat, non equidem ignoro. Milites quidem „ sinè duce, non secus quàm sinè spiritu corpus agnovi. Ferocioresque ac valentiores „ Cervorum copias duce Leone, quàm Leonum Cervo ductore, proditum scio. Adversùm prætorea communes quoque hostes „ bellum gesturus es, quos toties profligaveris, fuderis, ceperis, trucidaris, de quibus toties gloriosam palmam tuleris. Eos „ nunc à Regno, à cervicibus meis propulsare casus datur, utque id efficere curam „ intendas, oro obtestorque. Ab his enim „ me, Imperiumque tueri meum, Urbes, „ Oppidaque servare, opes & fortunas Insulæ hujus eripere, mihi meisque salutem „ vitamque vendicare profectò potes. Libera „ ergo animum meum anxiâ curâ, territos „ cives formidine, incolas consternatione, „ mortales fugâ, agros prædâ, Insulam omnem crudeli vastatione immunem age. „ Strenua mente suscipe bellum, generoso „ animo aggredere hostes; consilio, ope, „ virtute, ingenio, prudentiâ tuâ susceptum „ perfice, & mihi salutem, tibi gloriam immortalem, & nomen æternum, posteritatique monumentum & sacrarium statue, „ meque tibi tuisque obnoxium perpetuò & „ obstrictissimum redde. Quem nulla intercapedo temporis, nulla relatio gratiæ solvere umquam eâ inexhaustâ, indelebilique „ obligatione poterit.

Commoverant strenuum animum piæ Règis preces, & versabilis fortunæ vis assuetam ejus fluctibus mentem obstrinxerant. Quippe nullum tam solidum Regnum, tam sublime Imperium expers esse volubilis fortunæ ictibus, tractabat ipse secum, miserabaturque tanto Regi ea tunc fortunæ asperitate jactato, qua se quoque antea concussum esse sciebat. Memorque humanæ sortis, lubricæque varietatis rerum, & propriæ vicis, pronior in pietatem animus vertebatur. Neque quonam pacto sibi imperare posset, ut obluctaretur Regi, & in ea rerum perturbatione versatum opportuno desiderio fraudaret, adducere consilium poterat. Ergo dicente illo ita lumina cogitabundus submiserat, ita cervice pendebat, ut vix in Regis faciem converteret oculos: sic imago mortalium rerum cogitabundum occupaverat animum. At ubi quandoque sublata lumina, quod perrarò acciderat, forsitan in Regis ora jecisset, obortæ confestim miserabiles lachrymæ deflectere rursum, & pertinaciùs in solum defigere compellebant. Itaque ut tacuisse regem sensit, aliquantum spatii tacitus perstans præsentium rerum statum, & tum suam, tum Regis vicem mente volvebat; exquirebatque acri ingenio, quod potissimum munus præclari animi, quod strenui officium viri in ea conditione temporum, locorum, & rerum operæ pretium foret. Tum paulisper erectis ad regem oculis ita loquutus est:

„ Si quid meo adventu gratum tibi effeci, „ o Rex, non minus equidem, quàm tu „ ipse lætor. Quid enim gloriosius mihi, „ quàm tanto Regi gessisse morem? Quippe „ si quo pluribus obsequimur, eo majori „ affici voluptate solemus, clariorique laude „ digniores videri, cui muneri me tota „ ætate incubuisse non ibo inficias: ita profectò, & eo ampliùs, quo magìs in subliminores quosque conjecta studia nostra grata pervaserint. Ceterùm accersitum venisse ad te, non mihi quidem ad gratiam, „ abs te relatum iri decet, quippe cujus „ etiam non provocati ea munia erant; non „ parère quippe Regi cuiquam fortasse impium, mihi nefas & sacrilegium est. Sic „ anteacta vita mea, meique mores, & animus præferunt. Quin tibi à me magìs, o „ Rex, referendam gratiam puto, quòd me „ præveniens officio, contemplandi hoc venerabile caput, hanc faciem adeò sublimem majestatem præ se ferentem, occasionem præstiteris mihi, quod in humanis & jocundissimum & dignissimum „ mihi quidem statuo. Quòd verò ad bellum, & hostes, difficultatesque rerum tuarum spectat, hisce te perturbationibus „ angi torqueor, & indignum te, qui fortunæ volubilitate verseris censeo. Enimverò ea esse communia humanæ sortis jura, „ neminemque, qui se non Deum, sed hominem sciat, ab his anfractibus mortalitatis immunem esse, se gloriari posse, præclarè tibi perspectum iri non dubito. „ Quod ad me attinet, percuperem equidem „ tanti esse, ut usui fore tibi, & conferre „ opem laborantibus tuis rebus possem. Ingenti me quippe à superis præditum beneficio reputarem. Ceterùm, insignis Rex, „ eâ observantiâ tui, ea pietate rerum tuarum obstrinxisti meum animum tibi, ut „ nihil in me virium, facultatis, spiritus „ sit, quantumcumque id quidem, quod tibi „ dedicatum, quod tuum omnino non sit. „ Distrahebant me profectò in alias partes „ quàm plurima, & diversorum generum „ solicitudine discindebar. Sed omnium me „ privatarum publicarumque rerum immemorem miseratio tui facit. Itaque utere „ me, ut lubet; de obsequentissimo tibi tuo „ arbitratu decerne. Quam mihi curam injunxeris, modò tibi esse emolumento „ queam, properè subibo impavidus, nec „ frustra umquam imperabis quicquam mihi, „ nec ego incassum cognitum tuum à me „ consilium reddam. Neque verò usque adeò „ tuos hos consternari animis velim, nec „ supervacaneos tibi terrores incutere. „ Quin, o Rex, bono animo sis, ne te dejicias, ne tuorum te formido prosternat, „ quæso. Urbem validam habes, egregio „ cinctam muro. Eam tueri te æquum „ censeo. Nec tam feroces, nec tam propinqui hostes sunt, ut eos in munita „ Urbe constitutus expavescere debeas. „ Cur te profligatum fatearis, priusquam „ hostes adorti sint? Si Urbem deseras, „ ubi tutò te esse posse credideris? Non „ esse prudentis existimo, priùs fugam ca-

„ pessere, quàm promtum ad insequendum
„ viderit hostem. Profectò qui Urbe se continere non audet, fatetur ingenuè, & se castris, & prœlio, & expugnatione devictum, conceditque omnem palmam hosti, priusquam manus consertæ sint. Non est, Rex, tantum animorum adjiciendum hostibus tuis, neque Civibus & subditis eo ampliùs hoc facto exaugendus & exaggerandus pavor. Nihil enim reliquum erit magìs, quàm ut actum penitus de tua salute, de tuo Regno, & Imperio sit. Itaque persistendum in Urbe, eamque communiendam tuendamque consulo, atque insuper comparandas militares copias, expediendum exercitum, quàm majorem ferre tuæ vires queunt, & adversùm hostes in castris consistendum, regionemque omnem à præda & vastatione prohibendam suadeo. Spero, Rex, si hæc gesseris, directaque sint omnia jure suo, haud diutiùs te horum hostium molestiâ vexatum iri. Faveant modò votis Superi, & promtis mentibus propitii sint. Me, Rex, utcumque tuus tulerit animus, obsequentissimum semper habiturus est.

Haud facilè memoratu est, quantum Regis animus Caroli oratione erectus sit, ut quidem ante conceptam mente fidem non confirmatam modò, sed etiam cumulatiùs exauctam crederet sibi. Jamque totus à Caroli proposita sibi, & persuasa virtute penderet, solùmque in ejus oculis & consiliis acquiesceret. Itaque quàm maximas potest copias omnium generum pro tempore parat. Milites eligere, scribere; præsidia undique accersere, arma, tela, equos, ceteraque militiæ instrumenta parare, mercede multos conducere, ex Insularibus, plurimos quoque contrahere; denique omnia, quæ in bello usui esse solent, expediri raptim curat. Gerendarum verò rerum summam Carolo esse jubet, ductu suo geri bellum, Regnum tueri, præesse illum copiis statuit. Parêre illi omnes æquè ac sibi imperat. Expeditis igitur in bellum omnibus, Carolus à Rege digressus, ad hostes vehitur. Ubi haud procul ab eis constitit, neque plus ferè quàm passuum duorum millium interjecto itineris spatio, castra locat, validèque vallo ac fossa communit. Vigilias observari, custodias interdiu ac noctu frequentes agi, arma curare milites monet. Tyrones continua exercitatione militiæ assuefieri curat. Exploratores frequentes speculatûm mittit: quid agant, moveantve, parentve hostes noscit. Nihil apud suos remissi, neque apud hostes tuti patitur esse. Erat ipse quidem & numero & robore militum, longè inferior hostibus, quippe qui raptim, tumultuariè comparatum agmen, & pro tempore ex omni hominum genere collectas copias accepisset. Ceterùm exercitus ineptitudinem supplere instaurareque ducis peritiam oportebat, nec tam porrò viribus, quàm artibus atque consiliis bellum ducendum erat. Itaque Carolus ad hæc intentiore cura intenderat animum, ut ab incursionibus, præda, incendiis deterritis hostibus, tutam Insulam, & à clade immunem redderet, copiasque illæsas & intactas servaret, ne quo improviso hostium impetu quicquam incommodi debilioribus suis posset inferri, ratus fore ut eo pacto defatigatis diuturno incassum labore, Genuensibus, ipse aut grata pace, aut præclarâ victoriâ tamdem prospero exitu finire bellum posset. Igitur ubi satis pro tempore, ne circumvenire se, aut invadere repentino motu quirent hostes consuluit, tum detrimentis, queis maximè possit afficere illos adoritur. Insidiarum rimatur loca, conjectat tempora, itineraque, per quæ ire prædatûm assuerant. Suorum cautissimos, promtissimosque exercitu toto delectos per noctem disponit in latebris, & delitescere, quietosque monet esse. Ita incautos ex improviso aggreditur, palantes agit, capit, fauciat, cædit, magnam eorum stragem facit. Sic sæpe numero aut pabulationibus, aut incursionibus, aut direptionibus intentos hostes, per regionemque circumfusos ipse aut ex insidiis, aut repentina eruptione prosternit. Plerumque à lateribus circunventos nactosque in medio concludit. Nonnumquam ad castra usque hostium repentè prorumpens, novitate rei, & subito motu, ingentem totis castris terrorem infert. Neque quietem agere suos, neque hostes interritos, aut satis tutos patitur. Semper rei prosperè gerendæ intentus, nullum præclari facinoris casum linquit. Perlustratur, perquiritque omnia mente, cogitatione, spiritu, viribus, corpore, membris, alloquiis; omnes artes, omnem ingenii vim intendit, ut officere illis, & egregium aliquid edere queat. Quòd verò planiciem minus commodam paucitati copiarum suarum animadverteret esse, editioribus delectis locis, in hisce castra crebrò commutat, ut quàque supereminens hostibus faciliùs eorum motus supernè speculari, & inde adversùm illos secundo cursu irruere possit agiliùs, gravioremque his cladem inferre. Sic ex superiori situ quasi ex arte quadam in subjectos Genuenses sedulò prospectans, omnes eorum progressus, agitationesque velut in conspectu habere ante oculos, & consulere emergentibus continuò casibus poterat, ut rerum, ac temporum, negotiorumque poposcissent vices. His artibus fretus, sæpenumero prospero eventu plurima cum hostibus conseruit prœlia, nec umquam contulit cum his arma, quin evaderet superior, & ipse relatâ ex pugnâ gloriâ, hostibus profligatis dedecoris & detrimenti plurimum incuteret.

Itaque Genuenses, qui ab initio, multitudine copiarum elati, facilè se Regem ad internecionem delere speraverant, insolescentesque minitabantur, ut se in dies majoribus exagitari incommodis animadvertêre, Caroli magnopere formidare artes, & cautiùs res suas ducere cœperunt; nec jam passim per regionem vagari ausi, à direptionibus & incendiis abstinere. Ita in dies vehementiùs territi, vix digredi castris, & divertere à vallo confidebant, ceu semper inhærentem tergis Carolum metuentes. In hunc modum haud diuturno interjecto temporis spatio effectum est, ut qui antea tota passim vagari regione, & omnem discursare vastareque Insulam soliti fuerant hostes, contineri jam loco, & quietos linquere incolas paulatim assuefierent, ferèque ipsi obsessis similiores omnino redigi viderentur. Sic quoque liberiores dehinc aditus, & tutiora itinera reddita; & pavor, qui antea frequens occupaverat animos, Insulâ totâ sublatus est. Ergo

Go-

Genuenses quum tempus incassum teri, fraudarique spe concepta in dies se magis, irritosque conatus cedere animadvertere, de summa belli gerendisque rebus consultare frequentes & agitare cœperunt. Erant, qui probarent consilium abeundi, & infectas omittere belli rationes censerent, quòd Carolo duce arbitrarentur, nullam fore victoriæ spem. Plurimis verò diversa magis placebant, nec sinè ingenti ignominia Genuensis nominis excessuros se Insula, fugæque magis quàm profectioni similem eum digressum fore asseverabant; quin magis quempiam præclari edendi facinoris casum adoriri oportere, & prosperè gerendæ rei occasionem quærendam, ne tam ignaviter deserere cœptum viderentur bellum. Quum hæc tamdem sententia inhæsisset animis, alii alia in medium afferre, nunc unum, modò aliud approbare, & destinata consequendi oblatam spem proponere, intentioreque cura persuadere.

Est in Insula Cypro haud ignobile inter reliqua Oppidum, quod Lymisium incolæ vocitant. In eo arcem validam paulò antea Oppidi præsidio Rex construi jusserat, validèque communitam militibus, atque armis confertam tenebat. Ejus potiundi inexhausta cupido multorum pervaserat animos, neque languidam spem trahebant. Itaque quum multa monendo suadendoque tamdem iis, queis decernendi potestas erat, persuasissent, pergere ad locum, copiasque admovere Oppido, & arcem aut occupare dolis, aut viribus expugnare, aut si ea non successissent, ad extremum obsidere constituunt. Motis igitur properè castris, celato consilio, quum aliò divertere simulassent, Lymisium accessere. Tentatisque primùm furtivis artibus, quòd improviso subitoque adventu fallere posse Regios Præfectos conjectarent: ubi diligenter haberi vigilias, neque fraudi locum esse ullum conspexere, prœlium adorti, oppugnare arcem aggressi sunt. Sed resistentibus strenuè militibus Regiis, & arcem alioquin structurà validissimam egregiè tuentibus, plures suorum vulneribus icti concidère. Siquidem supernè ex arce jactantes tela, sagittas, missilia, saxorumque obvolventes imbres Cyprii haud magno negotio repulere hostes. Ergo quod reliquum erat, obsidionem Genuenses cunctis artibus paravere. Machinas erexerunt, vallo fossaque mœnia circumvenere, Oppidum coronâ cinxere, ne quid inferri posset prohibere adorti sunt. Carolo primùm obscura fuerant hostium animi consiliaque; verùm ut exacto studio, submissis exploratoribus, cum ab his, tum à Rege quoque, quæ ab hostibus gesta erant, rescisset, elatus animo est, repentèque quid sui muneris foret in hostes, acri ingenio mente concepit. Neque defuit probata spes in eum casum opportunè rem duxisse fortunam, ut edito præclaro facinore, strage plurima illata hostibus, liberatoque obsidione Oppido, gloriam ipse victoriamque referret. Itaque suis ut corpora curarent, expeditique se se cum armis ad iter accingerent, commonefactis, de tertia vigilia egressus castris, citatum iter adoritur. Procul ab hostibus octoginta passuum millibus aberat. Tantum siquidem spatii Lymisium à loco, quò moverat interjacebat, sed ipse victoriam in celeritate constituens, haudquaquam tanta intervalli vastitate deterritus, ad cursum magis, quàm iter ingentia spiritu volvens, intentus concitat agmen; subdereque calcaria equites, frequentare gressum pedites impellit. Vergebat jam ejus diei in tenebras lux, & ipse neque labore defessus, nec itinere fatigatus, quod reliquum erat viæ, quamquam appeteret nox, haud intermittere, sed absolvere omnino decernens, sistere copias, & paulisper quietem agere, refovereque spiritus, & capere cibum jubet. Ubi recreatos satis pro tempore videt, cœptum continuat iter, & per intempestæ noctis silentium ad destinatam animo rem properans, citato gressu pergit ad hostes. Appropinquabat jam loco, & suboriri prima quoque lux videbatur. Tantum ergo itineris inter diem noctemque unam raptim emensus, rursus premere gradum, & contineri exercitum imperat, curandorumque properè corporum potestatem facit. Interim ad id usque tacitus opperiturus, quo pabulatum misisse hostes conjectare poterant, rationes animi sui, quidve agere illos velit, explicare aggreditur, paucisque sui ignaros consilii admonere atque hortari. Promtitudinem, inquit, celeritatemque suam peropportunum eo die strenui facinoris casum dare. Ingentis, & sempiternæ assequendæ gloriæ, prædæque opulentissimæ præclaram occasionem oblatam esse. Locupletissimos omnes eo die, & celebres omni ævo fore. Nihil esse facilius, quàm eo tempore Genuenses prosternere. Quippe quòd in rebus bellicis nil utilius sit, quàm incautos & improvisos adoriri hostes. Id à se antea cogitatum, nunc ex voto persolutum esse. Iccirco enim tam veloci cursu eos duxisse, ut omnino hostem falleret, insciumque adventus sui, imparatum opprimeret. Victoriam igitur in manibus versari. Æquo animo illos id laboris, & vigiliarum perferre opportere, quo tantum præmiorum consequuturi sint. Strenuis bona omnia affluenter in promtu esse; per ignaviam nihil succedere prosperè; nihil lucri & emolumenti, nihil laudis inertibus fore; semper socordes inopia & fame marcescere omnia; illis & fortunæ & naturæ bona deesse; in miseriaque atque egestate degentes ignobilem vitam obscuros & obliteratos, squallore illuvieque obsitos, silentio semper & oblivione demersum iri. Sibi itaque esse consilium, ut pabulatum digressos hostes, subditis calcaribus, & citato gressu adoriantur, palantesque per agrum agant, sternant, cædant, capiant, intactum abire neminem patiantur. Magnam quippe hostilis exercitus partem liberè castris egressam, occupatam in id opus fore. Quippe quòd neminem formidare, nullum vereri hostem possint. Illos subito pavore perterritos, nec arma quidem moturos. *Ita*, inquit, *facilè opprimetis eos, commilitones, & ferè amentes, attonitosque, nec quò se vertant, aut quid acturi sint, satis sibi conscios obruetis. Tum properè ad diripienda castra properabitis, & eos, qui reliqui in his perstiterant, ignaros omnium de improviso aggrediemini. Nec magno negotio castra ipsa ferè deserta, & defensoribus vacua expugnare poteritis, si strenuè rem gerere, & clari egregiique viri esse volueritis. Felices hodierno die vos fieri facilè casus datur. Agite igitur, macte virtute estote, Regnum hoc,*

& Insulam liberate; hostes infestissimos pellite; Regem vestrum de vobis optimè meritum ab imminenti excidio eripite. Liberos vestros, & conjuges à jugo servitutis absolvite, & vobis laudem æternam, opesque affatim uberrimas vendicate; estoteque maximè omnium memores, adhibeteque penitus omnem operam, ne frustra tantum laboris & itineris obiisse videamini.

Ita ergo præfatus, ubi opportunum esse tempus arbitratus est, refectos quiete modica, ciboque, & cohortatione, suos in agrum, cui hostes pabulationibus assueverant, ducit. Jam ex hostium castris maxima militum pars egressa erat, alii prædatum, pabulatum nonnulli, plures aquatum ierant, plurimi quoque per agros stramenta colligebant, liberèque passim ferè omnes hostiles copiæ per campos vagabantur, quòd arbitrarentur ab omni se se hoste tutos, & Caroli consiliorum inscii, nihil sibi discriminis imminere posse credebant. Propterea neque ordine ullo, neque militari disciplina servata, soluti formidine, & veluti jugo discusso impavidè circumferebantur. In eos igitur omnis equitatus, moxque velocissimi pedites intenso raptim cursu repentè impetum faciunt. Tum proximè reliquæ copiæ se undique circumfundunt, & incautos, nihilque hostile metuentes adoriuntur. Sed illi, ubi irruere in se hostes viderunt, rei subita novitate conterriti, trepidare metu ingenti, improvisoque malo consternari, concidere animis, labi corporibus, destituique viribus, neque pugnare, neque fugere posse. At Carolus ad intercipienda, præripiendaque itinera, quæ ad eorum castra ducebant, aliqua copiarum parte transmissa, nè hostes fugâ prolapsi ad castra evaderent, ipse terrefactis instare, urgere, propellere, suos hortari, neminem labi manibus sinere, aut vivos capere, aut cædere, & trucidare; jumenta prædamque rapere; ingentem eorum stragem edere; sinere impunem neminem esse, nec quempiam ad castra penetrare pati. Illi ergo neque resistere, neque fugâ parare præsidium poterant, neque rebus suis ulla humana ope consulere. Sed neque quò se verterent satis gnari, aut capiebantur à Regiis, aut confossi obruebantur. Si qui confirmatis animis cursum in castra tendissent, in eos, qui observandis itineribus præsidebant incidentes, ad unum omnes intercipiebantur; nec divertere aut clam esse uspiam quibant, quin Carolum, & suos semper inhærentes tergis, obviosque, & infestos haberent. Nec evadendi ullum consilium, neque spes ulla erat. Ita universi cum sarcinis, atque jumentis, brevì nec magno negotio in Caroli potestatem venêre. Itaque Carolus his properè profligatis, ut satìs se ad eam partem victoriâ potitum vidit, ad castra hostium raptim convertit agmen, citatoque cursu ad ea expugnanda contendit. Nondum quicquam cladis, stragisque suorum rescierant hostes; neque enim evadere ad illos ullâ fugâ ex suis vel nuntius quisquam potuerat: tam exacta cura impensa in id opus à Carolo erat. Ubi ergo Carolus propinquare castris cœpit, clamorem suos quàm validum efferre, & irruere cursim, irrumpereque ingenti impetu in castra jubet. Illi perfuncti imperio, sublato clamore, raptim percurrunt, expugnareque properant castra.

At Genuenses tam repentino tumultu perciti, ut hostes adesse cognovere, eosque tanta vi concitatos irruere in castra conspicati sunt, novo pavore perculsi, fracti animis discurrere per castra cœpere, tumultuantes inopesque consilii, nec quid agerent, aut quò se volverent, satìs decernere poterant. Alii arma capere, ad vallum subire, castrorum aditus obstruere. Tubâ canere alii, & signum suis prœlii dare, pabulatorumque agmen revocare ad castra. Plures fugam capescere, evadendique hostem occasionemque omnem quæritare, pro salute fortunisque soliciti esse. Ita pavore, strepitu, tumultu omnia compleri, nec certa esse gerendorum ratio, nec lex salubris ulla quibat afferri. Quippe neque imperium præ tumultu satìs exaudiri, nec acceptum præ formidine observari poterat, & omnes simul & imperare, & parêre gestiebant. Variaque à singulis, multimodaque consilia passim, prout cujusque ingenium & affectus erat, afferebantur. Sed ubi reverti ex suis neminem, qui castris excesserant, hostes viderunt, tunc dissipatos eos à Carolo, & interceptos intelligentes, majorem in modum animis consternati sunt, languidiùsque omnia gerere, & in fugam ferè omnes vertere mentem cœpere. Itaque ab ea castrorum parte, quæ adversa regione erat, egressi castris, quàm celeri cursu arripuere fugam, & ad classem suam, quæ haud procul aberat, citatissimos gressus direxere. Ita magna eorum parte fugâ prolapsâ, saluti consulere, & Caroli evadere manus valuere. Ergo Carolus expugnatis haud acri certamine castris, profligatisque iis, qui reliqui perstiterant hostibus, cæsisque & sauciis plurimis, omnibusque interceptis, castra suis diripienda concessit. Magnam in his prædam, rerumque & armorum copiam comperit. Machinas bellicas, instrumentaque militaria quàm multa consequutus est, apparatumque oppugnationi atque obsidioni opportunum ingentem. Quicquid abduci commodè potuit, ablatum est. Reliqua flammis & incendio data. In eumque modum Insulam omnem ab hostibus Carolus, Oppidum ab obsidione & periculo, Regem à metu & anxia solicitudine liberavit. Ergo Genuenses ea clade perculsi, quum se frustra niti, recidereque in irritum omnes conatus, tandem animadvertêre, neque proficere posse aliquid bello adversùs Regem propter Carolum conspicati sunt, & quanto diutiùs perseverassent, tanto acriùs in dies ærumnarum & ignominiæ cumulos sibi auctum iri jam inde prospicerent, subjici animis, reclinareque cervices cœpere, & ad inducias pacemque deflectere jam mollia pectora. Ita promtis studiis biennales primùm induciæ Regem inter, & Genuenses sancitæ sunt. Quæ dehinc paulò post optimæ paci facilè occasionem præstitere.

Pacatis igitur in hunc modum, compositisque Cypriis rebus, Carolus etsi absoluto bello, ut tamen Regi gereret morem, civilibus magìs urbanisque Regis causis egregiam navans operam, aliquandiu apud Regem perstitit, & multis variisque rerum generibus usui illi & emolumento fuit. Ceterùm quum & Regi, & bello, & imminentibus opportunitatibus fecisse se satis arbitraretur, ad domesticos tandem lares, anxiasque

que suorum curas, quos graves suo digressu liquerat, animum adjecit, revertique in Patriam statuit. Eo proposito quum animi sui rationem Regi patefecisset, ut sibi abeundi potestatem permitteret, deprecatus est. Adversabatur verò Rex pervicaciter, nihilque gravius, nil molestius audire posse videbatur. Orabat, monebat, pollicebatur plurima, præclarisque gloriæ atque emolumenti conditionibus ante oculos positis, ut persisteret Carolus, hortabatur. Dum in hac animorum sermonumque contentione versantur, oblatus est de improviso casus, quo & major Carolo digrediendi necessitudo, & minor Regi reluctandi ratio reddita est. Per ea siquidem tempora vergentibus in dissidium Ecclesiæ Romanæ rebus, Gregorium ejus nominis Duodecimum Pontificem Maximum, Lucæ agentem deseruerant Patres, Pisasque profecti, coacta raptim Synodo novuum ipsi Pontificem, abolitis ceteris & obliteratis subrogaverant, Petrum videlicet Cretensem, sacris eruditum literis, qui Novariæ primùm, inde Mediolani Præsul, tum Cardineo perfunctus munere Alexandri Quinti sibi nomen indiderat. Eum Carolus, dum ageret Mediolani, ingenti benivolentia conciliaverat sibi, & familiariter, officiosissimèque illo diutiùs usus erat. Itaque ut primùm id in Cyprum famâ, multorumque literis perlatum est, ingenti Carolus alacritate affectus, esse sui muneris, suarumque partium intellexit, Alexandrum Pontificem adire, ac venerari, proque vetusto amicitiæ jure exactissimam illi, quantum in eo esset, præstare operam. Neque verò obluctari deinceps potuit Rex; quin magìs justis acquiescens causis, ut Regio quoque nomine veneraretur Pontificem Carolus, censuit. Ejus ergo rei gratiâ, quo apparatu clariori pergeret, triremem parari atque expediri placuit, qua Pisas usque ad Alexandrum veheretur. Interea quòd aliquanto diuturnior ejus digressus videbatur fore, & tempestatis anni, quæ brumalis & horrida erat, & triremis apparandæ causâ, Petrum filium natu majorem, quem unà secum habebat Carolus, ad Pontificem præmisit, qui venerationis, gratulationisque muniis persolutis, se propediem affuturum Pontifici nuntiaret. Eum Alexander benignè admodum & gratè excipiens, patris adventum solicitus præstolabatur, accelerarique in dies frequentibus literis navigationem curabat; ingentibus enim in rebus illius uti operâ adjecerat animum. Comparatis itaque atque expeditis omnibus, quæ navigationi opportuna erant, Carolus mutuis amplexibus, fluentibusque utrinque lachrymis à Rege digressus, Cyprio litore triremem solvit, Ligusticum pelagus versùs properè intendens cursum.

Sed perturbat semper, pervertitque maximarum rerum consilia inimica sævæ fortunæ vis. Jam siquidem Carolus citatissimo navigans cursu Ionium Siculumque fretum prospero cœlo usus exegerat, in Tyrrhenoque pelago versabatur, mox Ligusticos penetraturus sinus, quum intempestiva nimiùm, & acerbissima Alexandri mors illi nuntiata est. Is enim Pisis Bononiam delatus, vixdum exacto primo Pontificatus anno, Bononiæ agens, commune humanæ sortis persolverat munus. Quo nuntio, haud secus quàm par erat, ingenti mœrore affectus, & tanti Principis, atque in primis amantissimi, & suam quoque vicem non graviter dolere non potuit. Ceterùm quum ejuscemodi sævientibus fortunæ fluctibus, multis antea casibus assuetus, non ignoraret humanarum rerum fallaces & infidos motus, etsi destitutus ingenti spe, haudquaquam, tamen consternatus animo, flectere cursum nautas, & in Adriaticum reverti sinum jussit, rectâque Venetias pergere. Extremam enim senectutem, postremosque ingravescentis deinceps ætatis dies persolvere in Patria, jam constanti defixerat animo, neque sibi, qui ferè totam ætatem in ejus usibus & emolumentis exegerat, in alieno solo moriendum esse censebat. Iniquum quippe atque impium ducebat esse, defraudari illam suo funere, quæ suæ quoque vitæ fructus hausisset. Itaque quum Venetias ea vectus triremi non multorum dierum navigatione venisset, domesticas familiaresque res diuturniore sui absentia satìs incompositas & labantes offendit; Quibus componendis dirigendisque quum adjecisset animum, operæ pretium censuit rei uxoriæ maximè omnium mentem intendere. Non ulla quidem modò ceterarum rerum gratiâ, quæ pellicere homines ad ea munia solent, sed ut socia, consorteque communis vitæ comparata sibi, & senectuti suæ solamen afferret, & domesticarum rerum imminenti curæ consuleret, quo illi ejuscemodi solicitudine permissa, ipse ab hisce perturbationibus vacuus immunisque, liberiùs sacris literis, & Philosophiæ, ac ceterarum literarum disciplinis quiret incumbere. Ad eas enim exercitationes quicquid reliquum superesset ætatis, posthabitis neglectisque ceteris, penitus dedicare decreverat. Oblatam ergo sibi fortè Justinopolitanam mulierem, nobilissimo ortam genere, admodumque locupletem, etiam ætate non disparem, sibi conformem rei suæ arbitratus, eo proposito duxit uxorem; indeque quietior jam animo redditus, & à reliquis solutus curis, mentem studiumque omne convertit in Libros, quantum per ætatem, & corporis valetudinem permittebatur, assiduæ lectioni ita intentus innixusque, ut nulla nisi gravi causa ab ea vel modico temporis spatio declinaret. Cujus rei gratiâ doctos homines, in optimisque disciplinis insignes, quotquot in Civitate esse novisset, studiosissimè conciliare sibi curam exactissimam impendebat, eorumque alloquiis, familiarissimoque consortio jocundissimè fruebatur. Nam Gabrielem Spoletanum magni nominis ea tempestate virum, sacrisque Literis eruditissimum, Emanuelem Chrysoloram Phisophicis & Oratoriis artibus excellentis tunc peritiæ judicatum, Petrum Paulum Vergerium eloquentiæ ea ætate singularis virum, & priscis etiam Oratoribus comparandum, Petrumque Thomasium artis eximiæ Medicum, humanitatis quoque præditum studiis, ea caritate complexus est, usque adeò in pretio & deliciis habuit, ita est his omnibus suavissimè usus, ut nullam occasionem, nullam facultatem omitteret, qua cum his, modò copia quivisset afferri, integros dies noctesque consumeret. Neque quisquam erat per ea tempora ullius doctrinæ nomine celebris, qui Caroli benevolentissimum animum, beneficasque manus evaderet.

Ce-

Ceterùm perturbabant sæpenumero egregia hæc instituta Civium frequentissimæ salutationes, qui è toto Senatu majori in dies numero ad Carolum accedebant, non aliâ magìs quàm consultandi de privatis, publicisque rebus gratiâ. Ubi enim grave quicquam & arduum emersisset, confluebant ad illum ex omni passim ordine, illiusque in primis maximè omnium judicium, & sententiam exquirebant. Atque ita complectebantur, ad Patresque referebant, ut in frequenti Senatu Caroli plerumque judicium probaretur, vixque ab ejus consilio & auctoritate diverterent. Propterea celebres vixque umquam vacuæ illius ædes esse, ut alteram quoque apud ipsum publicam Curiam agi quis crederet. Quippe rerum gestarum splendor, & gloriosa memoria, eximiæque prudentiæ passim pervulgatæ apud omnes constans opinio, comprobataque in patriam fides, ingentem summæ cum venerationis, tum auctoritatis passim omnium animis locum effecerant. Enim verò quod ad Carolum attinere poterat, nullum ipse officium gratius usurpabat, quàm omne, quantumcumque præstaretur otii, aut legendo, aut scribendo consumere, ut nec ferè umquam à librorum contrectatione vacuas linqueret manus. Religioni quoque propterea concedens plurimum, divinarumque rerum sedulam curam agens, nullam diem, nullam occasionem penitus omittebat, qua immortali Deo offerri Christiano ritu sacrificium non studuisset. Ubi enim integro corpore, per valetudinem facultas erat, singulis quot diebus ad propinquam suis ædibus Martyri Stephano dicatam Basilicam accedens, semper divinis intererat. Quod si minùs recta perfunctus valetudine, corpore graviori egredi forsitan nequivisset, domi sacra fieri curabat, nec quoquo pacto ullius rei gratiâ prætermitti. Altare siquidem mobile domi erexerat, maximi, ut fit, indulgentiâ Pontificis permissum sibi; Sacerdotemque ex Eremitarum Religione piis eleemosynis ad id dumtaxat opus adsciverat. Paululum enim ejus religionis locus sua, ut diximus, aberat domo. Rarò verò alioquin, nisi sacræ rei gratiâ, prodire in publicum Carolus assuerat, nisi forsitan quandoque, laxandi animi occasione captata, ad pium religiosumque aliquem divertisset locum, ubi cum viris rebus divinis doctrinæque dedicatis suavissima conferens alloquia, plus spiritui, quàm corpori jocunditatis afferret.

In hunc modum agente vita, transfigenteque postremos dies Carolo, plurima tamen incommoda quietem viri ingravescentemque senectùm perturbavere. Uxor enim in asperam & turbulentam ægritudinem incidit, quæ demum perniciosa illi, & extremi exitii fuit. Itaque quum in eam Carolus omni pietatis perfunctus officio, nihil quod ad illius salutem conferret, prætermittere assidua & intentiore cura contenderet, non exigua animi corporisque anxia perturbatione ejus gratiâ affectus, atque vexatus est. Ceterùm quum illa tamdem post diuturnos suos, Caroloque labores, humani fati legem complesset, non defuit sanè officio Carolus, sed extrema illi quæque condendo corpori munia, funebresque cærimonias ingenti & diligentia, & pietate persolvit. Sacros quoque in salutem animi vergentes ritus quàm religiosissimè amplissimèque celebrandos curavit, nulla profusissimorum etiam sumtuum ratione deterritus. Ad reliquas autem Caroli animi corporisque molestias accessit etiam lateris, & calculi ægritudo, morbus quidem illi totâ ferè senectâ perpetuus; & chiragræ præterea non leve in ea ætate malum. Quibus majorem in modum, ad extremum usque vitæ diem, sic affectus, contortusque est, ut intermittere propterea jocundissima librorum solatia sæpenumero cogeretur. Ceteris verò in partibus valetudine corporis integra satìs & inoffensa perseveravit; & quantum ægritudinum patiebantur intermissiones, robur viresque ac membrorum soliditatem, & rectitudinem magìs etiam quàm pro ætate continuit. Sensus quippe illi omnes adeò feliciter obsequuti sunt, ut ex annorum decursu, nec eorum quisquam languesceret, nec imminuerent pristinum vel ulla ex parte vigorem. Visum quippe, auditumque, qui maximè omnium labefactari senectâ solent, usque adeò conservavit illæsos, ut legens scribensque nullo umquam externo adminiculo indiguerit. Præclarè siquidem à natura compactum illi corpus obvenerat ad robur ingens integritatemque valitudinis, & longitudinem vitæ prorsum. Quadrati humeri, solida membra compressaque, congesta passim nervorum compago, manus, pedesque ossium & nervorum contextione durati; magni & rutilantes oculi, ampla gravisque, atque virilis facies, pectus latum protensumque, statura neque brevis, neque longa, sed rectè media, cui membra quidem omnia debita proportione congruerent. Nec quicquam planè vel ad robur, valitudinemque integerrimam, vel ad decorem gravitatemque deesse illi naturæ beneficio videbatur. Apparebatque facilè, nisi violenti, & sævi quippiam animo corporique suo fortunæ malignitas permiscuisset, solitos illum humanæ fortis dies etiam excedere potuisse.

Jam tertium & octogesimum persolverat annum, & quasi tunc in primo adolescentiæ flore, in disciplinarum amorem fervore quodam animi concitatus, literarum studiis nec fatigari nec satiari posse videbatur. Quippe quum horrida, & gelidissima hyeme assurgere noctu illum forsitan acrior algoris rigiditas deterruisset, compleri stratum libris jubebat, & naturæ debita quiete permissa, quod reliquum supererat noctis lecto insidens, lectitans consumebat. Nec divelli facilè è manibus codex poterat, nisi quid majoris necessitudinis ingruisset. Enim verò præter omnia, quæ in ea ætate Carolo aspera & gravissima obvenere, illud maximè omnium in primis calamitosissimum & perniciosissimum fuit, quòd Jacobum filium natu juniorem, quem unicè, & affectissimè diligebat, sæva & acerbissima illi mors intempestivè, heu nimium abstulit. Quippe vix dum ille trigesimum attigerat annum, & naturæ ingeniique dotibus in paucissimis excellens, ingentem summæ claritudinis spem, amantissimi patris defixerat animo. Quod quidem atrox & perniciosissimum vulnus usque adeò Caroli enervavit labefactavitque vires, prostravitque penitus senile corpus, ut deinceps in deterius continuò collaberetur. Carolo siquidem omni ætate liberi dumtaxat fuere tres, nobili Justiniana conjuge, legi-

legitimoque suscepti thoro. Quorum omnium primum paulò post Bichignionam, vastam illam expugnatam navim, acceperat, ejusque rei gratiâ Bichignioni cognomentum indiderat nato. Is tamen longè antea eò decennio, quod Mediolani egerat Carolus, vitâ defunctus est. Proximus huic Petrus fuit, qui unicus patris superstes, Urbibus Prætor, triremibusque sæpe Præfectus, magna cum laude datus à Senatu, quum præclara quamplurima non mediocri gloria terrâ marique gessisset, demum eo bello, quod asperrimum Veneti cum Philippo Insubrium Duce gessere apud Lacum Benacum, classis imperator in Reipublicæ usibus extremum fati munus persolvit. Tertium atque omnium novissimum Carolus natum exceperat, cui religione captus quadam Jacobi indixerat nomen. Hic seu quòd posterior erat natu, seu quòd præclara indoles, eximiumque virtutis specimen elucescere in illo excellentiùs videbatur, tenaciùs Caroli pectori cordique infixus inhæserat, longèque ceteris à patre in amplissimam nati futuræ præstantiæ arrecto fidem, ardentiùs amabatur. Quippe ille omnem in eo uno spem posteritatis defixerat, æquaturumque majorum gloriam haud vana argumentorum serie procul dubio creditum persuaserat sibi. Et quamquam junior esset natu, gerendarum tamen rerum summam illi potissimùm crediderat, decreveratque universæ ipsum rerum suarum administrationi præesse. Ut verò vivens ipse adhuc nepotum solatio perfrui posset, uxorem illi dederat, præstantem animo virginem, decoroque corpore Elisabet, vetustissimâ nobilissimâque Gussonâ ortam familiâ, cui pater etiam tunc superstes erat, vir insignis, & maximis apud Venetos honoribus præditus, dignisque atque præcipuis magistratibus domi, forisque perfunctus. Ei quoque Jacobo nomen fuit.

Ceterùm cum tribus maribus liberis, Andrea, Marco, Marino ex Elisabet conjuge, continuata propagatione susceptis Jacobus ingenti Archangeli Michaëlis devotione affectus, dedicatam suo nomini ædem, quam in vertice Gargani montis admirabili quadam origine conditam proditum est, adire omnino animum adjecisset, tum ejus potissimùm gratiâ, tum etiam imminentium rerum opportunitate pellectus, in Apuliam navigare decrevit, ægrè quidem admodum id ferente Carolo genitore, & sejungi ab se dilectissimum natum gravi atque iniquo animo tolerante. Patrem igitur Jacobus annis jam, ut sæpe memoravimus, pergravem, uxoremque in flore ætatis prægnantem ex se, tresque liberos linquens, post ultimos dulces complexus, & profusissimas mœstissimi animi indices lachrymas, Venetiis solvit; navigioque vectus, quum primùm in continentem prodire potuit, nihil existimavit antiquius, quàm ut è vestigio voti compos effectus, religione animum solveret, celebremque Archangeli Basilicam venerabundus accederet: Enimvero jam æstas ingruerat, solaresque radii magìs in dies fervorem ardentiùs succendebant, & loci quoque situs religionisque illius supernum sidus nonnihil ad augendam intemperiem æstus superaddere videbantur. Sed Jacobus nihilo magìs deterritus, quo exactiori officio satisfacere impensiùs devotæ menti posset, jumentorum omnium usu omisso, pedibus ipse suis tantum itineris tam adversa anni tempestate aggredi ausus etiam, tamdem utcumque persolvit. Sed inconsultè factum pœna quoque raptim consequuta est. Quippe febris illum mox horrida & atrox invasit, cujus tam sæva perniciosaque exstitit rabies, ut nobile corpus paucos intra dies exhaustum, & penitus absumtum extingueret. Ita Jacobus Caroli genitoris unicum specimen, solamenque singulare trigesimo ætatis anno fatali munere functus, in Tranensi Apuliæ Urbe conditus sepulchro est.

Ut primùm igitur id Carolo nuntiatum est (neque enim rei atrocitas id clam esse diutiùs amantissimo patri est passa) non secus ac sævissimum perniciosissimumque illatum vulnus ingenti illum animi corporisque consternatione confecit. Omnibus enim languescens membris, exanimis ferè prostratusque concidit. Neque illi quicquam deinceps virium, nihil roboris vigorisve toto in posterum corpore perstitit. In tantamque ægritudinis incidit vim, ut extremus illi fuisse dies visus sit. Quippe qui numquam deinde exsurgens strato, haud procul post dilectissimi nati funus occubuerit. Neque enim aut tempore, aut ætate, aut hominum ullo solatio, vel artis eximiæ Medicorum peritiâ consuli satìs quoquo pacto ingruenti excidio potuit. Usque adeò subitus ingens mœror præcordia ipsa, medullasque consumsisse videbatur, vitalesque omnes spiritus exhausisse. Animi enim ægritudini mederi ipse quidem aptiùs satìs poterat, & prudentia ac moderatione mentis memoriâque communis mortalitatis, & humanæ sortis, temperare impetum acerbissimi doloris intentiore cura enitebatur. Quippe quum in ea gravissimi nuntii tam horrida universæ familiæ, domusque consternatione, etiam Elisabet nurus pro carissimi conjugis nece, ut par erat, acerrimo dolore confossa, intempestivum partum exagitatione quadam naturæ extortum magìs quàm editum protulisset: ille nepotem, cui paternum Jacobi nomen indici omnes censebant, simul quoque & Rainerium nuncupari jussit, idque nominis ad levandam sui mœroris atrocitatem, quoad supervixit, frequentissimè usurpari, nec umquam Jacobi iterari memoriam. Quod quidem eo quadrimestri, quo superstes esse Carolus filio potuit, exactim est observatum. Quamquam post avi mortem paterni nominis appellatio renovata deinceps puero, continuòque vulgata sit.

Ceterùm labefactato, exhaustoque tanta consternatione corpori neque imperare Carolus, neque consulere ulla humana vi nec quisquam etiam mortalium poterat. Sed in dies conteri acriùs, perniciosiùsque consumi, & labi protinus in ultimum interitum videbatur. Neque ulla salutis spes reliqua esse, sed desperationem atque supremam horam extrema omnia minitari. Ergo quum sibi Carolus imminere postremæ sortis casum animadverteret, exegisseque se solitæ peregrinationis labilem cursum, & ad cœlestem perpetuam sedem jam commigrandum fore (hæc enim illi neque obscura, neque ambigua erant, cui recta salutis humanæ ratio jampridem religiosissimè cordi defixa, tenacissimè inhæserat) Sacerdotem acciri,

&

& facris purgari expiarique cærimoniis maximè omnium integerrimè voluit: quod etiam exactiſſimè ſupplici admodum, devotiſſimaque mente Chriſtiano mox more perſolvit. Ad humana dehinc & domeſtica vertens animum, plurimis primùm ex re familiari, fortuniſque ſuis in pias cauſas officioſiſſimè diſtributis, Petrum ſuperſtitem filium, natu majorem, & quatuor ex Jacobo defuncto nepotes æquis portionibus heredes inſtituit. Debitâque ceteris officiis, ut res exigebat, curâ impensâ, quum jam penitus exhauſta præcordia vitalis linqueret vigor; ipſeque in jugi continuataque ſummæ felicitatis memoria, certaque ſibi, & indubitata fide ac ſpe perſeveraret ardentiùs; in divinorumque cogitationem pæne abſortus intenderet, illuſtris inſigniſque ille animus ab affecto tam diu, & fatigato corpore tamdem ſejunctus eſt. Quem quidem & ſuſcepiſſe Superos, ſi ratione religioſa ducamur haud immeritò conjectare, credereque debere nos, æquum profectò cenſeri poteſt. Obiit autem mortem quarto & octogeſimo ætatis anno, quem etiam paucis diebus exceſſerat, ſenſuum omnium, & recta ac perſpicaci intelligentiæ vi ad extremam uſque horam egregiè conſervata.

Ut primùm igitur per Urbem Caroli mors pervulgata eſt, ingens omnes mœror oppreſſit, paſſimque Civitas tota gemitu, luctu, & lachrymis referta eſt. Quippe parentem Patriæ, bellicæque gloriæ decus, prudentiæque atque virtutum omnium ſpecimen, ex humanis arreptum profeſſi omnes & dolebant, & querebantur. Sed Senatus ubi nihil jam reliquum erat, celebrandi ornandique funeris deſumtâ curâ, ut Princeps Venetus, univerſique Patres, & Nobilitas omnis optimè meriti de Patria civis ſupremo adeſſent officio decrevit. Quumque civem à cive aptiùs laudari digniùs duceretur, placuit, ut Leonardus Juſtinianus, qui Venetiis per id tempus dicendi ſibi gloriam vindicabat, funebre orandi perſolveret munus. Itaque illi decreta pro concione laudatio eſt. Reliquum erat, ut exanimato corpori debita cura impenderetur. Ad ea ergo perſolvenda munia frequens popularium, eorum potiſſimùm, qui maritimis in rebus verſati fuerant, multitudo confluxerat. Quippe ferè omnes ſæpe numero navalibus expeditionibus ſub Carolo militaverant, certatimque unuſquiſque intentiſſimo ſtudio ſupremi ſibi ſortem officii vendicabat. Nec ſibi quidem mutuas concedebant vices, de obſequio pariter, & pietate certantes; longèque plures erant, qui navare operam geſtiebant, quàm res ipſæ, quæ incumbere pro muneris neceſſitudine videbantur. Ut primùm igitur priſtinis veſtibus nudare ſinè ſpiritu corpus adorti ſunt (interea enim reliqua parabantur) res prorſus admirabilis conſpecta eſt, quæ dignum, & venerandum univerſis ſpectaculum præbuit; in ſtuporemque ingentem ferè omnes adduxit. Cicatricibus enim tot tantiſque toto paſſim corpore ſparſis, ita deformatum corpus conſpicati ſunt, ut vix ulla quidem pars vacua, ab illatoque immunis vulnere relicta fuiſſe videretur. Eas ergo attrectantes manibus, ſingulaſque ſupputantes, triginta quinque, eaſdemque inſignes numeravere. Quarum plures ingentium, & lethalium vulnerum, notas ſignaque præferebant. Curato itaque demum, exanimique compoſito corpore, atque iis, quæ imminebant, omnibus ritè patratis, exactiſſimèque apparatu in eam rem, ut opus erat, expedito; accommodatoque in rem perficiundam tempore, Princeps, Patreſque ad Caroli quondam ædes, quas lautas magnificaſque apud dedicatam Martyri Stephano Baſilicam, ut ante diximus, incolebat, ceterique cives, & omnis populus frequentiſſimi convenere; Petrumque ſuperſtitem Caroli filium, alioſque neceſſarios, tetris pro conſuetudine tectos veſtibus domi operientes offenderunt. Illoſque poſt mutuos amplexus, triſtiaque alloquia ſignificationem præ ſe ferentia mœſti animi inter ſe ſe, ut cujuſque gradus, dignitaſque patiebatur, profecturi ordine excepere.

At ubi ad perferendum Caroli corpus & feretrum perventum eſt, pluribus diverſorum ordinum, religioneque, atque aliis ornamentis affectis, id ſibi muneris uſurpantibus, tum Veneti ferè omnes mari nutriti, navalibuſque aſſueti prœliis, Principem, Patreſque confertiſſimi adierunt. Carolique in ſe pietatem, & benevolentiam repetentes, priſtinaque ſua in illum officia, quod magna eorum pars ſub eo imperatore meruiſſet, nemini magis quàm ſibi perferendi corporis vitâ defuncti Caroli munus deberi aſſeruere. Utque ipſis dumtaxat extremi officii debitum, quod ſolum poterant, ſibique incumbere intelligebant, perſolvendum permitteretur, ſupplices deprecati ſunt. Impium enim eſſe dicebant, ſe qui vivum Carolum tantâ obſervantiâ coluiſſent, tam diuturnam ſub eo egiſſent militiam, tot in illum ſemper obſequiorum munia perſolviſſent, fuiſſentque ab illo tanta caritate dilecti, nunc eo poſtremo, atque omnium noviſſimo pietatis offitio fraudari. Eorum ergo juſtis deprecationibus Princeps Patreſque aſſenſi ſunt, & deſiderii votique illos compotes fieri cenſuere. Itaque in hunc modum digreſſi ædibus ordine atque apparatu magnifico iniri cœptum iter eſt. Incedebant primi quatuor eorum conſodalium ordines, quos Battutorum nuncupatione vulgus appellat. Eos enim Veneta Urbs variis ſodalitiis tituliſque habet inſignes. Et unicuique multitudo quidem ingens hominum inerat, queis dealbatæ veſtes tegebant corpora capitaque, flagellaque de more, atque accenſa lumina geſtabant manibus, varioſque pro conſuetudine hymnos mœſtis vocibus decantabant. Proximi his religioſi viri maximo quidem numero profeſſionum univerſarum erant, ſub ſuo quique Religionis inſigni. Eccleſiaſticus dehinc, & Clericalis omnis exercitus, turba ingens, novemque diverſorum cœtuum agmina. Gradiebantur ſubinde viri complures equis inſignibus vecti, quos quidem purpurea velamina contegebant. Ipſi verò lugubria indumenta geſtantes, militaria Caroli, imperatoriaque varia ſigna, multique generis ornamenta deferebant manibus, quibus ille tum à Veneto Senatu, tum etiam à Principibus ceteris, & Regibus, apud quos ſupremæ quondam auctoritatis obtinuerat locum, dignè glorioſèque fuerat decoratus. Colloque illa humeriſque pendentia, ad ſolumque uſque prona, ferèque proſtrata trahe-

hebant. Post hos Veneti expertissimi, scientissimique maritimarum rerum, Caroli exanime corpus humeris deferentes subsequebantur, ita partiti invicem mutuas vices, ut aliquo itineris spatio operis pars quemque contingeret. Princeps dehinc Venetus, & qui Venetiis aderant illustres viri, proque Imperio quocumque Legati, Patres, Senatus, Nobilitasque omnis longo ordine procedebant; ornabantque funus laudibus, & gloriosâ rerum præclarè gestarum celebratâ memoriâ. Postremum omnium reliquum erat vulgus, cum Civium, Venetorumque, tum exteri, & peregrini hominum generis, ut nemo etiam infimæ sortis cuivis arti, exercitationi, aut ministerio deditus, in tam omnium publico luctu, frequentissimoque concursu se se tecto continere potuerit. Ita certatim ad præclarum id spectaculum, rarum quidem admodum in paucissimis, curis reliquis postergatis, universi confluxerant. Ardentium autem, rutilantiumque luminum ingens quidem omnibus locis aderat copia. Ea cum profani, tum religiosi quique viri

A

B

erectis manibus perferebant, undique à fronte, tergoque, ac lateribus imminentes. In hunc maximè modum inter luctus, & gemitus, laudantiumque ac proclamantium querulas voces per Urbem mediam, ad celebre Templum gloriosissimæ dicatum Virgini, quod ad Cœlestia vulgò nomen accepit, perventum est. Sacrum siquidem eum locum Carolus pio animi affectu, atque ingenti devotione allectus, ubi sepulchro conderetur vivens decreverat sibi. Quòd verò venerabilis ad exteriorem Aram Virginis imago dudum sita supplicem adeuntibus venerationem præferre solet, Caroli exangue corpus, id loci defosso solo, ad Aram (sic enim voluerat) condidere. Insignia verò, atque ornamenta militiæ, priorisque quondam vitæ, & rerum gestarum dignissima monumenta, Basilicæ parietibus mansura perpetuò defixerunt, quorum pars magna tametsi corrosa, pæneque consumta, ad hodiernum etiam diem perstans conspicitur. Persolutis igitur ....

Paucula in Codice Patavino desiderantur; nam in Epitome hujus Vitæ, quam, uti in Præfatione innui, Hieronymus Diviacus Anno 1591. edidit, nihil aliud subditur, nisi subsequens orationis frustulum: *Il che fatto, e 'l Doge, e li Senatori postisi a sedere, Leonardo Giustiniano, secondo l'ordine datogli, fece il complimento di lode con una dottissima & elegantissima Oratione.*

IL FINE.

FUNEBRIS ORATIO
PRÆSTANTISSIMI VIRI
LEONARDI JUSTINIANI
PRO
CAROLO ZENO.

Maximum & amplissimum munus, Illustrissime Princeps, hodierno die ad me delatum video, qui dignitati, ac magnitudini rerum, de quibus dicturus sum, omne ingenium, & eloquentiam imparem esse cognosco. Non enim video, ubi latiùs, ubi sublimiùs mea potuisset versari oratio, quàm de Clarissimo, ac ornatissimo viro Carolo Zeno dicere, cujus interitu non florentissima modò nostra Respublica, verùm etiam totus terrarum Orbis singulare quoddam decus ac ornamentum amisit. Fuit enim naturâ, virtute, gloriâ tam excellens, ut etiam hoc uno ætas nostra potuerit in omni genere laudis cum antiquitate certare. Quænam igitur affluens, elegansque dicendi copia? quæ tanta ingenii vis, atque majestas in hoc tam communi hominum luctu atque jactura satis dignè sufficiat? quum in tanto præstantissimorum hominum concursu, atque frequentia neminem esse videam, qui non sit hujus viri desiderio, suique funeris pietate vehementer affectus. Quæ quamquam ita sint, humanissime Princeps, iniquum tamen esse ducebam, ut ego, qui cives optimos omni semper laudationis officio prosequendos esse putarim, hoc tam egregium, honestumque laudandi munus recusarem, ab iis ad me delatum, quorum benevolentiam & auctoritatem meo de me judicio præferendam esse arbitrarer. Dolebam præterea, Patres amplissimi, & indignum esse censebam, nobilissimorum funerum laudes, in hac potissimùm Urbe tanto humanitatis ac eloquentiæ studio affluenti, ab externis hominibus usurpari. Cùm id & maximis, & optimis civibus, quos omne pro Patria officium explere decet, prisca laudabilique consuetudine concedi soleret. Ego verò quum nec ingenium, nec eloquentiam, nec ætatem denique meam parem huic loco auctoritatem præstare posse confidam, omnem spem meam, atque consilium, humanissime Princeps, in te locavi. Soles enim pro innata tibi mansuetudine, quum de laude civium tuorum agitur, & eorum maximè, qui de Republica benemeriti sunt, aures tuas incredibili quadam attentione præstare. Vos quoque, Patres optimi, qui hujus funeris decorandi causâ tanto studio, tam inusitatâ frequentiâ convenistis, omisso dolore, aures jam vestras accommodate his laudibus, quas de vita, de ingenio, de virtute, de gloria hujus præstantissimi vestri civis dicturi sumus. Quæ quum quanta sint, mecum considerarem, verererque, ne maximarum rerum ubertas orationis modum excederet, statui ea tantùm, quæ vestra expectatione aut hujus funeris amplitudine digna essent, breviter oratione complecti.

Non dicam itaque de hujus, in qua natus est, Civitatis gloria, & splendore, quæ rerum à se gestarum magnitudine incomparabili, diuturnitate libertatis, præstantia Civium, & novitate quadam, ac situs opportunitate, vix ulla laude dignè ornari posset. Non dicam de antiqua, Patritiaque familia sua, quæ tot egregios viros edidit, ut non satis constituerim, plusne illa huic Civitati, an hæc Civitas sibi splendoris attulerit. Non dicam de justissimo viro, & fortissimo Petro Zeno patre suo, quo nescio, an quisquam eorum, quos umquam aut vidimus, aut audivimus, aut legimus, gloriosiùs mortem obierit. Qui classis imperator adversùs Morbassanum Christianæ Religionis crudelissimum hostem una pro Deo immortali, pro Patria, pro sociis, pro amicis, pro sua denique dignitate tuenda, acerrimè dimicando ad Smyrnas cecidit, ut una morte omne gloriosum facinus, uno facinore omnem gloriosam mortem pariter sit complexus. Non dicam denique de liberis, non de necessariis, non de amicis, qui quales in eum fuerint, ex eorum lachrymis & mœrore cognoscite. Sunt alia his majora Caroli nostri ornamenta. Quis enim, ut à vita incipiam, non jure miretur præclaram omnis ætatis suæ institutionem? Qua nil aliud prorsus, quàm aditum ad summam gloriam quæsisse visus est. Primam enim pueritiæ suæ partem, mortuo patre, literis erudiendam ornandamque putavit. A quibus quicquid otii & intermissionis dabatur, non ad ignaviam aut luxum, sed partem ad corporis armorumque exercitationem, aliquid etiam operæ Musicæ, ac fidibus accommodavit, ut principem Græciæ Themistoclem, cui fortè in omni gloria par fuisset, in hac laudatissima parte superaret. O liberalem institutionem, & præclara humanæ vitæ fundamenta, quibus Athenæ illæ omnium artium inventrices nec plura, neque meliora potuerunt excogitare! Itaque ut primùm è ludo, atque his puerilibus erudimentis excessit, ut illustrem aliquem otii sui fructum ex negotio vendicaret, in militiam confestim profectus est. In qua quum ingenio, viribus, fortitudine ceteris facilè præstitisset, ad Pontificem Maximum expectatus adolescens concessit. A quo dignitatem quamdam apud Patras, ætate sua longè ampliorem, est assequutus. Pul-

Pulcherrimum profectò judicium, & Maximo Pontifice dignum, qui quum adolescentem moribus & disciplina egregiè præditum cognovisset, non virtutem annis, sed annos virtute metiendos esse putavit. Patras ergo trajiciens quum difficillimas pacis & belli res, cum consilio, tum opera & imperio ministrasset, in varias deinde terrarum regiones enavigavit, tum orbis visendi studio, quod plerosque summos & viros, & Philosophos fecisse legimus, tum etiam ut navalis rei disciplinam, qua potissimùm hæc Civitas tantum imperium adepta est, longa exercitatione teneret. His artibus præditus quum in Patriam in summa rerum ac temporum difficultate venisset, apud Patritium ordinem & Senatum amplissimis honoribus & magistratibus continuò donatus est. In quibus tantum fortitudinis atque constantiæ, tantum consilii ac prudentiæ declaravit, ut expectationem omnium, quæ de se maxima erat, clarissimis rebus terra marique gestis facillimè superarit. Quarum quum maxima famæ celebritas esset, plerique illum potentissimi Reges desiderabant. Aliqui verò apud se habuerunt, iis tamen annis, quibus nostra Respublica cum tranquillitate & otio, tum præstantissimorum civium copiâ, qua plurimùm semper excelluit, fruebatur.

Quid verò demum is gravi jam ætate confectus, quum à Republica, cui omnem ferme vitæ suæ fructum & agendo & consulendo præstiterat, in otium se contulisset, quid, inquam, suo ingenio, sua virtute, sua gloria dignius, aut facere aut excogitare poterat, quàm senium suum innumeris laboribus, longâ vigiliâ, crebra navigatione, assiduâ militiâ, variis fortunæ casibus ac periculis jam defessum, suavissimis & honestissimis literarum studiis confovere? Sic Solonem, Catonem, Lucullum, multosque clarissimos viros senectutem suam solitos laxare legimus. In his tamen studiis hic noster ita modestè versatus est, ut quum nullam jocundiorem voluptatem haberet in vita, numquam tamen neque Patriæ, neque amicis privato consilio defuit. Quo igitur pacto omni suæ vitæ aut prudentiùs, aut pulchriùs potuisset consulere, qui quum probè otium ad negotia retulisset, ita perfectè utrumque complexus est, ut ex eis & maximas virtutes, & amplissimam fuerit gloriam consequutus? Quid honestius ex otio Socrates, quid ex negocio clarius Alexander quæsisse potuerat? Hæc itaque quum permaxima sint, Patres optimi, existimo tamen ab iis, qui præstantissimum hunc hominem cognoverunt, haud minùs divinum illud ingenium laudari. De quo quum hoc mihi loco dicendum sit, lætor in primis, humanissime Princeps, quod te dico, qui id cogitatione potiùs, quàm verbis æquari posse intelligis. Scis enim, quanta ingenii celeritate viguerit, quantam in perspiciendis rebus facilitatem habuerit, qui non discere, sed reminisci, non apprehendere, sed tenuisse priùs omnia visus est. An fortè poterat ingenium illud rerum sublimitate superari? An varietate confundi? An multitudine obrui? dicam profectò, Illustrissime Princeps, dicam, quod te sentire non dubito, neminem facilè potuisse aut in rebus altis sublimius, aut in diversis perfectius, aut in multis copiosius dicere atque ornatius. Legimus, plerosque summos viros eximia ingenii magnitudine floruisse. Sed eam tamen & numero rerum, & proprietate quadam fuisse finitam, qui non in omnibus, sed in quibusdam tantùm artibus excellere potuerunt. Hunc autem prorsus nescio ad quem primum ingenii usum natura genuerit, quum singulis in rebus non versatus, sed genitus esse videretur. Nil minùs tamen ex ea ingenii facilitate, studii & vigiliarum, in cognoscendis rebus adhibuit. At quantum ceteri aut ludis, aut spectaculis, aut ejusmodi voluptatibus ad corporis animique requiem temporis concedere solent, totum id Carolus ad relaxandos publicos labores jocundissimis literarum studiis conferebat. Maximus fuit in eo colendi ingenii ardor, & vehemens optimarum artium studium. Multos ille eruditissimos, ac summos viros hospitalitate donavit, multos præterea singulari quadam cognitione ac amicitia dignos fecit. Quo enim, ut alios omittam, studio, qua humanitate Antonium Massanum eloquentissimum & integrum hominem, ac divinarum artium eruditissimum coluit? Quanto amore ac usu Guarinum nostrum Græcæ ac Latinæ Linguæ peritissimum complexus est? Non Alexander Archiloum, non Athenodorum Cato, non Lucullus Antiochum majori consuetudinis ac humanitatis officio prosequuti sunt. Vidit sanè vir sapiens, quantum ad gloriam atque laudem hæc literarum ornamenta conducant. Quod quum Philosophiam potissimùm, ac Oratorium munus, tum ad bene beatèque vivendum, tum ad publicam hominum utilitatem conferre intellexisset, non quantum occupatissimo viro, & in quotidiana maximarum rerum varietate versato, sed quantum aut Philosopho, aut Oratori par fuerat, in his est artibus assequutus. Quid enim illam sublimem Philosophiæ cognitionem extollam? quid illum dicendi usum & rationem? Testis es tu, Illustrissime Princeps, vosque Conscripti Patres, qui sæpe quum in Senatum rogati convenissetis, suavissimam illam vocem, gravissimasque sententias maxima semper cum admiratione audivistis. Testis est Romana Curia, quæ hunc ipsum quatuor & decem annos natum orantem summo studio laudavit. Testis est Italia, testis est Græcia, testis est Gallia, testis est Britannia, in quibus sæpe quum altissimas causas gravissimè perorasset, singularem semper dicendi palmam omnium doctissimorum hominum judicio, est consequutus. Quid illam rei militaris disciplinam laudem? Nullum est tam novum, tam inauditum bellorum genus, quod illi tum nostra, tum etiam aliarum gentium fortunâ ignotum fuerit. Quid divinas, & humanas leges commemorem? Quid patrias consuetudines? Quid jura gentium? Quid varias hominum naturas? Quid situm orbis? Quid ipsam prope omnium rerum ac artium cognitionem? Quæ omnia Carolus ipse ita egregiè tenuit, ut vix credibile sit, aut à multis hominibus una ætate, aut multis ætatibus ab uno homine colligi potuisse.

Quo verò pacto hæc sine singulari, ac pœne divina memoria fieri poterant? Lucium Lucullum maxima rerum recordatione viguisse legimus; majori tamen verborum Hortensium. Hic verò noster quum miro quodam

modo in utrisque excelleret, nec multitudine impleri, nec ejus memoria temporis diuturnitate exhauriri poterat. Itaque quum ejus ingenium tanta celeritate, facilitate, amplitudine, tanto studio, & industria, tot rerum & artium cognitione ornatum esset: hoc tamen ampliori laude dignum arbitror, quòd hæc ipsa non nisi ad virtutem accommodanda esse existimavit. Ita enim, dum viveret, sentiebat, sinè virtute nihil esse in vita magnopere expetendum. Contra verò propter virtutem extremos cruciatus, dolores, pericula mortis, & ipsam denique mortem forti animo esse tolerandam. Cur ita? Quia quum de animorum immortalitate religiosè sentiret, nemini aditum in cœlum patere posse arbitrabatur, nisi ei, qui virtutem in primis constantissimè coluisset. Quæ quum non solùm nostræ, sed priscorum quoque Philosophorum religioni consentanea sint, quo in loco constitutum esse credemus eum, qui tot tantisque virtutum præditus ornamentis è vita discessit? Quas equidem si, ut à me institutum erat, singulas recensere contendam, scio profectò, hanc meam vocem, ipsamque diem mediis in laudibus defecturam. Quare, humanissime Princeps, in dicendo mihi modus habendus est, ut tanti viri virtutes penitus laudatione non careant, & ego hac tua benigna facilitate audiendi longiùs non abutar.

Atque ut à publicis rebus initium sumam, penultimum Genuense bellum omnium perniciosissimum, quæ umquam hæc Civitas nostra gessit, innumeras hujus viri virtutes efferre potest. Nam quum in armis semper aut Legatus, aut Imperator, terra marique fuisset, quod fuit illud in dubiis rebus consilium, quantus in difficultate labor? Quæ in periculis fortitudo? quæ celeritas in conficiendo? Quæ industria in explorando? Quæ tolerantia in agendo? Maximas in eo bello opes effudit: vulnera suscepit; oculum amisit: hostes profligavit: intestinos mercenariorum militum tumultus solus ipse compressit. Et Scipionis exemplo cùm litora nostra undique hostilium armorum fragore sonarent, in Genuenses fines cum classe invectus, plurima diripuit, incendit, atque vastavit: quod ante illum nemo, non dico non fecerat, sed nec excogitaverat quidem. Bichignionæ verò illius vulgatissimæ navis expugnationem prætereo, multasque res eo bello clarissimè gestas, quas Carolus iste ad levandas nostras calamitates, quas non sinè animi perturbatione audire vos posse arbitror, justè, fortiter, constanterque declaravit. Vidisti enim hæc omnia, fortissime Princeps, qui in his ipsis periculis summa cum laude quotidie versabaris. Viderunt hæc plurimi vestrûm, Patres Clarissimi, quorum opera & consilium ingentem Reipublicæ respirationem, atque victoriam dedit. Viderunt hæc hostes ipsi, qui nescio, hujusne ornatissimi viri virtutes majori odio, an admiratione prosequuti sint.

Sed quid ego antiqua commemoro? Enses vestri adhuc hostili cruore rubent ex ea victoria, quam postremò ex Genuensi classe apud Juncum gloriosissimè retulistis, quum id quoque bellum ejus imperio, prudentia, virtute sumtum, ministratum, atque confectum fuerit; ubi tantum superiores illas cla-

A rissimasque virtutes superavit, quantum & ætate, & quotidiana armorum, & maximarum rerum exercitatione sibi vendicasse par fuit. Video hìc egregiæ suæ virtutis testes plerosque nobilissimos cives nostros, qui in ea expeditione fuerunt. In primisque justissimum ac optimum virum Leonardum Mocenicum fratrem tuum, qui Legatus cum aliquot triremibus haud mediocrem in ea pugna laudem est assequutus. Taceo reliquas amplissimas Venetorum ætate sua victorias, quibus quantum momenti sua virtus præsentiaque præstiterit, hoc loco prætereo. Nam id sicuti vobis, ita universâ pæne Italiâ celebratum est, & ampliorem dicendi locum

B desiderare videtur. Quòd si Caroli virtutes singillatim potiùs enumerare, quàm collectas breviter attingere instituissem, qua verborum copia, quove splendore orationis res illæ complecti possent, quas decem annos apud Mediolani Ducem omnium cum laude ac admiratione gessisse constat? Nam Prætor Urbanus, consilii socius, Legatus, ac Prætor plerumque in provinciis quum fuisset, in his est tam castè & integrè, tam fortiter strenuèque versatus, ut ipsius Ducis gravissimi viri sententiâ summæ rerum præfici mereretur. Non itaque minorem sibi gloriam vendicavit virtute propria, quàm militum adjumento. Quum enim rebus tota citeriore

C Gallia à se clarissimè gestis, omnes ferè ejus ætatis Imperatores superasset, sibi tamen ipse cessisse visus est. Quum in Cumanas Alpes profectus, cum parva admodum militum manu ferocissimam, & vi ac armis ante indomitam multitudinem comitate & consilio sibi conciliavit. Quot ibi militum legiones ante trucidatæ fuerant? Quot exercitus deleti? Quot Duces cæsi? Non ferro, non viribus, non acierum conflictu gens ea tum animorum immanitate, tum difficultate locorum debellari poterat; sed novo quodam & inusitato bellandi genere, idest auctoritate, humanitate, clementia, affabilitate, comitate, eloquentia, quibus Carolus invictas Ur-

D bes, & agrestes animos vicit, domuit, atque subegit; ut qui maximis Imperatoribus prudentia & fortitudine par fuisset, his quoque artibus Cinææ illi præstantissimo & eloquentissimo homini non succumberet. O decus ætatis hujus, & clarissimum seculi nostri lumen! quid tibi inter tot tantaque aut naturæ, aut studii, aut fortunæ ornamenta datum erat, quod non ad communem hominum salutem tibi datum esse arbitrareris? Quoad enim gerendarum rerum adjumenta sibi ætas concessit, haud magìs sibi ipsi, quàm suæ gloriæ, ac hominum commodis vivere se se putabat.

E Septuagesimum enim jam natus annum, quum in Cyprum trajecisset, quod ante gestarum rerum argumentum, quem ibi virtutis suæ usum expressit? Nam ut ea omittam, quæ ad mores hominum, ac ejus Regni dignitatem amplitudinemque tuendam instituit, quantam est eo bello laudem assequutus, quod ab Rege, se duce, cum Genuensibus actum est? Quum enim hostium insultu res Cypriæ in maximum discrimen venissent, Carolus & copiis, & bellorum machinis longè inferior, fortissimos hostes brevi tempore convertit in fugam, & Regnum, ac Regem ipsum summo periculo liberavit.

Di-

Digna certè senectus, quam talis adolescentia præcessisset. Multa enim apud Patras & militari & publica virtute adolescens gessit, quæ sicut æternâ sunt memoriâ digna, ita & hac temporis angustiâ longè ampliora sunt. Quod si quis fortè putaret, eum aut trepidum militem, aut parum fortem imperatorem fuisse, nudatum Carolum nostrum aspiciat, quum difficile cognitu sit, plurane membra, an vulnera in corpore suo habuerit. Habeo præterea multa, clarissime Princeps, quæ si tempus & dignitas tua præstaret, in medium efferre possim; nec imperatoria aut militari tantùm, sed privata etiam domesticaque virtute confecta. Quis enim, ut ex eis hoc unum attingam, ejus fidem, animi magnitudinem, liberalitatem non magni faciat. Quum adolescens adhuc Patrassina illa opulentissima dignitate sponte se abdicasset, ut cum Apulo milite duello de vita certaret? Non enim maximus labor fidem, non periculum fortitudinem, non expectata paupertas liberalitatem suam extinguere potuit. Qua verò humanitate, qua clementia in Cives, in necessarios, in amicos fuisse credemus. Qui Apulum istum jure belli sibi captivum datum confestim libertate donavit. Quòd si Caji Cæsaris clementia tantis laudibus celebrata vicisse victoriam dicitur, quòd Cives suos, & eos præstantissimos quidem viros, & optimè de Republica meritos non libertati, sed Patriæ restituisset: quo novo, quo inusitato laudandi genere hanc singularem virtutem complectemur, qua externum hostem, nec eum certè probum hominem, aut nostra de Republica benemeritum, & vita & libertate donavit? Plena est profectò nostrorum hominum memoria iis virtutibus, quas Carolus privatus exercuit, fortitudine, patientia, moderatione, constantia, æquitate, clementia, gravitate, consilio, liberalitate, quæ in hoc uno & perfectè, & copiosè nituerunt.

Itaque quos triumphos, humanissime Princeps, suis victoriis, quas coronas suis vulneribus, quas statuas suis virtutibus decernemus? Sed quum hæc prisca virtutum insignia ac monumenta exoleverint, jam nullum sua vita, suo ingenio, sua virtute dignum fructum putabimus, nisi gloriam ipsam, atque laudem, qua nil homini pulchrius in hoc mortalium cursu potest excogitari. Quòd si gloriam existimamus celebrem, & pervulgatam hominum opinionem, quæ à publicis virtutum meritis emanavit, nil video huic viro ad summam gloriam defuisse, quum is in amplissima Venetorum Republica omnes ferme, quas poterat dignitates ante habuerit, quàm voluerit, ante tenuerit, quàm quæsierit. Et ut de Imperiis, & magistratibus taceam, quos ille domi & foris, pace & bello, terra marique gessit: quod fuit illud, quantumve patricii ordinis de illo judicium, quum ædem Sancti Marci, quem maximè ex Superis optimum semper patronum hæc Civitas sensit, suæ curæ fideique commisit, quum ex eo loco tu, Illustrissime Princeps, in hac suprema totius imperii nostri arce fueris collocatus? Id autem quum & domi, & paulò ante senectutem suam obtigerit, ejus num fortè adolescentia maximis honoribus caruit? Bellum atrox, quod Patrassinus populus cum finitimis gessit, hic quartum & vigesimum vitæ annum agens, suo ductu aut auspiciis ministravit. Quanta verò apud Johannem Galeatium Mediolani Ducem ejus fuit opinio, qui quum prope omnia illustria Mundi ingenia collegisset, non tamen satìs habuisse credidit, nisi hunc ipsum & habuisset, & collocasset in primis. Regem verò Cyprium usque adeò hunc ipsum probasse scimus, ut quanti sui Regni incolumitatem atque salutem, tanti profectò eum existimarit. Fortunam verò quis ignorat id sibi gloriæ tribuisse, quod paucis umquam concessit? Quæ quum bellicis præcipuè in rebus varietatem soleat, atque inconstantiam declarare, nullum tamen, quum Carolus sæpius conflixisset, aut adversum, aut non felicem pugnæ exitum reportavit. Quænam igitur amplior gloriæ majestas, qui clarior splendor huic viro adjici poterat? qui in amplissima Venetorum Republica, qui apud potentissimos Reges, & populos, qui apud denique fortunam ipsam domi & forìs, terrâ & mari, tantum gloriæ, tantum laudis habuit, ut ejus vitam laudent omnes, ingenium mirentur, virtutes summa celebratione colant. Facit hoc, Patres Amplissimi, ut nostram jacturam, ac ejus interitum minùs molesto animo perferamus, qui vitam omni genere laudis accumulatam quarto & octuagesimo ætatis anno dimisit. Quo numero quum in se omnem prorsus perfectionem conductam teneat, eos, qui perfuncti erant, divinitatem quamdam assequutos putavit antiquitas.

Quæ quum ita sint, Illustrissime Princeps, jam lachrymas atque mœrorem, quibus hoc celebratissimum funus decoratum est, dimittendum esse censeo. Neque tam mœstos esse oportet suo discessu, quàm lætos eâ præsentiâ, qua olim, dum viveret, jocundissimè fruebamur.

Nam posteri homines, ad quos celebris tantarum rerum fama defluxerit, beatos nos appellabunt, qui hunc divinum hominem his nostris oculis intueri potuimus. In primis itaque tu, Petre optime, dimissis lachrymis, id solum videas, quomodo paternam gloriam hereditario tibi jure relictam possideas. Nos autem, Patres Amplissimi, quibus Caroli nostri nomen, & suarum virtutum imago relicta est, summo studio ac vigilantia niti decet, ut ejus nomen nostris laudibus celebratum, æternum immortaleque faciamus; & divinam virtutum suarum imaginem non statuis modò, aut picturis, sed imitatione quoque, ac opere declaremus.

F I N I S.

Acta Anno Christi MCCCCXVIII. Octavo Idus Maji ad populum in æde Mariæ Cœlestis Venetiis.

ANNALES SENENSES

Ab Anno MCCCLXXXV. usque ad MCCCCXXII.

PER

ANONYMUM SCRIPTOREM


DEDUCTI,

ET NUNC PRIMUM PUBLICA LUCE DONATI

E MStis LIBRIS SENENSIBUS.

IN ANNALES SENENSES ANONYMI SENENSIS *PRAEFATIO* LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Constitere ad Annum 1384. monumenta Senensia, jamdiu literis consignata ab *Andrea Dei*, *Angelo de Tura*, & *Nerio Donati* Historicis Senensibus, atque a me evulgata Tom. XV. Collectionis hujus. Continuationem eorum nunc exhibeo ab Anno 1385. usque ad 1422. ope ejusdem doctissimi & Clarissimi viri Huberti Benvoglienti, cujus studium in antiquitatibus medii aevi, criticumque judicium pauci nostra aetate aequant, nemo fortasse superat. *Anonymus* est Auctor, synchronus tamen videtur; aut certe quae scribit, desumsisse credendus est ex Historiis eo tempore scriptis. Quod potissimum animadvertas velim, ad Annum 1395. Auctor memorandi exempli ac variae fortunae facinus narrat, quod ea aetate in Senensi Urbe contigit, aut contigisse fingitur. Jucunda sane narratio, nisi prolixior quàm par esset, alicui videatur; & sane digna quae Boccaccii fabulis addatur, quem nulla dubitatio mihi est, quin Auctor ibi fuerit aemulatus. Dialectum & Orthographiam Senensem in hisce Annalibus, qualem accepi, retinui: neque enim ingratum erit quibusdam minus rerum peritis sentire, quid discriminis intercedat inter Florentinorum & Senensium sermonem. Ceterum dum paro ad lucem reliqua illustris Reipublicae Senensis gesta usque ad finem Seculi XV. hactenus in tenebris conclusa, haec interim Lector benevole excipiat.



ANNALI SANESI.

1385.

A Dì 25. Marzo venne in Siena molti soldati de le condotte de' Nobili di più luoghi con 800. cavalli, e due mila fanti, e a dì 26. di Marzo ne la Sala del Consiglio furno tutti i Nobili, e Nove, e Dodici, e popolari minuti, e ogni Cittadino in presenza de li Ambasciatori Fiorentini, Pisani, e Perugini; e fu consigliato, e ottenuto, che si facessi un bossolo per 8. anni a X. per elezzione in questo modo, quattro de' Nove, quattro de' Dodici, e due Popolari, e per cagione de' Fiorentini e Perugini si chiamassero Priori, e tutti gli altri offizj proporzionatamente secondo 'l detto modo, durando 'l Magistrato tre mesi, e così fu pacificato la Città, e mandossi via i forestieri, cioè i soldati, e altra gente chiamata.

La parte di Montorgiali di Maremma toccava a' figlioli di Bertoldo dal Cotono, e comprolla el Comune di Siena fiorini 1500.

El Cassaro di S. Fiore fu fatto per il Comuno di Siena.

Un Lupo hominino faceva danno alle persone, e al bestiame, fu preso da due da S. Mimiliano: hebbero dal Comuno fiorini vinticinque per uno.

El Cassaro di Pereta fu fatto dal Comuno di Siena. Si perdè S. Fiore, che s'era tenuta per i Senesi tre anni.

Fiorentini tolseno tutte le Terre di Pietramala a' Senesi, e addomandorno el Monte S. Savino, Gargonza, e Palazzuolo, e non lo fu voluto dare; onde mandorno una Com-

A pagnia nel Contado, che pigliava molti prigioni, alla quale si dè fiorini 14. mila; e rendessi el Monte S. Savino, Gargonza, Palazzuolo, e S. Brancazio per non far guerra. E più domandavano Lucignano di Valdichiana; fessi un po' di ponta quattro mesi, poi se li rendè.

Trattato per deporre el reggimento presente, fu scoperto per Vanni di Bindoccio: hebbe fiorini 200. e Buoninsegna Bandinelli fiorini cento.

Borgo Furello fu guasto per il Comuno di Siena per fare Buonconvento.

B Boldrino da Panicale haveva dal Comuno fiorini 500. l'anno, perchè non danneggiasse el Contado.

La gente de' Brettoni venne al soldo del Comuno di Siena.

1386.

Hebbesi gran differenza co' Fiorentini per cagione di Lucignano delle Chiane; piatissi, mandossi per consigli, e spesesi molti denari nella lite; pagorno poi i Fiorentini a' Senesi per un lodo dato da' Bolognesi fiorini 8. mila: recògli da Fiorenza Jacomo Arrighi Cittadino Senese.

In Massa, e in Casole eran gran differenze fra di loro, el Comuno vi mandò, e rap-
C pacificogli.

M. Bartolomeo da S. Severino Capitano Generale della Lega hebbe da' Senesi per la rata della paga fiorini 17. mila. Pagavano i Senesi per 138. lance, i Fiorentini per 314. Bolognesi 250. Perugia 123. Pisa 138. a ragione di fiorini 12. per lancia l'anno.

Trattato s'ordinava in Siena, e fu scoperto per Domenico Purci, hebbe dal Comuno fiorini cento.

Castellardo, e Castellottiero furno guasti dal Comuno.

Cione di Sandro Salimbeni hebbe dal Comuno fiorini 1200. per la causa di Montepulciano, e per le mani della Balìa di Monte-

pulciano, che poi prese briga co' Senesi. Mandovvisi el Campo con gran gente, e sternovi 40. dì.

Trattato fu scoperto al Poggio S. Cecilia, che gli usciti di Montepulciano lo volevan pigliare.

M. Leonardo Malaspino fu nuovo Capitano dell'Arme.

Ambasceria si mandò al Papa, che era a Lucca; el primo fu M. Tommaso della Gazzaja, e mandosseli un bello presente, cioè libbre 600. di cera lavorata, libbre 500. di confetti, some 20. di vino, 80. fiaschi di malvagia, e staja 80. di pane, 10. moggia di biada, e più altre cose, che costorno fiorini 326. E per non haver guerra co' Fiorentini, non si lassò passare per Siena.

La Compagnia di S. Giorgio venne nel Contado Senese; hebbero per patti fiorini 8. mila e fiorini 600. per menda di cavagli havevan perduto nel Senese.

Ambasciaria al Conte di Virtù. Andovvi M. Orlando Malavolti, M. Mino Vincenti, e Giovanni Corsini da Radicondoli, e Giovanni di Francesco di Toro, e M. Tommaso della Gazzaja con 30. cavalli, e altre genti.

1 3 8 7.

Buonaventura de' Rossi andò Ambasciatore in Lombardia a M. Giovanni d'Agho, e alla tornata furno robbati per via, el Comuno emendò il danno.

La Compagnia de' Brettoni venne nel Senese per ordine de' Fiorentini alla secreta, e ferno gran danno in cavalcate, e bisognò darli fiorini 8. mila, e un corsiere, e due muli da some, X. pezze di velluto, e altri cavalli, e un presente, che costò fiorini cento.

Spinello Tolomei haveva trattato in Monte Orgiali per torlo, fu revelato, e chi lo revelò hebbe fiorini 600.

Bartolomeo da Prato, e Domenico da Fiorenza Capitani in Orvieto hebbano, perchè non facessin danno nel Senese, nè vi entrasseno, fiorini 350.

1 3 8 8.

El Cassaro di Sesta si comprò da Farinata, Jacomo, e Adriano Ubertini fiorini 800.

La Porta S. Marco fu arsa a petizione de' Fiorentini, e Francesco da Staggia, e Agnolo di Favella da Scorgiano, el detto Agnolo fu preso, e attanagliato, e arsegli le mani ne la detta Porta, e poi squartato, e sospesi i quarti alle Porti.

Fu creato Urbano Papa, vi si mandò Ambasciatore M. Tommaso della Gazzaja con più giovani Senesi.

M. Pietro Gaetani da Pisa fu al soldo del Comuno di Siena con 500. lance.

A dì 6. Maggio Pavolo Savelli uscì di Siena con 2. mila cavalli alla Porta S. Viene, e a Uvile M. Giovanni d'Agho con 500. e gionseno tre aguatti a Selvoli, e furo tutti presi, e venne in Siena 110. prigioni da taglia tutti Fiorentini.

Al suono di cinque trombe fu in ponto tutta la gente del Conte di Virtù a dì 9. Maggio, e usciron fuore, e presero el Castel di Sogna, Cacchiano, e la Torricella.

A la Gazzaja, e a S. Giusto v'eron due aguatti; uscì di Siena a dì 13. Maggio molta gente, e combattero insieme, e fuvi morti 14. de' nimici, e presi 60. prigioni.

Fiorentini mandorno una Compagnia, che venne fino la Porta S. Viene con ordine de' Tolomei, a' quali fu fatto poi pagare fiorini X. mila.

Sappiate, che tutte le Compagnie, che venivano, era per ordine de' Fiorentini, che secretamente ordivano questi danni, perchè il più venivano su le ricolte; onde i Sanesi si partiro dalla falsa loro compagnia, e si fe' molte prede anco nel lor Contado; e doppo parecchie spartiture si fe' lega; ma poco s'osservaro, che lì a due mesi volseno far balestrare el Conte di Virtù, e dissesi, che havevano fatto dare el veleno al Papa, che morì quasi di subbito per accidente molto sospettoso; e havendo i Senesi ricevuti tanti insulti e danni da' Fiorentini, che simulatamente si mostravano amici, e in lega, e poi di segreto gli ajutavano a dar la stretta, si raccomandaro con la Città, e Stato, e Territorio al Conte di Virtù.

Valeva lo Stato del grano un fiorino d'oro per lor cagione.

Bando si mandò, che fra tre dì tutti i Fiorentini havessero sgombro tutta la Città e Contado Senese a pena delle forche, perchè s'era rotta la guerra con loro, e havevan soldato e Baroncelli, e Conti di Maremma, e quelli ci facevono anco gran danno.

1 3 8 9.

A dì 28. Aprile uscì di Siena 7. mila persone, e andorno in Valdambra, e presono sei Terre per amore, e menoronne più di 100. prigioni, e molto bestiame, e altre robbe.

A dì 30. Aprile si mandò una sfida a' Fiorentini.

Sappiate, che Fiorentini potevano tenere in pace Toscana, e per loro mettar male tra Signore e Signore, si condussero la guerra per farsi poi Signori come d'Arezzo, e Pietramala; e furno cagione, che Siena hebbe Signore, che mai più haveva sentito giogo di dominio d'altri.

A dì 24. Maggio andò la Bandiera del guasto a Montepulciano, e fevvisi gran danno.

E si ribellorno in questo sei castella di Valdarno di quelle de' Tarlati d'Arezzo, e deronsi a' Sanesi.

Fiorentini a dì 15. Maggio in cavalcata vennero fino a S. Pitornella, e presero tre prigioni, e robbe, e a 21. venneno fino alla Costa al Bolgione, e fero assai danni.

A dì 21. Maggio venne l'ulivo, come s'era preso Gustignano di Volterra, e preso el Conte Gaddo con 50. compagni.

A 24. Maggio Fiorentini cavalcaro all' Abbadia a Isola, e al Petrajo, e presero per forza, guastando vigne, e arboli fino a Monteriggioni; e tutto facevano, perchè si levasse el Campo da Montepulciano per poterlo rifornire.

In questo tempo el Conte di Virtù era a Campo a Bologna.

A dì V. Giugno era il Campo di Siena intorno a S. Giusto con due bombarde, che tiravan pietre di libbre 300. le quali ferno cader parte delle mura della Terra.

Andò un bando per parte di M. Giovanni d'Agho, che chi uccidesse un degli Aretini Guelfi,

Guelfi, havesse fiorini 2. mila e erano 30. nominati, i quali havevon mandato bando, che chi amazasse M. Giovanni detto, havesse fiorini X. mila.

A dì 7. Giugno fu preso S. Giusto alle Monache, e fu guasto e disfatto.

A dì 9. Giugno la detta gente andò a Colle, e introrno nel Borgo, e amazzorno 80. huomini, e nel partire si scontrorno con molti inimici, n'amazzorno 14. e menarone assai prigioni.

A XI. Giugno la detta gente andò al Monte S. Savino, e combatterno Cappannole, e preserla per forza.

Fiorentini vennero fino l'arbolo di S. Francesco, amazzorno, e feriro parechi, e menarone prigioni.

A dì 13. Giugno venne l'ulivo, che s'era havuto Marciano presso 6. miglia a Arezzo di Chiana.

A dì 18. si perdè la Torricella, el Comuno fe guastar Bossi.

A 22. furno tolte due navi di grano, che andavono a Fiorenze, e condotte a Talamone.

Molta gente a piei e cavallo circa mille vennono dietro al Campo Senese, che s'era partito dal Monte S. Savino, voltossene una parte, e appiccorno la battaglia, e nimici furno rotti, e presi prigioni più di mezzi.

In questi dì gli usciti di Perugia feceno testa, e corseno fino alla Piazza; levossi el rumore, e combattendo ne furno morti 150. e gli altri si fuggiro.

A 26. Giugno ritornò 'l Campo al Monte S. Savino, e torniossi per assediarlo.

Morì M. Giovanni d'Agho Capitano de Senesi, perchè i Fiorentini l'avelenorno, e se li fe' bellissime esequie; e sapendosi nel nostro Campo la sua morte furno tutti addolorati, e tornaro.

A dì 6. Luglio venne l'ulivo del Conte di Virtù; haveva ripresa Verona, e morti più di 2. mila de' nimici, e fessi festa.

A 20. Luglio e Fiorentini vennero insino a Fonte Becci, e poi andorno a Monte Martini, e rizzaro la lor Bandiera, e partiro con molti prigioni; e a 30. Luglio ritornaro in Valdimerza, e a Monteciano, e Torniella scorrendo tutto 'l Paese, e menaro tre mila bestie grosse, e molte delle minute a salvamento.

A 16. Agosto Fiorentini scalorno Basciano, e non l'hebbero. In questo Pavolo Savelli uscì con molta gente scorrendo fino al Sambuco, e di notte si scontraro due volte co' nimici, e sempre furno e' nimici rotti, e tuttavia . . . . . il grano, che era in barche se ne ritornaro seguiti da' nimici, ma non molto dappresso insino a Fontebecci. E sapendosi in Siena el seguito de nimici, subbito si serrò le Buttighe, e ognuno in arme uscì fuore; e' nimici sentendo derno volta, e così tutta la preda si condusse a salvamento in Siena senz' alcun danno de' nostri.

Rinforzando la guerra co' Fiorentini, e seguitando el caro, che valeva lo staro del grano un fiorino, e tre soldi; el pajo delle pollastre soldi 40.; e Capponi 4. soldi manco di due fiorini d'oro; e l'oncia del Zuccaro fiorini otto; e la carne fiorini tre la libbra; e la moria ci faceva assai danno, e non ci era molta concordia fra' Cittadini; e ogni mese una presta a due fiorini per migliaro, e tutte le botteghe s'abbandonorno, salvo chi haveva cose da soldati, o da infermi. Erasi fornito di segare el grano, e chi volse tribbiare, fu di bisogno, che facesse condurre il grano in Siena.

Il dì 2. Agosto le genti de' Fiorentini vennero a Castel della Selva, e fessi gran battaglie, che rimase a piè le mura 8. morti, e più di cento feriti, e dentro un huomo e una donna morte: colsevi una soma di guirettani.

Trattato havevano i Fiorentini in Rugumagno, sapendosi si mosse Pavol Savelli a 24. d'Agosto con le nostre genti; e giugnendo s'appiccaro co nimici, e fero crudelissima battaglia, e nel fine e' Senesi ruppero e' Fiorentini, e menarne el Capitano con la Bandiera, e 125. prigioni, e furno tutti appresentati a' Signori, e vi rimase 25. morti, e si fece grandissima festa.

Fiorentini a 26. Agosto cavalcaro per il Senese, e giunseno insino a S. Giulia, combatteronla tre hore, e presonla, e menorno via gli huomini e la robba.

A 5. di Settembre i Fiorentini vennero fino alle Tolfe, e parte fino a Monte Grimaldogli, e messeno uno aguatto, e amazzando, e ferendo, cavando occhi, denti, mozando mani e piei, e altri disonesti membri, e usando infinite crudeltà, lassando morir di fame i prigioni, e molte altre cose, che in molte cavalcate si feciono, le quali habbiamo lassate per essere co' medesimi effetti più volte da tutte le parti accadute. L'aguatto de' nemici non servì a nulla, però si ritornorno tutte le genti a casa, ma per riposarsi poco.

A dì 16. Settembre Senesi scorrendo per lo Contado Fiorentino insino a Rubba, e nel tornar con la preda si scoperse un aguatto, che erono assai più gente de' nostri, e appicciandosi insieme combattero un pezzo, e fuvi assai morti e feriti da ogni parte.

A 22. d'Ottobre fu tagliata la testa a un Frate di S. Agostino che portava lettere di tradimenti.

A 29. Fiorentini vennero in Valdarbia ardendo molte ville, e andorno in Valdimersa, e presono Montepiscini, e la Rocca Ranuccini, e Tocchi.

A dì . . . . si levò un rumore in Siena per lo Conte di Virtù, e fuvi parecchi morti de' Malavolti; e M. Niccolò Salimbeni, e M. Urlando Malavolti si partiro, e andaro alle lor Fortezze, e facevano guerra a Senesi, e avevono ajuto da' Fiorentini.

A 4. Decembre Senesi preseno el Poggio di Cortona, che è presso a Montepulciano, e tennesi 50. dì, poi e' Fiorentini lo rihebbono per forza.

A 7. Decembre si perdè Montereggioni, el dì medessimo si racquistò, e fuvi morti 50. huomini de' Fiorentini, e li detti dì e Senesi presono molte Castella di là da Brolio.

A 10. di Febraro e' Senesi ruppeno 500. cavalli de' Fiorentini da Monterognoso, e Fontebecci, e vennero in Siena 300. cavalli prigioni.

Si prese Asgnolo, e tennesi 4. mesi, poi e' Fiorentini lo ripresono.

A 16. Marzo entraro le brigate de' Fioren-

rentini in Casole, e combatteronla 10. hore dentro, e poi ne furno cacciati, e rimasenvi 50. prigioni, e gli altri fuggiro.

A dì 28. di Gennajo si guastorno in Siena molti Palazzi de' ribelli, tra' quali fu quello de' Tolomei.

A 2. di Ferrajo si bandì la tregua per 25. dì.

A 8. si bandì la pace tra Siena, e Fiorenza, e le cose state della guerra, che era durata due anni, furno amichevolmente restituite, e assoluti tutti in havere, e in persona.

E non è quì scritto la vintesima parte delle cose state, ma solo ho scritto fedelmente quello, che ho saputo di vero.

Lo staro del grano valeva lire sette, che son presso a due fiorini d'oro; e stette la pace fino alla ricolta del grano, e allhora venne una Compagnia di gente mandata da' Fiorentini, la quale dicevano esser cassa. Hebbero dal Comuno fiorini 6. mila d'oro, e tornò lo staro del grano a soldi 45.

1390.

A 14. Aprile cavalcaro le genti de' Fiorentini verso Cacchiano, el presono combattendo; el dì medesimo v'andò 'l soccorso di Siena, e ne caccioro i nimici, e funne morti e feriti assai.

Insino a 12. d'Aprile e' Senesi tolsero Tribbio a' Fiorentini, e lo dettono a un di quegli, che vi stava dentro, e fu un Venardì.

A 12. Maggio i Senesi raquistaro Tocchi per forza di battaglia, che l'havevon tolto i Fiorentini, e disfecesi, e arrecossene la Bandiera de' Fiorentini con Leone di parte Guelfa di Fiorenza, e attaccossi in Palazzo col capo di sotto con grandissima lor vergogna.

A 14. Maggio in mezedima uscì di Siena 2. mila cavalli, e cavalcaro a Colle di Valdelsa, e ine combattero con gente a cavallo de' Fiorentini, e per forza li cacciaro del Borgo, e dell'Abbazia a Spognia, e insino a Vallino delle parti di Colle, e ine fu grande battaglia con loro, che durò 50. hore; e poi e' nostri si partiro con grande honore, e come vincitori.

A 8. Giugno vennero al Palazzo di Vagliagli, e presonlo per forza di battaglia in Domenica.

A 18. Giugno vennero 6. mila huomini tra piei e a cavallo de' Fiorentini, e cavalcaro in Valdimersa, e posensi in Campo in sul Poggio d'Orgia.

I Capitani, che haveva el Comuno di Siena. E prima Pavolo Savelli da Roma, M. Giovanni degli Ubaldini, M. Ugulotto, M. Guido d'Asciano, Tommasino Crivelli, Ragio, Biordo, Bernardino da Perugia, Agnolino Tetti, Bertolino, el Conte Tancredi della Garda, Martino di Besso, Giovanni Tedesco da Pietramala, Taviano, e Agnolino di Giovanni Salimbeni, Giacoppello Malavolti, e molti altri Condottieri, che si tenevono con le genti loro.

A 23. di Giugno cavalcaro 500. cavalli Senesi per insino a quattro miglia presso a Fiorenza, e un'altra brigata di poco meno andorno verso Volterra ardendo e predando. El dì di S. Giovanni festa principale de' Fiorentini tornaro con gran moltitudine di prigioni e robbe.

El dì seguente la gente, che era rimasta in Siena, uscì fuora, e fe il simile in altri luoghi del Contado di Fiorenza.

A dì 25. Giugno si partiro e' nimici da Orgia, e vennero dritto a Selvoli, e scontroronsi con Checco di Cione di Sandro Salimbeni, e presanlo, e andorno per vettovaglia a Monte Benichi, e derno volta per Valdarbia. E in questo tempo e' Senesi ferno disfare Orgia; e Fiorentini tornarono verso Selvoli con prigioni e robbe; e una nostra brigata si scontraro con loro, e fero belle battaglie, e colpi di lance insieme. E in detta hora tre soldati hebbeno quistione insieme sul campo in Siena, e ferno scaramuccia, e furno presi, e a due furno tagliate le mani a piei al Chiasso de' Calzettai, e al terzo nel Mercato vecchio; laonde la novella andò in campo, dicendosi, che contrastavano in Siena, e s'era levato il rumore, e per questo le nostre genti tornarono in Siena, e nimici andorno a S. Sano a Dosana, e per forza el presono salve le persone per grazia di Bettino da Ricasole; e rubbando S. Sano el disfeciono col fuoco, e spianorno fino a terra; e' nimici si partirno con molte robbe, e col Braccio di S. Sano.

A 8. Luglio si fe' disfare Cosona per gelosia de' Tolomei, che v'eron presso con gente de' Fiorentini.

A 12. Fiorentini vennano a Sovicille, e combattendo un dì, che vi gionsono furno maltrattati parte di loro da' nostri, che tolseno la Bandiera Fiorentina, e fu posta sul muro di Sovicille col capo di sotto.

A 13. Luglio Fiorentini andorno a Radi, e presonlo, e rubbando; e altri, che giunseno tardi, per stizza di non poter rubbare, vi messon fuoco, e s'alzò per la Torre, e sparsesi, di modo che 22. ve ne morì; e sapendosi chi fu, che v'appicò 'l fuoco, fu preso, e impiccato. E partironsi con 13. prigioni, e robbe, e furno imprigionati a Radda, e la notte si fuggiro.

La sera del 13. Luglio giunsero in Siena sette some di Ducati, e arienti coniati mandati dal Conte di Virtù per poter seguitare la guerra co' Fiorentini.

A 23. di Luglio Fiorentini cavalcorno sul Senese facendo l'usanza loro di bruciare e dannegiare in modo, che si condussero presso a Siena a mezzo miglio. E

Notate, che ci era di grandi stenti; e massime per la fame, e' soldati stavano malcontenti, e volseno più volte saccheggiar la Canova del Comuno.

Il primo d'Agosto le brigate Fiorentine andorno a Tribbio, e per forza di bombarde lo presono.

Venne di Lombardia l'ulivo, che M. Giovanni Acuto, e le brigate Fiorentine erano state rotte, e fracassate, e così tutt' i Cavalli, e a due d'Agosto venne l'ulivo, come Lucca s'era corsa per lo Conte di Virtù, e cacciatone e' Fiorentini. Di ciò se ne fece in Siena festa grandissima di ballare, sonare strumenti, e campane, e fuochi; e per questa cagione si partiron le genti de Fiorentini da Tribbio, e cavalcarò per il Contado, e gionsero alla Gazaja, e combatternola, e hebbonla; e arseno quella, e Borgo; e menaro de le dette Terre tutti i prigioni, che vi trovaro, e morivvi 6. Fiorentini.

A V. Agosto in Sabbato giunse l'ulivo del modo, come era stata la sconfitta de' Fiorentini dal Conte di Virtù, e insieme del Conte d'Armignach, el qual veniva per essere Duca di Fiorenza con volontà de' Fiorentini, e veniva con gran gente; e giunto ad Alessandria de la Paglia, lì cominciaro una battaglia co' villani del Paese, e così combattendo presono la Città d'Alessandria con molto danno. E intanto vi giunse la gente del Conte di Virtù, e assaligli, e combattero molto insieme, al fine fu sconfitto el Conte d'Armignach, e morivvi di molta gente da ogni parte. El Conte d'Armignach andò prigione, e poi subbito si morì per lo grande affanno, ch'ebbe nella battaglia, la quale bastò parecchi dì, imperochè parecchie brigate per scampare fuggivano per certi balsi e valli; e la gente del Conte di Virtù vedendosi vittoriosi li assediavono, e nel fine n'hebbero ogni lor volere. E fu sì grande la rotta, che vi si trovò XI. mila cavalli abbattuti, e molti Baroni morti, fra' quali vi furono prigioni tre Cittadini Fiorentini, che lo guidavono a Fiorenza per farlo Duca. Di ciò in Siena si fe' gran festa, e allegrezza di sonare, ballare, giostrare, armeggiare, vestir di seta e zendadi. Quelli, che giostrorno del Terzo di Città, erano vestiti di vermiglio; quelli di S. Martino di verde; e quelli di Camullia di bianco; e altre magne cose, che mai in Siena si fe' la più bella festa.

A 7. Agosto cavalcò Ragio con la sua brigata per lo Contado di Fiorenza, e andò di là da S. Miniato del Tedesco, e a Castelvecchio, e presonlo per forza di battaglia, e robbaronlo, e feriro chi vi trovaro dentro, e liberò 20. prigioni, che v'erono di quel di Siena, e poi sen' uscì con la robba.

A 10. Agosto si partì el Potestà, che era stato in Siena, e haveva havuto honore, e fulli donata la Bandiera con la Balzana; e tornandosi a Perugia, fu assaltato dalla gente di Montepulciano; el Potestà campò per il buon cavallo; e tutta la sua gente fu presa, e menata a Montepulciano; perdè la Bandiera per la Balzana.

A XI. uscì di Siena gente, e cavalcò per lo Contado di Fiorenza; e' Fiorentini in tanto con Piero lor Capitano erano 44. dì per le Terre del Contado di Siena, el dì uscirno, e andorno nel Fiorentino, e messono uno aguatto nel Senese con 32. compagni a cavallo, e funne presi 23. el detto Piero si fuggì; e furno presi in Venardì.

A 15. Agosto essendo e' Corsieri a Fontebecci per andare alla mossa per correre il Palio, giunseno due mascalzoni de' Fiorentini, e presono due Corsieri, gittandone a terra e' ragazzi, e montornovi su, e andoronsi con Dio con que' cavalli.

A 17. venne l'ulivo, come s'era havuto Montepiscini, e a 18. la Rocca Ranuccini. Queste due Terre ci havevon tolte e' Fiorentini, e tenute X. mesi per forza.

A 20. Agosto si pose una presta a Balzi a' Cittadini di 50. mila fiorini d'oro.

A 22. giunse l'ulivo, come s'era havuto Monte Auto, e Castiglioni, che l'havevano tenuto e' Fiorentini X. mesi, bontà di certi Malavolti, che davano contro al Comuno di Siena.

A 29. Agosto gionse in Siena una soma d'oro e ariento coniato, chel mandava el Conte di Virtù per seguir la guerra co' Fiorentini, cagione dell'alterazion d'Italia.

A 30. fu fornito di dipingere el Biscione nel Palazzo del Comuno, e di ciò si fe' gran festa di suoni di trombe, e campane.

A 4. di Settembre si de' 'l guasto a Brolio.

A 8. di Settembre andò un bando con 5. trombe da parte del Capitano della Provincia di Toscana, che stava in Siena per lo Conte di Virtù, e del Comuno di Siena a tutte le genti d'arme, che quando fussero comandati stessero in ponto per seguir le Bandiere allhora, che vorranno cavalcare per il Fiorentino, el Capitano non era per anco gionto a Siena con le genti.

A 13. di Settembre udirete, come a Siena si raunò una gran gente del Conte di Virtù, di Perugia, e di Siena per cavalcare nel Fiorentino, e partironsi di Siena tutto lo sforzo con due Bandiere, cioè quella dell' Imperadore, e la Balzana, e con quattro bandiere del guasto, e altre bandiere, e pennoni, e mazzieri, e 40. bandiere di Fantaria tutta forestiera, e molti Comandanti del Contado, e della Città di Siena, e di Perugia, e furno a numero tutti 13. mila huomini tra a piedi e a cavallo, e uscirno alla Porta S. Marco con gran festa e allegrezza, el terzo dì si scontrorno con le brigate del Conte di Virtù, che venivan da Pisa; e in quel di Colle, cominciaro a dare el guasto con gran rovina. E così cavalcaro poi per insino presso a Pistoja, e presono el Castello di Canneto, e disfecionlo, e presono fino a sette Castella. Intanto uscì di Fiorenza 13. mila cavalli, e furno a petto alla nostra gente, tra la quale erono 2. milla cavalli di quelli tolti al Conte d'Armignach, e partironsi da' nostri, e ci tradirono, e andornosene dalla parte de' Fiorentini; e poi e' Fiorentini percossero i nostri fanti, e gli ruppenò, e menarnone 700. prigioni. E intanto vi giunse parte della nostra gente a cavallo, e si cominciò una crudel battaglia, e furno riscossi 500. prigioni de' 700. E restata la battaglia vi si trovò 27. morti de' nostri, e di ciò e' Fiorentini feciono gran fuochi, e tutta Siena dubitò, che la nostra gente non havesse havuto grande scandolo, vedendo tanti fuochi; dipoi sapendosi la verità in Siena, se ne rallegrorno. Ma vedendo M. Jacomo da Lucca Capitano delle genti venute di là el grande inganno, che era stato fatto, si ritornò verso Pisa a salvamento. E Fiorentini guardavan bene i lor confini da quella parte con X. mila cavalli, e assai pedoni, e facendo molti fossi e tagliate; e così durò fino a 25. d'Ottobre. E essendo stata la nostra gente in tal modo 40. dì, fu deliberato, che ritornassono in Siena el Senatore con 200. lance, e con tutti i Senesi, e pedoni, e le bandiere del guasto, e' Capitani delle Masse, e tornaro; e l'altre brigate restaro in quel di Pisa, e di Lucca, e così stero.

A 17. di Decembre mandaro e Fiorentini 2500. bestie per vettovaglia, e mercanzie, che havevono 500. lance per scorta; e M. Jacomo del Vermo seppe la lor venuta, e con la sua gente giunse a costoro, quando erano usciti di Pisa, e ine si percossero insieme,

sieme, e furono rotti e' Fiorentini, e perderono due mila some; e fu sì grande la perdita delle mercanzie, che non sarebbe stimabile. E quando giunse la novella a Fiorenza, furno tutti sbigottiti, e malcontenti, e in Siena se ne fece festa; el dì di S. Tommè si fe' la processione con tutti Frati, Preti, e reliquie della Città.

A 6. di Gennajo fu arsa la Porta di S. Niccolò di Fiorenza, e venne la novella a Siena.

A 15. Gennajo cavalcaro grandissima gente de' Fiorentini per lo Contado Senese, e riscontroronsi con la nostra gente a 17. di detto nella Tressa, e lì feceno insieme gran battaglia; e mentre e' Fiorentini feceno disfare S. Giulia, e Querceto, e altre tenute, che ci havevon tolte, in questo giunse la novella, che era stata arsa la Porta di S. Friano di Fiorenza, onde per questo venne gente de' Fiorentini con grande sforzo fino a Fontebecci, e ine gionseno, e armeggiaro, e fecenvi Cavalieri, e disfeciono la metà della Fonte; e tutta Siena stava in arme, e fu a dì 20. Gennaro.

1391.

Venne novella, come Lucca haveva romoreggiato, e eronvi morti 45. Cittadini.

1392.

E così e' Fiorentini ci mandavano ogn' anno una Compagnia, non guardando, che fusse fatta la pace, dicendo non esser lor gente; e molte cavalcate fero fare sul Senese da lor benvoglienti per insino a questi dì, e Anno 1392. che scorseno tutto 'l contado.

A 2. Ottobre fu morto in Pisa M. Pietro Gambacorta, che n'era Signore, e M. Jacomo d'Appiano prese la Signoria della Città. E fu morto M. Pandolfo Signor di Perugia, e Biordo prese el reggimento con la parte sua.

1394.

Si fecero in Siena certe provisioni in questo modo 24. Commissari delle Porti di 6. mesi in 6. mesi, e' quali per ogni romore o per guerra presso alla Città era ciascuno deputato alla Porta con cento fedeli provisionati; e alle prime Porte stavano due Commissari; e a la Porta S. Sano due altri Commissari; così a la Porta al Arco, e a tutte l'altre conferentemente, havendo ogn' hora a far la rassegna, e davano la provisione di gabelle. Dipoi feceno tre Commissari alla guardia delle Porti delle gabelle, e' quali havevono a trar delle masse gl'huomini loro per la guardia di dette Porti, e per queste cagioni eron detti Capitani delle Masse, dipoi si fece cento Provisionati della Piazza, e del Palazzo, e fessi uno allora Deputato sopra le spie con buon salario.

Salimbeni e Montanini trovandosi insieme a una nobile e bella caccia più numero di gioveni dell'una parte, e dell'altra, e essendo stato morto un gran Cignale accanato, contendendo della prodezza de' Cani occorse, che un de' Montanini per questa differenza ferì a morte uno de' Salimbeni, per la di cui offesa crescendone mortale inimicizia intervenne, che in poco tempo la casa de' Montanini fu data a estrema ruina; ma pure doppo molti e molti anni alquanto fu rimessa e humiliata l'ingiuria.

1395.

Occorse, che negli anni 1395. della Casa de' Montanini solo n'era rimasto Carlo di M. Tommasso, e una sua sorella carnale d'anni 15. nominata Angelica, la quale più presto veramente haveva forma d'Angelo, che di creatura humana. Trovandosi Carlo una Possessione in Valdistrove, per quanto ella era assai buona, e ben' accommodata, valeva intorno a mille ducati; col frutto di questa sostentava se, e sua sorella assai poveramente, imperochè altro patrimonio per le nimicizie occorse non gli era rimasto; vivendo adunque in questa forma Carlo, molto più ne' costumi, e in parlare, che in pompe, o altre esteriori dimostrazioni faceva fede del nobil' animo suo di Gentilhuomo per la sua impotenza e necessità.

Intervenne, che Anselmo Salimbeni giovane di sangue, e d'animo nobilissimo, e molto ricco, e senza fratelli, o consorte, habitando vicino alla Casa di Carlo, e passandovi ordinariamente, secondo che gli occorriva spesso, e sempre che n'haveva occasione, riguardava la bellezza e gentilezza d'Angelica, maravigliandosi de' costumi singolari, e della virtù di quella giovane. E più volte attentamente ponendovi cura, come avviene a tutti gli animi gentili, s'innamorò ardentemente, quasi non se n'accorgendo Angelica; ma perchè tra le due Famiglie non era mai in tutto estinta la nimicizia, se bene più per molto tempo non v'eron corse offese, nondimeno non v'era mai stipulata alcuna pace, nè introduttasi domestichezza, o commerzio di nessuna sorte: per questo e altri sospetti Anselmo teneva occulto il suo desiderio, e di modo lo celava, che a ogn' altro infuora a se lo teneva nascosto. Standosi adunque in sì fatti termini alcun tempo senza innovazione o mutazione di cosa nessuna, avvenne, che N. N. Cittadino potente nel reggimento, e Popolare, cupido della possessione di Carlo, essendoli vicina, e a confino in Valdistrove, lo fece richiedere, che gliela vendesse, offerendoli il prezzo di mille ducati; la qual cosa Carlo non volendo fare, sì perchè sola teneva quella possessione dell'antico suo patrimonio, sì ancora perchè con quella con assai fadica sostentava se, e Angelica sua sorella, non havendo esercizio, nè arte alcuna da esercitarsi; onde el suddetto Cittadino, perchè Carlo per necessità l'havesse a vendere, e così gli venisse nelle mani quella possessione, fe' imputare Carlo haver tentato contro il presente stato alcuna machinazione, di che ordinariamente era pena la testa: per la qual cosa Carlo fu subbitamente preso, e carcerato nelle segrete, come si suole ne' casi statutarj. El Cittadino simulando verso Carlo grandissima benevolenza e compassione, simulando volerli dare ajuto, lo fe' condennare in fiorini mille da pagarsi infra 15. giorni, e non pagando fra 'l detto tempo, la pena divenisse capitale secondo lo statuto. E così fu intimato e significato a Carlo carcerato, il quale innocente vedendosi redutto a tanto estremo, e volendo pur per manco male fare ogn' opera per salvare la vita, fe' offerire per un sensale al Cittadino la possessione sua per il prezzo, che gli haveva già offerto di mille ducati, o almeno di mille fiorini quanto era la sua condennazione:

A zione; ma quello più avaro e empio, che
giusto e discreto rispose, che non vi spen-
derebbe più che 700. fiorini, che per allora
si disagiava anco per questi, ma solo lo face-
va puramente per sovvenire el bisogno di
Carlo, del quale haveva certo pietà infinita.
Ritornato a Carlo 'l sensale, e udita l'offerta
del Cittadino, e cognoscendo l'opera, & il
fine, a che caminava, considerando, che se
vendeva la possessione meno di mille ducati,
non poteva liberar se, nè lassare alla sorel a
sussidio alcuno, onde si potesse sostentare nel
la povertà o infelicità sua, facendo in un
medesimo tempo pietosa, e disperata resolu-
zione, deliberò al tutto di morire innocente,
B e relassare nelle mani di Dio misericordiosis-
simo la causa, e l'anima sua, e reservare la
possessione per la dote d'Angelica, acciochè
potessi accommodarsi e maritarsi, che per
liberar se porre in pericolo l'honor del san-
gue suo nobilissimo. Per la qual cosa licen-
ziato il sensale aspettava con animo forte e
costante il termine de' 15. giorni, doppo i
quali per esecuzione della pena dovea essei
decapitato non satisfacendo i mille fiorini.
Haveva Carlo molti parenti della linea ma-
terna, e' quali benchè fussino ricchissimi, e
desiderosi di sovvenirlo, e salvarlo, nondi-
C mento essendo la colpa sua d'haver macchina-
to contro il reggimento, nessuno ardiva vo-
ler pagar detta condennazione, nè pur dire
una parola in benefizio d'esso per non ren-
dersi sospetto a chi governava. E così essen-
do venuto il tempo dell' ultimo giorno de'
15. intorno l'hora di nona, Anselmo Salim-
beni ritornando di Villa passò dinanzi la casa
Montanini, e vidde uscirne molte Donne
sconsolate e piangendo, le quali erano state
a fare uffizio amorevole con Angelica, la
quale dal dì della cattura del Fratello era sta-
ta in continue lacrime trafitta dal più acerbo
dolore, che potesse sentirsi, peroche consi-
derava nella sua nobil mente a che stato infe-
lice si conduceva, come miseramente vede-
va estinguersi il suo sangue nell' unico fratel-
D lo; poichè amandosi insieme cordialissima-
mente, nissuna cosa d'esso gli era nascosta.
La qualità poi, e la bontà della giovine ren-
deva altrettanto compassionevole il caso in-
felice del Fratello, e suo; e per questo non
restarono Donne di qualche conto, che per
parentado, e per pietà non la visitassero, e
cercassero di confortarla. Ma poichè questo
non potevon fare, l'accompagnavan con le
lacrime, e con la compassione, e massime in
quel giorno ultimo, quando altro non s'as-
pettava, se non che fusse levata la testa a
Carlo per le mani della Giustizia; onde ella
altrettanto trafitta da la passione, altrettante
strida, altrettante lacrime spargeva, anzi
E sentiva altrettante morti. Talchè Anselmo
vedendo e sentendo queste cose, scavalcato
domandò qual fusse la cagione di que' pianti,
non havendo fino allhora notizia alcuna dell'
accidente di Carlo. Fu ragguagliato intera-
mente di tutto 'l successo, e che per non ha-
ver pagato la pena di mille fiorini, la mat-
tina seguente se gli doveva tagliar la testa,
essendo quello l'ultimo giorno del termine.
Anselmo, come hebbe inteso 'l caso, essendo
d'animo nobile, e d'ingegno elevato, giudi-
cò subbito, che Carlo havessi eletto prima di
morire, che privar la sorella del modo di

potersi maritare, secondo che haveva com-
preso dalle parole di chi gli haveva raccon-
to 'l fatto distesamente; e sentendo infinito
affanno dell' affanno e afflizione d'Angelica,
e per amor d'essa di Carlo suo fratello, com-
battuto da diversi pensieri se ne ritornò a
casa, e quivi ritiratosi in camera tutto solo
cominciò fra se a discorrere, che partito do-
vesse prendere nello stato, dove si trovava,
vinto e legato dall' amore infinito, che por-
tava ad Angelica, e da la compassione de le
sua avversità; e diceva tra se dall' altra banda:
O *Anselmo, par pure, che la fortuna sia stata*
più curiosa dell' honor tuo, che tu medesimo, ha-
vendo ordinato, che Carlo Montanini, col qua-
le già longo tempo hai tenuta inimicizia mortale,
sia dalla giustizia publica condotto alla morte;
nella quale ti potrai sotisfar della vendetta di
tutte l'ingiurie passate, desiderata da tutti del
sangue tuo, e degna d'esser cercata e eseguita
da te, e non lasciarti prender vanamente da la
fugace bellezza d'una fanciulla della Fameglia
inimica. E se pure questo desiderio ti stimola,
ecco che restando ella senza alcuno, e povera,
haverai facil modo di possederla con poca spesa,
e minor fadica a piacer tuo, essendo che tolta la
vita a Carlo, a lei anco sarà levata la robba;
però aspetta lieto, e godi di così desiderati e
favoriti successi, i quali ti sono apparecchiati.
E poi subbito ripreso da più nobil pensie-
ro, e quasi desto da grave sonno rimpro-
verava a se stesso, che come vile e pusil-
lanimo doveva recarsi a estrema vergogna
quella indegna disposizione, che haveva
concetta nell' animo suo, e che troppo era
nota alla sua conscienza, essendo principal-
mente le prime parti degli animi nobili e
gentili, vendicar da se per se stesso l'ingiu-
rie quali esse siano, o disprezzando ogni
vendetta quelle interamente remettere e per-
donare, allora massime che la fortuna ne
porge più larga, e più facile occasione. *Tu,*
che hai negletta la prima, non vorrai hor pro-
curare d'operar la seconda? Non sarai anco in-
grato, poichè dalla casa tua son venute sopra
Angelica innocente molte calamità per le perdite
infinite, che ha patite la Casa Montanini in più
tempi da' tuoi passati. E nondimeno sai pur tu,
che ogn' hora, che l'hai riguardata, sempre
t'ha mostro animo pacifico, el viso scarico d'ogn'
odio. Hai degenerato talmente da' tuoi nobilissimi
antichi? Consentirai, che una Casa tanto da te
meritamente amata, resti hora in tanta estrema
necessità abbandonata da te, da te, che più d'ogn'
altro ne devi tener singolar cura, e ajutarla
sempre? E se mai si saprà, che per mille fiorini
(cosa in se vilissima) habbia lassato perire il fra-
tello unico della tua Angelica, dalla quale sai
pure, che è teneramente amato, e quanta affli-
zione la senta hoggi per timor di non perderlo,
non saria giudicato sempre questo effetto propio
d'un' avarissimo Villano, e non d'un Gentilhuo-
mo par tuo? E se contro l'innocenti e miseri
s'havessero a ritenere e esercitare l'ingiurie e
l'inimicizie, non confessaresti tu più tosto haver
natura, e qualità di fiera, che animo e discorso
di creatura humana o ragionevole? Già te non
offese mai Carlo Montanini, se già non t'offende
coll' esser hoggi ridotto a tanta miseria, che tu
ancora come inimico n'habbia haver compassione,
nè vuol però la ragione, che le colpe d'altri sia-
no punite negl' innocenti. Adunque havendoti la
natura fatto Gentilhuomo, e la Fortuna ricco,

non voler' all' altre nobili qualità fare ingiuria sì grave, come saria non sovvenire a chi è misero, & ha bisogno, massime che con una operazion sola satisfai a tanti debiti tuoi, de' quali tu già non puoi mancare di piccola parte senza macchiar le qualità tue nobili e singolari, non si presentando occasioni così rare ad arbitrio nostro.

Doppo i quali discorsi prevalendo in Anselmo la parte migliore, deliberò, come sogliono e devono tutti gli animi nobili, in tutto sovvenire al bisogno di Carlo, non volendo, che 'l respetto dell' oro impedisse a lui così virtuosa e gloriosa operazione. E levatosi, e tolti d'una sua cassa mille ducati d'oro, senza essersi altrimenti cibato per quel giorno, che de' pensieri e discorsi fatti, essendo già l'hora tarda, sen' andò tutto solo dal Camarlingo, che riceveva i denari delle condennazioni pagando a nome di Carlo Montanini i mille ducati, che haveva portati; e contili, e acconcia, e sbattuta la condennazione di Carlo, hebbe la polizia, che esso fusse immediate scarcerato, e relassato alla sua libertà. Volse il Camarlingo restituire ad Anselmo l'avanzo, che era di 1000. ducati sopra 1000. fiorini dovuti della pena; ma esso gli recusò, mostrando, che havea commissione di pagarli interamente, nè voleva altro. Ricevuta la polizia della liberazione di Carlo erano già 24. hore, el giorno era a l'ultimo termine, quando fu presentata la polizia del relasso a' soprastanti della Carcere per un familiare di Anselmo, che in quel punto cavalcò fuora di Siena, godendo nell' animo suo quella pace, che recano agli animi nobili l'opere virtuose, volendo anco di lontano aspettare, che effetto facessi appresso alla sua Angelica questa sua cortesia, e per fuggire quella maraviglia, che gli haveriano fatta addosso gli occhi, e le parole di tutti i Cittadini, insolita per molti, e forse per tutti i secoli a sentire effetti tanto singolari d'un animo nobile, innamorato virtuosamente in oggietto dignissimo di così singolare amore. Il familiare d'Anselmo intanto sen' andò alla carcere, e data la polizia a' soprastanti, essi vedutola subbito chiamorno Carlo, che con amara, ma costante resoluzione aspettava il termine della sua vita, solamente hormai tanto lontano, quanto è lo spazio d'una breve notte, e credendo, che fussero i Ministri, che venissero a dargli l'ultima ambasciata, acciochè quel restante del tempo solamente dovessi servire a purgare l'anima, e prepararsi all' ultimo passo per renderla al nostro Signore la seguente mattina. Rispose loro assai mesto, quel che domandavano da lui; e' soprastanti allegramente gli dissono: *A noi è stata in questo punto prestata polizia per il relasso vostro, e per questo siamo pronti a eseguire; e così v'apriamo la carcere a vostro piacere; ritornate alla vostra libertà.* Carlo sentendo il contrario di quel che aspettava, fu in un punto sorpreso da grand' allegrezza e maraviglia; e stato alquanto sopra di se quasi stupido domandò a' soprastanti, chi fusse stato quello a chi esso dovesse per l'avvenire obbligazione della vita sua, poichè pagando per lui l'havessi liberato dalla morte. Gli risposeno non saper di questo nulla; perchè solo havean visto un famiglio non conosciuto da loro, che gli haveva portata la polizia del

A relasso. Così Carlo liberato partì dalla prigione, e ritornossi a casa; e trovata serrata la porta, perchè era già notte, battè anco più d'una volta. Angelica aspettando qualche dolorosa novella subbito piangendo si levò, d'onde ella era stata molto tempo dibattendosi, poichè lassata alla fin del giorno da tutte le donne, che l'havevan visitata, e compianta anco della miseria, che vedevan soprastargli per l'avvenire, così piena d'agonia andò alla fenestra domandando chi fusse. Carlo havea sin' allora creduto, che Angelica fusse stata, che l'havesse liberato, sentendola così piangere, maggiormente si maravigliò, e rispondendo disse ad Angelica

B con parole interrotte dalle lacrime: *Apri sorella mia, io sono el tuo Fratello.* Angelica, che ben lo conobbe alla voce, non appena anco certa, se fusse vero quel che vedeva e sentiva, piena di maraviglia e d'allegrezza, non potendo formare una sola parola aperse al Fratello, e lo raccolse quasi insensata parendogli riceverlo vivo, ed in casa, dove credeva piangerlo morto nella sepoltura. Parimente Carlo, che amava teneramente la sorella, stava quasi in un estasi, perchè non sapeva, come si trovasse liberato, nè per qual opera. Intanto alcune Donne attenenti ad Angelica eron venute a star da

C lei quella notte per tenergli compagnia, e confortarla nel caso, che credevano havere a intervenire del Fratello, che per esser preso per causa di Stato anco le Donne congiunte v'andavano con qualche respetto, per non fare in alcuna parte sospetti gli huomini loro: tanto era grande il timore allora di quelli, che reggevano. E vedendo Carlo liberato, ne ferono molta festa, e se ne rallegrorno molto con Angelica, la quale tacendo, e tenendo gli occhi fissi nel Fratello restava quasi abbandonata da li spiriti vitali, che dilatandosi si risolvevano per la letizia, che essa sentiva nel cuore, ma pure al fine ritornata abbracciando 'l Fratello, e rallegrandosi con quelle Parenti, dette occasione

D a loro, che mandassero a farlo intendere agli altri; e così in poco tempo s'empì la Casa di parenti, amici, e vicini, perchè Carlo era pure assai ben voluto, e tenuto giovene da bene, e nell' universale si haveva per certo, che fusse stato imputato falsamente, e ognuno confermava, che Dio haveva ajutata l'innocenza. Parimente era molto nota la virtù e la bontà d'Angelica, talmente, che si poteva quasi dire, che come tutta la Città gli amava, tutta ancor si doleva delle disgrazie loro, e al presente tutta era allegra del lor contento; e così si venivono a rallegrare di buon cuore con l'un e l'altro. Carlo credendo pure, che qual fusse de' pa-

E renti suoi l'havesse liberato, cercava d'intenderne, e trovando, che tutti si scusavano per diversi respetti non l'havere ajutato, si certificò, che d'altro luogo era necessario che fusse venuto tanto benefizio; laonde si generava tuttavia in Carlo nuova maraviglia con qualche sospetto ancora, onde li pareva mill' anni, che si facessi giorno per intendere a chi esso dovesse il restante della vita sua. La seguente mattina per tempo andò Carlo dal Camarlingo, e domandando chi per lui havessi pagati i mille fiorini della sua condennazione, il Camarlingo fattogli accoglien-

glienza, e rallegratosi della sua liberazione gli disse: *Hiersera al tardi venne qui Anselmo di M. Salimbene Salimbeni, e pagò a tuo nome mille ducati d'oro, & domandommi la polizia del relasso tuo, e io gliela diedi; e volendo restituirgli il soprapiù da mille fiorini della tua condennazione, a mille ducati d'oro, che pagò, nol volle. Hora se sei qui per volerlo tu, te lo darò volentieri, e sta a piacer tuo*: che per questa cagione credeva el Camarlingo, che Carlo vi fusse andato, se bene la scrittura s'affettò per i mille ducati, secondo che volse Anselmo.

Carlo inteso el tutto ringraziò el Camarlingo, e partissi; e ritornando a casa immediate rammentandosi d'alcuni amorevoli sguardi e dimostrazioni, che haveva veduti e intesi d'Anselmo verso Angelica, ma però ordinarj e modesti, e parimente ricordandosi delle passate inimicizie durate con qualche tenacità almeno in apparenza fino a quel giorno, vedeva, che non era proceduto per alcun merito suo, donde Anselmo si fusse mosso a farli benefizio tanto singolare, & essendo esso Carlo di buono ingegno, e ben considerato, concluse, che la sua liberazione era proceduta solo da amore, che Anselmo portava ad Angelica, che facilmente negli animi nobili fa queste maravigliose operazioni. E stando alquanto sospeso, conoscendo, che Anselmo haveva donata la sua vita ad Angelica, si deliberò parimente esso riporre in mano d'Anselmo la vita sua, e Angelica insieme. E differito questo proposito con grandissimo secreto, fino che Anselmo fusse ritornato alla Città, accadde, che tra non molti giorni un Sabbato lo vidde, ma di lontano, e ritirandosi destramente si ritirò in casa; e chiamata Angelica in camera, la quale non sapeva anco nulla di questi fatti d'Anselmo, le disse Carlo in questo modo: „ Angelica sorella carissima, ogni „ volta, che io considero quanto per li tempi passati sia stata la nobiltà della nostra Fameglia, e l'eccellenza de' nostri passati, sento certo grandissima molestia nell'animo, poichè noi siamo pur condotti a sì fatti termini di necessità, che con fatica potiamo sostentarci; ma molto in vero maggiormente mi dorrei, quando gli animi nostri fussero tanto differenti da' nostri maggiori, i quali se bene alle volte furono vinti in liberalità con la grandezza de' benefizi, giamai furono avanzati di gratitudine d'animo, e di cortesia possibile a loro; perchè se la fortuna ha fatto ingiuria a noi facendoci poveri, non l'habbiamo già per questo a far noi alla natura, e al sangue nostro di non esser d'animo nobile e generoso. Et in questo veramente mi riposo alquanto, e fra moltissime angustie ne sento molta contentezza, che essendosi usata a' giorni passati la maggiore e più notabil cortesia, che forse mai ricevessi la nostra Famiglia, anco la sorte ci ha lassata facultà di ricompensarle in parte, dove però voglia tu, che gratamente la si remeriti. Già tu sai, che a me più giorni sono saria stata tagliata la testa, e tu saresti restata senza nulla, e in pericolo dell'essere e honor tuo, non havendo modo di pagar la pena impostami de' fiorini mille, nè havendo voluto alcun nostro parente, come t'è noto, satisfar per me, se non fusse stata la grandissima liberalità e bontà d'Anselmo Salimbeni, che per sua sola gentilezza, non ricerco da alcuno, salvo che dall'amore, che ti porta, pagò per me mille ducati d'oro, non havendo riguardo all'inimicizie e ingiurie grandissime ricevute da' nostri passati in molti modi nella sua Fameglia; nè anco ha procurato di questo cauzione alcuna, e non n'havendo causa per non haver ricevuta da me cortesia di nessuna sorte, anzi nè sapendo pure, se io riceverei da lui questo benefizio con animo grato. Ma havendo veramente da esso io medesimo la vita, e tu, el tuo Fratello, e l'essere, e honor tuo, ti prego, che non vogli insieme essere ingrata tu, e far tener me per ingratissimo e villano, ma disponti a voler dimostrare ad Anselmo, che se bene non possiamo interamente ricompensarli la cortesia, non ne siamo almeno sconoscenti; e questo non può farsi altrimenti, che rimetter liberamente in arbitrio d'Anselmo la persona tua, el quale essendo d'animo nobile e generoso, e stimando per quanto ha dimostrato, l'amore e la grazia tua, piacerà forse a lui questa liberalità, quanto a noi ha satisfatto e giovato la benignità sua; e in questo modo solo potremo haver satisfatto alla nostra obligazione. E ben puoi tu esser secura, che se così ha mostro piegarsi tanto, quanto poi sia per haverti cara havendoti in potestà sua; avvisandoti certo, che là dove tu non ti risolva consentire a questa mia domanda, io sono disposto al tutto partirmi non pur di Siena, ma d'Italia, e habitare in paesi stranissimi, dove di me nè tu, nè altri habbia già mai notizia alcuna, acciochè mai io habbia a esser mostro a dito per scortese e mal riconoscitore di benefizio tanto singolare, come ci ha fatto Anselmo Salimbeni. Oltra che tu medesima puoi conoscere; che a noi non resta altro modo di fuggir la nota dell'ingratitudine, peccato sopra tutti gli altri indegno d'esser tra gli huomini, e senza comparazione poi fra i nobili; a' quali deve esser propio l'usar cortesia, e ricevendone non sdomenticarsene mai. Doppo le quali parole Carlo si tacque, aspettando la risposta d'Angelica, la quale se bene intentamente haveva ascoltato il Fratello, nella conclusione poi del ragionamento, come quella, che era d'animo nobile e virtuoso, e di bontà singolare, s'era turbata di grandissimo travaglio, e abbondandogli infinite lacrime con parole più volte interrotte dal pianto gli rispose: „ Di questa sorte, ohimè carissimo fratello, ch'io speravo ne la misericordia, e bontà di nostro Signore, che l'altra sera, quando ti viddi ritornare a casa scampato da tanta disavventura, già la mala sorte di casa nostra havesse rimesso parte di quel veleno, che già tanto tempo con tanto sdegno ci ha sommerso sopra; ma misera a me, infelice Angelica, che tuttavia più conosco non haver mai demostra tant'ira verso i nostri passati, quanta con ogni forza usa verso me, ed in età al tutto misera, ed ancora non tanto colpevole, che mi devi condur nell'estremo d'ogni infelicità, che

„ senza remedio alcuno sia necessario, o che perda te dolcissimo fratello, o con eterna infamia del sangue nostro con perpetuo biasimo del nome mio, e con sempiterno obbrobio di me stessa, e della vita mia, dev'essere ministra io di perdere, e dissipare quel tesoro, per la conservazion del quale non deve esser mai a nessuna nobil Donna duro e spiacevole perder la vita, anzi non si deve giustamente chiamar viva quella, che anco per desiderio di vita resta disonorata. O infelice a me, io pur nacqui misera, misera son vissuta, e finirò anco el viver mio ne la più grave miseria, che mi potessi venir sopra. O morte perchè non finisti, e troncasti el vigore a que' pochi spiriti insieme con la mia madre, la quale nella mia natività mi togliesti, acciochè non restassi un punto solo alla continua mia calamità? E così soprabondando il dolore, dal quale anco erano compresse le lacrime, si restringevano gli spiriti nel cuore, di modo che non morta, nè viva stava senza poter formar parola, riguardando Carlo, il quale in tante angustie sentì più volte opprimersi da disperati pensieri, dolendosi tra se stesso di non haver terminata la vita a' giorni passati, e hora quasi risolvendosi a torsela violentemente, riguardava con tanta compassione la sorella, che chi gli havesse veduti, haverebbe facilmente giudicato, che fussero due statue, e l'una, e l'altra rappresentasse insieme insieme il simulacro della Pietà, e del Dolore. Al fine Angelica quasi desta dal longo sonno, come che leggesse ne la fronte del Fratello i pensieri suoi, fatta una grandissima violenza all'animo suo, che repugnava le disse: *Fratello, molto più d'animo nobile, che osservante della vera ragione, io son resoluta satisfare alla volontà tua, e all'amore infinito che m'hai demostro sempre, e con ch'io ho amato te forse troppo cordialmente. Così io consento, che faccia di questo corpo dono a chi ti contenti, ma bene ti fo certo, che poichè m'haverai donata, e che non doverò esser più tua, nè mia, non voglio essere anco d'altri, perchè divenuta odiosa a me stessa, e anco a te non cara, finirò con la morte le mie molestissime disavventure; e se bene mi sarà levata la mia dignità, farò sufficiente testimonianza, che mi sia stata usurpata; nè mai havrà l'animo mio consentito al tuo non conveniente dono, e la satisfazione non lecita al benefizio, benchè grande.* Doppo queste parole trafitta dal dolore, e chinatasi la faccia in seno si tacque.

Carlo havendo al fine sentita la conclusione della sorella, parendogli, come era degna di giusta compassione, le disse: „ Sorella, non creder, che mai a me fusse questa misera vita tanto cara, che quella ogni giorno io non havesse liberamente posta più tosto, che metter te, e l'honor tuo in pericolo, e l'esperienza te n'haverebbe sempre possuto far certissima fede, ne altra cagione m'haverebbe mosso, che la somma cortesia, e liberalità d'Anselmo, la quale come è venuta da chi non doveva, così ha obligato noi a quel che per l'ordinario non si doverebbe; e però caramente ti prego, che hora mai ponga fine alle lacrime, e vogli persuaderti l'animo nobile d'Anselmo essere veramente dignissimo di questa retribuzione. Doppo le quali parole tacendo pure Angelica, e sospirando aspettava Carlo, che si oscurassi in tutto la notte, che già era venuta; e avvicinate le due hore, facendo torre a un ragazzo piccolo la lanterna si mosse con Angelica, la quale, quasi fuora di se stessa toltasi sopra una robba non molto buona di panno verde, che solea tenere alle volte, partì di casa col Fratello, e arrivando a quella d'Anselmo, che non era molto lontana, battè Carlo la porta; e domandando e' famegli chi fusse, rispose essere un servitore d'Anselmo, che gli voleva parlare. I famigli ferno l'ambasciata ad Anselmo, il quale subbito fatto torre i lumi a due di loro, cortesemente scese alla porta, aspettando ogn'altra cosa, che quel che era; e vedendo Carlo, e Angelica si maravigliò, che se bene poteva conjetturare, che vi fusseno per ringraziarlo, la presenza d'Angelica lo fece star più sospeso. Entrati Carlo, e Angelica, e salutato Anselmo, Carlo gli disse: *Noi habbiam necessità di parlarvi più ritiratamente, e però, se vi piace, andiamocene nella vostra camera*, Anselmo senza darli altra risposta s'inviò alla scala, così sagliro, e si condussero in camera, la quale era preparata e ornata, come era conveniente alla nobiltà e ricchezza d'Anselmo, e data poi a famigli licenza, essi tre soli restaro. E Carlo movendosi verso Anselmo si voleva inginocchiare, ma esso con humanità nobile nol consentì. Carlo li cominciò a dire: „ Signor mio clementissimo, dal quale io senza alcun mio merito ricognosco questa misera vita, e parimente la mia sorella Angelica da Voi ha ricevuto in un punto el suo Fratello, e l'honor suo, se la maligna fortuna non havesse tanto acerbamente perseguitata la nostra Famiglia, l'uno, e l'altro di noi haverebbe secondo 'l poter suo sotisfatto a parte dell'obbligo infinito, che habbiamo alla nobiltà dell'animo vostro. Ma ritrovandoci in così misero stato, che nessuna altra cosa, che l'animo, e questi corpi infelici è rimasa in potestà nostra, i quali essendo stati salvati da voi, di ragione vi si devono; e perchè a fare benefizio così grande crediamo, che v'habbia mosso l'amore, che portiate ad Angelica, perchè altra cagione oltre la bontà vostra non habbiam saputa giamai ritrovare, è ben conveniente, se ella n'è stata occasione, ella satisfaccia a tanto debito, e a tanto obbligazione; & essa per questo di buona volontà si rimette nelle mani della vostra pietà e gentilezza, perchè facciate di lei, e di me, come di cose interamente e assolutamente vostre.

Doppo queste parole non aspettando altra risposta, che pur' Anselmo s'era preparato a voler fare, partì di camera serrando la Porta, e s'uscì di casa immediate. Anselmo veduto partito Carlo, e considerando quanto gli haveva detto, e che in camera sua era Angelica amata da lui ardentissimamente, se ben di nascosto, rimase di tanta novità quasi stupido, e havendo taciuto alquanto, e riguardando Angelica sentiva nel cuore una certa pietà, che li dava contento inestimabile, senza dar luogo a altro desiderio. Doppo volendo pur sentire le parole d'Angelica desideratissime da lui, cominciò a dirle: *Angelica,*

lica, se la vostra beltade, e più le qualità vostre singolari mi siano sommamente sempre piaciute, io so bene, che a voi, che sete di tanto giudizio, non occorre ch'io lo racconti. E volendo seguire il ragionamento riguardando Angelica, che fin allora tacendo non haveva mai mutato colore, ma stando in uno aspetto di somma costanza dava segno d'haver nell'animo suo pur' assai amaritudine perchè se bene alle parole d'Anselmo gli fissò gli occhi nel viso, non dava speranza a lui, che quelle parole fussero udite gratamente da lei, onde mutato proposito, e resolvendosi volere al mondo mostrare la grandezza dell'animo suo, e ad Angelica di che vero e singolare amore l'amasse, senza aggiugnere altre parole s'uscì di camera, lasciandovi Angelica tutta sola, fè subbito per i suoi servitori domandare alcune donne vicine, e in parte congiunte, le quali senza dilazione comparse, perchè ciascuno era pronto alla satisfazione d'Anselmo, el quale co' modi suoi gentili, e con l'usar continuamente cortesie si rendeva obbligato ancor chi non n'haveva domestichezza, egli raccoltole molto gratamente l'introdusse nella camera, pregandole, che per humanità loro volessin tener per allora compagnia a quella Gentildonna, che là entro si trovava, le quali immediate conferitesi da Angelica, e da loro riconosciuta, restaro tutte attonite, non sapendo come ella fussi quì, e quel che havessi di questo a resultare. E alcune guardandosi in viso tacitamente, altre quasi di nascoso e in modo secretissimo domandavano a quella, che le era più prossima, che caso fussi questo, perchè essendo appresso a tutti Angelica in concetto singolare di bontà, non era chi havessi già mai possuto credere ella haver presa mala strada, o esservi per cattivo fine; e dall'altra parte, sapendosi l'inimicizie, che erano state tra la Famiglia d'Anselmo, e quella d'Angelica, e la disagguaglianza, che al presente era tra loro per la ricchezza dell'uno, e la povertà dell'altra, stavano sospese e maravigliose, aspettando pure, che esito fussi per havere questa novità, senza che alcuna di loro havessi ardire di muover pure una parola che tacita e pensosa con una honesta vergogna l'haveva fatto reverente accoglienza nell'arrivo loro. Intanto Anselmo haveva speditamente mandaro per buon numero de' suoi Parenti, così huomini, come donne; invitandoli a participar seco una sua somma contentezza; i quali venendo prontamente in men d'un hora si raccolsono in casa d'Anselmo quasi infinito numero, i quali tutti, se bene da esso furno ricevuti humanamente, e con molta allegrezza, non per questo manifestò mai ad alcuno, perchè cagione gli havessi domandati, nè anco loro volser mai apparire così prosontuosi, che ne lo ricercassero. Ma poichè a Anselmo parve che fussero raccolti a bastanza, disse loro lacrimando di tenerezza; *Io vi prego, che vi contentiate di tenermi compagnia*. Alle quali parole, se bene tutti si levaro in piedi, non fu alcuno, che rispondesse altrimenti, non sapendo ancora a che proposito gli havessi detto a quel modo. Ma comparendo nel medesimo tempo molta quantità di torce accese, Anselmo se n'andò alla camera, e aprendola invitò e pregò Angelica, e l'altre Donne, che erano seco a venir con l'altra compagnia, le quali tutte andaro immediate. Vedendo tutti all'uscir di camera fra quell'altre Angelica Montanini, stupirono, e buona parte credevano, che non fussi essa veramente; ma altra, che la rassimigliasse; e se ciascuno desiderava ardentemente d'intender la cagione di questo caso insolito, non però alcuno ne domandava; o se pure ne domandava, non era chi sapessi renderne conto alcuno. Così poichè ne la sala furno tutti insieme, Anselmo facendo partitamente precedere i servitori con le torce, s'inviò alla scala, e doppo, seguendolo tutti, alla casa di Carlo Montanini, la quale battendo, Carlo subbito rispose, e sceso da basso vedendo Anselmo, e tanta compagnia gli disse con molta reverenza: *che mi comandate, Signor mio?* Anselmo allora pigliandolo per mano gli disse: *Carlo, poco fa venendo a casa mia, domandasti volermi a solo parlare nella camera mia, e io hora domando voler parlare a te in casa tua, e in presenza di questa honoratissima compagnia*. Rispose Carlo: *Eccomi paratissimo ad ogni vostro comando*. E subbito facendo Anselmo, e Carlo la via agli altri saglirono in casa, e arrivati in sala, poichè tutti hebbono havuto luogo, Anselmo rivoltosi intorno a tutti, che intentamente lo guardavano, disse in questa maniera:

„ Nobilissime e savissime Donne, e voi „ magnifici e carissimi Cittadini, io non „ dubbito, che con grand' ammirazione „ ciascuno di voi aspetti l'esito, perchè sia „ fatta questa nostra presente congregazione, „ ne la casa massime, dove ci troviamo, „ sicome così forse mai più veduta o usata „ ne' secoli nostri, e de' passati ancora, e „ perchè la generosità dell'animo non può „ esser mai vinta da alcuna disgrazia, nè „ superata da sinistra fortuna, che sopravenga, e così non esser mai fatto nobile „ l'animo vile nè da ricchezze, nè da pros„ perità, nè anco da dominj, nè da Regni. „ Dico questo, perchè sia noto a tutti la „ chiarezza e gentilezza dell'animo virtuo„ so di Carlo Montanini, e d'Angelica sua „ sorella, ridotti forse in qualche necessità „ per i torti giudizj de' nostri passati, i „ quali essendo in luogo, che non possono „ più defendere o correggere le azzioni lo„ ro, meritano piamente scusa e perdono; „ ma se bene sono stati angustiati dalla po„ vertà, e oppressi da indegna e ingiusta „ sorte, non mai hanno rimesso a lor pote„ re alcuna parte di quella chiarezza, che „ suol risplendere negli animi nobili per „ virtù, e vero valore. Le quali cose ri„ guardate già più anni, e comprese da me, „ e massime nella bellezza, honestà, e qua„ lità singolari d'Angelica, feci certa dispo„ sizione nell'animo, che nessun' altra don„ na fussi più degna d'esser nobilmente ama„ ta che lei. E così certo l'ho amata con „ quella sincerità, che si deve a Donna di „ tanto merito, vedendo che se bene la bel„ lezza era in lei veramente Angelica e di„ vina, pure molto maggiore era la bontà „ la modestia, e l'altre virtù infinite, per le „ quali ella è maravigliosa a tutti. E questa „ mia intenzione per molti respetti ho te„ nuta sempre così celata, che fino a quì è „ stata a ciascuno nascosta, e altri mai s' è „ possuto accorgere del desiderio mio, che „ l'alta

„ l'alta e provida mente di Carlo Montani-
„ ni, illuminata solo da infinita gratitudi-
„ ne, e somma gentilezza; perochè essendo
„ ne' passati giorni, come tutti sapete, ri-
„ dotto più tosto a voler morire, che per
„ salvare la sua vita torre alla sorella il mo-
„ do di potersi accommodare honestamente
„ al mondo: io per pietà delle sue disavven-
„ ture, per l'amor d'Angelica pagai per esso
„ senza sua richiesta o saputa mille ducati
„ della condennazione, acciochè per defetto
„ di sì vil cosa, come sono i denari, non
„ havessi a perdersi huomo così degno, e
„ fratello unico d'Angelica da me amata so-
„ pra tutte le cose. Se bene occultamente
„ non ha possuto patire l'animo prestante
„ dell'un' e l'altro, che una cortesia anco
„ che piccola restasse a poter loro inremu-
„ nerata, anzi come è natura degli animi
„ ingenui, ricompensarla tanto altamente,
„ che avanzasse, come ha fatto, anco ogni
„ humana aspettazione, poichè intorno alla
„ seconda hora di questa notte tuttedue
„ venneno a ritrovarmi a casa, e con esem-
„ pio non più udito d'humanità e di ma-
„ gnaminità remetter ne le mani mie libe-
„ ramente la vita, e l'esser loro, il qual
„ dono essendo, come vedete, per se gran-
„ dissimo, e da me stimato quanto si possa
„ immaginare, non haverei voluto mai mo-
„ strarmi così villano, che scortesemente
„ l'havessi recusato, anzi di buon cuore
„ l'accettai, e l'accetto. Ma perchè inde-
„ gnissima cosa sarebbe non possederlo con
„ giusto titolo, nè altrimenti mi saria grato
„ o caro, per questo io destino, e così son
„ deliberato, dove Carlo, e Angelica ne
„ siano contenti, nella vostra presenza rice-
„ ver lei per mia carissima e dilettissima
„ sposa, e Carlo per amorevolissimo Cogna-
„ to, e Fratello: il che io desidero, e pre-
„ go tutti voi, che approviate, e parimen-
„ te riceviate, acciochè il fine di tante ini-
„ micizie passate, e di sì lunghi desiderii
„ miei si termini in queste nozze.

Eran presenti a queste parole non pure quelli, che havevano accompagnato Anselmo, ma infiniti altri della Città, i quali eran concorsi a vedere, che effetto producesse il bisbiglio, che s'era levato in sì poco tempo di questo caso, i quali tutti ferono l'applauso con molte tenere lacrime, lodando la bontà d'Anselmo, la gratitudine di Carlo, e la virtù, bontà, e costanza d'Angelica, la quale poichè sentì, dove Anselmo haveva terminati i disegni suoi, dato luogo al dolore, haveva pure assai rasserenato l'animo e la fronte; e come quella, che era d'altissimo intelletto, e di giudizio sagace e saldo, haveva già in parte compreso quasi tutto quel che seguì poi, per questo già preparata modestamente di dire alquante parole attendeva, che Carlo prima desse principio. Egli vinto da inaspettata contentezza non poteva per allora far'altro, che gittatosi in terra abbracciare le ginocchia d'Anselmo, il quale per molta forza, che facessi non lo poteva levare in piedi. Alcuni accostatisi pure, e con persuasioni, e pigliandolo per le braccia lo drizzarono, e Carlo abbracciatolo, e esso Carlo per molto tempo stettono così, finchè pure si contentorno di dividersi; perchè il Notaro, che in tanto era stato chiamato stipulasse il matrimonio consentito allora liberamente, e da Carlo, e da Anselmo, i quali andando per mano verso Angelica, ella subbito che li vidde avicinare, uscita alquanto dal filo delle Compagne s'inginocchiò innanzi al Fratello, e allo Sposo; e poichè per molto, che ella ne facesse forza, non potè mai formar parola, fu benedetta dal Fratello, e consegnata al Marito, il quale abbracciatola, e presala per mano con tre anella di molto valore in presenza di tutti, e rogandosene el Notaro la sposò con molto contento. Di poi rivolgendosi Anselmo a circostanti con lieta faccia disse: *Non saria però cosa conveniente, che sposa tanto degna, come è la mia Angelica, si maritassi senza dote, onde se non posso pareggiare il merito suo, riceverà almeno il buon' animo. Così io le assegno per dote sua ogni metà delle sustanze mie per indiviso; e sicome non sono stati, nè saranno mai disgionti gli animi nostri, così mi è parso, che non devino esser tra noi distinte le sostanze. Voglio anco, che il restante mio propio per indiviso sia comune con Carlo in quel che potrà recarci di entrata; e essendo esso obligato a far la volontà mia, non può repugnare in alcuna parte; e così gli comando, che esso accetti, e da poi lo restituisco per l'avvenire interamente alla sua libertà.*

Fatte queste cose comparse subbito, che così era stato destramente ordinato da Anselmo copia grandissima di confezzioni, e d'ottimi vini; e fatta secondo la consuetudine una magnifica colazione con tutta la compagnia se ne ritornò alla propria casa, dove riterando l'allegrezza, e convitando per i giorni seguenti tutti i suoi congionti e amici, preparava solennissimi conviti e feste, ordinando alla Sposa veste e gioje ricchissime, secondo la qualità della nobiltà, e ricchezza sua.

Intanto el Cittadino, che haveva fatto carcerar Carlo, componto dalla conscienza, e sentendo il matrimonio, che era successo per cagion de la ruina, che haveva ordinata a Carlo, fe' per un Religioso portare ad Anselmo mille ducati d'oro, i quali dovessi porre al conto della dote d'Angelica, perchè essendo esso de' convitati, haverebbe sentita troppa vergogna e stimolo in se stesso, parendogli d'havere offeso per sete d'avarizia tanta bontà d'innocenza, e a chi Dio haveva miracolosamente sovvenuto con la sua pietosa mano. E di già essendo stato con altri a congratularsi con Anselmo, e con Carlo, haveva sentito mille punture nell'animo suo. A questo modo ridotta in parte la conscienza sua in pace seguì a rallegrarsi, e honorar le nozze insieme con li altri Cittadini. Era il nome di queste nozze corso in un punto per la Città, e sentito da' Signori, che allora reggevano, sicome sono stati sempre cortesi, magnanimi, e pietosi, non volseno che a tanta letizia vi restasse nota alcuna di dispiacere, e chiamando el Camarlingo, che haveva ricevuti i mille ducati della condennazione di Carlo, gli comandorno, che immediate portassi e donassi a nome loro ad Angelica i suddetti 1000. Ducati; e si rallegrasse delle nuove nozze, come salda cagione, e giusto nodo d'haver congiunte insieme quelle due Famiglie state per molti tempi in gravissime inimicizie con infiniti danni

[illegible]nni loro; e presentassi a Carlo il decreto, come era restituito agli honori publici e privati, da' quali era stato ammonito nella sua condennazione; e ad Anselmo notificasse, come l'havevan destinato & eletto Cavaliere: di che poteva venire a prendere l'Insegne a beneplacito suo. Andò subbito il Camarlingo con tutti questi ordini, e seco tutti i Piffari, e Trombetti del Palazzo, i quali arrivati a casa d'Anselmo, ferono con i suoni loro segno di publica allegrezza, e fatti dal Camerlingo interamente gli offizj, che doveva con tutti, gli fu donata da Anselmo per le buone nuove una catena di 50. ducati d'oro, e 25. ne donò a Piffari e Trombetti, i quali reiterando alla partita allegramente per buono spazio i suoni loro, furno cagione, che Anselmo liberalissimo a tutti facessi dispensare alla povera gente, che v'era subbitamente comparsa molte some di pane e di grano secondo le qualità, di modo che giamai per altro matrimonio a Siena furono maggiori allegrezze, e più universali, perchè di continuo i balli, le giostre, i conviti, e altri nobili continuamente erano nella Casa d'Anselmo, o innanzi nella strada; e furno molti Gentilhuomini, e Signori di Toscana, e di fuora, che vennono non solo per vedere quelle feste magnifiche, e sontuose, ma per conoscere in presenza un Gentilhuomo di tanta virtù, come Anselmo, e una Donna di tanto merito, come Angelica, lodando con altissima maraviglia la bontà e generosità di Carlo, e di ciascuno, parendogli, che a tutti si dovessi la palma, e la corona della vera nobiltà. E havendone notizia Anselmo li fe' sempre tutti con i servitori e cavalli levare dall'hosterie, e tennegli honoratamente albergati, e convitati nelle sue case, che commodamente ne potevan ricevere moltissimi; di maniera che quelli, che eran venuti al nome d'una virtù, ritrovavano poi in effetto fiorire in Anselmo infinite. E come non fu alcuno, che anco da Angelica non ricevessi cortesie di lini raccamati, e altre gentilezze convenienti a nobil Gentildonna, così anco non rimase fra quelli chi non donasse a lei gioje, fermagli d'oro, catene di lavori eccellentissimi, ed anco di non piccol valore. Così terminate doppo più settimane le feste e i conviti publici, attesono a tradur la vita loro in somma tranquillità e pace con infinita grazia e laude di tutta la Città, e quasi di tutto 'l mondo.

1396.

Fiorentini ferno muovere una Compagnia da Mantova, e la ferno passare per le terre del Duca di Milano, dove ferno prede, prigioni, e poi voltorno per Romagna, e presono molte Terre, e poi le fero ricomprare; e seguendo passaro per Arezzo di Giugno come amici, e di Luglio vennono nel contado di Siena, facendo molti danni, e volseno di taglia fiorini 3500. e pagarnosi nel Palazzo de' Priori di Firenze.

Conti di Monte Scudajo facevon guerra nel Contado di Pisa e di Siena a petizione de' Fiorentini, che gli havevan promesso fiorini 5000.

Hor udirete, l'iniqua Compagnia s'era partita da Pisa, è venuta nel Contado di Siena, e non volse osservar fede a' Pisani, e arsono una Porta a' Lucchesi, e tenevono co' Fiorentini, dando addosso a' Pisani. I quali vedendo tanta ingiuria de' Fiorentini si accostaro co' loro amici, e fero più gente, che fusse possibile. E prima Pavolo Savelli da Roma con sua gente, Ceccolino da Perugia con 500. Cavalli, Pavolo Orsino con 1600. el Conte Giovanni da Barbiano con due mila, el Conte Alberigo con cinque mila, e altri Condottieri, e altra fanteria, e ferno pace con li Conti di Monte Scudajo. M. Lodovico Capitano di detta Compagnia si partì secretamente, e venne nel Contado di Siena.

A 9. Decembre fu preso el detto Capitano con sei suoi Compagni da' nostri Contadini, e furno appresentati a' Signori Priori di Siena; el dì medesimo Alberto de' Franzesi da Staggia uno de' detti sei fu appiccato, e strascinato ignudo per tutta Siena, perchè hebbe a dire, che di Siena si forbirebbe el culo, e così si adempì la sua profezia in se medesimo.

M. Lodovico Categli con li altri cinque fu rilassato, che essendo rimasa la Compagnia senza Capitano s'era disciolta in tutto.

A 9. di Gennajo venne in Siena M. Brolio di Piemonte, e sua gente parte passò per Siena, e parte di fuora; fessegli grand' honore, haveva cavalli 1700.

A dì 14. di Marzo passò accanto a Siena il Conte Alberigo Capitano dell'esercito de' Pisani, e deliberò con tutto l'esercito correre fino alle Porte di Fiorenza, e così fece, e vi stè più di X. dì, e presono più di mille prigioni, e molta quantità di robbe, e ritornò verso Siena; e per stare in pace co' Fiorentini non si lassorono intrare, e presono la via per la Valdarbia.

A X. d'Aprile e' Fiorentini presono Monticchiello per tradimento, e sapendosi in Siena si dè licenza a ognuno, che andasse a' danni de' Fiorentini.

A dì 14. uscì di Siena 42. cavalli, e fantaria, e scorsono per il Volterrano, e al tornare indietro si scontrorno con 40. cavalli de' Fiorentini, che havevano preda, e prigioni nel nostro Contado, e furno tutti presi da' nostri, che gli menorno prigioni in Siena.

A dì 17. Aprile uscì di Siena 70. cavalli, e fantaria, e andorno insino a S. Donato in Poggio, e scontrorno fantaria Fiorentina, e ferno scaramuccia; e' nostri al fine ruppeno e' nimici, e tornorno con preda, e prigioni.

A 25. di Maggio vennono dal Duca di Milano 60. mila fiorini d'oro per pagare la gran gente del Duca accampata a Cortona, e Montepulciano; e quando passavano fra S. Reina, e Monte Liscajo, furno assaltati da 600. cavalli de' Fiorentini, i quali non arrivorno i denari, ma ben tolseno dell'altre robbe.

A 18. di Maggio uscì di Siena gente, e cavalcaro, e entraro in Giumignano, e missenlo a sacco, e presono molti prigioni di taglia, e gran quantità di robbe, e condussenle in Siena.

A 20. e' Fiorentini presono Castello della Selva.

In detto tempo si partì 'l Campo da Montepulciano, e per lo lor Contado andorno a Colle

Colle di Valdelsa, e fero gran battaglia; e entrorno nel Borgo a Staggia, e presono per battaglia el Palazzo alle vene a oncia, e saccheggieronlo.

A 5. di Giugno si rihebbe Castel della Selva, si derno salve le persone per paura delle Bombarde; el Comuno di Siena lo fe' disfare.

Di Giugno le brigate Senesi si partirno da Castel della Selva, e andorno a Rencini, eronvi 600. fra balestieri e guastatori; fuvi morto da una bombarda Bogione di Niccolò di Tone, e scorseno tre dì per li confini.

A 9. di detto s'intese, come s'era partito 300. cavalli del nostro esercito, e andati al soldo de' Fiorentini, che fu Biordo, e Ceccolino da Perugia, e Pavolo Orsini, perchè davano e' Fiorentini 20. fiorini d'oro per lancia per dissipare el nostro esercito.

L'avanzo de' nostri giunseno un aguatto di 300. huomini di Montepulciano, e tutti furno o morti, o presi, e sapendosi a Fiorenza di tanti prigioni subbito mandaro gente a Montepulciano, e nell'andare combattero Ciliano, e presonlo; e sapendosi nel nostro Campo si mosse l'esercito verso quelle genti, che havevon preso Ciliano, e presensi 200. prigioni.

A 12. Luglio cavalcaro la nostra gente a Mercatale, e a Grieve, e arsenle con molte altre ville, e anco molte barche di grano, scorrendo fino le Porti di Fiorenza; e se bene ne fur presi alcuni, e gittati ne' fuochi, a ogni modo tornaro con prigioni, e prede. E prima a V. di Giugno M. Bartolomeo Capitano di 900. cavalli de' Fiorentini fu preso in Colle, e a furia gli fu tagliata la testa per discordie.

A 31. Luglio parte delle genti Senesi andaro in quel di Pisa per dar guerra a' Fiorentini di là, e un'altra parte di quà.

In questo tempo davano e' Fiorentini 24. fiorini per lancia per trarompere le genti de' Senesi, e molti per questo si partiro del nostro esercito.

Al primo d'Agosto si rebellò Cana, e Cinigiano; subbito el Comuno di Siena vi mandò molta gente, e deronvi crudelissima battaglia, e morivvi Mariano di Ser Cecco, che era della Balìa di Siena.

Trattato doppio in Chianciano, che v'erono entrati 132. huomini di Montepulciano, e vi giunseno intanto molti balestieri, e altre genti di Siena, e tutti quelli entrati di Montepulciano o furno morti, o prigioni.

El Campo del Duca di Milano era intorno a Mantova con 40. mila persone: mandorno per soccorso a Siena, e mandossi 2. mila cavalli, che erono nel Contado di Pisa contro a' Fiorentini.

1 3 9 9.

Quì di sotto saranno e' Capitoli del Duca di Milano Conte di Virtù con la Magnifica & Eccelsa Città di Siena in nomine Domini amen.

L'Illustrissimo & Eccellentissimo Principe Signor Gio. Galeazzo Duca di Milano, Conte di Pavia, e di Virtù, Signor di Pisa, e di Siena Signore, e Protettore, considerando e attendendo la pura dilectione, e sincerità di fede, la quale intorno all'eccelsitudine sua hanno havuto i Magnifici suoi carissimi Priori, Governatori, Capitano di Popolo de la Magnifica Città di Siena, e generalmente tutt'i Cittadini, han voluto trasferire in lui, e ne' suoi figliuoli, e descendenti, cioè maschi succedenti a lui nel Ducato di Milano predetto spontaneamente, e liberamente la Signoria, libero dominio de la Città di Siena, e suo Contado, Terreno, Fortezze, e distretto. Desiderando anco el prefato Illustrissimo & Eccellentissimo Signore a' predetti suoi figliuoli Cittadini, e tutta la Città salutevolmente provedere per modo, che essa Città si regga bene, e governi, in modo che sotto 'l dominio del predetto Signore, e' suoi figliuoli succedenti ricevino per ogni miglior modo, ragione, e forma, per li quali meglio far si può, facendo, promettendo per se, e in suo nome, e in nome de' suoi figliuoli discendenti maschi, e legittimi succedenti a lui per se medesimo, e per i figliuoli, come di sopra promisse osservare gl'infrascritti patti all'infrascritti Sindachi, e Procuratori per il Magnifico Comuno di Siena.

I Sindachi furon questi:

M. Niccolò Salimbeni Cavaliere.
M. Cino di Vanni Cini de' Galeazzi Cavaliere.
M. Giovanni Bellanti Dottore di Leggi.
M. Bartolomeo di M. Biagio Dottore.
M. Domenico di Giovanni Dottore in medicina.
Agnolo di Latinuccio de' Rossi.
Francesco di Bartolomeo Petrucci.
Andrea d'Agostino Banchiere.

Presenti ricevendo a vice e nome, e per la parte del Comuno di Siena l'infrascritti capitoli e patti.

Che la Città di Siena habbia el Magistrato de' Signori Priori, e Capitano di Popolo nel Palazzo consueto con la medesima potestà, che haveva innanzi alla trasmutazione del Dominio, secondo gli ordini suoi, servato il Capitolo di sotto, che dispone del Luogotenente, e salva la ragione del Dominio translatato, come è detto.

Che Signori Priori, e Capitano di Popolo habbiano le spese usate, e altre utilità consuete.

Item che habbiano Cancellieri, e Notari con salari consueti.

E un altro Cancelliere sia per l'Illustrissimo Signor Duca, el quale si debbi soscrivere nelle lettere, e decreti, che si faranno per li Signori Priori, e Capitano di Popolo.

Item habbiano per i servizj loro, e lor guardia con salari soliti i famigli consueti.

El Priore debba havere il luogo consueto nella residenza. Che le provisioni, reformazioni, e Statuti della Città si osservino, così ne la ragione, che si rende nel Palazzo del Senatore, e Podestà, come quella, che riguarda i Mercanti, e fatti della mercanzia, Arte di lana, Università di Notari, e d'altr' Arti, e li Statuti di far la monizione, e di qualunque ribandimento di sbanditi, e rebelli; e li Statuti, e provisioni, che parlano de' Castelli, e Cassari, che si fanno, si riparano, e si fortificano, e ogn'altra provisione, e Statuto della Città, nissuna cosa in essi mutando o alterando.

Item, che i modi, e ordini consueti ne' Consigli da quì innanzi habbiano quella medesima autorità, che prima alla trasmutazione

ne del Dominio, secondo gli ordini suoi, sempre osservato 'l Capitolo, che parla di sotto del Luogotenente, e che in detti Consigli non si possa determinare niuna cosa in pregiudizio del predetto Signore.

Che 'l reggimento, e riformazioni di Siena si faccino per que' Cittadini dell'Ordine de' Nove, de' XII., e de' Riformatori, e Popolari, e altri Cittadini in que' modi e forma, che son consueti, e così nella Città, come nel Contado sien mantenuti, conservati, e difesi per lo modo, e forma, che per il passato.

Che tutti li Statuti, ordinamenti, riformazioni, e provisioni della Città di Siena fatte, & ordinate, e altre, le quali son fatte, e usasi osservare in favore, honore, e utilità de' Cittadini, o predetti ordini, come di sopra N. P. R. massimamente per quelli, che son reseduti, e resederanno nell'offizio del Priorato rimanghino, e stiano fermi, senza alcuna molestia.

Che tutti i debiti della Città, a' quali essa Comunità di Siena è tenuta così a' Cittadini, e sottoposti, come a' Forestieri, e così scritti in Biccherna, come ne' Libri de' 35. e come in altri luoghi, si sodisfaccino al modo usato e consueto.

Che tutte le preste ordinate da quì adietro pagar si faccino; e farsi devino i libri del Monte, de' qua' libri si renda notizia al predetto Signor Duca, perchè l'intrata della Città al presente è sottile e piccola, e per la grazia di Dio crescerà, e rimanga nel predetto Signore, quando, e in che modo le preste si rendino, e si restituischino.

Che 'l detto Signor Duca possa porre, e tenere ne la detta Città un suo Luogotenente, quando a lui parrà espediente, el quale possa, e debba esser presente alle faccende del Comuno insieme co' detti Priori, e Capitano di Popolo; e in tutti i Consigli si debbi richiedere il detto Luogotenente, e in tutte le cose, che si faranno così ne' Consigli, come da' detti Priori, possi il Luogotenente detto render due voti solamente, sì che due sue voci non vaglino più che due delle voci de' detti Priori; e in caso che il Luogotenente fusse assente dalla Città, o richiesto non fusse presente, o non mandasse altri in suo luogo, tutto quello, che si farà per li Priori, Capitano di Popolo, o vero Consiglio vaglia secondo li Statuti, e ordini della Città liberamente.

Che 'l detto Signor Duca dia alli detti Cittadini Senatore, e Potestà così de' sudditi suoi, come altri, purchè prima i Priori, e Capitano debbino mandar quattro eletti al predetto Signore; e se fra' detti quattro non fusse alcuno, che piacesse al detto Signore, tante volte se ne rimandi quattro, che vi sia uno, che piaccia; i quali offiziali devino tener la Famiglia, e cavalli soliti, e habbino el salario consueto, e debbino osservare i nostri, e gli altri ordini.

Che detto Signor Duca possi tenere un' Offiziale, el quale con li altri Offiziali del Comuno cioè Camarlingo di Biccherna, e quattro Proveditori, possa, e debba esser presente, e tener conto di tutte l'entrate e spese del detto Comuno, e non receva esso niente delle pecunie e pagamenti, ma procedino per il modo ordinario del Comuno di Siena, e suoi Offiziali.

Che 'l predetto Signore, e suoi descendenti possino e debbino porre e tenere e deputare Castellanie, e guardie nell'infrascritti Cassari, e Fortezze dello Stato Senese. A Massa ne' Cassari, e Fortezze, a Grosseto ne' Cassari, e Fortezze, Talamone, Montalcino, Casole, Lucignano delle Chiane, e Arcidosso, e nell'altre Fortezze, e Castella, e Torri del distretto e dominio Senese. I Priori, Governatori, e Capitano di Popolo, e reggimento predetto possino, e debbino porre, e deputare Offiziali, Castellani, e guardie quelli, de' quali a loro parrà nel modo usato. Possa nondimeno el detto Signore, e figlioli descendenti, come di sopra, secondo la condizione e bisogni de' tempi nelle dette Fortezze, Castelli, e Terre provedere a lor' arbitrio di buona guardia.

E che 'l Tenente, Priori, Governatori, e Capitano di Popolo e Reggimento nella detta Città, e Castella, cioè a Massa, Grosseto, Talamone, Montalcino, Lucignano, Casole, Arcidosso possino e debbino provedere ai Potestà, Capitani e Rettori, e siano tenuti e Castellani predetti di detti Cassari e Offiziali, che saranno nella detta Città, e Castelli l'un' all'altro dare ajuto e favore nelle cose, che riguardano il servizio e honore di detto Signor Duca; e cassinsi e detti Castellani far le mostre ordinarie e solite.

Che le Lettere, comandamenti, e altre cose s'osservino farsi sotto 'l nome de' detti Priori, Governatori, e Capitano di Popolo si faccino sotto nome del Luogotenente, e di detti Priori.

Che tutte l'entrate e rendite di detto Comuno di Siena sieno, & esser debbino, e s'intendino del detto Signor Duca, e suoi descendenti, come di sopra, delle quali nondimeno si faccino i pagamenti, e le spese dovute a' Priori, Governatori, e Capitano di Popolo, Luogotenente, Castellani, guardie, e altri, che debbino haver li stipendi loro al modo usato. E in caso che fatti e soprascritti pagamenti avanzasse dell'entrate e rendite del detto Comuno, come si spera, e così ci conceda l'Altissimo, el detto Signor Duca volessi spendere quel più, devino convertirsi, come da basso.

Nelle spese de' Signori, e Capitano di Popolo per l'anno	fiorini 1200.
Per 10. famigli d'aggiungersi per li detti Priori	fiorini 300.
Per 4. Cavallari e sei Corrieri	fiorini 660.
Per un Notaro, e Coadiutori a le Riformagioni	fiorini 36.
Per lo dazio usato pagare per la provisione del sale, che si deve restituire	fiorini 4000.
Per le spese del Giudice dell' appellazione da eleggersi nel modo del Senatore, e Potestà	fiorini 900.
Per le spese d'uno esecutore da doversi eleggere nel modo del Potestà, e Senatore	fiorini 1400.
Per le spese dello studio Generale	fiorini 3000.

E che sia nell'arbitrio de' detti Priori, Governatori, e Capitano di Popolo, e Reggimento di Siena cominciare el detto superfluo a spendere, e per quelle cagioni, che a loro

loro parerà, fatte sempre in prima le dette spese dell' entrate predette a' sopradetti ordinatamente.

Non possi, nè debbi el detto Signor Duca e suoi descendenti porre, nè accrescere a' Cittadini, o Contadini, o distretto della Città e dominio Senese oltra all' intrate ordinarie de la detta Città, alcun dazio, prestanza, o colta, nè muover gabelle, nè alcuna altra taglia, inprestita, frodo, o colletti, o porre, o far porre.

Sia tenuto el detto Signor Duca e debba la detta Città, e distretto difender da tutti, e quali volessero far guerra alla Città di Siena, e suo Contado, e da ciascuna gente, o compagnia, sicome defendarebbe la Città sua.

Sia tenuto, e debba conservare, defendere, e mantenere tutte le Terre, Castella, e luoghi del Contado, e distretto di Siena, obbedienti di presente a essa Città, e a poter suo accrescere le giurisdizioni e ragioni di detta Città, Contado, Terre, e Castella, e luoghi, come di sopra, non potendo i sopradetti nè vendere, nè in alcun modo trasferire, o vero porre fuor del dominio loro nelle mani d'alcun Principe, Reggimento, o singolar persona di qualunque preminenza, qualità, o dignità si fusse per qualunque cagione, nè sotto alcun quesito colore, nè titolo. E in caso, nel quale avvenisse, che detto Signor Duca volesse la detta Città di Siena suo Contado, e Terre, Castella, e luoghi lassare, o da lui separasse, permette el detto Signor Duca a essa Città lassare e relassare a reggimenti di detta Città in quella forma, jurisdizione, e modo, de' quali la detta Città e Reggimento hora sono, e erono innanti alla trasmutazione del Dominio fatta col detto Signor Duca.

Possino i Signori Priori, Capitano di Popolo, e Reggimento predetto, e le sia lecito ancor senza licenza del detto Signor Duca, e suoi figlioli descendenti Luogotenente, o altri eleggere Ambasciatori, Commissari, Offiziali, e Messi, e simili a scrivere tutte, e ciascune lettere, come a lor piacerà, a' quali i salari, e le provisioni si facciano, e pagar si debbino dell' entrate d'essa Città, come è usato; e questo habbi luogo così al presente, come per l'avvenire inviolabilmente.

Che tutte le spese, le quali occorrissero doversi fare per Ambasciatori, Cavallari, o Corrieri del Comuno di Siena, da esser però mandati con consentimento del Luogotenente, si cavino de le medesime entrate.

Che siano mantenute l'offerte, e elemosine usate farsi alle Chiese, e altri luoghi pii della Città, e si faccino le spese del Corso de' Palj, dell' acconcime, e conservazione del Porto di Talamone, de' Ponti, Fonti, Vie, Strade, Mura, e Palazzi, Cassari, e Fortezze, si faccino, e paghino dell'entrate di detta Città al modo usato, e consueto; e quel medesimo si facci e osservi di salari e spese per li maestri di Gramatica, e Dottori d'altre facultà, come s'è osservato fino all' anno passato, e al presente s'osserva.

Che per devozione grande, la quale ha el detto Signor Duca alla Vergine Maria, vuole el detto Signore, che nè esso, nè alcuni suoi descendenti, o Offiziali non possino, nè devino intramettersi ne le cose dell' Hospitale di S. Maria della Scala, e della Misericordia della Città di Siena, nè di lor beni, o rendite, nè di reggimento d'esse; ma lassino e detti Spedali esser retti e governati per lo modo usato. Nondimeno debbi el detto Signor Duca e suoi descendenti difendere e mantenere e detti Spedali nelle loro ragioni, e quel medesimo s'intenda, che faccia della Chiesa Maggiore, e sua Opera e entrata.

Che le dignità delle Chiese, e benefizj, che vacano, e quelli che vacheranno nella detta Città di Siena, e Massa, Grosseto, e lor Diocesi, si diano a Senesi, e non ad altri, el detto Signor Duca volentieri scriva per loro nella Corte Romana; ma vuole el detto Signore, che quando per alcun benefizio scriver debbi, non si preghi per li Senesi, se non per un solamente, e per una cagione.

E acciochè si proveda a povari, che gli allirati nella Città, o vero Masse, o conferenti, che chi è allirato fiorini 200. in meno sieno libero assoluti, e esenti da ogni presta, o dazio, li quali dovessen pagare in alcun modo per insino al presente, non ostante che sia allirato in maggior lira per lo tempo passato.

Che Priori, Capitano di Popolo, Luogotenente, Gonfalonieri, & Ordini possin fare sconti e relassi alle Terre e Luoghi del Contado e jurisdizion di Siena, alle quali non fusse stata fatta alcuna relassazione de' lor debiti vecchi, e quali pagar dovessono da Calende di Gennajo prossimo passato indietro a modo dell' altre, le quali tal benefizio havessin ricevuto.

E havendo el detto Signore respetto a' gravi danni, e quali i contadini del Senese per le guerre passate, e compagnie hanno sostenuti, fa grazia a detti contadini per fino a nove anni, che verranno prossimi, ciascuno anno di detti 9. relassa a essi contadini fiorini mille di tasse, le quali pagar devono al Comun di Siena.

Che l'entrate, e rendite, e frutti di detta Città muover non si posino, salvo stando le cose sopradette.

Che tutte le cose sopradette e infrascritte s'intendino, e intender si debbino a buono e puro intelletto, a buona e pura fede, tolto via ogni mala interpretazione, e sagacia; e patti predetti insin si ridichino, i detti huomini humilmente, e con ogni reverenza, come salutevoli alla detta Città accettarono, e accettono, e molto ne ringraziono el detto Signor Duca di Milano, e promissero solennemente i detti Sindachi, che si confermeranno con effetto, e che Priori, Capitano di Popolo, Cittadini, Popolo, e Comuno di Siena tutte le predette cose solennemente ratificheranno, e approveranno per publico istrumento al predetto Signor Duca loro Signore. E anco el detto Signor Duca promette, che esso, e figlioli descendenti soprascritti sempre, e continuamente a' Cittadini, Comuno, e Popolo di Siena le convenzioni, e patti predetti osservaranno, e dà in comandamento a' suoi figlioli descendenti, come di sopra, per quel più forte nome, e legame, che può, e che più fermamente si può, per lo quale e figlioli son tenuti

nuti obbedire a' comandamenti del Padre, le convenzioni, e patti di sopra perpetuamente debbino e inviolabilmente osservare, e far publicamente ancor per honor de' predetti figlioli suoi. E acciochè per l'avvenire niuna dubiezza possa nasciare sopra i patti predetti, vuole, e comanda questo presente instrumento di suo sigillo grande esser fortificato, comandando el Signor Duca a Ser Salvo, e Ser Neri Notari infrascritti, e noi, pregandone così i detti Sindachi, che de le predette cose uno, o più instrumenti, se parrà bisognievole, facciamo. Fatte furno le predette cose nella Città di Pavia nel Castello del detto Signor Duca posto a Porta S. Pietro al muro del Popolo di S. Maria in pertica, cioè ne la Camera dipinta a viole accostata cola sala grande, che guarda verso la Porta dell'entrata del detto Castello l'Anno della Natività del nostro Signore 1399. Indizione 7. secondo 'l corso della Città di Pavia, e secondo 'l corso della Città di Siena, a dì 21. di Decembre poco doppo le 24. hore, presenti i Magnifici e Spettabili huomini M. Francesco de' Bartavvi Capitano, e M. Francesco de' Megli, e M. Pietro da Postierla facondissimi Dottori di legge, e Consiglieri, d'Andreolo d'Assisi Secretario del Duca testimonj presenti e rogati. E io Ser Salvano di Giannino da Siena per Imperiale autorità Notaro publico, e Judice ordinario a tutte le dette cose fui presente, e rogato insieme co' predetti huomini, e Ser Neri Notari sopranominati tutte le dette cose di mia propia mano scrissi, e ridussile in publica forma.

E io Ser Neri di Ser Giovanni Senese fui rogato, come di sopra con Ser Salvano.

1400.

El Conte di Virtù Duca di Milano morì a 3. di Settembre in Domenica a hore 24. in Pavia, el corpo suo fu seppellito in S. Michele di Pavia con un grand' honore, e fe' testamento, che li suoi interiori fussen portati in S. Antonio di Vienna, e così fu fatto.

1403.

Furno cavati di reggimento l'ordine de' 12. a 25. di Novembre. Era armato Francesco, e Petrino di M. Niccolò Salimbeni con molti Cittadini, e havevano sopraveste con arme del Popolo, e al detto rumore s'armò il Luogo-Tenente del Duca di Milano, e uscì di Palazzo; el Capitano di Popolo, e Gonfaloniere con molta gente gridando *viva el Popolo*, andorno a casa Salimbeni, e menarne Francesco per' insino a piè 'l Palazzo, e non volendo scender del cavallo per andare a' Signori gli fu dato con una lancia in un occhio, e poi fu morto.

La notte seguente furno cavati gli Signori, tre, che erano dell' Ordine de' 12. del Palazzo, e M. Tommaso della Gazzaia riparò la vita a Bartolomeo di Ghinuccio Aldobrandini, che lo condusse in casa sua; Petrino suo Fratello si fuggì, e così salvò la vita.

Giontino prese Sesta, e S. Gusmè, el fratello prese le Serre. All' ultimo di detto fu tagliata la testa a M. Neri, a Tolfo, e a M. Agnolo Malavolti; e M. Orlando Malavolti tornando fu morto da' suoi nimici, e 'n più notti uscirno di Siena 40. Capisamiglie de' maggiori, e andorno nel Reame, e a Roma, e a Fiorenza, e nel Contado, e a Ferrara, e a Bologna, a Vinegia, a Vicenza, e in Francia. Si tiene, che ne portassino più di 300. mila fiorini, e altre buone robbe, che erano grandissimi ricchi.

1404.

El Luogo-Tenente del Duca di Milano si partì a dì 28. di Marzo per essersi conchiusa la pace co' Fiorentini.

Si rihebbono e Cassari, che erono in securtà del Duca di Milano in questo modo; cioè el Castellano di Casole era fuor del Cassaro a balestrare, e era la Porta aperta entroronvi più cittadini, e presono la Rocca.

El Castellano di Grosseto uscendo fuor del Cassaro, fu preso, e così la rendè.

El Castellano di Lucignano di Chiana lo rendè.

El Castellano di Montelatrone, e Arcidosso si dè a patti.

El Castellano di Montalcino era ben fornito, & erasi inteso co' Fiorentini di dar loro la Rocca, e la Terra, & eravi già dentro el Tartaglia soldato de' Fiorentini, e per questo si dè d'accordo al Castellano fiorini 5. mila d'oro; e così gli altri Cassari si rihebbono con denari.

Gli huomini di Batignano ammazzorno M. Salomone Piccolomini, e dero la Terra al Comuno di Siena.

Senesi presono Boccheggiano, e disfero el Cassaro, e morivvi duo Figlioli di M. Benuccio Salimbeni.

Senesi rihebbero la Rocca Tedenghi, e Monte Orsajo, el sasso di Maremma, e Sesta, e S. Gusmè, le Serre, e Pari.

Furno dipinti in una Tavola in un pajo di Forche a capo di sotto M. Donusdeo, e Ugo, e Giovanni Malavolti.

Anno detto si cominciò el Cassaro di Petriolo a Bagni a murare e redurre.

El Comuno di Siena dè provisione alla Compagnia della Rosa.

E Provisionari del nuovo reggimento con autorità e balìa spesero fiorini 80. mila del deposito già ordinato nel reggimento passato per fornire el Duomo, fare i Ponti a Mersa, all' Arbia, e a Tressa, e per fare altre honorevoli e utili muraglie di Comuno per il Contado.

Item fiorini cento mila tratti da 12. E' predetti Provisionari ordinorno per le spese de' soldati e provisionati per la Città, e per le Castella, e Rocche, e per trarre delle mani a certi Castellani le Rocche o per amore o per forza.

Cominciaro Ghinasso, e Bigallo Salimbeni e latrocini e homicidi. Doppo certo tempo presono l'Abate di Cluvignì Prelato, che andava a' bagni, perchè gli tornasse l'appetito; onde essi intesa l'intenzione del Prelato lo missono in luogo stretto dandoli solo a mangiare pane, e fave secche, e bere acqua pura. Accadde in pochi dì, che tornò l'appetito al detto Prelato, e per la purgazione, e ricetta havuta da' detti Ghinasso e Bigallo lasciò loro tutti i denari, che voleva spendere a' Bagni.

Ghinasso al fine fu impiccato in campagna.

Bigallo usando homicidi e furti sotto le braccia di certi nobili, rifuggendo nelle fortezze loro, accadde, che amazzò el Marito, e parte de' figlioli a Mona Gianna dalla Ripa di Gota; e havendoli più volte poste taglie, all'

all'ultimo questa Donna con quattro suoi Parenti lo colse, che andava per l'ultima taglia a detta Donna, e lì gionto fu morto, e posto a traverso in sur'uno Asino, la Donna lo condusse a Siena; e quando fu alla porta domandò, che gabella pagava un porco morto. El Portiere maravigliato la lassò passare, e si condusse a' piei el Palazzo de' Signori, e lì lo scaricò. La Signoria volse premiare la Donna di buona somma d'oro, e essa recusandolo rispose non haver fatto quell'homicidio per denari, ma per punire la crudeltà dell'inimico suo con ogni ragione.

Pisani rimessero quelli dell'Agnello, e Gambacorti, e fecero pace pigliando insieme el santissimo Corpo di Cristo; poi fero Signore di Pisa M. Giovanni Gambacorti doppo traditore, e fero decapitare M. Giovanni d'Agnello; e M. Giovanni Gambacorti al fine la vendè a' Fiorentini, e così l'hebbero.

El Papa morì a Roma, ed era lo scisma, e fu creato Gregorio con patto, che si levasse lo scisma.

Senesi rifermaro el Tartaglia con 150. lance, e 100. provisionati.

El Marchese Giovan-Jacomo Malaspina venne Potestà di Siena.

Fu fatto Cavaliere M. Caterino Orsini.

A 4. Settembre venne in Siena Papa Gregorio XII. Veneziano con XII. Cardinali, e quali furono, come segue: El Cardinale d'Ungaria, di Mileto, Colonna, Ursino, Brancacci, Todino, Lodi, Aquila, Napoli, Fiorenza, Bardella. Eronvi molti Arcivescovi, Vescovi, Prelati, e tutta la Corte. El qual Papa era in via di levare lo scisma di due Papi, e entrò in Siena colla Signoria e honoranza, e con tutto il Clero; e deronli el Vescovado per la sua stanza, e Cardinali furno distribuiti per le regole de' Conventi; & era tanta la calca della gente, che 'l Papa non poteva passare, el Cappellano del Papa gittava denari grossi, e bolognini alle piazze per allargare la strada, e potere andare, e per farli honore si fe' una bella giostra di 150. Cittadini tutti vestiti di seta, e giostrossi scarlatto e seta per premio de' vincitori.

El Papa con X. Cardinali andò a S. Martino, e posevi molte Indulgenze.

A dì 22. di Gennajo si partì PP. Gregorio con la Corte, e andò a Lucca, e bisognò rompere el ghiaccio co' picconi, che era messa tante neve, che 'l ghiaccio era alto più di mezzo braccio in più luoghi.

1408.

A 10. Luglio tornò Papa Gregorio con 4. Cardinali e gli altri si rimasero a Lucca per la discordia di Papa Benedetto, e fero in Pisa un'altro Papa chiamato Alessandro, che era Cardinale di Milano, e per questo si diceva essere esclusi e due altri Papi.

Si fe' lega co' Fiorentini, e Bolognesi, e fessi gran festa, e falò.

Dapoi si fe' grand' esercito di genti, Senesi, Fiorentini, e Bolognesi in numero più di 10. mila, e tutte andorno in Valdorcia, e con loro era il Cardinale di Bologna.

Entrò in Siena el Re Luigi di Francia sotto un bel Padiglione, accompagnato da noi Magnifici Signori e altri honorati Cittadini, e ferrossi tutte le bottighe. Entrò alla Porta Camollia, e andò a visitare el Duomo, dipoi scavalcò al Palazzo Latinucci.

Partì el Re Luigi col Cardinale, e andorno a S. Quirico, e andonvi tre Commissari, cioè Jacomo di M. Checco Ciotti Pecci, Niccolò Buoninsegni, e Aringhieri di M. Niccolò.

D'Ottobre in Sabbato si partì Papa Gregorio, e uscì per la Porta S. Viene sotto 'l Padiglione accompagnato da' Signori e dall'honoranza, ed erono serrate le buttighe; e fu da molti Cittadini accompagnato per insino a Lucignano di Valdichiana, e se n'andò a Rimini.

In detto mese venne in Siena el Cardinale di Todi accompagnato con M. Antonio Vescovo di Siena infino a Duomo, e dipoi tornò all'Abbadia S. Donato; el detto Cardinale fu di quelli di Gregorio.

A dì 2. Gennajo venne l'ulivo da Roma, come le genti della Lega havevano cacciate le genti del Re Vincilao, e di ciò si fe' gran festa, e armeggiossi.

1410.

A 5. d'Aprile venne el Re Ladislao, e pose el campo presso a Siena in sull'Arbia; haveva con lui 18. mila persone, e più, e scorse molte Terre.

A 24. d'Aprile venne colle genti alla Porta Tufi, e alla Nuova, e a S. Viene, e fulli morti molti de' suoi, e tolti molti cavalli; e vi fu morto un famiglio de' nostri Magnifici Signori. Vi fu anco morto un Condottiere de' Fiorentini, che portava l'Insegna di due Ale bianche. Diceva a' nostri Cittadini: *serrate la Porta, che voglio andare a desinare*; Fugli risposto da alcuni: *va, desina poltrone, che noi vogliamo, che stia aperta*. E se non fussen certi cittadini, che 'l riparorno, era tagliato a pezzi: per il chè il dì non si vidde più: E M. Cristofano Spini, e Ridolfo Peruzzi Commissari Fiorentini havevan paura o che Siena non potessi mantenere la libertà, o che non pigliasse accordo, e massime, che havevon sentito, che Mino di Monaldo era ito in campo, credendo, che fusse ito con qualche commissione; e furno chiariti presto, perchè fu fatto ribelle, e furonli arse le sue masserizie in Piazza, e si assecurorno, che non era andato con consentimento della Signoria e rimaseno taciti e quieti. Si disse, che Fiorentini havevan mandati alcuni fiaschi con Ducati a' Condottieri di detto Re, perchè l'avelenassero; e tal cosa intendendo el Re prese partito, e tornossi addietro, e con lui era Pavolo Savelli, Pavolo Orsino, e altri Capitani.

D'Aprile venne Potestà a Siena M. Giovanni da Imola bene in ponto, e fu ricevuto honoratamente.

A 11. Giugno morì el Conte Emanuello d'Elci, fessegli un pennone, due bandiere, tre coverte, tre giornee, elmi, targhette, e assai doppieri.

A 10. Febbrajo morì Frate Lodovico Petroni Baccelliere in S. Agostino, e fu di principio alla moria, che seguì grande.

Agnolo della Pergola Capitano dell'Arme con la gente, e con due Commissari, cioè Pavolo di Giovanni di Lando, e Jacomo di Massaino andorno alla Città di Sovana, la quale era del Conte Bertoldo di Pitigliano, e misserla a sacco, e a dì 9. d'Aprile venne l'ulivo.

1411.

Il primo di Maggio venne in Siena el Cardinale di Spagna, che andava Legato in Lombardia; fu honorato da molti Cittadini col Baldacchino insino al Duomo, e partì a dì 8.

A dì 7. di Maggio si comandò tutte le Terre del Contado di Siena, e alle Masse molti huomini, che stessono a petizione del Capitano, e de' Commissari Senesi, dove lo' fusse comandato durante l'oste Senese.

Di Giugnio si fero in Siena molti confinati de' Gentilhuomini e de' XII. per la venuta del Re Luigi di Francia.

A dì 23. di Giugno venne in Siena el Re Luigi con 400. Franciosi di fiorita gente, e in ponto d'arme, e giostrorno al Prato Camollia; e l'honoranza de' Cittadini incontrorno detto Re, e missenlo sotto el Padiglione, e venne per insino al Duomo, e alloggiò in Vescovado, e fu presentato continuamente, mentre che ste' in Siena; & era un bellissimo huomo d'età di 40. anni.

A dì detto M. Carlo d'Agnolino Dottore di Legge fu fatto Cavaliere in Duomo dal Re Luigi; e uscendo di Duomo el Re, el detto M. Carlo, andorno ne lo Spedale, e subbito fur tratti i panni della Cavalleria a M. Carlo, e messili i panni dell'habito del Rettore, e fu fatto Rettore dello Spedale.

D'Agosto Antonello da Gonzaga Conestabile de' Sanesi alla guardia di Talamone ci tradì in questo modo. S'intese coll'armata de' Genovesi di fingere di combattere a fede, e di lassar perdere da un lato la Terra, e che presa la Terra lui fuggirebbe nella Rocca, e ingannarebbe el Castellano; e così detto fatto. Intanto si seppe a Siena, che la Terra s'era perduta; non credendo, che la Rocca fusse tradita, vi si mandò soccorso; e gionto viddero l'Armata de Genovesi tanta quantità di balestieri, che non s'arrischiarono appiccarsi. In questo el Traditore vedendo el soccorso, credendo, che fusse a bastanza, massime che discerneva l'Insegna del Re Luigi prese el Castellano, e legollo, e gittò per terra la Balzana, e posevi l'Arme de' Genovesi; el Castellano era Arcolano di Francesco Cimatore.

Venne Potestà in Siena M. Ambrogio della Torre Milanese.

A dì 13. Agosto si partì el Re Luigi di Siena, e fu accompagnato dall'honoranza insino fuor della Porta S. Viene, e andò a Montepulciano.

A dì 28. di Settembre le genti Senesi presono el Castello di Saturnia; eranvi Commissari Aringhieri di M. Niccolò, e Pavolo di Giovanni di Lando.

A X. d'Ottobre venne l'ulivo, come le dette genti havevan preso Samprognano del Signor Bertoldo Conte.

A 6. di detto venne la novella, come le genti Senesi havevan rihavuto Talamone.

A 18. di detto si rihebbe el Cassaro a patti per denari cioè fiorini 4. mila, e di ciò venendo l'ulivo si ferrorno le buttighe, e fessi gran festa e falò.

A 7. di Gennajo ritornò el Re Luigi da Roma, entrò in Siena sotto 'l padiglione, fu accompagnato dall' honoranza fino al Vescovado, e fu presentato.

A 8. di Gennajo si partì el Re Luigi, e andò a Bologna da Papa Giovanni Coscia, che fu poi deposto.

1412.

A 3. d'Aprile entrò in Siena Papa Giovanni, el Re Luigi con V. Cardinali; entrò sotto 'l Cappellone con la Signoria, honoranza, e Clero; serrossi le buttighe, e smontorno al Vescovado, e furno presentati.

A dì 8. Aprile si partirno Papa Giovanni, el Re Luigi, e andorno a stare a Roma colla Corte.

A V. di Maggio venne in Siena l'ulivo, come si era rihavuto Radicosani, e fessi festa e falò.

A 25. di Maggio venne in Siena el mandato di Papa Giovanni, e portò, come le genti della Chiesa havevon rotte quelle del Re Vincilao, e fu vestito di scarlatto l'huomo, el cavallo coll'Arme della Chiesa, e del Papa, e del Re Luigi, e del Comuno e del Popolo; el qual mandato andò per Siena col mazziere innanzi, e fessi festa e falò.

In detto tempo era gran moria di peste, e d'altri mali.

A 30. di detto vennero tre Campane da Sovana una grossa, che suona al Duomo quando si dice mattutino, e due picciole, e tutte condotte in su Carri a Duomo coronate d'olivi.

Era gran moria in Siena, e solo in S. Agostino in poche settimane si sotterrò 355. corpi, e morì Tommaso d'Aduardo Marescotti, fessi la bandiera, e coverte, e giornee.

In pochi dì morì el Giudice, e due Collaterali, e due Cavallari, e altri del Potestà, in modo che s'abbandonorno le Corti per certo tempo.

1413.

A 25. d'Aprile venne Potestà in Siena M. Piero di Gualfredi da Verona.

A 22. di detto venne l'ulivo, come era fatta pace col Re Vincilao, el Papa Giovanni detto.

Al primo di Luglio fu disfatto el Monastero di S. Barnabè a lato alla Porta nuova, e fu diritta la via di modo, che si vedesse la Porta.

Fu tagliata la testa a cinque da Sciano, perchè lo' fu apposto, che havevan rubbato, e ammazato uno, el quale era Prete, perilchè poco passò, che fu giustiziato uno a Montepulciano, che confessò essere stato lui, e trovaronsi le robbe in una cantina fracide.

A 25. Marzo in Sabbato el dì della Madonna furo fatte le trombe d'ariento co' pennoni nuovi, e la prima volta che le sonassero fu nel mostrare le Reliquie dello Spedale.

A 12. di Maggio venne Potestà in Siena M. Giovanni Panciatichi da Pistoja per sei mesi.

A 3. di Giugno andorno gl' Ambasciatori all'Imperatore Sigismondo, e furno questi M. Carlo d'Agnolino Rettore dello Spedale, e M. Giorgio di Tommasso Tommasini, e Ser Cristofano d'Andrea Notaro.

A 17. di detto venne in Siena Papa Giovanni con XI. Cardinali accompagnato dalla Signoria, honoranza, e Clero sotto un bel Padiglione insino al Vescovado, e poi fu data la benedizione, e tutti fur presentati.

A 21. di Giugnio partì 'l Papa per andare al Concilio in Basilea, e andò alloggiare a Pog-

Poggibonzi. Fu tagliata la testa a M. Sozzo Bandinelli Cavaliere d'età di 85. anni; e fu detto, che haveva dipinto un rugo all'uscio di Pinoccio di Francesco d'Asciano, che era de' Magnifici Signori, e questo perchè haveva vilipeso el Palazzo, el Magistrato della Signoria.

A 13. di Marzo morì Aringhieri di M. Niccolò Ambasciatore in Firenze; dissesi, che fu avvelenato, ma bene lo mandorno a Siena morto con un bel pennone, el cavallo covertato, e sopraveste, e targhe alla divisa loro, e con X. doppieri, el simile a Siena con tutte le regole, e accompagnato dall' Honoranza, e con 20. doppieri.

1414.

A dì 3. di Novembre el Comuno di Siena donò l'Arme del Popolo a Orbetello, cioè el Leone bianco, che nella branca dritta ha una forcina infilzatovi un Pesce nel Campo rosso.

A X. di Decembre el Comuno di Siena donò al Tartaglia d'Andrea da Livello un bell'Elmo addobbato di velluto cremisi, e la visiera d'ariento, e la collana dell'Elmo d'ariento, e un Lione grande un mezzo braccio, e una banda di seta di velluto vermiglio piena di rose d'ariento dorate, che avvignava l'Elmo, e un Cavallo coperto di seta con pelo: costò più di 600. ducati d'oro. Era Capitano di Popolo Urbano di Pietro del Bello; e l'Elmo lo fece Giovanni di Turino Orafo.

A 20. di Decembre fu finita di dipingere la Cappella di Palazzo, fu il Pittore M. Taddeo di Bartolomeo.

Era la moria, perciò si fecion molti confinati di Gentilhuomini, e XII.

1415.

A dì primo di Maggio andò Beltramo Mignanelli al Concilio a Costanza nella Magna con un Cardinale, el quale lo volle seco per i diversi linguaggi, che haveva, come Interprete.

A 22. di Maggio venne per Senatore di Siena M. Ugolino del Conte Bisaccio da Pacciano; portava per cimiero un teschio di morto, e venne molto honorato.

Nel mese d'Agosto si fero V. nuovi Pali per V. Terre havute di nuovo: la prima Sovana, Pian Castagniajo, Orbetello, Monte Vitozzo, e Castellottieri.

A 21. Settembre venne l'ulivo, come le genti Senesi havevon ripresa Sovana per forza, e a 3. d'Ottobre venne, come s'era havuto el Cassaro a patti, e messovi el Castellano, e Potestà Senesi.

A 16. Febrajo tornò da Napoli M. Jacomo Monaldi nuovo Cardinale fatto dal Re, entrò alla Porta nuova con le trombe, e così andò insino a Palazzo de' Signori, e poi salse Porta Salaja, e con molti Cittadini andò a casa sua a S. Giovanni.

1416.

M. Antonio fu fatto Vescovo di Siena, el dì di S. Maria di Marzo el Comuno gli donò un pennone con l'Arme del Popolo, e cola vesta, e coperta del cavallo, e giornea di taffettà di grana, e la targa, spada, e speroni con l'oro; e da la Sala del Consiglio insino a Casa fu accompagnato dall' Honoranza, trombe, e piffari.

Al primo d'Aprile venne al soldo de' Senesi Ranuccio da Farnese, el Salta suo Caporale con 200. cavalli.

A 21. Giugno venne l'ulivo, come i Perugini si eron dati di buona voglia a Braccio Signor di Montone.

A 23. di Giugno fu fatto Vescovo di Grosseto M. Giovanni del Peccia, che era Canonico.

A 18. d'Agosto fu fatto Generale dell'Armi Senesi, e se li dè 'l bastone, e la Bandiera quadra con la Balzana, il Signor Ranuccio da Farnese, e' partì con le genti, e andò in Valdichiana.

Al primo di Settembre venne l'ulivo, che era preso Caparbio, e mandovvisi l'Offiziale.

A 4. d'Ottobre venne l'ulivo di Chianciano, che l'haveva preso Ranuccio da Farnese, e consignatolo a nostri Commissarj Pavolo di Gio. di Lando, e Giovanni Trecerchi.

A 24. Gennajo si fe' la più bella giostra, che mai si facesse in Siena, e' giostranti furon questi: Giovanni di Renaldo Saracini, Riccardo Saracini, Jacomo di Nanni Scotti, Jacomo, e Spinello di Stefano Tolomei, Bartolomeo di M. Cino, Agostino di Martino: Questo entrò in Campo con un' Elmo, suvvi un Fanciullo d'argento, che faceva querciola; e lui el cavallo vestiti di taffettà bianco, e gli altri tutti con le divise, el Pennon de le Trombe a sua divisa. E vennonvi da Fiorenza parecchi buon giostranti, e usi; e furon chiamati quattro Cittadini a giudicare in un palchetto allato alla Fonte. El primo fu Jacomo di M. Marco Banchiere, e Niccolò di M. Spinello Piccolomini, e Pavolo di Nanni di Salvi, e Jacomo di Massaino Ligrittiere. E giostrando fecero dignissimi colpi l'un con l'altro; e in fine fu dato l'elmo d'argento a Agostino di Martino, e a un Fiorentino, che erono pari; e Agostino lo donò al Fiorentino per la parte sua: E' Giostranti Senesi fero il dì seguente un bel convito a' Fiorentini con grandissimo honore.

A primo di Febrajo andò M. Bartolomeo da la Gazzaja Potestà di Todi.

A 24. di Marzo venne al soldo de' Senesi Giovanni di Terano con 300. fanti molto honoratamente.

Al primo di Giugno M. Tommaso Agazzari andò Potestà di Bologna.

A dì 2. Luglio andò Jacomo Tolomei Potestà di Spoleto.

A 13. d'Agosto l'università dello studio di Siena fero el Palio, che danno per la Festa d'Agosto, el cavallo copertato a livrea, e mossesi dalla Sapienza.

1417.

Morì M. Francesco Bellanti Vescovo di Grosseto, e fulli fatto grandissimo honore secondo la consuetudine.

El dì di S. Maria di Settembre venne l'ulivo, come Pitigliano, e Sorano si raccomandaro a' Senesi, e che devino dare el Palio, e tenere la gente ordinata in ponto al bisogno per il Comuno di Siena, e tutto si pattuì col Conte Gentile di Pitigliano.

A 20. di Settembre tornò la Bandiera della Balzana dal Campo, che era stato un anno a Pitigliano, e con grand' honore tornò trionfando con le trombe, e piffare, e suon di campane; e così fu rimessa la Bandiera in

in Palazzo, e era Capitano di Popolo Nanni di Pietro Beringucci.

Morì M. Pavolo di Benvenuto Cavaliere: fessili un Pennone, due Bandiere, e la sera si fece le vigilie a S. Agostino.

A 28. di Novembre venne la nuova, come era fatto Papa Martino V. nel Concilio di Costanza, e fessi Procissioni solenni, e festa grandissima.

Al primo di Gennajo venne Potestà di Siena M. Ugolino de' Farieti da Perugia per sei mesi.

1418.

A 10. di Maggio Braccio si mosse da Montone per andare a pigliar Lucca, credendo pigliarla, innanzi che'l Signore tornasse, che era fuore; e sapendosi in Siena, Jacomo di M. Marco mandò subbito un fante al Signore di Lucca, e a fadiga gionse a tempo el Signore in Lucca; e giognendo Braccio co le sue brigate non potendo haver la Terra, attesono a prede, e prigioni, e venendo per il Sanese furno riscossi molti prigioni da' Cittadini Sanesi.

Al primo d'Agosto venne al soldo de' Sanesi Giovanne d'Acquasparta, Agnolo da Baschi, e Antonio da . . . . con 150. lance.

In questo anno valse lo Stajo del grano fiorini 25. el moggio, el vino fiorini 14.

Al primo d'Ottobre venne Capitano di Giustizia M. Agnolo de' Paradisi da Terni, e fulli donata la bandiera, e altri ornamenti per i portamenti suoi honorati.

A 14. di Decembre venne a Siena un Cardinale Legato del Papa; andògli incontra l'honoranza, el Chericato, entrò sotto'l Padiglione sul posciajo con 200. doppieri, fu condotto al Vescovado, e presentato.

A 17. di Decembre venne al soldo de' Sanesi Isabello da Piacenza con cento paghe a piei, mandossi a la Rocca a Tentennano, e si prese, e esso fu fatto Cittadino Senese.

A 16. di Decembre si partì el Legato, e andò a Roma a intrare in tenuta di Castel S. Agniolo.

Al primo di Gennajo venne l'ulivo di Cetona, e del Cassaro compro dal Signor Braccio da Montone.

A 10. di Gennajo a due hore di notte venne, come le genti, e Commissari Senesi erono entrati ne la Rocca di Castiglioni di Valdorcia, e che havevano preso la piana della Rocca, e Cocco v'era dentro, e per questo fu pòsta una presta a balzo di 15. mila fiorini fra XII. Gentilhuomini, e Popolari.

A 4. di Ferrajo venne l'ulivo di Castiglioncello al Trinoro, e come gli huomini s'eron rimessi nelle mani del Comun di Siena, e mandovvisi el Castellano in dì di Domenica, e Lunedì si fe' gran festa con le buttighe ferrate.

A 9. di Febbrajo venne l'ulivo del Cassaro di Castiglioni, come s'era havuto per gran battaglia, e se ne fe' gran festa.

A 22. di detto venne l'ulivo del Cassaro della Rocca a Tentennano, la quale teneva Cocco di Cione di Sandro; e s'hebbe a patti salva la robba, e le persone, e così se n'uscirono, e presonò la tenuta per il Comun di Siena Giovanni di Starnino, e Pavolo di Giovanni di Lando.

A dì 22. di Febrajo si cominciò a murare la Fonte del Campo di marmi, e farvi le figure intagliate di marmo, come è al presente; e maestri, che la fero, furno questi; Maestro Jacomo di Pietro della Guercia, Maestro Francesco di Valdambrino, Maestro Sano Maestro di Pietra, e tutti tre Senesi antichi; e pugnossi a fare molti mesi.

1419.

Venne Potestà di Siena M. Troilo Buoncompagni da Visso per sei mesi.

Si fero quattro Palj di quattro nuove Terre, prima della Rocca a Tentennano, Cetona, Castiglioncello, Oltrenaro, e Celle; e poi si fe' quel di Castiglioncello di Valdorcia colla coverta del cavallo.

Venne Potestà di Siena M. Nofrio Vitelli da Città di Castello, e Ser' Agnolo Notaro de le reformagioni.

1420.

Venne Potestà di Siena M. Bartolomeo Bojardi da Ferrara, e la notte fu un grandissimo terremoto; durò l'andare di 20. passi.

Al primo d'Agosto venne a Siena Ranieri Toscano, e Teno di Sancino con 40. mila fiorini e tenevano tenda.

A 20. di Settembre entrò Papa Martino nel Senese, e venne per il Pian del Lago, e per Lecceto, e per Tressa per cagione della peste. Fu mandato Galduccio Galducci, e Gucci di Galgano Bichi, Antonio Saragiola, Niccolaccio di Teroccio, e Urbano di Pietro del Bello, e Jacomo di M. Marco Pecci; e al Ponte ad Arbia fero un bello apparato. E giunse el Papa, e lì gli fu fatto un magno desinare di tutte le vivande, che fu possibile. Dipoi el Papa richiese Jacomo di M. Marco Pecci di fiorini 15. mila, e fu servito; e de' per pegno la Rocca di Spoleto, e Jacomo vi mandò Castellano Bindo di Ranieri Tolomei suo genero con buona compagnia; el Papa se ne tornò a Roma ben satisfatto.

A 10. d'Agosto venne Potestà in Siena M. Andrea de Morantini di Forlì.

Fu fatto Vescovo di Siena M. Piero di . . . .

1421.

Venne Potestà M. Giovanni Salerni da Verona.

Venne in Siena il Signor di Lucca Berardo da Camerino, che andava a' Bagni di Petriolo, e fulli fatto honore.

Venne in Siena el Cardinal di Spagna Legato; andava alle genti rinnegate di Janusso, e andogli incontra el Chericato, e l'honoranza, e se n'andò l'altro dì.

1422.

Venne Potestà di Siena M. Battista Capo di ferro da Roma molto honorato, e così fu ricevuto.

Venne al soldo de' Senesi Luigi da Lutimo con 150. lance, e fu fatto Capitano dell' Arme, e datoli el bastone.

Venne Potestà di Siena M. Tommasso Pellegrini da Bologna.

FINIS.

BRACHII PERUSINI VITA, ET GESTA

Ab Anno MCCCLXVIII. usque ad MCCCCXXIV.

AUCTORE

JOHANNE ANTONIO CAMPANO

EPISCOPO INTERAMNENSI SEU APRUTINO,

ANTEA EDITA,

Nunc in omnium commodum recusa.

IN JOHANNIS ANTONII CAMPANI VITAM BRACHII PERUSINI *PRAEFATIO* LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Post Romani Imperii declinationem multis quidem bellis atque atrocissimis discordiis abundavit Italia, sed fortibus Belli ducibus, ac rara militari laude spectandis, plerumque caruit; & si quos adhuc illustris fama commemorat, extraneos potius quam indigenas fuisse constat, quales revera novimus primos e Normannis, qui Apuliae ac Siciliae Regna incredibili fortitudine sibi conquisiverunt. At Seculo Christi XIV. hoc est post Annum 1300. ac deinde ad Annum fere 1500. complures Italia e sinu suo dedit armorum Imperatores strenuissimos, eaque rerum gestarum magnitudine conspicuos, ut vetus Romanorum gloria penes nostros renovata videretur. Eorum Elogia Paulus Jovius literis consignavit. Porro inter hosce praecipue commendati sunt duo, quos nobilis Perusina Civitas tulit, nempe *Brachius*, sive *Braccius de Montone*, quem *de Fortebracciis* alii appellant, ex conquisita sibi Patriae suae, aliarumque Urbium dominatione clarissimus, & *Nicolaus Piciminus*, qui sub ipsius Brachii disciplina educatus, in Insubribus potissimum suae solertiae animique fortissimi innumera signa reliquit, ut hujus filios aeque celebres praeteream. Habemus *Brachii* Vitam a *Johanne Antonio Campano* conscriptam: erit haec illustre documentum, quos Viros tunc Italia aleret, simulque ad Perusinae Urbis decus non parum inserviet, quando nihil inde fusioris Historiae impetrare adhuc potui. Numquam certe altius, quam sub Brachio fama ac potentia Perusinorum se extulit.

Fuit autem *Johannes Antonius Campanus*, scilicet hujus Vitae Scriptor, inter sui Seculi Eruditos perquam commendatus, eoque pluris aestimandus, quod ex humili ac infima fortuna unius ingenii sui ope ad summum locum conscendit. Illum enim, laudato Jovio teste in Elogiis doctor. Viror. *forma illiberali rustica mulier in agro, fessa opere, sub lauro peperit & aluit*. Cavellae rus in agro Campano sub ditione Capuae illi Patria fuit. Tum pauperculus puer aedituo Sacerdoti primo in famulatum traditus, ac deinde paedagogiam Neapoli exercens apud nobilem virum, tantam in literis peritiam atque auctoritatem consequutus est, ut tamdem eruditionis professione in Gymnasio Perusino primas paene tulerit, eaque fuerit Civitate donatus. Neque heic stetit Campani fortuna; nam primo Crotoniensis Episcopus, ac subinde Interamnensis, sive Aprutinus (*Teramo* nomen est Urbi in Aprutio ulteriori sitae) a Pio II. Pontifice Maximo Literarum ac Literatorum amantissimo creatus est, & sub Paulo II. aliis muneribus locupletatus, ac variis legationibus functus. Verum sub Sixto IV. non unis aerumnis vexatus, denique Senae Anno 1477. extremum diem obiit. Ejus vitam conscripsit, ejusque Opera omnia edidit Michaël Fernus Mediolanensis Romae Anno 1495. Quod est ad *Brachii Vitam*, quam ille in Perusinorum honorem condidit, hic inter illius foetus praeferendus creditur, multumque laudatus est a doctis Viris. Eam tamen Jovius his verbis commendat simul & carpit: *inter multa Orationum, & multiplicis stili Opera, quae exstant, avidissime Brachii inclyti Ducis Vita perlegitur, digna posteritate, nisi rerum gestarum fidem adulatione Poëtica corrupisset*. In Annalibus Neapolitanis, quos infra sum editurus, tetris coloribus tum irreligionis, tum crudelitatis, pictum videas Brachium. Verum non unus est Campanus, qui exhibeat quidquid in magnis viris laude dignum est, vituperanda vero silentio tegat. Sed ne id quoque praetermittam, Vitam Brachii a Pompejo Pellino Perusino in Italicam Linguam

fuisse conversam, & Venetiis Anno 1572. publici juris factam, cujus editionis exemplum quum percuperem, misit ad me Vir inter Perusinos cum nobilitate tum literarum amore praeclarissimus D. Philippus Meniconius. Qui plura de Campano quaerit, ejus Vitam adeat a Ferno, ut praedixi, elucubratam, ac praesertim legat, quae de eodem scripsit Continuator Historiae Literariae Guilielmi Cave ad Annum 1463. & Cl. Vir Apostolus Zenus in Additamentis ad Vossium Tom. XII. pag. 335. Diarii Literat. Italiae.

ANTI-

ANTISTITI PERUSINO JOHANNI ALEXANDRI VI. PONT. MAX. DATARIO OPTIMO,

PERENNI MEMORIÆ ET IMMORTALI GLORIÆ DICAVIT

MICHAËL FERNUS MEDIOLANENSIS.

NOn parva est gloria, Pater Reverendissime, ei Urbi cum Principi dominari contingit, unde aliquando viri clarissimi bello paceque domi militiæ prodiere. Communisque prope est cum Principe Civium etiam demortuorum splendor, & gestorum fama, sicut ea gloria etiam nostra censetur, & nobilitas, quam ex gente nostra majorum aliqui peperere. Inter opera, quæ præstantissimum illud Campani, Episcopi postea Aprutini ingenium procudit, quæ ego edenda meo summo labore, studio bonorum literatorum suscepi, celebratissima habetur Brachiana Historia, utpote in qua is omnes eloquentiæ nervos, qui totus sublimis & excelsus in omni scriptorum genere fuerat, jam cùm junior, intendit, ut planè doctissimus quisque fateatur, nihil ab annis Mille citra scriptum majori gratia, seu stili majestate quadam & elegantia, seu luce, fide historiæ, & rerum gestarum dignitate & magnificentia. In qua re unius Brachii, cujus olim & Principis hujus tuæ inclytæ Urbis, cui Pontificem tua te præstantissima virtus nulla suffragiorum mendicatione, propriis virtutum comitiis suffecit, complexus, visus est mihi Q. Curtium imitatum esse, qui unius Alexandri Macedonis vitam, bella, gesta, victorias, consilia, dicta, facta complexus fuit, nisi quòd eum par illi semper incedat, præcellit interdum, numquam deficiat. Et numquam hoc gratior esse, perenniorque potest historia, quæ integra exstat, illa plurima sui parte deperiit. Et Campanus in concionibus, ubi historiæ vis tota desudat, vehementior, vividius penetrat, urget impensius, suadet dissuadetque velocius, in proponendo varior, irritando asperior, sedando & dissolvendo aptior & facilior, summus in delectando, ubique docet, ubique delectat, ubique afficit; semper alacris, gravis, & magnificus splendore verborum & sententiarum gravitate ubique admirabilis, ut cùm nec Curtius quicquam, quod in historia expeti possit, in commendando uno Alexandro posthabuerit, facilè tamen deprehendas interesse plurimum Italo & Barbaro. Et gloriæ Brachii nihil defuisse, nisi quòd illis priscis seculis nasci non contigit. Quibus quum multi certare gloria cum Alexandro perhibeantur, rerum gestarum magnitudine, felicitate & successu, pauci etiam anteponantur, Brachius quidem, & is aliquanto etiam intervallo anteponi potuisset; qui nec majori militum numero pauciores pugnas obivit, nec minoribus cum Regibus prœliatus tenuiores copias fudit, delevitque. Ubi hoc ad gloriam accedit, quòd in media Italia, cùm res bellica floreret, pugnacissimos contra imperatores semper victor exstitit, victus nisi in morte umquam fuit. Hanc ego tanti Principis Historiam cui dicarem, dubium me plura diu detinuere. Et erant tam magnifica gesta Principi dicanda, & cui dicanda integrum non erat. Tua religio, tua sanctissima vita, a sanguine & bellico fremitu aliena, tam naturâ quàm moribus & vitæ instituto pium aliquid ex adytis divorum, & de sacris penetralibus exposcebat. Vicit me gloriæ cupiditas tuæ, expugnavit illa ipsa in te tuamque Perusinam Urbem disciplinarum altricem devotio. Quasi nefarium me piaculum committere sentirem, nisi quòd unum non multis ante seculis florenti illi & imperio maximè affulsit, afflictæ jam & factionibus detritæ Urbi lumen intra Principes suos continerem; & jocundiorem sub tuo numine Civibus tuis magnanimi olim Principis sui lectionem redderem: teque hac immortalitate, cui semper labores omnes meos, fortunas, sanguinem, vitam devotas habui, apud Cives tuos condonarem. Fuere etiam complura, quæ me in hanc sententiam & allexerunt alia, & confirmarunt. Nam si paulò accuratius poteris hanc Historiam percurrere, fuit hic genti tuæ deditissimus, ut pro his asperrima bella gesserit, & denique pro illorum imperio stabiliendo opes, sanguinem, vitam non voverit modò, sed vel etiam effundere non parserit. Quotus enim nationis tuæ hunc non summa veneratione, ne te modò dicam, non prosequatur, quo constet, Alfonsum Aragonensium Regum, qui umquam in Italia regnarint, pace belloque clarissimum, cujus nepotem alterum Alfonsum, atque alterum Ferdinandum pronepotem hoc anno tantis vestris periculis adversùs Gallorum tempestatem defendere adnixi patrio quodam studio estis, cariorem neminem habuisse, & cui majori fide se, exercitum, imperium, fortunas, vitam denique ipsam cognovimus commisisse. Hujus ille virtute in Regnum appulit, hujus industria, vigiliis, labore, studio pacatissimo Regno potitus. In hunc unum quum sanguineas acies cruentus Mars concitaret, eum non tam de imperio quàm de salute & vita dimicaretur, securus quiescebat; hunc in Regiam stirpem ascivit; huic Capuanum Principatum tradidit, & præclaris & immortalibus beneficiis affecit. Porrò cui non jocundum & plenum summæ voluptatis non esset illas Thebas, Athenas, Megaras, illam Corynthum, Lacedæmonem, Babyloniam Macedoniam,

niam, novo Principi perlustrare, & pro religione quadam suspenso pede tantorum memorias ducum peragrare & quærere, qua in Urbis parte ille Epaminundas, ille Agesilaus, ille Alcibiades, ille Themistocles, ille Cyrrhus, ille Alexander vivi consedissent; quo in loco Senatus haberetur; illi effigiatores, illi exactissimi naturæ expressores diversarentur. Sentio jam mecum illam mirificam cordis titillationem, solidamque delectationem. Hanc historiam quum legeris, quoties aut negotium eo te postulabit, aut secedendi voluptas alliciet. Ubi illos Bartolos, illos Baldos, illos Angelos, illa legum scrinia & Jurisconsultorum uberrima pectora, gymnasium omne evolveris, Academiam omnem percensueris. Ubi augusta mœnia perlustraveris, fidem Perusinorum, robur, & vetustatem contemplatus eris. Quæres postremò, nisi quòd magìs autumo in primis, ubi illa alta Balionum domus, in qua tam celebre Brachio insonuit præconium, ubi felix illa tellus, quæ Brachium ipsum tantum imperatorem sustinuit. Quibus altus in ædibus, quo sub tecto tanti Principis vita peracta. Aderunt cani senes, qui à progenitoribus fide integra hauserint omnia, recensebunt stupido tibi angustias imperii Perusini auctas, & unius hujus virtute, consilio, & robore amplificatas. Quæ tibi expressior, quæ optatior poterit contingere voluptas? Ego tibi semper nescio quo sidere propensissimus fui, te colui, te Numinis instar habui, observavi. Quum hæc mecum cogitassem, non potui equidem hanc non Historiam, ex qua tantam concepturus esses cum tuæ gloriæ recognitione delectationem, parvum quidem munus, sed quo nihil inops, qui sola virtute nitatur, præstare majus possit, dedicare. Tu, cujus ingenium unicum est, quo totus obstupeat orbis, qui numquam rerum magnitudine, sicut nec ille quidem Brachius olim, frangeris, si non bella, sanguinem, cædes bellicosissimi Ducis probabis, ingenium tamen illud Campani nostri proditum ad lumen & gloriam seculorum nostrorum, qua soles præclara omnia caritate complectere. Cerne saltem, quibus præesse te dederit viris, cui, & quàm gloriosæ Civitati Deus. Et cùm per otium leges tui addictissimi mancipii Michaëlis, qui in te totus vivit, didiceris memor esse. Vale.

AD EUMDEM.

Desine mirari veterum jam denique pompas,
  Fortunas, animos, prœlia clara Ducum.
Non minor en nostris virtus & gloria; par est
  Pectoris ingenium; corpore robur idem.
Quantus Alexander, quantus vel Cæsar in orbe,
  Tantus & in Latio Brachius iste fuit.
Non contra Reges, Populi, non Roma, nec Urbes.
  Vix contra soli prævaluere Dei.
Invictus semper prostravit cuncta, nec uni
  Francisco puduit succubuisse Duci.
Ille viros inter nostros, mortalia certè
  Inter nec fuerat corpora: Divus erat.
Aspice sed quanto nitidus splendore peregit
  Noster Campanus, qua quoque cuncta fide.
Audio, cum divina fuit facundia, dices
  Historiæ cunctas hic habet unus opes.

JO-

JOHANNIS ANTONII CAMPANI
DE VITA ET GESTIS BRACHII
PROEMIUM.

Vitam & res gestas Brachii scripturus, si nihil aliud, hoc certè spero me assecuturum laudis, quòd ætati consulere conabor meæ. Nam quid alii sentiant nescio; mihi quidem illud in primis videri solet honestissimum, qua quisque natus sit tempestate, eam omni curа efficere præclaram, & quo maximè potest studio, aut factis, aut dictis illustrare, nec pati eos occidere, qui summopere ut immortales sese facerent studuerunt. Nec est, in quo magìs accusari negligentia nostra possit, quàm si quæ tempora nos in lucem ediderunt, ea nos incognita præterire, & abdita jacere in occulto plusquam ingrati patiamur. Ut enim anni vices poma, sic ætates ingenia suo decori atque ornamento pepererunt. Nec tempus ullum fuisse censeo, in quo & qui gerere præclaras res, & qui gestas scribere possent, natura abunde non tulerit; alteros ut tamquam meterent gloriæ segetem; alteros ut horreo penuque repositam instruendæ posteritati, tamquam familiæ alendæ, reservarent. Nullum enim jucundius est animi alimentum, quàm memoria gestarum rerum; qua qui careat, is neque imitari præclara majorum possit facinora, & veluti novum quemdam ejectus in orbem, rudis omnium rerum imperitusque versetur, nec maximam ac certissimam naturæ suæ partem dignitatemque respiciat. Siquidem præsentia brevia sunt, evanescuntque uno ictu oculi. Futura verò nulli mortalium explorata. Sola, quæ præterierunt, & certa sunt, & in immensum repetuntur, ut tamdiu fuisse quis in vita, quamlongè repetere præterita videatur. Sensu enim hominis vita, non spiritu est metienda. Sed cùm tanta sit magnitudo rerum ætate nostra mari terraque in Italia gestarum, ut exercere vel summa possint ingenia, feci quod solent qui in hortos aut rosaria admissi, quia cuncta pudet, pauca quidem illi, sed tamen pulchriora decerpunt, & graviora suscipere etiam ipsis molestum est, quæ feruntur. Tum hic mihi unus visus est, non modò quem nostris hominibus anteponerem, sed quo justa acie cum vetustate certare posset ætas nostra, si modò ut homines, sic etiam tempora considerentur. Quem enim ex omni antiquitate reperies, nullius ope atque auxilio fretum, eo imperii gloriæque pervenisse? Veterum alios patria atque avita extollebant Regna; aliis Civitates & respublica stipendia, commeatus, delectus suppeditabant. Plerosque domi literis atque otio deditos favor Populi repente ad militiam emittebat, quasi idem esset gladio certare, quod linguâ, idem foro moderari, quod acie. Qui si magna peperere imperia, non tamen uno seculo, non uno privatæ opis Duce, tantum accessionis est factum. Nam & magnis copiis, & multos annos, vel circa unam hærebant urbem. Huic omnia contra, militiæ & labori deditum virtus militem; eadem imperatorem effecit; & Patria nudus ejectus intra paucos annos parva manu totam aut domuit, aut agitavit Italiam. Nec est quod vetustatem accusem; sed nostros interdum homines priscis comparo: quos si jure id facere possem, cur non libenter etiam anteferrem? Quo magìs eos demiror, qui vetera consectati, dum aliena colerent, sua inculta desertaque reliquerunt; sic probant quæ non viderunt; quæ viderunt tamquam neglecta improbataque prætereunt. Nam pauci sic perjejunè complexi sunt Italiæ gesta, ut desiderium nobis, non notitiam reliquisse videantur. Quorum sublimia & præclara ingenia, nisi qui alienis invigilarunt, etiam in hoc ipso scribendi genere veteres æquare potuerunt. Nec tamen illorum me magnitudo deterrebit. Spero equidem, ut senes puerorum solent ludos, ita illos mea hæc acerba atque immatura rudimenta summa cum delectatione, nulla cum invidia spectantes, errata ætati, cetera industriæ daturos. Et fortasse in hoc quoque pueros imitati sumus, qui pro laudis æmulatione graviora, quàm ferant humeri, suscipere onera consueverunt. Utcumque tamen futura res est, magno accedemus animo ad res gestas tanti viri perscribendas. Qui si annum quintum ante me natum, est mortuus, tanto nos magìs adulandi vacabimus suspicione. Et qui ejus gerendis rebus interfuerunt, ita eas memoriter solent enarrare, ut ipse quoque mihi, qui nondum eram, videar interfuisse. Nonnulla tamen, quamquam certi erant auctores, quia superare fidem videbantur, sponte nostra prætermisimus; satis hæc futura arbitrati, quæ tamquam illius clarissimi viri primitias nostræ ætati redderemus, simulque ut ceteros pari spe aut immortalitatis; aut si hoc nimium est nobis, certæ diuturnitatis excitaremus ad gloriæ decus.



JOHANNIS ANTONII CAMPANI

DE VITA ET GESTIS BRACHII

LIBER PRIMUS.

Brachiorum familiam sunt qui in Brachinos Carthaginenses referri velint, auctoremque originis fuisse Hannibalē. Quod neque à vetustate generis & magnitudine gestarum rerum, neque à nominis similitudine dicunt abhorrere. Nam & à Brachinis Brachios potuisse dici, & vulgus aliquid; ut solet in tanta diuturnitate temporis, intercidisse putant. Sed res est perobscura, & quæ non modò in ætates multas, sed supra ipsam pæne vetustatem repetatur. Quocirca mihi neque affirmare est animo propter tam longam antiquitatem temporum, diversitatemque regionum, neque negare. Illud satis constat à forti ac robusto ejus familiæ viro, cui primò id inditum nomen fortè Brachios appellatos, eosque Perusiæ multis jam sæculis nobilitate atque opibus claruisse, Principemque civitatis tenuisse locum. Hoc non opinione solùm

A jam insita & inveterata, sed certissimis ejus Urbis, vetustissimisque annalibus comprobatur, exstitisse ex ea familiâ multos foris domique claros viros, qui partim militaribus dediti studiis, partim Reipublicæ gerendæ intenti, non parvam sibi ac suis posteris gloriam pepererunt. Exstant enim monumenta majorum, quæ etsi non accuratè magnificèque scripta sunt, continent tamen aliquid quod legi possit, & sint cognitione dignissima, iis præsertim, qui non tam scriptorum elegantiam desiderant, quàm notitiâ delectantur antiquarum rerum. Sed Perusinum Imperium haud sanè stabile fuit. Quippe nunc
B Optimates gerebant Rempublicam, nunc Plebeji suis usi viribus invadebant, & Civitatis regimen non æquitate & moderatione, sed vi atque armis quærebatur. Qui victores fuissent, victos alios cæde, alios exilio mulctabant. Plebeis Rempublicam obtinentibus multi ex ea familia cæsi, plerique in exilium pulsi. Contra verò quum ad Optimates pervenisset imperium, Plebeis magna ex parte Civitate ejectis, paucis etiam trucidatis. Forte Brachiorum auctoritas atque opes summæ habebantur. Illi Magistratus gerere, legationes obire, & cum paucis Civitatis statum defendere solebant. Finitimis quoque re-

regionibus magni atque inclyti. Et si scio me de vetustate generis & splendore majorum, sed de unius Brachii gestis dicere instituisse. Nascitur Brachius Perusiæ Calendis Juliis Anno Religionis nostræ Millesimo Trecentesimo Sexagesimo Octavo, patre Oddone, viro imprimis claro, matre autem Jacoba ex vetustissima Montemelinorum familia; ut utrum genus nobilitate præstaret planè esset incertum: potentius tamen paternum habebatur. Tradunt Andreæ huic primum fuisse nomen. Mox propter ingentem conceptam spem gentili nomine Brachium appellatum. Duo illi fratres majores natu fuerunt. Quorum alter Manfronus, alter Jacobus nominabatur. Parentem verò qua die natus esset, ad Mathematicos detulisse. Consuluisse quid puero boni maliqne portendi arbitrarentur. Responsumque in summum, & ætatis suæ clarissimum bello virum evasurum. Hinc majore cura ac studio educari cœptum. Hinc Pœdagogos, qui & incorruptè custodirent, & prima literarum præcepta traderent, adhibitos esse. Interea mortuo patre, pueritiam sub matris tutela egit, nec minore cura instructus, jam tum magnitudinem animi ultra ætatem ostendebat; nec quibus ceteri adolescentes, deditus voluptatibus, sed equitandi, saltandi, currendi studiis intentus corpus per varios labores exercebat. Traductus Montonum, paterni juris oppidum, mirificè sibi oppidanorum animos conciliavit. Sed nata ex virtute, ut fit, invidia. Qui alterius erant factionis (nam heic quoque erant simultates) tendere in eum, ac duos natu grandiores fratres insidias cœperunt; quæ quum parum procederent, aliam aggressi viam, fraternas discordias serere. Sed quum nec iis quidem processissent, omnia intestina seditione agitare, manifestas odii faces Popularium animis injicere conabantur; maximè ejus adolescentis virtus, ut amicos ad favorem, sic inimicos ad invidiam & maturandum facinus armabat. Res ad tumultum venerat. Fratres primum consilii inopes sedare eam rem omni qua possent æquitate & moderatione tentaverunt. Sed inimicis noctes ac dies ad juvenum perniciem tumultuantibus, primus Brachius arma cepit vel jussu fratrum, qui ætati magìs imputari facinus volebant, si quid accidisset, vel quod illi magìs Populus favebat. Sic clientum collecta atque armata manu alterius factionis principes, auctores seditionis diversâ viâ adortus, duos medio in foro obtruncat, tertium, qui Perusiam fortè perrexerat eadem illa die in itinere revertentem excepit, atque sua ipse interfecit manu. Quieta res post hæc ab tumultu fuit, omnium animis in ejus adolescentis spem erectis. Sed quum jam matura militiæ videretur ætas decimum octavum nato annum, vel quòd fata eum ad majora vocarent, vel quòd animus natura magnus nihil existimaret ocio turpius, non amplius domesticis deliciis vires emolliendas, sed tentandam rei militaris fortunam constituit, quo majores suos, quorum præclara facinora memorabantur, aut æquaret gloriâ, aut quòd magìs cupiebat, anteiret. Sic animum ad maxima quæque paratum, incertum tamen quo potissimum intenderet, variis consiliis agitabat. Sed quum per id tempus inter Ariminenses & Feltranos bellum esset

A exortum, Montono sub matris ac fratrum imperio relicto, perexiguo comitatu in Feltranorum castra concessit. Illi perbenignè acceptum, quindecim equitibus præfecere. Hoc primum ejus stipendium fuit, quod non tam virtute, cujus nullum adhuc foris exstabat exemplum, quàm generis nobilitate adeptus est. Adeò nobilitas ipsa nescio quid magnum, etiam tacita pollicetur. Nec multis post diebus quum acrius instaret bellum, gloriæ cupiditate incensus, majus ætate ac viribus opus aggressus est. Non procul à castris oppidum Forum Sempronii Ariminensium præsidio tenebatur, quod non solùm armis, sed etiam situ naturaque munitum, B Feltrani capere non poterant. Heic Brachius suis appellatis militibus, paucis etiam adjunctis alienis hostilem agrum excurrit, magnâque pecorum coactâ prædâ, compluribus etiam captis agrestibus, lætus in castra revertebatur. Tum verò qui oppido præsidebant, à fronte statim, atque à tergo ex occulto adoriuntur. Oppidani quoque suos adjuvabant, & clamore pugnantem hostem saxisque territabant. Ingens heic oritur prœlium. Illos pudor atque ira; hos periculi magnitudo stimulabat. Vicit tamen multitudo paucitatem, & qui prædam egerant, fusi fugatique terga verterunt. Brachius multis acceptis vulneribus, ab oppidanis morienti C similis capitur. Nam inter cetera vulnera, & medio pectore trajectus erat, & alterum telum ad alteram partem humeri penetraverat. Oppidani, quem pugnantem non poterant, captum interficere cupiebant; non tam mortem quàm non multo post putabant futuram, quàm mortis accelerationem quærentes. Cessit tamen immanitas avaritiæ. Quippe dicente illo, si se vivum servassent, duo millia nummûm accepturos, tamdem vitæ pepercerunt. Interea qui terga verterant, ut est fortuna belli, præter spem resumptis animis tanto conatu referuntur in hostes, ut impetum illi sustinere non possent; atque ita D perterriti Brachium multis confossum vulneribus reliquerunt. Exceptus statim à suis, & reductus in castra, magna cum diligentia curatus, tanto periculo præter spem omnium liberatur. Nec multis post diebus quum eumdem agrum popularetur, cervice vulnus accepit, quo lævum contractum latus diu mansit immobile. Sed ætate fretus, & medicorum diligentiâ post aliquot menses movere brachium cœpit. Illi fomenta, illi balnea, illi omnia genera medicamentorum adhibebant, quo reliquo lateri sensum motumque restituerent. Brachio autem liberè laxato, cruri quidem penitus mederi nequierunt. Sed tamen non solùm ut ambulare posset, sed etiam ut ne deformiter quidem incederet, effece- E runt. Ea tempestate Perusinorum status penes Optimates & Nobilitatem erat. Sed quo plenius reliqua intelligi possint, pauca quædam aliquanto altius repetemus. Perusinorum imperium fama est, satìs magnum, potensque fuisse; ex altera parte Tyrrhenum mare, Adriaticum ex altera contingebat. Aretinos, Clusinos, Cortonenses, Tudertinos, & qui finitimi sunt Populi in eorum volunt fuisse potestate. Sed nihil humanis in rebus potest esse perpetuum. Nam quum Cives ocio dediti, imperio atque opibus valerent, superbia simul cum divitiis aucta est,

est, & quibus finitimi resistere non poterant, in sua ruentes viscera, ipsi sese domuere. Acres deinde seditiones ortæ, cœpta intestina bella. Plebs factionibus primum elata, mox à nobilitate oppressa in vices acta est. Optimatibus deinde inter se diffidentibus, Plebs ipsa capescit imperium. Optimates Civitate pelluntur, tam diu in exilium acti, donec armis plus possent. In tantis rerum fluctuationibus fines imperii angustiores facti, & qui ad utrumque mare pertinebant, vix in paucos monticulos, modicumque agri recessere. Cetera finitimi solâ concordiâ potentiores invaserunt. Satis magnum exemplum futurum posteris, nisi mortalium oculis stulta cupiditas occœcasset, nullum corpus constare posse, cujus membra inter seipsa dissentiant. Nemo est qui Rempublicam privatæ anteponat atque suæ. Sed esto; concedatur hoc hominum aviditati. Nemo est qui dignitate sua sit sinè civium suorum calamitate contentus. Ergo nostram hanc Italiam Principem omnium terrarum, non exterarum gentium nationumque victoriæ illustrant, sed diversæ factiones, civiliaque & domestica bella conficiunt. Quæ imperia majores nostri sua virtute peperere, ea temeritate nostra defecerunt. Confligimus, oppugnamus nosipsos. Et quorum majores universum terrarum orbem obtinebant, nostri nos parietes & tecta non capiunt. Cives nostros pellimus civitatibus, vicinos & familiares non Urbe solùm, sed tota interdum regione præcipitamus. Et quorum tueri deberemus vitam, eorum spiritum ac sanguinem affectamus. Nam quæ in Italia non dicam Civitas, sed exigua & montana Villa non domesticis factionibus distinetur? Qua ex Urbe, quo ex Oppido non exules plures, non etiam rebelles invenias? Quocirca illa arma, illæ vires & conatus veterum clarissimos triumphos innumerabilesque victorias ex hostibus reportabant. Nos quia nostra tela in viscera nostra perstrinximus, nostro frangimur impetu, & veluti maris undæ unum in locum ex diverso concursantes, nostra sola impulsione collidimur. Nam quis est per Deum immortalem, qui non magis cogitet quo pacto Cives suos possit invadere? quàm quemadmodum fines imperii propagaret, ut planè in omnium seculorum, ætatumque sordes, & in postremam morum fœditatem incidisse videamur. Quorum eadem sunt tecta, iidem lares, sepulcra, templa, parietes aspicere non possumus. Quibus jura, leges, instituta divina atque humana communia sunt, eos domo exturbamus, alienos & peregrinos invitamus. Sed ne feramur longius ea tempestate Perusinum imperium nobilitate obtinente, Plebei partim erant trucidati, partim quo sua quemque fors egerat, vagi atque exules ferebantur. Qui Civitati præerant cum Bonifacio Summo Pontifice fœdus percusserant. Non multo post quo tutiores forent ad eumdem Civitatis cura, imperioque delato, adeò libertatem suam amittere quàm alienam reddere maluerunt. Inter hæc qui alterius erant factionis Oppidum in agro Perusino Derutam intraverunt; quorum Dux Biordus Michiloctus bellicæ rei laude insignis, atque illa ætate clarissimus, quum magnum in Gallia exercitum comparasset,

A ubi exules invaluisse, & captum Oppidum à suis accepit, in Perusinum cum septem millibus delectorum militum proficiscitur. Castris deinde secundùm Tiberim locatis Urbem obsidere instituit. Qui Civitatem regebant, vel quod inter se diffiderent, vel quod hostium extimescerent potentiam, resistere hosti atque in prœlium venire minimè ausi. Procedente obsidione, quum res frumentaria, & quæ ad tolerandam eam rem necessaria sunt in dies fierent arctiora omnia, legatos, qui de pace agerent, ad Biordum miserunt. Auditi sunt ab illo perbenignè, ut cui nihil patria esset optatius. Pacis B conditiones fuere, ut legati ad Summum Pontificem mitterentur. Ille Perusiam profectus rem stabiliret; adventu Pontificis ceteri exules, quorum erant circiter duo millia, revocantur. Biordus cum omni exercitu in agrum Picenum contendere jussus est, transireque Apenninum montem, proculque à Perusinorum finibus cum omnibus copiis quadraginta passuum millia decedere. Sublata jam discordia, vel potius sedata videbatur, quum Plebeji majoribus freti viribus, repente arma capiunt; forum invadunt; nobilissimum quemque trucidant, imprimisque Optimatium Principem Pandulfum Balionium domi potentem, atque antiquissima natum C familia confoderunt. Optimatibus interfectis, armati Urbem excurrunt: cæsæ nobilitatis opes, fortunasque diripiunt, domos, aut funditus diruunt, aut igni atque incendio vastant. Urbe per hunc modum amissa, Pontifex & cum eo octingenti Cives secuti nobilitatem, Asisium confugerunt. Multi Optimatium, quos hostes in tumultu capere non poterant, per Urbis mœnia sese dejicientes, Montonum, ubi Brachius morabatur, profecti, Oppidum in Pontificis fide continuerunt. Quædam etiam Perusinorum munita Castella in Pontificis mansere potestate. Fracta quoque flumine munitum Oppidum, illius fidem sequebatur, arcem Tutius quidam Præfectus obtinebat. Sed animos ho- D minum mutante fortuna, ubi Plebejos imperium invasisse accepit, tradendi Oppidi consilium ceperat. Qua re per Oppidanos cognita, Brachius quod & finitimum erat Oppidum, & inter montium situm angustias, ut hostium vel impedire, vel aperire transitum posset, parva coacta manu de tertia illuc vigilia proficiscitur; quo aut confirmaret Oppidanorum animos, aut si hoc facere non posset, vi subita in arcem irrumperet. Tutius verò, qui ejus adventum, nescio quo pacto præsenserat, duo expedita agmina non procul ab Oppido jussit insidere; quæ transeuntem per angustias ex occulto adorta primo statim impetu ceperunt, deductumque E ad arcem in vincula conjecerunt. Dum hæc in Perusino gererentur Biordus, de quo supra diximus, audita primùm Populi seditione mox de victoria suorum certior factus, Perusiam cum omni exercitu contendit. Qui quum & Fractam ab hostibus defecisse, & captum Brachium accepisset, inter Fractam ipsam & Montonum posuit castra; misitque qui Brachii fratres, qui Montonum tenebant, ad deditionem solicitarent. Illi sæpe ante Brachium redimere conati, tradito Oppido fratrem receperunt. Fertur Biordus antequam ille rediret ad suos, perbenigne

hominem allocutus, obtulisse si secum militare vellet stipendium; quantum ne apud Feltranos habuisset. Magna & in hoste & in victore clementia. Illum verò egisse gratias tradunt, & in hunc ferme modum respondisse. Non voluntatem sibi deesse sub illo militandi, ceterum fortunam adversari: *Si tua*, inquit, *stipendia sequi velim, aut ipse ignavum me senties, aut Patriæ proditorem. Si enim tua secutus signa in acie non fuero, si tuum hostem non feriam, si castra deseram, quid nisi ignavi militis & perfidi transfugæ opus egero? Sin verò inter primos in acie constitero, contra quos erit eundum? Si egregiè pugnavero, quos petam? Si fugientes persecutus fuero, si gladium perstrinxero, non fratres invadendi erunt? Non feriendi amici? Non patria denique ipsa violanda? Proinde quod fortuna nostra non patitur, nec tu petere debes, nec ipse præstare*. Ille animi magnitudinem admiratus, abeundi potestate facta hominem apud suos sæpe postea commendavit, ut sæpe virtus etiam apud hostem laudari solet. Brachius amisso paterno Oppido, armis, equisque spoliatus Burgum in exilium proficiscitur.

Per id tempus Florentini, vel ut sui fines imperii tuerentur, vel quòd bellum finitimis inferre statuissent, ingentem peditum atque equitum exercitum comparaverant. Omnibus autem copiis præerant duo clari bello viri, Crassus Venusinus & Binnus Montopolitanus, ad quos scribam quum misisset Brachius triginta equitum stipendium accepit, atque ita rebus omnibus, quæ bello usui forent, equis, armis, militibus comparatis, in Florentinorum castra pervênit, animo numquam ampliùs rei militaris intermittendæ. Inter hæc Biordo, quem supra ab exilio revocatum ostendi, à suis interfecto variæ res secutæ sunt. Exules in spem recuperandæ civitatis erecti, crebra inter se consilia agitabant, & qui Urbem obtinebant morte ejus viri perculsi, novis factionibus laborare, crebrosque tumultus facere nuntiabantur. Qua spe elatus Brachius pauco coacto milite ad Mitiam quemdam Perusinum proficiscitur. Erat autem Mitias vir imprimis bellicosus, domi nobilis, ex Oddonum familia: qui & ipsi non postremum inter Optimates nobilitatis locum obtinebant. Hominem hortatur, ut impetum faceret in Perusinum agrum; facilè oppida quædam in eorum potestatem esse ventura Plebejis capitali inter se odio dissidentibus. Ergo primo impetu Montemmelinum & Castellum Vetus duo montana oppida receperunt. Bonifacius quoque Pontifex haud oblitus injurias Broliam quemdam magnum illa tempestate virum, legionibus, exercituique Præfectum bellum movere in Perusinos jussit. Ille apud Asisium castris locatis hostium agrum excurrere, populari, vastare omnia, & si aperto bello non posset, insidiis opprimere conabatur. Sæpe ad Urbis portas unà cum Brachio sese ostentare, ut & Plebejos conterreret, & Optimatium qui clam favebant amicos excitaret. Plebeji tantis difficultatibus circumventi tradendæ Galeacio Mediolanensium Duci Urbis consilium iniere. Missi legati, qui & deferrent ultro imperium, & Ducis auxilium implorarent. Non ingrata res Mediolanensi fuit. Missa ad defendendam Urbem delecta militum manu quamdiu Perusini in fide mansere auxilium præstitit. Anno sequenti mortuo Duce majora quàm unquam antea secuta bella. Brachius, ceterique exules, qui nihil nisi de recuperanda patria cogitabant, quòd ipsi perexiguas haberent copias, cum Pontifice agere cœperunt: ut quantum maximum posset exercitum compararet, exules, Optimatesque reduceret: futuram profectò deinde Perusiam sub Pontificum potestate, quieturumque Ecclesiæ imperium. Optimates quamdiu Civitatis gubernacula gessissent Summis Pontificibus paruisse semper. Plebejos quum ad delendum Ecclesiæ imperium finitimorum auxilia defuissent, externa & peregrina invexisse arma, atque ex alio cœlo tela, milites, duces accitos esse. Movere Pontificem justæ exulum preces. Itaque novis factis auctionibus, majoreque decreto stipendio, copias quantas numquam ante comparavit. Duces exercitus fuere quatuor, Paulus Ursinus vir armis & consilio clarus, Mustarda, cujus nomen bellicis in rebus haud obscurum fuit, Comes Carrariæ tertius, cujus ætate nostra multæ res gestæ, variaque bella memorantur. Hi omnes Pontificis fratri parêre jussi. Ille ducebat exercitum, illi datum imperium movendi belli: sed tamen ut eorum, quos paulò ante dixi, consilio uteretur quòd locorum situm tenerent, & rei militaris peritiores haberentur. Florentini quoque qui superiore Anno cum Pontifice societatem fecerant, auxilia misêre. Duces Florentini exercitus fuere Crassus & Binus, sub quibus, ut supra dictum est, Brachius paulò ante militaverat. Tantis unum in locum coactis copiis Nonis Octobribus in fines hostium pervenere. Perusini quod ad se tuendos expedire arbitrati sunt, ne improvisos hostis adoriretur, equitatum non parvum, sed pro tempore non satìs magnum coëgere. Brachius omni vi atque studio duces, ut Urbi appropinquarent, hortabatur. Quod eo consilio faciebat, ut Plebeji aut in desperationem adducti dederent sese, exulesque reciperent, aut quod magìs futurum existimabat totis viribus in certamen egrederentur. Quod si fecissent, non dubitabat paucos à multis imperitos ab exercitatis posse superari. Ipse interea totius exercitus gratiam inire: amicos sibi ex optimis fortissimisque viris plurimos facere studebat. Sed amator virtuti non deest. Jam cuncto exercitui carus, & ducibus non minùs quàm militibus acceptus erat. Itaque multi eum benignè alloqui, nonnulli suam polliceri operam, atque omnes ejus virtutem admirari. Ille quos sibi amicos fecisset secum unà ducere, ex omni parte hostium fines excurrere, vexare omnia atque incendere. Noctu haud aliter quàm interdiu prædæ undique agebantur. Hostibus ingens terror incutiebatur; milites præterea nonnullos subornat, qui ad hostium castra transeuntes, transfugas sese esse simularent: explorarentque quid præsidii, quid spei, quid etiam consilii apud hostes agitaretur, qui statim imperata facientes, omnia ad Brachium ipsum certa explorataque referebant. Quædam etiam oppida partim metu solicitata, partim corrupta promissis sese Pontifici quum dederent, pleraque unius Brachii nomen interponebant, illum pacis, illum fœderis auctorem invocantia. Intra paucos dies quatuor & quinquaginta castella

ab

ab hostibus ad Pontificem defecere. Interea Perusini omnem peditatum equitatumque dies atque noctes in armis esse jubent, quo liberè vagantem hostem aut procul à finibus arcerent, aut si hoc facere non possent, à continuis excursionibus populationibusque prohiberent, aut si ne id quidem liceret, hostes non longo intervallo sequerentur, oppidaque oppugnare aggressos, ipsi à tergo incompositos perturbatosque invaderent. Paulatim deinde audaciores facti, majoribusque accitis copiis: quum ereptam hostibus oppugnandi facultatem putarent; non jam illatum propulsare bellum, sed ultro ipsi inferre videbantur. Itaque per eos dies quasi deleto, & non à tergo relicto hoste, Oppidulum Plebis sex millia passuum procul ab Urbe Perusia situm, quò plerique Optimates initio belli convenerant, omnium generum machinis oppugnare statuerunt. Hac re per transfugas cognita, Brachius, cui pro magnitudine animi cuncta tardiùs geri videbantur, & victoriam mente conceperat, Ducum tarditatem plerumque criminatus, nunc per imprudentiam elapsam, nunc per ignaviam neglectam victoriam exprobrabat. Cognoscere illos pro aliena gloria, alienoque certare imperio; se verò ac ceteros exules pro vita, pro salute, pro dulcissima Patriæ caritate dimicare. Hæc totis jam castris efferebantur unum esse, qui maledicta in duces intorquere non dubitaret. Eam rem plerique in bonam, nonnulli deteriorem, ut fit, in partem accipiebant. Duces ad se vocatum paucis increpant. Mox quid ipse faciendum putaret, quasi ludibrio quærunt. Ille non eos, sed cupiditatem suam accusandam esse respondit, cui pro desiderio Patriæ quicquid factum non esset, fieri potuisse videretur. Ceterùm si suum consilium non aspernarentur, brevì Perusinum exercitum posse deleri, modò dignum putarent, cujus monitis uterentur. Ducibus consilio inter se inito placuit primùm quid ille cogitasset audire. Mox omnes ejus probatâ sententiâ rem illi uno consensu detulerunt. Postridie ejus diei Brachius duces monet, ut exercitum omnem arma capere, totaque die in equis esse jubeant, se quid hostes facerent expedita manu exploraturum, atque eorum invasurum castra; ipsi paulatim appropinquantes, ejus fugam exspectarent: daturum operam, ut irritati hostes ultra Ducum castra sese à læva insequerentur. Ipsi deinde à tergo palantes, dissipatosque adorirentur. Affuit benignè fortuna. Nam quum Perusini milites suos, qui pabulatum ierant fugientes, atque inimicorum insequentia signa conspexissent, magno clamore atque impetu in Brachium feruntur. Ille fugiendi resistendique dubitabundus paulatim cedendo jam à læva suorum castra reliquerat. Tum verò ingenti sublato clamore simul ipse à fronte restitit; simul à tergo universus exercitus perturbatos insequendi studio ordines, effusamque hostium aciem invasere. Pugnatum est magnis utrimque animis: alteri quòd propriis sedibus decertarent, quæ res excitare potest etiam ignavos, acerrimè prœliabantur. Alteros partim gloria bellicæ rei, partim Patriæ cupiditas incendebat. Hic unius Brachii virtus claruit maximè, cum quòd ejus consilio gesta res esset, tum quòd ubi gladio decertandum fuit, unus multorum sustinuit impetum: & quem ceperat locum: quoad reliquæ appropinquarent copiæ, fortissimè defendit. Demum ubi permixtæ fuere acies, alios hastâ percutere, alios stricto mucrone ferire, hostium ictus scuto excipere, gradum sibi victoriâ facere cernebatur. Postremò quum illi vim hostium diutiùs sustinere non possent, alius alium in locum diffugêre. Hoc prœlium haud sanè cruentum fuit, paucis admodum militibus cæsis. Ceterum capti equites circiter mille, signa militaria, & machinæ complures. Hac tam subita victoria potiti duces, non ampliùs quàm mille passus procul ab Urbe castra posuere. Brachius tametsi omnia rectè procedebant, in summa celeritate suorum tarditatem atque ignaviam accusabat. Ipse cum ceteris exulibus noctes atque dies in armis, in equis esse, vexare hostes, plerumque ad Civitatis portas manus cum hoste conserere, inimicos contumeliosè appellare. His rebus perterriti Plebeji, quum obsidionem in dies acriorem atque omnem spem auxilii viderent esse sublatam, veriti ne quis in Civitate tumultus per alterius factionis viros concitaretur, Legatos ad Pontificem misêre, qui pacem peterent; & si alio pacto impetrari non posset, Urbem imperiumque deferrent obsidesque promitterent. Pontifex ceteris conditionibus repudiatis, daturum se pacem respondit, si modò & exules reciperentur, & imperium sibi traderent Civitatis. Ad hæc legati respondere, de imperio quidem tradendo conditionem accepturos esse, de exulibus autem recipiendis nihil injussu Populi promissuros. Habere certos legationis suæ terminos, ultra quos nihil sinè Populi consensu, atque auctoritate suorum Civium possent statuere. Pontifex, ut est natura mortalium plerumque ad utilia quàm honesta propensior, Urbem eo pacto recepit in potestatem, ut Cives stipendia solverent ceteraque imperata facerent, exules autem à finibus viginti millium passuum intervallo decederent: Hac re exulibus nuntiata, quibus victoria jam manibus prehensa teneri videbatur, & patrii Lares quo plus affuerat spei, eo magìs obversabantur animis, incredibili dolore affecti sunt: in desperationem adductos etiam injuria stimulabat. Quippe qui magna spe plenos extrema subiisse pericula, solosque victoriam Pontifici se dicerent peperisse: nunc ab illo deceptos, à Diis atque hominibus destitutos esse, numquam ampliùs patrios Lares, numquam majorum sepulcra revisuros. Sed ubi vis dominatur, vana est, etiamsi sit justa, querela. Post Perusiæ deditionem ceteri exules quamprocul jussi erant profugi abire. Brachius Bimium & Crassum secutus duces Florentiam ad militiam proficiscitur.

Inter hæc mortuo Bonifacio, novoque suffecto Pontifice Cosma Sulmonensi, qui Innocentius Septimus est appellatus, Roma tumultus afferebantur, Ludovicum Pontificis nepotem duodecim Cives Romanos, quòd seditionem excitassent, securi percussisse; universam deinde Civitatem concitatam ad arma in Molem Hadriani fecisse impetum, Pontificem occultè per Janiculum Viterbium effugisse. Hac re audita, Brachius, qui nihil nisi bella quæreret, Romam se contulit. Ibi quum forte Mustardam, quem Bonifacii co-

copiis præesse dicebamus, primo statim adventu offendisset, militare sub eo statuerat, quòd & illi cognitus esset, & Mustarda summo contenderat studio, ne vir strenuus ac manu promtus sub alio quoquam militaret. Sed fortunâ totiens spes ejus jam conceptas abrumpente, postridie quàm ipse Romam venisset, Mustarda per invidiam interficitur. Novum consilium capiendum erat. Tamdem multis ultro citroque agitatis Viterbium petere constituit. Septem eum comites sequebantur. Huc quum satis vesperi venisset, se cœnandi gratiâ in meritoriam divertisse tabernam. Cœnatum verò quum pecunias, quas hospiti solveret non haberet, alteram vestis partem dissuisse, argenteis limbis Hetrusco & Gallico more distinctam, atque eam hospiti pro pecunia dare voluisse. Illum autem hominis liberalitatem admiratum simul & misertum necessitatem, non solùm non accepisse tunicam, sed ultro quatuor aureos nummos invito tradidisse, scripsisseque ad filium, qui Volsituii fortè idem exercebat, ut Brachium transeuntem susciperet hospitio: & quatuor præterea aureos dono daret. Filium verò parentis jussis magnificè paruisse. Summa profectò liberalitas, si & dantis conditionem & accipientis fortunam consideres. Brachius omni spe destitutus, quum Florentiam redire decrevisset, iter Fulgineo fecit: sed fortè domo, qua dormiebat incensa, equos, arma, vestes uno incendio amisit. Erant hæc, ut arbitror, fortunæ præludia, quo gratiora quæ secuta sunt viderentur. Nudum ducem nudi comites intuebantur, & quid jam miseri agerent, aut quid consili caperent, nesciebant. Qui Fulginei regnabant, diu antea ejus nobilitate & familia cognita tam acerbum casum miserati, vestes, equos, arma, pecunias contulerunt. Ubi Florentiam ventum est, quum omnia quietiora viderentur, in Galliam proficiscitur. Per id tempus bellum inter Albericum Barbianeum & Bononienses asperrimum gerebatur, Brachius quo liberiorem prædandi occasionem nancisceretur, in Alberici castra concessit, acceptoque duodecim equitum stipendio singulis diebus clam apertève, quæ melior dabatur occasio, in hostium fines impetum faciebat, sæpeque magnum hostibus incutiebat terrorem. Magna ejus facinora utrisque castris prædicabantur; & quo plus peperisset gloriæ, eo militibus carior, Ducique acceptior evadebat. Habet hoc virtus bellica, ut admiratione, quàm invidiâ præstet. Bononienses post magnos delectus habitos, Berardonem quemdam exercitus imperatorem fecere. Hic non minùs copiarum magnitudine, quàm virtute militum fidens non multum procul ab Alberici exercitu posuit castra, hostium deinde spreta paucitate sæpe aciem expediebat, sæpe ad hostium castra faciebat impetum, quo non solùm pugnandi præberet facultatem, sed etiam hostium animos, ad pugnam irritaret. Alberici castra inter Castellum Bononiense atque Imolam, non procul à flumine recedebant. Hostium verò stationes secundum flumen ipsum, Sanguinarium accolæ vocant, positæ conspiciebantur. Utraque acies ad decertandum parata, spe tamen plenior Berardonis exercitus. Hic Brachius: ut erat naturâ impiger atque ardens studio gerendarum rerum, Albericum hortatur, ut cohortes in armis esse jubeat, totumque exercitum contineat in ordine. Videre hostes quidem magno animo capescere bellum, contra verò suos non parum multitudine esse perterritos, ideoque opus esse consilio. Primum locum occupari oportere, quo sui commodiùs in hostes prœliarentur. Se cum centum delectissimis equitibus secessurum in lævam, proculque inde flumen mille passuum intervallo trajecturum. Mox quum in certamen utrimque itum esset, hostes pugnantes & perturbatos à tergo aggressurum. Placuit Duci consilium, statimque pauca pro tempore locutus, Brachio cum equitibus, quos mallet, abire jusso, aciem & ipse explicavit. Principio hostes, quamquam majoribus freti copiis, militum tamen virtute repellebantur. Mox paulatim labente paucitate, majore facto impetu ordines perturbant. Albericus desperatâ victoriâ terga verterat: fugientem hostes persequebantur. Inter hæc Brachius à tergo se ostendens, mittit qui Alberico nuntiarent, sisti à fuga militem, & in hostem converti. Ipse interea clamando persequentes adoritur. Illi subito tumultu perterriti, in fugam sese vertere conabantur. Sed jam à fronte atque à tergo instante hoste, omnes ad unum aut capti aut cæsi sunt. Paucis post diebus nondum hoc finito bello Albericus à Duce Mediolanensium accepto stipendio novam expeditionem parabat. Proficiscentes interfluentem amnem trajicere oportebat. Hac re cognita hostes non multum procul inde locatis castris transitum prohibebant. Rhenum flumen vocant accolæ, qui jugis Apennini defluens, Bononiensem irrigat agrum. Erat à tergo explicata hostium acies parata, si traiicere cœpissent, extremos adoriri. Tum fluminis ingens altitudo, vadumque peranguſtum, ut non statim totus simul exercitus, sed vix singuli, aut ad summum bini equites transmittere posset. Hostes non procul à flumine fossâ altissimâ munierant castra, animo non priùs abeundi, quàm aut invaderent transeuntes, aut fame conficerent. Hac re permotus Albericus, incertus quid consilii caperet, milites in concionem vocavit: tum etiam à minimis postulatâ sententiâ, alii rates ædificandas, alii equitatum noctu natationi subjiciendum, plerique exspectandum hostium discessum, censebant. Brachius sententiam rogatus; *Haud dubium*, inquit, *non antea discessurum hostem, quam nos exercitum trajecerimus, quod sine periculo nostro non putant futurum. Habeo tamen consilium, si vobis etiam probetur, nullo cum periculo transeundi*, Jussus aperire; *Materiam*, inquit, *censeo ex proximis silvis cædendam, tresque simul ædificandos pontes; fossam posthæc, quæ subitus adventus hostium, quoad trajiciantur cohortes, impediatur, procul inde deducendam*. Placuit res duci, multâque dejectâ materiâ, tres uno die pontes non multo interjecto spatio ædificantur. Fossa deinde non longè à pontibus duum millium passuum complexa longitudinem, sudibus, trabibusque ex altera parte munitur. Quod ubi Bononienses intellexerunt, impedituri munitionem liberum in campum exiere; nec tam ut facultatem præberent pugnandi, quàm ut intra munitionem, si transire hostes cœpissent, magno impetu irrumperent, fossamque transilientes cæderent, ultimos

mos atque diriperent. Interea Brachius, cujus diligentia placebat Duci, impedimenta & leviter armatos milites per omnes simul pontes anteire jubet; statim deinde Albericum cum ceteris cohortibus subsequi. Ipse cum delectissimis equitibus ad fossam, quò jam hostes pervenerant, conversus, ad illorum conatus atque impetum resistebat, & ne vallum transilire possent, impediebant. Sic ubi omnes copiæ ad alteram fluminis ripam evaserunt, ipse paucis acceptis vulneribus, priusquam hostes fossam superarent, proximo ponte celeriter se recepit ad suos. Hæ res adeò gratæ Duci fuere, ut unius Brachii consilio atque opera & victum Berardonem, & flumen trajectum esse fateretur. Statimque ubi ad Fornaces est ventum, stipendium auxit, equos largitus est, & qui ante id tempus duodecim præerat equitibus, septuaginta præfecit. Hoc primum virtuti præmium datum est.

Paucis post diebus Albericus castris inter Mutinam & Castellum-Francum locatis, Brachium ad se venire jussum magnificè pro concione laudavit, & centum quinquaginta equitum aucto stipendio, hortatus est cæteros, ut non inviderent hominis fortunæ, sed ejus potiùs similes esse conarentur, satis multa præmia habituros, si illius cum fidem tum virtutem imitarentur: Solum esse, cujus operâ & profligasset hostium copias, & pontem incolumi exercitu trajecisset. Qui nisi fuisset aut ferro, aut fame, omnibus fuisse pereundum. Tum non solùm struxisse tot pontes, & fossam, vallumque duxisse, sed cum paucis hostium gladiis sese objecisse, totum exercitum ejus constare beneficio, à quo dum alienæ saluti consuleret, suam esse neglectam. Proinde velle ostendere apud se & ignaviam & virtutem internosci: alteram ornaturum se præmiis, contemturum alteram & nomine quidem appellaturum. Hæc quum dixisset, Arcerium, Galdarinum, Arnaldum, atque alios, qui cum Brachio ad vallum subsidio remanserant, sub eodem militare jussos, equestri ordine & militari dignitate donavit. Qui postea suum secuti imperatorem in clarissimos viros evasere. Brachio autem exercitus, imperium, militarium signorum custodiam & præterea sua domestica insignia majorumque ornamenta concessit; quibus ejus posteri in hunc usque diem usi sunt. Dum hæc geruntur Veneti, quorum opes latè mari terraque patebant, vel quòd de finibus contenderent, vel quòd latiùs propagarent imperii terminos, Patavinis bellum inferre cœperunt. Albericus propter affinitatem, quæ erat sibi cum Patavinorum Tyranno, novo audito bello, legiones in expeditionem eductas auxilio misit. Tres viri jussi legionibus exercituique præesse. Brachius primus, alter Laurentius Cotignolanus, tertius Ruffus Aquilanus: omnes manu & consilio promti. Patavium profectis (quod usu evenire solet) ex gloria & virtute livor atque invidia conflata est. Nam Brachium multa facinora rei bellicæ fortiter cautèque gerentem, favor militum ingens est subsecutus. Illum omnes comitari, eumdem in acie ducem habere cupiebant: Quos ille duxisset in prœlium non posse vinci arbitrabantur. Nam & locum ad prœliandum æquum, iniquumque dignoscere, aciem quàm aptissimè ordinare,

A & boni cum militis, tum imperatoris munus obire, omniaque & fortiter audere & consultè facere cognoscebant. Reliqui duces tametsi graviter ferebant, primùm tamen iracundiam tenuere. Mox ubi paulatim intumescens invidia se ampliùs cohibere non potuit, discordias serere, & seditionis caussas captare cœperunt. Postremò imperium, quod erat commune tribus menstruo jure suo, quisque sibi mense arripuerunt. Tertio jam adveniente mense, quo Brachio debebatur exercitus, consilio inter se inito, tradere vexilla recusabant, rati duobus unum viribus & auctoritate imparem resistere nullo modo posse. Milites ubi rem cognoverunt,
B concitati ad arma, impetum in signa faciunt; signiferis erepta ingenti cum clamore ad Brachium deferunt, illum Ducem, illum Imperatorem suum magno plausu favoreque appellantes. Virtutem in cœlum tollunt; ejus auspiciis atque ductu se invictos esse, reliquos non honestâ gloriâ, sed turpi ambitione contendere. Hac de re quæ tectior erat invidia in apertum odium simultatemque conversa. Literæ ad Albericum datæ, quæ grave ambitionis crimen invasum à Brachio imperium deferebant. Denique ubi confecto bello ad Albericum rediere, ut quisque aut oratione subdola, aut apertis conviciis valebat, infensum illi suspectumque facere cona-
C bantur. Qui, ut sunt aures hominum nimis in re sua credulæ, facilè persuasus est adversante nemine. Quocirca illis ipsis quorum impulsu hæc faciebat ad se vocatis, consilium de interficiendo Brachio inivit. Uxor erat Alberico honesta inprimis, & mansueti ingenii mulier. Hæc Ruffi & Laurentii orationibus sæpe apud virum interfuerat, criminaque toties ad maritum delata perceperat. Quæ quum non inscia consilii, virum magnâ incensum irâ non potuisset mitigare, Brachio per fidelem nuntium significat, ut quamprimum Alberici finibus decedere festinaret. Cepisse illum consilium ejus interfi-
D ciendi. Docet deinde quo modo, & à quibus persuasus id agere statuisset. Scire se ejus virtutem marito sæpe opitulatam; fidem verò plurimis argumentis perspectam esse; ideo suam etiam gratiam interposuisse, ut eum viro reconciliaret: illum falsa oratione adductum irâ præcipitem agi. Proinde fugeret statim, ac tempori cederet. Se quidem pati non potuisse, ut & vir ingratus, & parricidæ voti compotes efficerentur innocentissimi & fortissimi viri morte. Hoc nuntio accepto Brachius, qui procul inde duum millium intervallo stationes habebat, de tertia vigilia ad hostium castra perfugit. Magna pars suorum militum nudis equis sinè
E sella, sinè fræno vecti, tanta erat fugiendi festinatio. Albericus non priùs de fuga certior factus, quàm exercitus omnis sublatum paucorum invidiâ clamaret. Jam homines ignavos, quibus nihil nisi verba magnifica forent, assecutos esse, quod sæpe antea tentassent; quem ipsi offendere nequivissent, duci perdendum curasse. Habere tamen gratias Deo immortali, quòd sceleratorum manibus incolumem eripuisset; jam statim audituros qua gratia hostes esset recepturi, & quæ daturi virtutis præmia. Mox sensurum Albericum quantam accessionem hostibus fecisset. Dum hæc totis legionibus efferuntur, Albericus serâ pœniten-

tentiâ ductus scripsisse ad eum fertur, habere gratias Deo, qui ne furori locus esse posset, de fuga eum admonere voluisset. Scire se nihil Brachium nisi nobilitate sua dignum molitum esse. Memorare deinde cœpisse fortia gesta, & fidem laudare, quam cum sæpe aliàs, tum proximo bello prospexisset. Nec negare de ejus morte cogitasse; affirmare tamen non sponte motum sua, sed alieno impulsu concitatum. Satis illi magnas pœnas & pœnitentiam suam & calumniatorum contemtum esse daturum. Orare per pristinam amicitiam, ad se rediret. Id non solùm tutè facere posse, sed majus etiam stipendium accepturum, modò injurias ipse oblivisceretur. Sæpe ex hujusmodi suspicionibus arctiores conflatas amicitias. Hæc ab illo scripta referuntur. Ad quæ Brachius in hæc verba respondit; exstant enim exemplaria literarum ejus subsignata manu: quamquam vulgari & quotidiano sermone perscripta. *Ego quidem, Alberice, quamdiu tuum secutus sum imperium, nulla in re offendi dignitatem tuam. Quod ipse interficiendi mei consilium ceteris, facilè putarem ignoscendum, nisi scire debuisses, imperatorem nemini utramque aurem pandere oportere, sed alteram conviciatori accommodare, defensori servare alteram, ipsum deinde medium, tamquam arbitrum inter duas aures sententiam ferre. Qui autem tibi de mea, ut ego censeo, virtute, ut ipsi volunt, ambitione detulerunt, fecerunt callide. Quod enim ipsi præstare non poterant, id in altero accusaverunt. Nam si in acie fortiter dimicare, pericula pro laude adire, exercitum, aut victorem aut incolumem in castra reducere, gloriam quærere imperatori suo, ambitio dicenda est, fatebor equidem ambitiosum me fuisse. Fatebor, si hoc est eripere imperium, me tibi imperium eripere voluisse. Sin quæ in rem tuam conducerent, omnia diligenter exsecutus, mortem tamen timere a te potui, non est mihi consilium iterum vel fidem tuam, vel meam fortunam tentare. Magna illa & ampla tua in me beneficia, etiamsi novâ perfidiâ violata non essent, ingratum certè me non habuerunt. Sæpe periculo capitis mei gratum me cognovisti, tametsi providè gessimus omnia, quæ si æquum judicem nacta forent, non tu curator meæ mortis, sed ultor esse debuisses. Nunc verò quando ita res tulit, habe tibi, atque amplectere, qui magis amicos tuos linguâ pellere, quàm hostes manu fugare didicerunt.* His literis acceptis Albericus, quo sibi eum aut omnino reconciliandum, aut saltem leniendum tentaret, Pontificis Legato, qui Bononiam præsidio tenebat, Brachium per literas quamamplissimè commendavit. Legatus, cui multa ejus viri jampridem erant audita facinora, trecentis equitibus præesse jussit; quæ res partim ejus virtuti, partim Alberici commendationi tributa est. Paucis post mensibus finito stipendio ad Mediolanensium Ducem profectus, illo quieto nec bellum cum quoquam gerente, ad Bononienses reversus eâdem, qua prius, cognitione receptus est. Quum autem in itinere agrestes, quòd ad pabulationes, frumentationesque extra callem milites exirent, impetum in eum fecissent, in fugam conversos, intra oppidum Ossam compulit, statimque ex omni parte aggressus, sinè machinis, sinè sagittariis expugnavit; cetera in prædam militibus data, ipse quatuor millibus nummûm acceptis captivos liberos dimisit. Aliquot post deinde mensibus Bononiensium finito stipendio, animo ad patriam intento, in Etruriam cum suo equitatu venire contendit. Multi eum sinè stipendio secuti, partim diuturna consuetudine, partim futuri belli spe moti. Existimabant enim virum strenuum, cupidum gerendarum rerum, nullo pacto quieturum. Itaque magna ad eum militum frequentia confluente, quamprimum Burgum pervenit, octingenti equites lustrato exercitu in castris reperti sunt. Jam in ipso itinere Imolæ Tyrannum quatuor millia nummûm dare sibi coëgerat, bellum minatus nisi dedisset.

Inter hæc Innocentius Pontifex moritur, sufficiturque Gregorius. Qua tempestate tres simul Pontifices creati memorantur, Gregorius, Benedictus, Alexander. Quæ seditio aliquot mensibus agitata, divina atque humana cuncta permiscuit. Perusini quorum res pænes plebejos alterius factionis erat, quum Brachii subitum adventum intellexissent (jam enim tantus evaserat, ut inimicis terrori esse posset) soliciti de imperio, statim ne quid ille de improviso moliretur, exercitum undique coëgere. Paulo Ursino omnibus copiis præfecto solum in mensem stipendium datum. Missus deinde magnus peditatus atque equitatus ad oppidum Fractam in extremis eorum finibus situm, admoniti, ut quid ille consilii caperet, explorarent, & si copias trajicere in Perusinum agrum vellet, transitum per angustias facere prohiberent. Dum hæc geruntur, Ludovicus Firmanus, quem superioris Pontificis nepotem ostendi, reliquo Piceno agro armis subacto, Roccham Contratam, quæ ab ejus defecerat imperio, magno apparatu omnium rerum oppugnabat. Equitum erant circiter duo millia, par peditum numerus. Posita castra non procul ab oppido, quod in monte editissimo situm, nisi diuturna obsidione capi non poterat, montis radices occupaverant. Oppidani alterum obsessi mensem, quum re frumentaria deficiente, fame gravissima premerentur, durissima quæque experiri, quàm deditionem facere malebant. Consilio igitur inter se inito, legatos ad Brachium mittendos decrevere, qui ostendentes quanto in periculo versarentur, auxilium per omnem conditionem implorarent, orarentque ut obsessos beneficio suo liberaret, in potestatemque reciperet, dicerentque non se ad libertatem respicere, sed dominum mutare statuisse. Brachius datâ dextrâ legatos bono animo esse jussit; seque ut biduo, aut ad summum triduo exspectarent, admonuit, aut omnino liberaturum ipsos obsidione, aut præsidium atque annonam impositurum. Postridie ejus diei incertis omnibus, quo proficisceretur, Picenos versùs castra movit. Vix decem millia passuum progresso literæ oppidanorum nomine redduntur, quibus significabatur obsidione liberatos pacem fecisse; non amplius auxilio opus esse: discessisse Ludovicum cum omnibus copiis, atque in ultimos Piceni agri fines exercitum esse dimissum. Brachius cognita fraude celerius succurrendum judicavit, continuoque diurno ac nocturno itineri properanti aliæ redduntur literæ, quibus idem quod prioribus continebatur. Nec iis quidem demoratus quominus, quamcitissimè posset, in Picenos perveniret, quum jam sex millia passuum

suum oppido appropinquasset, misit, qui obliquo tramite procul hostium castris ingrediens auxilium venisse nuntiaret. Venienti portæ aperiuntur, atque una voce, uno consensu omnium dominus est appellatus. Hæc prima jacta fundamenta futuræ magnitudinis, primum tam magni imperii domicilium. Hoste statim abeunte, Brachius portâ egressus, Calzarolum, quod ab hostibus tenebatur, oppugnare adortus, primo impetu irrupit. Heic triginta equites, qui præsidio erant relicti, capiuntur. Oppidanorum opes direptæ sunt; corpora illæsa liberaque permansere. Altero deinde die Castitionum, quod erat finitimum castellum, eodem impetu capit. Ranerius Perusinus cum quinquaginta equitibus præsidio collocatus, à Brachio dimissus, à Ludovico pro re malè gesta in vincula conjicitur. Continuò proximum castellum (Montem Altum vocant incolæ) situ egregiè munitum expugnavit. Huic Rodulfus Perusinus cum triginta militibus præsidebat. Capti ad unum, quibus redimendi facultas esset, in vincula conjecti sunt; ceteri sinè armis, sinè equis dimissi. Quatuor continuis diebus, quadruplici victoria potitus, hoc modo paulatim fundatum imperium proferebat. Interea Ludovicus subita suorum defectione atque expugnatione permotus, proxima castella munire, præsidium disponere, turres, murosque reficere, fossâ, valloque mœnia præcingere, iter variis locis interrumpere, ramis, truncisque impedire; denique cuncta, quæ ad reprimendum hostilem impetum conducerent, parare festinat. Sed ubi omnia vi superari videt, veritus, ne subito hostis adventu inire prœlium cogeretur, in extremos Picenos refugiendum constituit, sibi diffisus ipsi, si fortè manus conserere, aut in apertum certamen universis copiis venire contenderet. Igitur Præfectis militum ad se vocatis, quid sibi faciendum videretur, aperuit, adjecitque munita esse vicina oppida, occlusos hosti aditus, angustias proximorum montium occupatas, quo diutius illic cum reliquo exercitu moraretur; hoc plus rei frumentariæ consumturos. Satius esse frumenti, quod superesset relinqui oppidanis, quàm milites quicquam assumere. Brachii impetum perbrevem fore; frumentum illi & commeatus brevì defecturos. Suis verò, si in fide manerent, se aliunde subministraturum, omniaque belli adjumenta suppeditaturum. Plena desperationis videbatur oratio. Angelus Pergulensis, Pierius Navarinus, reliquique Præfecti militares uno consensu dehortari consilio abeundi damnato cœperunt; si hostibus cederet, non oppida solùm, sed etiam illa ipsa præsidia, quæ imposuisset, in eorum ventura potestatem. Quæ proxima castella non defectura, si fugientem aspexissent illum? in quo retentura spem auxilii, si ab eodem deserantur? Plurimum interesse fugere quisquam ân timere videatur. Illud temere desperantis esse, hoc consultè providentis: quamquam ne timorem quidem præseferendum esse bella gerenti. Probum imperatorem aut spe, aut spei simulatione plenum esse oportere. Ejus frontem atque oculos intueri ceteros. Eo animo exercitum esse, quem præstari ab imperatore suo videant: si timidum, si hæsitantem, si denique rebus diffidentem suis aspexerint, ne boum paria detinere fugientes. Sin ducem alacrem, & magna spe plenum, circumeuntem & hortantem suos viderint, ne in magno quidem periculo pertimescere. Sæpe dubiis in rebus spem profuisse, metum ne in secundis quidem juvare. Brachium hominem esse novum, non suis opibus, non alieno stipendio, sed sola virtute nitentem. Pecunias perpaucas, quas vi & rapinis coëgisset, jam omnes consumtas. Conductos milites, ubi stipendio fraudentur, turmatim transfugituros. Proinde resisteret statim intermoriturae procellæ; nam si hunc fugeret quid judicaturos finitimos populos? Quos porrò in amicitia, quos in societate mansuros? Quod si nec se fortunæ committere, bellique discrimen adire statuisset, commodius tamen videri, hostes à rapinis, excursionibusque prohibere, obsistere, à fronte semper infesto agmine, nec tamen pugnandi præbere facultatem. Non illos palantes populaturos agrum, non segetem succisuros, non in oppidanorum oculis ædificia & villas incensuros. Sin prœlio certare mallet, se copiis superiorem fore; præstare numero exercitum suum, tum suis in agris, suis in domibus ante suorum oculos pugnaturum. Magnum id esse virtutis incitamentum, nec minus terroris incutere hostibus, quàm animi suis addere. Multa in eam sententiam Præfecti adjecere: sed timiditatem animi vix umquam verborum attollit oratio. Ludovicus multis ultro citroquè dictis, Angelo Pergulensi oppidis, præsidiisque præposito in ultima Picentum loca fugienti similis proficiscitur. Remansere in exercitu equites mille & quingenti, pedites ferè totidem. Sed Angelo ut minùs auctoritatis, ita plus industriæ atque animi erat. Itaque aut vi propellere hostem decreverat, aut belli dilatione fatigare.

Per hos dies Brachius, cui jam non exercitus solùm, sed etiam Oppidi cura habenda erat, fortè ad subterfluentem rivum descenderat. Causæ descendendi fuere oppidanorum preces, quibus diuturna obsidione vexatis frumentarias etiam molas hostes eripuerant, casamque diruerant. Illi reficere cupientes, quòd hostium exercitus prope esset, descendere sinè magno præsidio non audebant. Secuti erant Brachium centum equites ex omnibus, quos haberet, delectissimi, non tam studio pugnandi, quàm ne hostes furtim excurrentes in se inciderent. Quippe incognitam hostibus eam profectionem arbitrabantur. Angelo, ut sunt prava hominum ingenia, per transfugas nuntiatum est, Brachium primâ statim aurorâ cum paucis ad rivum profecturum. Sic ubi primum illuxit dies, cum septingentis equitibus ad eum locum contendit. Prior tamen Brachius ad rivum pervenerat; qui conspecta appropinquantium hostium acie, magno in se clamore atque impetu venientium equum conscendit; conversusque ad suos; *In magno*, inquit, *periculo aut fugiendum est nobis, aut fortiter resistendum. Indecorum illud & ignavi militis opus, hoc verò magni est animi & præclara cupientis. Possumus nos quidem tutè fugere: sed quid aliud optare hostem putatis, quàm fugientium terga despicere? Non inscius ad hoc discrimen veni; sciebam, hostes impetum in nos esse facturos; eamque ob rem ex omni vos exercitu delegi, ut hic dies & virtutem nostram, & hostium*

stium ignaviam testaretur. Scio non opus esse hortationibus. Nec strenui militis est plus de aliena multitudine, quàm de sua virtute cogitare. Totius vos exercitus nostri robur obtinetis. Si reliquis copiis decertarem, milites jam dudum de fuga statuissem. Gladios vestros non magis ipse hoc bello vidi, quàm hostes sensere. Soli vos in acie dimicastis; soli in castella impetum, irruptionemque fecistis. Reliqui milites nisi quòd ornamento sunt, impedimento nobis non auxilio fuere. Plura dicerem, nisi hostis appropinquaret. State animo præsenti, & venientium impetum sustinete, magnam hodie reportaturi gloriam. Hæc quum dixisset milite in ordinem, atque agmen disposito, collem proximum paululum editum occupavit. Putabat enim universum hostium adesse exercitum. Nam & ingens venientium strepitus exaudiebatur, & pulvis latè surgens, quominus omnes eorum cerneret copias impediebat. Suos deinde jussos exspectare hostem in collis radicibus collocavit. Collis autem non præruptus atque asper, sed molli, acclivique jugo surgebat, ut si multis pauci resistere non possunt, in supremum recipere jugum sese equites potuissent. Hæc agentem magno cum impetu hostes adoriuntur. Armati milites superiore pugnantes loco venientium agmen exceperunt, fortissimèque restiterunt. Hostes nunc paululum regressi, nunc recentem submittentes turmam quasi murum ariete percuterent, assiduos in Brachium impetus faciebant. Ille suos, ut ordinem servarent, nec locum nisi dato signo desererent, admonebat; ipse nunc eminus hasta, nunc cominus gladio venientium adversa ora feriebat. Mox laxatos hostium ordines conspicatus, signum manu dat, ut apertos inordinatosque adoriantur. Illi imperata facientes in adversam efferuntur aciem. Mox multa edita cæde, ne circumventi à multitudine receptu prohiberentur, colligunt sese, multisque acceptis, illatisque vulneribus ad tumulum revertuntur. Hostes instaurant prœlium: & recentes fessis, vulneratis integri succedunt. Brachius ne lassitudine milites afficerentur, omnes quidem in acie esse, sed à fatigatis tutiore loco dimicari jubet: observataque occasione erumpendi, hostes primos in fugam convertit, reliqui ad subveniendum excitantur. Hoc modo quatuor continuis horis pugnatum est. Demum hostes multis cohortibus unum in agmen acceptis delectam peditum manum in duo cornua patiuntur. His præcipiunt, ut dum equestre agmen ad radices totis decertarent viribus, ipsi dextrâ levâque in interiora colliculi juga penetrarent. Hac re cognita Brachius quindecim equitibus descendendum ab equis, & ne pedestris acies pugnantes à tergo supernè adoriretur, ordinemque perturbaret, jugum maturè occupandum demonstrat. Pedites quorum pauci ad medium jam evaserant collem, ab equitibus multis cum vulneribus repelluntur. Interea conferti hostium cunei ad radices uno totius agminis impetu dimicabant. Brachius primùm in multam descenderat planiciem; mox paulatim cedendo pro tumuli radicibus decertabat. Hostes victoriam conceperant animis, & spreta paucitate acerrimè prœliabantur. Brachiani qui quanto numero vincebantur, tanto animis & virtute vincebant, ordinum lassationem exspectabant, intentique ad ducis nutum uno momento & recipiebant sese, & ubi aperta hostium latera viderent, adversam in aciem erumpebant. Hoc modo resistendo invadendo ad noctem usque traxere prœlium. Nox pugnam diremit. Nec desunt qui affirment hoc prœlium, si numerus utrinque spectetur, omnia quæcumque in Italia gesta sunt periculo & magnitudine superasse. Cæsi ex hostibus duodecim equi, confossi ferè omnes Brachiani; omnes vulnerati, inter quos Spinta quidam, qui sub Brachio jam inde à puero militaverat unà cum equo centum & quinque confossus vulneribus, Gulielmus Mecha duobus & septuaginta. Res omni posteritate memorabilis. Hac pugna perterriti hostes nihil minus quàm æquo loco, justaque dimicare acie cupiebant. Quo prœlio omnium finitimorum animi, ut alienati ab hostibus, sic Brachio conciliati sunt, fortunam belli magìs quàm fidem secuti. Proxima castella non modò non exspectabant obsidionem, sed ultro missis legatis, præsidiisque hostium direptis portas aperiebant. Intra paucos dies capti ex præsidiis equites trecenti, qui armis equisque spoliati, atque una veste dimissi, ceteris incussere terrorem. Angelum quoque tanti modò exercitus Ducem milites deseruere, atque ad Brachium assidua bella molientem se contulerunt. Ille cum paucis Firmum concessit. Per id tempus Tudertini orta seditione, qui Civitate ejecti sunt cum Brachio societatem iniere. Rebus prosperè gestis, Brachius, cui nihil ocio & quiete molestius erat, cum omnibus copiis in maritimam agri Piceni oram impetum facit. Anconitanis pecora erepta, frumenta deportata, agri, villæque vastatæ sunt, agrestes multi capti, denique ingens rerum omnium coacta præda. Ergo suo magno incommodo prudentes facti, legatos qui & captivos redimerent, & quanto commodius fieri posset de pace tractarent ad Brachium miserunt. Legatis perbenignè acceptis, data pace, captivos, quod legati ipsi statuissent, pretio restituit; qui magnas agentes gratias, septem millia nummûm pro captivis & reliqua præda promiserunt. Stetit inde cum Anconitanis amicitia. Paucis post diebus educto in expeditionem exercitu, Montem Conscium, munitum situ oppidum, vi cepit. Inter hæc Ludovicus omnes Italiæ duces solicitare, spe, promissis, pecuniâ allicere, copias undique comparare, & omni conatu hostem, quem venientem arcere non poterat, jam prementem submovere conabatur. Ascitis deinde sibi Martino Faventino, & Carrariæ Comite, equitibusque ad tria millia comparatis adversùs Brachium, qui ad Montem Conscium paucis ante diebus captum stativa habebat, cum omni exercitu proficiscitur. Eorum adventu cognito Brachius ne detrectare pugnam crederetur, passuum duo millia processerat. Ibi parva in planicie structis utrimque ordinibus, quod erat reliquum, diei pugnâ consumtum est. Pugnatum est aliquot continuis horis. Hostium equi attriti multi, capti etiam nonnulli; belli finis. Repulsi duces fuere, qui magna vi rejecti in proxima se castella receperunt. Brachius haud dubiè victorem exercitum in castra reduxit. Fama invicti ducis jam undique per finitimos vagabatur. Sed quum ceteri pacem po-

stu-

stularent, soli Fanenses non misere legatos, vel quòd maritimam incolentes oram multo intervallo ab inimicis distare se crederent, vel quòd Ludovici præsidio tenerentur. At Brachius qui omnem eam regionem aut vi subegerat, aut societate conjunxerat cum parte copiarum, expeditisque militibus Fanum contendit, finesque depopulatus aliquot non satis munitis castellis expugnatis petentibus pacem dedit. Hac fama belli ingens ad eum militum multitudo prædæ cupida confluebat. Ludovicus quum videret numquam sine suo detrimento, & suorum pernicie contendisse, oppida præterea alia vi expugnata, alia sua sponte secuta victorem, & quæ in fide mansissent, quæ pauca erant, vectigalia tardius pendere, pleraque etiam omnino recusare. Milites quòd liberior prædandi esset occasio, quotidie ad hostes transire, animos Popularium, aut repentinis rebus perterritos, aut more suo cupidos novarum rerum odio & societate esse mutatos. Consulendum rebus suis, nec omnium defectionem exspectandam decrevit. Mittuntur igitur legati, qui cum Brachio pacem atque amicitiam facerent, initaque societate, fœdus æquo jure percuterent, dicerentque placere Ludovico ad colloquium venire; velle se cum Brachio multis de rebus agere. Ipse diem locumque constitueret; se ejus fidei salutem suam crediturum. Legati pace impetrata de colloquio retulerunt. Placuit ea res Brachio. Sequens dictus est dies; quo die in agrum Cingulanum Dux uterque conveniret. Ludovicus cum quindecim equitibus sine telis, sine armis, ultra eum locum processerat. Brachius etiam cum paucis inermibus obviam profectus est. Complexi mutuo sese multa in eam sententiam dixere. Non de sanguine & vita inter se, verùm de gloria atque imperio esse certatum; consuluisse tamdem utrique fortunam, quæ omni sublata contentione inceptum bellum victi ac victoris amicitiâ composuisset. Sperare sempiternam eam fore benivolentiam, modò alter acceptas bello injurias oblivisceretur, alter illatas oblivioni traditas non dubitaret. Profectò nihil mortalium animis quum furore, stultitiaque armantur pertinacius. Inde cædes; inde quæ sedari sæpe nullo modo possunt, odia & simultates oriuntur. Contra quum humanitatem & rationem induerunt, nihil mollius flexibiliusque reperies. Paucis verbis uno nutu, uno officio, ardentissima quæque odia restinguuntur. Duo duces paulò ante infensissimi non prius ex eo loco discessere, quàm ex inimicis atque hostibus socii atque amici facti, omnia inter se pollicerentur. Sæpe inde alter alterius usi operâ.

Quibus diebus hæc facta sunt ex castris Ludovici quingenti equites transfugerunt, atque Asculum concesserunt. Opinio est sollicitatos ab Asculanis, qui paulò post rebellionem fecerunt, & pecuniâ esse corruptos. Ludovicus Asculi defectione audita, ingenti dolore affectus, quòd Urbs erat situ munitissima, & à suis etiam militibus, qui transfugerant, defendebatur, odio atque ira incensus, ut alteros fugæ, alteros rebellionis crimine punire posset, consilium capiebat. Placuit tamdem mittere qui à Brachio peterent auxilium, periculum facturo, an verbis facta responderent. Brachius statim ut & amici & socii ulcisceretur injurias, simulque ut suis militibus prædandi occasionem non denegaret, exercitum in expeditionem eduxit. Vinctis copiis Rogerium ac Fabricium suæ factionis viros, qui & ipsi Perusia exulabant, exercitumque mille & quingentorum equitum comparaverant, vocandos per literas adjungendosque constituit. Illi acceptis literis cum omnibus copiis ad Brachium convenerunt. Paratis quæ ad expugnationem erant paranda, Asculum qua parte adiri expugnarique posset tanto impetu sui milites irruperunt, ut qui in mœnibus erant collocati, omnibus dejecti propugnaculis Brachianorum impetum sustinere non possent. Transfugis omnibus equi armaque erepta sunt; fugæ auctores trucidati. Urbem diuturna pace opulentam milites diripere. Auctores rebellionis capitali supplicio damnati, alii in crucem sublati sunt, alii securi percussi. Ludovicus Asculo recepto Brachianis quidem militibus dona distribuit. Brachio autem ingentes egit gratias, expertus & hostem perniciosum, & socium fidelem sibi, utilemque fuisse. Dum hæc ad Asculum geruntur, Carolus Malatesta, qui Ariminensibus imperabat, bellum contra Camertes suscepit. Causa suscipiendi non satis certa, nisi quòd aviditas imperii quo plura habet hoc majora concupiscit, nec ulla re tam facilè potest, quàm aliena calamitate satiari. Camerini Imperium duo fratres obtinebant. Ii sui diffidentes viribus auxilium à Brachio atque opem per legatos imploraverunt. Jam hostes Castellum Ramunni, quod erat in Camerti agro expugnaverant, proximumque agrum strage atque præda latè populati, quæ asportare non poterant incendendo Villas, ædificia diruendo, cuncta vastabant. Brachius omni cunctatione abjecta cum omnibus copiis in Camertium fines pervenit, ejus adventu perterriti hostes, primum præda, rapinisque abstinuerunt. Mox illuc adducto exercitu, nec pugnam facere, nec obsidionem exspectare sunt ausi. Itaque fuga præcipites acti, castellum, quod vi ceperant, metu reliquerunt. Tuti celeritate hostes fuere. Vix enim quinque passuum millia Brachius appropinquaverat, quum illi non prius consuluere de conflictu quàm de fuga statuerunt, ac Fabrianum finitimum Camertibus oppidum quamcelerrimè confugerunt. Brachius ne milites longo itinere lassos nimio studio insequendi fatigaret, ingressus castellum unius diei quietem concessit. Omnibus deinde corpora curare jussis ad insequendum hostem profligandumque contendit. Ipse de tertia vigilia delecto equitatu antecedens subsequi reliquos jussit. Id eo consilio factum, ut paucitatem despicientes hostes, in certamen venire, & multi cum paucis manus conserere non dubitarent. Quod si facerent, ut facilè interventu reliquarum copiarum opprimi posse existimabat. Sin verò intra mœnia se illi continerent, totum se agrum ante eorum oculos vastaturum. Oppidanorum oculis triste spectaculum. Hostes primùm non ausi sunt ad prœlium descendere, mox per exploratores de eorum adventu ac numero certiores facti, quadrato agmine ut redeuntes cum præda, graves impeditosque invaderent, duo millia passuum processerunt. Quippe aut fugituros Brachianos putabant, aut si prœlium inire vellent, præ-

prædam esse dimissuros. Prœlium aliquandiu de industria tractum, donec reliquæ cohortes, quas subsequi jussas ostenderam, advenire potuissent. Illæ prædæ cupiditate adductæ, diverso itinere per hostium agrum fusæ, palantesque vagabantur. Quæ res ubi per suos Brachio est nuntiata, veritus ne si ipse pugna discederet, cohortes ab hostium equitatu diriperentur, simul ipse bellum fortissimè sustinet, simul mittendos curat, qui reliquas copias à præda revocarent, aut si egissent prædam, reducerent. Milites statim dicto audientes fuere. Hostes ubi ingentem conspexere prædam, greges, atque armenta abduci, agrestes vinctis trahi manibus, tabulas, ligones, sarras asportari, magno pudore, atque ira perciti, impetum in dissipatos facere voluerunt. Conversos Brachius à tergo adoritur. ordines perturbat, & qui recuperare prædam volebant, præda & ipsi efficiuntur. Capti sunt equites ducenti. Reliqui Fabrianum præcipiti fuga delati. Ibi collectæ reliquiæ, confirmatique ad resistendum animi; maximè omnium ad iniquitatem loci cogi hostem atque opprimi posse arbitrabantur, & Brachiani æquè recenti prœlio & longo discursu fatigati deficiebant. Jam ad Apennini radices pervenerat, quum non procul à tergo Fabrianensium ingentem sub armis manum conspicatur modico intervallo à dextra properantium. Horum consilium erat instare ad montis usque suprema juga, eaque si possent priores occupare, hostemque ascensu prohibere. Brachium multa impediebant. Nox jam imminens, loca salebrosa, atque ardua & hostibus quàm sibi notiora, maximè omnium lassitudine equorum permovebatur. Non illi urgeri calcaribus. Non virgis excitari poterant. Singulo quoque gradu subsistere, ac spiritu, ac spuma, & sudore laborare. Milites periculi magnitudine attoniti esse; plerique munienda vallo & fossa castra censere. Quæ res ut prædæ necessaria videbatur: ita plus periculi. Nihil cibariorum, nihil pabuli habentibus afferebat. Brachius primùm anceps animi, mox omnibus ultro citroque agitatis, ex omni præda equas ante mittit, atque iis equos alios intermisceri, alios hærere vestigiis permittit. Illæ recentes stimulis actæ, magno cursu ad montis jugum evadunt. Equi natura (ut fit) libidine incitati fortius subsequuntur; cursum quamvis fatigati adæquant. Hac celeritate effectum, ut prior ipse occuparet cacumen, atque equi lassitudinem quasi natura ita jubente deponerent. His rebus gestis Brachius adventu Brumæ militem ad hyemandum dimittit. Nec multis post diebus quum apud Roccham hybernaret, nuntiatum est trecentos Martini equites oppidum Lepirum, quod situm est non longè à Cingulanorum finibus occupasse. Qua re nuntiata Brachius omnibus copiis ex hybernis deductis illuc noctu agmine infesto proficiscitur, oppidumque egregiè munitum aggressus, oppidanos se dedere volentes non audivit. Captum oppidum, atque direptum est. Trecenti Martini equites rebus omnibus spoliati dimittuntur. His rebus permoti Cingulani quòd nimis vicinum haberent bellicosum hostem agri vastationem causati, quinque millia nummûm, si agro discederet, oppidumque traderet, obtulerunt. Accepta

A conditione stipendium ex ea pecunia militibus datum est. Exercitus iterum ad hyberna reductus. Quieturus jam Brachius videbatur, quum Cingulani Lepiro oppido in potestatem recepto timere de fortunis suis cœperunt, veriti ne vere adveniente hostes meliorem nacti tempestatem aliquam belli causam occasionemque perquirerent. Nunc demum priusquam periculum incumberet, providendum esse rati, consilio inter se inito, legatos ad Martinum Faventinum mittunt, petentes quantum præsidii opus esset ad hostium excursiones, rapinasque coërcendas malle se affirmantes ejus copias suis rebus alere quàm hostibus diripiendas, vexandasque
B que præbere. Faventinus probato consilio gratias egit, quòd in se fidem habuissent, mittitque sexcentos equites, ex iis quos haberet delectissimos. His jubet ut Cingulanorum fines ab hostium populationibus tueantur, simulque ne temerè prœlium cum hoste committant; satis habere dicens, si à rapinis atque incendiis prohiberent. Brachius datam sibi occasionem suscipiendi belli non putavit negligendam, confirmatis suorum animis. *Nos*, inquit, *bella, o milites sæpe quæsivimus; at illa nunc sua sponte; quum sese offerant nobis. Eamus quò pavor hostium longa quiete sopitos excitavit. Satius est inferre bellum quàm propulsare. Augeamus sanè terrorem, ne otio nostro*
C *confidentes erigantur animi. Faciliùs enim opprimuntur qui de fuga & calamitate, quàm qui de victoria & præda cogitaverint.* Iis dictis per omnes stationes militum edici jubet, postridie in armis essent. Et quæ ad profectionem multorum dierum necessaria forent compararent. Paucos deinde præmisit, qui à proximis oppidis peterent commeatus; negantibus bellum indicerent: ipsi cogendo frumento inprimis hostium finibus ejus adventum exspectarent. Quod eo consilio faciebat, ut si diutius in Cingulanorum agro morandum esset, magna frumenti suppeteret copia. Nam asperitate hyemis rara pabula reperiebantur, & hostes omnia, quæ exercitum alere pos-
D sent, aut in oppidum ex agris contulisse, aut quæ supportari nequiverant, incendisse ferebantur. Circiter Calendas Martias cum omnibus copiis in Cingulanorum fines profectus haud procul ab oppido duum millium intervallo consedit, vix castra erant munita, quum per exploratores, quibus ille militari more, etiam minimis in rebus utebatur, nuntiatum est Cingulanum Populum armatum occurrere; esse equitum septingentos, peditum duo millia. Brachius quod equitatu prævalebat in patentem processit campum, atque ibi structa acie hostium adventum exspectabat. Oppidani magna spe destituti, quòd speraverant de improviso castra mu-
E nientem adoriri, pugnam eo in loco committendam non putaverunt, ne si quid adversi accidisset recipiendi sui in oppidum, quod procul certaretur, facultas esset erepta. Hac de causa paulatim cedendo, ne ordines perturbarentur, ad oppidi muros pervenerunt, parati exspectare hostem, si manu decernere statuisset; eum locum peropportunum fore, nec oppidanos ab equitatu hostium circumveniri posse arbitrabantur. Et si acrius premerentur, facilè in oppidum esse receptum. Contra Brachianos, aut nullam victoriam, aut insignem calamitatem reportaturos. Si vin-

vincerent, paratum esse victis perfugium in oppidum; si vincerentur, quò se reciperent non habituros. Brachius etsi cognoscebat hostium consilium, confisus tamen militum virtute, bellique peritiâ, quadrato & ipse agmine incedebat, ratus oppidanos ubi mœnibus appropinquassent, conversos in se prœlium inituros, fieri posse ut freti vicinitate oppidi ab ordine discederent; dissipatos facilè opprimi posse. Nec sua eum consilia fefellissent, nisi qui præsidio erant relicti, assueti bello viri in ordine continuissent Populum: & quid si non parerent futurum esset periculi ostendissent, jubentes ut extra mœnia belli exitum exspectantes, finerent militem cum milite, equitatum cum equitatu contendere, tunc se oppidanorum operâ usuros, quum prœlii ratio postularet. Quod si omnino aliquid & ipsi facere voluissent contenti essent procul confertum in hostem conjicere tela, & pugnantem saxo, sagittaque propellere. Inito bello acriter utrimque pugnatum est. Hostes sæpe repulsi intra portas se recipiebant. Mox majoribus resumtis viribus in

A Brachianos magno cum impetu eruptionem faciebant. Quos quum rursus intra portas agerent, ab oppidanorum telis confodiebantur. Perdurante ad noctem prœlio, tribus continuis nocturnis horis, facibus, lichnisque accensis, & per oppidi mœnia dispositis, tanto utriusque studio pugnatum est. Nam & oppidani victoriam ex fatigato hoste sperabant, & Brachiani bellandi studio tenebantur. Hæc duo prœlia, Cingulanum, & quod apud Roccam gestum est, maximè omnium quæ gesserat illustria & periculosissima fuisse memorantur

B Milites ex utraque acie vulnerati ferè omnes, equi plerique eviscerati, cæsique traduntur. Pugnatum est quamdiu pugnandi facultatem hostes fecerunt. Brachius insigni & illata & accepta calamitate victorem exercitum quo hostem intra mœnia compulisset, pro concione laudavit. Medici ex proximis Urbibus acciti, qui vulneratos diligentissimè curarent. In ipso reditu Fabrianensi depopulato agro, Saxiferrati Tyrannum in societatem recepit.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

DUm hæc in Picentis geruntur, Landislaus Rex Neapolitanorum magnis ex omni Italia coactis copiis, quum Etruscis inferre bellum, Romamque occupare statuisset, legatos ad Brachium misit, Ottinum Neapolitanum summæ auctoritatis virum, & Matthiam Perusinum, qui nobilitatem secutus in exilium cum ceteris Optimatibus ejectus, aliquot annos sub Rege ipso militaverat. Legati magnificè accepti Regis mandata exposuerunt: Nunc tempus esse recuperandæ Patriæ; non negligendam eam occasionem; Regem modò sequeretur, haud defuturum exulibus auxilium: Regem ad paucos dies in Etruriam magnas trajecturum copias; atque ipsum in expeditionem esse venturum. Comparasse equitum viginti millia; quibus non modò Perusiam oppugnare posset, sed omnem Italiam brevì esse subacturum. Proinde sequeretur invicti Regis auspicia, nec offerenti sese fortunæ deesset. Exules si nunc in tanta rerum opportunitate negligerent, non semper eam occasionem habituros. Polliceri Regem stipendii quantum ipse copiarum coëgisset; non equitibus, non peditibus pecuniam defuturam. Haud difficile fuit persuadere cupientem. Tamen ne quid inconsultè facere videretur, Legatis respondit: Se quidem tanto Regi immortales habere gratias; velle tamen cum militibus consultare: postero die quamplenissimè responsurum. Omnibus igitur equitatus peditatusque Ductoribus ad se venire jussis, primùm Regis mandata aperuit. Mox etiam à minimis postulatâ sententiâ, quum adjecisset, nihil se sine militum consilio statuere voluisse, ingens omnium clamor est subsecutus, ejus esse consilium capere, utrum statueret in ejus arbitrio, & potestate esse. Quod ad se pertineret, numquam deserturos imperatorem suum, maxima quæque adituros pericula: duceret, mitteret quò videretur. Se quoties opus esset, omnes pro ejus dignitate morituros: illum Ducem, illum Parentem esse. Multis animi studio excussæ lachrymæ vocem ferre prohibebant. Constat enim omnium ætatum imperatorum neminem suis militibus fuisse cariorem. Nam animi magnitudinem in admirationem conversam, insita à natura linguæ suavitas adornaverat. Nemo blandiùs appellare milites, nemo nec leniùs errata castigare, nec ardentiùs ad bellum excitare consuevit. Tum milites in summa discrimina non mittere, sed ducere, labori, vigiliis, inediæ, non magìs quàm ceteri succumbere, prædam reliquam militis facere, sibi solum imperium quærere. Hinc amor exercitus, hinc illa ingens militum benivolentia conflata est. Igitur Kalendis Aprilis quatuordecim millibus nummûm acceptis à Rege, stipendioque militibus distributo cum omnibus copiis Romam versùs contendit. Erant in exercitu equites ad mille & ducentos, pedites circiter mille. Pauci Picentum præsidio relicti. Iter erat per Fulgineatem agrum. Cives ejus transitum ægrè ferentes, frumentum & commeatus exercitui præbere noluerunt. Quare permotus Brachius agri parte infesta populatione vastata, oppidum Verchianum decem millibus passuum procul ab Urbe, præcipiti atque edito in colle situm, expugnavit, diripiendumque militibus dedit. Plenum erat oppidum frumenti, quò agrestes ex omni agro veluti ad munitum & commune horreum comportaverant. Post hæc in Tudertinorum fines castris permotis secundùm Tiberim aliquot dierum stativa habuit, quoad reliquæ copiæ, quas undique acciverat, convenirent, quum nec Legati quidem. X. quòd Regis literas exspectabant, profectionem accelerarent. Dum in Tudertino moram traheret, ne milites continenti bello assueti otio torpescerent, Collem-Medium Tudertinorum oppidum, quod non longè à Perusinorum finibus aberat, durissima oppugnatione aggressus in Regis ditionem subegit. Hac re permoti Perusini, quibus jam pridem ejus potentia suspecta erat, Ruffum Aquilanum, & Ciccholinum, Michilottum plebejæ factionis principem ad proxima tuenda castella miserunt, qui quum apud Derutam munitissimum situ oppidum cum suis copiis morarentur, Collis-Medii oppugnatione audita inconditum Brachii exercitum, & capiendo oppido intentum de improviso adoriri, hostesque aut cedere, aut oppugnatione prohibere statuerunt. Itaque vix cœpta oppugnatione Ruffus Aquilanus, & Guido Perusinus cum quadringentis equitibus à tergo se ostenderunt. Hos subsidiarii equites quingenti, quibus Ciccholinus præerat, cum magna agrestium multitudine, quanto intervallo cerni ab hostibus non possent, subsequebantur. Brachius hostium adventu per speculatores cognito, Guilielmum Mecham cum duabus cohortibus procedere, & prœlium committere quàmæquissimo loco jubet. Ejus impetum hostes sustinere non potuerunt, in fugam terga vertentibus. Ciccholinus, quem subsidio suis venire monstraveram, infesto accurrit agmine; factoque in persequentes impetu, Brachiani multitudinis vim non sustinuerunt. Tum Brachius centum delectos atque hastatos immittit equites, jussos hostem suis imminentem quanto maximo possent conatu adorirentur. Ii tanto impetu in adversam se intulere hostium aciem, ut plerisque equo excussis reliqui in fugam verterentur, non priùs fine fugiendi facto, quàm Derutam fusi, conterritique pervenissent. Brachius victum ac dissipatum hostem persequendum militibus demonstrat, qui imperata facientes vulneribus tardatos corripuere. Pedites ægrè fugam molientes ad unum capti, vinctique in castra retrahuntur. Gulielmus cum duabus illis cohortibus, reliquisque hastatis equitibus, persecutus hostem ad Derutæ portas pervênit. Deruta in colliculo paulò editiore sita planiciem habet ad portas latè jacentem, in qua cum alia quædam ædificia, tum meritoriæ tabernæ plurimæ viam, qua Romam itur, hinc atque hinc cingunt. Heic quum omnes hostium copiæ, quæ ex conflictu evaserant, colligere sese ac instaurare bellum cœpissent, auxiliantibus oppi-

oppidanis, & in Brachianum militem de superiore loco tela ac saxa jacientibus, pugnatum est aliquandiu acerrimè. Sed hostes priore calamitate perterriti, plerique intra oppidum refugêre. Capti equites ducenti quadraginta, inter quos & Ruffus Aquilanus paulò ante exercitus ductor victoriam insigniorem fecit. Ædificia illa, quæ diximus, direpta atque incensa omnia. Interea Brachius oppugnationem oppidi non priùs dimiserat, quàm intra mœnia milites plurimis circum erectis scalis irrupissent. Igitur duplicatâ victoriâ utrumque militem, & qui profligaverat hostes, & qui oppidum expugnaverat, pro concione laudavit. Hæc in Tudertino gerenti Regis literæ perferuntur, B quibus significabatur captam esse Romam. Ad ædem Hadriani, & præterea Fanum Divi Petri obsessum habere, aditus undique esse præclusos. Venturum se cum omnibus copiis in Etruriam, nec opus esse obsidionem suo præsidio firmare. Romanos ipsos urbano exercitu, & arcem & templum obsessuros; se nullo pacto exercitum distrahere statuisse, habere in armis equitum XX. millia: peditatum dimidio minorem. Maturaturum, ut quamprimum totum bellum in Etruriam transferretur; orare Brachium quas coëgisset copias, ut cuique opus esset, equis atque armis communiret, exspectaretque ejus adventum. Interea augeret quoad posset exercitum, & quod posset pedites undique & C sagittarios compararet. Iis maximè opus esse, oppida atque urbes oppugnaturo. His literis acceptis Brachius, quòd existimabat Regem non ita statim venturum, munitis ad Medium-Collem castris sæpe nunc Tudertinum, nunc Perusinum excurrens agrum, finitimis magno erat terrori. Fama erat Regem nulla humana vi contentum, regna atque imperia subversum venire, ejecturum eos, qui regnarent, atque exules, quorum postea fide uteretur, in suas urbes, atque in suam quemque patriam reducturum. Perusini jampridem hac fama perterriti, ubi captâ Româ D tantas Regis copias adventare ad invadendum Etruriæ imperium acceperunt, consulendum rebus suis, nec tantam belli molem exspectandam statuerunt: itaque publico inito consilio legatos: qui nisi de reducendis exulibus nullam pacis conditionem recusarent, commeatus auxiliaque promitterent, postremò si aliter omnino non possent, civitatem atque imperium dederent, ad Regem mittere decreverunt. Legati Romam profecti, de pace primùm agere cœperunt; sed Rege in exules propensiore multum diuque nequicquam peractum est. Illi pace non impetrata, societatem facere contendebant. Quem ille imperasset eundem Perusinos vel E amicum vel hostem habituros esse affirmantes, transitum, arma, tela, frumentum, militem præbituros. Nec hanc quidem conditionem accepit Rex, ratus constantiùs in fide mansuros exules, qui suâ operâ civitatem recuperassent. Hac re animadversa, Legati frangendum Regis animum imperii cupiditate tentaverunt. Aditu itaque rerum ad Regem postulato, nova interposita conditione, civitatem atque imperium obtulere; si modò exules omnes pro hostibus haberi, & regio exercitu, ac Regno decedere juberentur. Rex tantam invadendæ Etruriæ occa-

A sionem non putavit repudiandam. Eam unam esse Urbem bello quàm paci commodiorem; nec frumentum solùm, cujus est feracissima suppeditare, sed viros bello assuetos, sed arma etiam subministrare posse. Utraque enim re Perusini abundare ferebantur. Quippe factiones jam inveteratæ, crebræque seditiones & popularium animos ad bellum assuefecerant, & omnis generis invexerant arma. Tum sæpe ex multis audierat gentem esse sua quadam natura bellicosam: Hæc regem movere. Sunt qui fuerint opinati, inter ceteras conditiones rem scelestam ac nefariam adjectam esse. Promisisse Regem quum primùm Brachius ad se venisset, statim in B vincula conjecturum. Receptaque deinde Civitate, aut suorum manu necaturum, aut Perusinis necandum traditurum. Quam perfidiam, etsi à regia dignitate alienissima censenda est, tamen quæ secuta sunt, verisimilem effecisse judicantur. Et Rex ille sanguinis quàm gloriæ avidior, multis cladem intulisse ferebatur; atque aliis inediâ, aliis ferro vitam ademisse. Post legatorum discessum Rex priusquam trajiceret copias, ad Brachium scribit, ut quammaturissimè fieri posset cum omni exercitu contenderet Romam. Statuisse non ante movere castra, quàm cum eo de ratione movendi belli communicaret, exercitumque conjungeret. Quum literæ es- C sent redditæ, consuetudine sua Brachius omnibus ductoribus ad se vocari jussis, Regis imperata ostendit, simulque edicit, ut equos atque arma in parato habeant prima luce: iter ingrediendum esse.

Hæc dicenti literæ Ottinii regii legati, quem diximus, afferuntur. Is erat longè acceptissimus Regi, & eam ipsam ob rem omnium particeps consiliorum, quem Brachius, quum legatus ad se venerat, magnificè acceptum honoratumque remiserat. Pollicitationes quoque multæ quum intercessissent, utriusque animum summâ, ut fit, benevolentiâ & singulari amore devinxerant. D Igitur Ottinius amici magìs quàm legati officio functus Brachium de Regis consilio certiorem faciendum putavit. Literæ fuere ejusmodi: *Quum Rex Legatum me misisset ad te solicitandum, nihil feci reliquum, quo minus ejus tibi societatem persuaderem. Sperabam vestram amicitiam Regi quidem usui; tibi verò & usui & ornamento fore? nec existimavi, ut cujus fœdus atque amicitiam postulabam, ei cladem atque exitum importarem. Majores mei, quum opibus & potentia claruissent, magis tamen fide & vitæ integritate claruerunt. Habeo proposita mihi exempla majorum, malle cum fide oppetere mortem, quàm perfidam vitam agere. Sic mei me parentes edocuerunt, non aliter serviendum esse Regibus, quàm honestè, & cum E nullius calamitate serviendum. Eam ob rem cujus ego curavi dignitatem, ejus indignissimam mortem sustinere non potui. Proinde cave, ne in Regis devenias manus. Video illum magis alieni commodi, quàm sui decoris habere rationem: cave cuiquam te credas; ne ad eum profectus, nimis bona fide capiare. Quid ille paraverit, ne quæras? Nihil tam honestè sileri, quàm scelus potest. Vale, & tibi curam habe.* His literis acceptis Brachius suspensus aliquamdiu, & attonito similis non modò sermone abstinuit, sed vultum coloremque variatum admirati milites sunt. Tabernaculum deinde ingressus

ſus oſtio obſerari, juſſo, lectâque iterum epiſtolâ animum in diverſa conſilia agitabat; non poſſe credere tantum Regem dolo eum petere, à quo nulla in re eſſet offenſus: id ne Tyranni quidem eſſe. Tum Ottinium Legatum haud temerè in ſuſpicionem ſe conjeciſſe. Repetere deinde altiùs cepit, juſſiſſe primùm Regem, ut ipſe cum ſuo exercitu in Etruria remaneret, exſpectaretque ejus adventum. Mox ubi Peruſinorum Legati ad eum veniſſent, ſtatim mutaſſe ſententiam, & pacem cum Peruſinis factam audiebat, etſi nihil certi de deditione referebatur, quid ejus equitatu Regi opus eſſet Româ captâ. Non hoſtes prope adeſſe, non illic geri bellum, ubi commodiùs quàm in hoſtium finibus copias jungi poſſe. Nam ſi conſulere de bello velit, quid euntem militem fatigare, paulò poſt rediturum? Si Etruſcos bello petere decreviſſet, quid Romam in Etruria bella gerentem exercitum revocaret? Quum multa ad ſuſpicionem concurrerent, imprimis tamen Ottinii literis movebatur, hominis fama & nobilitate clari. Sed ne fraudem odio incenderet, ad Regem miſit, qui dicerent, adverſa teneri valitudine, eamque ob rem ſtatim literis parére non potuiſſe. Ceterùm quamprimum ceſſaret morbus, cum equitatu profecturum Romam, & quæ eſſent imperata facturum omnia. Eam rem moleſtè tulit Rex, cum quod verebatur detecta fraude ingentem regio ſplendori maculam profuſam, tum quod Peruſiâ quammaturiſſimè potiri cupiebat; cui rei maximè obſtare putabat Brachii ſalutem. Sed quo celeriter incœpta perficeret, ſex millia delectorum equitum in Etruriam quamociſſimè trajecit; Ducemque his Trojæ Comitem præfecit, eique imperavit, ut celeriter ad Brachii caſtra contendens direpto exercitu ipſum in vincula conjiceret, nec cuiquam profectionis ſuæ cauſam, niſi re perfecta patefaceret. Brachius, quum eſſet nuntiatum tantum copiarum Regem præmittere, crebros ſpeculatores in venientium caſtra mittendos curavit, qui omni via atque ſtudio tam ſubiti adventus cauſam certam ad eum, exploratamque referrent. Et quum Tudertinum ingreſſi agrum ad decem millia paſſuum appropinquaſſent, Gulielmum Mecham ad eorum ducem cum muneribus mittit, eique imperat, ut Ottinium, quem unà venire intellexerat, quamocculltiſſimè poſſet, conveniret. Ille, ut erat imperatum, ad caſtra profectus, hominem conventum per fidem atque amicitiam orat, ut ſi quid Brachio impendat periculi, certiorem facere eum velit; ſuâ operâ in Regis amicitiam veniſſe, ſuâ operâ inſidiis non eſſe circumventum; nunc accumulandum beneficium eſſe. Ille rem omnem, ut ſeſe haberet, edocuit. Promiſiſſe Regem Peruſinorum Legatis, ceteros quidem exules perinde atque hoſtes habiturum, Brachium verò aut necare, aut tradere necandum. Ea conditione Peruſinos Civitatem atque imperium eſſe pollicitos. His rebus cognitis Brachius haud ampliùs exſpectandum ratus, trecentis equitibus Tudertinorum præſidio relictis, ipſe cum cetero exercitu in agrum Picenum conceſſit, primaque habuit ſtativa inter Senogalliam & Montem Alboddi. Mox Eſii Urbe recepta in poteſtatem, Regis copiæ, quas adventare monſtraveram, ad Urbem oppugnandam venerunt, munitamque ſitu & armis obſidione cinxerunt. Hic Brachio eruptionem faciente ſæpe acriter pugnatum eſt. Hoſtes poſt aliquot prœlia multis acceptis vulneribus diſceſſerunt. Interea Rex cum reliquis copiis modico Romæ præſidio relicto, Senas placidiſſimam Etruriæ Urbem contendit, quòd ſperabat inita priùs cum Senenſibus ſocietate, opportunè bellum Florentinis movere poſſe, quod agrum Senenſes haberent finitimum, & commeatus abundè ſuppeditare poſſent. Tum ex altera parte ad inferum Mare pertinerent. Qua ſpe adductus, complures onerarias naves ædificandas curaverat, ut quæ res bello uſui forent, ſagittæ, tormenta, & alia machinarum, armorumque varia genera mari celeriùs quàm terrâ vectarentur. Florentinorum opes ea tempeſtate haud ſatìs magnæ erant, ſed anguſtos imperii terminos, inſita genti calliditas tuebatur. Iis nullæ gentes neque animo ad res magnas gerendas, neque conſilio præſtant. Sæpe cum finitimis Populis rem geſſere, quum aut ipſi ultro inferrent bella, aut ab aliis illata propulſarent; numquam tamen ſuccubuiſſe, ſed latiùs ſemper propagaſſe imperii fines traduntur. Non ſatìs bellicoſi illi quidem, ut planè poſſit intelligi bella ipſa non magìs vi corporis quàm animi conſilio procedere; ſed induſtriâ rerum gerendarum mirificè prædití, tum lautitiis & domeſticarum rerum magnificentia clari. Templa, Fora, parietes, privata atque publica ædificia cuncta ſublimia, multo ſpatio circum Urbem altiſſimè ſurgunt Villæ, nec preſſiùs agreſtes caſæ, quàm urbanæ domus erectæ conſpiciuntur. Florentinum ingreſſus agrum alium quemdam cenſeas patêre Orbem. Ubi Urbem intraveris, alterius Orbis domicilium videas. Hanc Civitatem multi Reges, multi Populi bello petiere. Sed tanta in libertate defendenda vis fuit, ut ſæpe neceſſitate inveniente, conſilium Regum, ac Populorum incœpta, conatuſque perfregerint, & ubi bellum à potentioribus eſſet illatum, uno ſtatim momento concitarent finitima bella, & cum ſemper Italiam, tum plerumque magnam Orbis partem ad arma impellerent, Reges atque auxilia, ex alio quodam accirent Orbe. Jam nunc reliquæ Italiæ non tam viribus, quamquam & illæ ſupra modum auctæ ſunt, quàm conſilio atque aſtu metuendi. Ergo ubi tanti exercitus adventum acceperunt, peritos rei militaris ad conducendum ex omni Italia exercitum dimiſere. Ad Brachium quoque, quem jampridem ſuſpectum Regi atque infenſum audiverant, eorum venére Legati, petentes ne peregrinum & incognitum Etruſcæ genti Regem patrium atque avitum Regnum occupare permitteret. Nunc ulciſcendas eſſe acceptas injurias; non ſolùm deceptum eſſe à Rege, ſed etiam proditum eſſe, hoc ſibi perſuaderet. Florentinos non ante libertatem, quàm vitam amiſſuros, nec ulla re alia quàm Regis aut diſceſſu, aut fuga deſtituros à bello. Jam pecuniarum tantum exactum eſſe, ut totum biennium exercitum, quantum opus foret, queant conducere. Illos in Patria, Regem in alieno ſolo inter ignotas, atque ideo infirmas gentes dimicaturum. Sperare ultorem affuturum

Deum.

Deum. Nullis illum lacessitum injuriis, nulla in re offensum à Populo Florentino. Quietis & nihil ad sua jura pertinentibus inferre bellum. Quid facturum putaret Etruriâ subactâ? Quibus insidiis ejus caput petiturum, cujus nunc violata fide sanguinem vendere ausus esset? Proinde resisteret inimici nefario, sceleratoque furori, & ut ceteri Etrusci auxilio veniret. Regem etiamsi esset amicus, unum esse, & multis periculis expositum hominem, brevì aut suorum insidiis, aut hostili vi, aut quod necesse esset ætatis maturitate occisurum. Populum Florentinum immortalem fore. Nec libidine legere amicos, sed fide atque officio tueri solitum. Nunc illi & persequendi inimici, quod etiam ignavi cupiunt, & invicti Populi beneficio devinciendi occasionem datam.

Brachius hæc cuncta quamverissima reputans, simulque suorum omnium hortatu in castra Florentinorum, quæ non procul ab Aretio erant posita, cum omni exercitu proficiscitur. Ejus adventu ingens totis castris lætitia est exorta. Vix equo descenderat, quum iidem illi Florentinorum Legati mille & quingentorum equitum stipendium denumeravere. Interea Rex motis ad Aretium castris, Urbem muro fossaque munitam nec oppugnari facilem obsidere constituit. Qua re prævisa, Florentini Sfortiam non parvi exercitus Ducem Urbi præsidio collocaverant. Qui quum se obsidere videret, priusquam arctiùs ab hostium copiis clauderetur, emittit clam qui Brachium consulerent, quid in tanto discrimine faciendum putaret. Brachius postridie ejus diei ex superiore parte Urbis erumpendum censet, atque in hostes subitum & improvisum impetum faciendum, daturum se signum erumpendi, atque statim hostibus à tergo incubiturum. Proinde venientem se & tubâ canere jubentem observaret: statimque extra murum composito educto agmine prior explicaret aciem, quo ipse facilius à tergo pugnantis, & altero prœlio intenti hostis ordines perturbaret; facilè hoc modo præclarum aliquod facinus prœlio esse facturos. Ille ut erat imperatum postero die intra murum componit agmen, acceptoque signo extra portas instructam, paratamque aciem educit. Apud hostes undique ad arma est concursum, paucisque oppositis turmis, quæ erumpentium impetum morarentur, utrimque egregiè pugnabatur. Quum hostes armandi sui spatium nacti undique vi magna confluerent, Brachius, qui non procul inde ad fluminis ripam sese contulerat, inconditum & temerè concurrentem hostem à tergo invadit. Tantus terror Regi est injectus, ut repulsis longo intervallo suis, ipse de fuga cogitaverit. Ceterùm multitudine fretus inter resistendi, fugiendique consilium trium millium passuum intervallo rejectus. Equi, arma, tela, & reliqua belli instrumenta passim jacientia videbantur, cecidereque ex hostibus multi; capti etiam fuere nonnulli. Hac insperata calamitate perterritus magìs quàm attritus Rex, Cortonam viginti passuum millia recessit, confessus nunc primùm scire aliud esse magni, aliud strenui exercitus Ducem esse. Quippe fusa fugataque viginti millia equitum, decem peditum, à paucis non priùs consistere ausa esse, quàm persequendi finem hostis fecisset. Cortonæ regnabant tres fratres, qui quòd Aretinis multisque aliis Florentinorum municipiis finitimi erant, eorum societatem atque amicitiam sequebantur. Rex montanam Urbem & muro egregiè munitam obsidere cœpit, sperans quos vi non posset, aquarum penuriâ domiturum. Nec multis post diebus Cives facta conspiratione, & Urbem & Dominos Regi prodiderunt. Hoc primùm peregrini, atque externi militis receptaculum in Etruria fuit. Nam Perusinos quòd remotiores à finibus hostium erant, nondum adierat Rex. Brachius tantæ Urbis defectione audita, ne hostes novo imperio exultantes vastando & populando latiùs vagarentur, proximaque oppida rebellionem Cortonensium exemplo facerent, defendente nemine, ad Castellum Aretinum regiis copiis maturè occurrendum decrevit. Oppidum erat procul ab hostium castris millia passuum quinque. Heic licentiùs vagantem & excurrentem hostem diu in castris continuit. Sed nec faciebat cum universis copiis pugnandi facultatem, & dissipatos mira cum celeritate paulatim carpendo profligabat; ut quoniam aperto non auderet bello, arte atque insidiis cum hoste contenderet. Tum Florentini nihil aliud quàm dilationem quærentes, jam ab initio ipsius belli, ne collatis signis in pugnam descenderet, inhibuerant; ut quibus satìs foret si ab expugnationibus & vastatione agrorum arceret hostem, paulò post fame confectum abiturum. Multa secunda prœlia à Brachio facta. Nam interdiu si qui hostium frumentatum, pabulatumque exirent, intercipiebat, & noctu ad castra usque magno cum impetu delatus, non arma exuere, non dormire sinebat Regem; qui sæpe quos in primis stationibus & vigiliis disposuisset, capi atque abduci, nonnumquam extremis castris ignem injectum audiebat. Itaque pudore atque ira percitus sæpe Brachium ad apertam pugnam provocare tentavit. Quod quum parum procederet, & heic quoque confessus est, non se vi atque armis, sed celeritate atque industria esse superatum. Tamdem re frumentaria deficiente, Cortonæ præsidio relicto, Perusiam proficiscitur. Brachius jussus à tergo insectari hostem, Regis audito discessu, quòd existimabat aliunde bellum esse moturum, Tifernum Urbem, nunc Castellum vocant, cum omnibus copiis pergit. Cujus profectione cognita, Rex hortatu Perusinorum duo millia equitum, quibus Julium Cæsarem quemdam, nomine quàm factis illustriorem, præfecerat, ad oppidum Fractam dimisit. Hic statim ingressus oppidum, caduceatorem ad Brachium mittit, qui, ut est hominum vana jactantia, ad cœnam cum omnibus suis copiis invitaret. Quod si fortè recusaret, diceret se cum suo ad eum exercitu cœnatum venturum, atque ante Castelli mœnia pulcherrimè cœnaturum. Brachius tam lepidè invitatus ad bellum; *Abito*, inquit, *quamprimum, & isti tuo Imperatori sic dicito: Me quidem ita consuesse, vocatum in convivia recusare numquam; ceterum raró mea sponte quemquam invitare. Si quos ultro appello, accipio equidem opiparè. Quamquam non adeò demens sum, ut velim meæ domi Cæsarem exspectare. Dignus est, quem suæ conveniam illic, si me invitabit, sentiet spero, non parum edacem convivam invitatum, & qui apparì-*

paritoribus ne ipsa quidem ossa relinquet. Hæc ultro citroque delata, utrumque Ducem ad pugnam irritavere. Ergo postridie ejus diei Brachius ducentis equitibus Castelli præsidio relictis, orto jam Sole, exercitum tubâ in expeditionem ductum ita componit, ut quacumque occurrat hostis, parata atque instructa sit acies toto itinere; quadrato agmine incessum est. Hostis verbis quàm factis magnificentior, nihil interea, nec de cœnæ, nec de belli apparatu cogitaverat. Ubi Brachium non longè à portis infesto agmine instare vigiles retulerunt, partem copiarum præmisit; quæ venientis retardaret impetum. Ipse interea partem reliquam, ut quisque celerrimè se armaverat, ita primum portis emissum in prœlium accendit. Postremò omnibus eductis copiis, ipse pauco stipatus equitatu fugientibus suis subsidio vênit, trepidos ac fuga salutem sibi petere contendentes exciperet, tardos excitare, omnes pristinæ virtutis suæ, egregiæ dignitatis admonere. Sed Brachiani militis tanta vis fuit, ut perturbati hostes, & plerique ipsis excussi equis impetum sustinere non possent. Brachius insecutus hostem, quum fugientem in Oppidi mœnia compulisset, dixisse fertur, se quidem venisse ad convivium, sed Cæsarem convivas suos bona fronte aspicere noluisse. Capti ex hostibus equites quinquaginta; quos dum hostes abscedente Brachio liberare contenderent, facto à tergo magno impetu, Siniducium Brachii Nepotem vagantem extra ordines, & longo intervallo subsequentem ceperunt, statimque non expectato Brachianorum impetu in propinquum sese oppidum receperunt. Ea res minus lætam victoriam fecit. Brachius agro vastato Tifernum cum victoria revertitur. Regem interea multis diebus Perusiæ commoratum Tudertini Perusinis finitimi vocaverunt. Illò profectus, post aliquot dies compositis Tudertinorum rebus Romam pergit. Hunc exitum habuit Etruscum bellum, longè majore apparatu, quàm robore gestum. Inter hæc Florentini, qui consuetudine sua jam inde ab initio belli aliunde opem excogitaverant, Ludovicum ex nobilissima Gallorum familia in Italiam acciverant, spe quadam injecta Neapolitani Regni recuperandi, quod à majoribus suis longa vetustate obtentum patrium, atque avitum ad se quoque hereditario jure pertineret, facilè perpulerunt avidum imperii animum; ut quum copias ea spe paulò post ad ipsos in Italiam trajecisset cum Florentino exercitu conjungeret. Communem esse hostem afferentes, alterius occupasse Regnum, alterius occupare voluisse. Populum Florentinum ubi suis finibus expulisset Regem, in Regnum injecturum manus, & pro Ludovico bellum suscepturum. Ergo Florentini magna Gallorum accessione facta, paribus copiis Regem insequi decreverunt. Tum Roma magni motus afferebantur, Paulum Ursinum à Rege defecisse, & eam Urbis obtinere partem, quæ trans Tiberim pertinebat. Regem verò Capitolium, & reliquam Urbem habere in potestate. Magnos fieri apparatus bellicos, Regem à suo Regno integras accire copias, Paulum ab Etruscis auxilia petere; munitiones, & propugnacula in utraque Tiberis ripa construi.

Brachius Florentini exercitus Imperator Romam profectus, copias cum Paulo conjunxit. Sæpe gravissimè pugnatum est, flumine tamen altissimo, duos exercitus interfluente, magìs eminus tormentis, sagittis, ceterisque missilibus, quàm cominus hastâ, gladioque certabatur. Bruma jam adveniente Brachius caritate annonæ Româ abiens in Tudertinum hyemandi gratiâ concessit, captoque oppido Fractula tota hyeme in hybernis habuit exercitum. Fractulâ expugnatâ Perusinis novus metus injectus est. Neque enim Regem præsidio habebant, & Florentinos, quorum animos superiore Etrusco bello vehementer offenderant, ne quid ipsi quoque alia parte concitarent belli, metuebant. Sed trepidatione in solicitudinem versa cogere novum exercitum, stipendia majora decernere, vectigalia justa atque injusta exigere cœperunt. Mox satìs magnis pro tempore conductis copiis, Tartaliam egregium bello virum exercitui præfecerunt. Hic ad opposita inimicis oppida traducere exercitum jussus, Brachio quòcumque proficiscenti, sese à fronte montuosis, & situ munitis locis ostendebat; nec tamen descendere audebat in pugnam. Qua re animadversa Brachius ne tempus otio tereret, Clusina arva pecorum, atque agrestium plena excurrere decrevit. Ea Thrasimenum Lacum claudunt ad occidentem Solem Perusini tunc agri; nunc etiam Imperii terminus latè sanè & vastè patentia loca tota herbida, partim nemorosa, cuncta pecori pascendo accommodata. Ex altera parte Thrasimeno, ex altera Clusinis paludibus concluduntur. Proxima etiam castella lignatum illò, pabulatumque accedunt. Perusini semper aliàs opportunitate loci, nunc etiam belli metu pecora cuncta ex oppidis, castellisque deducta, eadem in arva universa compulerant. Igitur Brachius magnam partem equitatus cum paucis peditibus hosti montana, saltuosaque petenti loca opponit. Ipse cum quadringentis equitibus, totidemque peditibus per medios hostium fines nihil hostiliter agens transitum fecit. Quum jam viginti millia passuum processisset, tantum enim spacii intercedebat, in patentes diffunditur campos. Tum verò pastores nihil tale metuentes, omnes vertuntur in fugam; greges atque armenta passim errantia in prædam abiguntur. Agrestes, lignatores, pabulatores capti sunt omnes. Omnium maximum fuit octoginta captivos, decem millia minutorum pecorum, boum quinque millia, mille equas, per media hostium oppida à tam paucis agi potuisse. Erant in illo Duce multæ, præclaræque virtutes; consilium rerum gerendarum, magnitudo animi, gratia militum, omnia tamen perficiendi celeritas superabat. Perusini audita hostium profectione, Ciccholinum, quem parti copiarum præposuerant ad occupanda munita loca, reditusque intercludendos misêre, qui magna cum celeritate profectus, non procul à Thrasimeno editissimum collem, cujus radicibus Brachius transitum facturus erat, occupavit. Angusta sanè & salebrosa via, nec solùm ingentibus impedita saxis, sed nunc præceps ad infimam ducebat vallem, nunc ardua atque aspera, etiam recentem atque inermem militem fatigatura surgebat. Tum hinc atque hinc prærupti, atque altissimi impendebant limites, ut facilè multi à paucis, vel gleba si lapi-

lapides deessent, nedum armis opprimi potuissent. Brachius per exploratores, quos omni sua profectione præmittere consueverat, insidiis cognitis, militibus omnibus præter paucos, qui pecora agerent, equis descendere jussis, utrumque viæ superiorem limitem, atque angustias, maximè qua collis radices attollebantur, occupare contendit. Interea qui equis vehebantur pauci, pars strictis mucronibus, pars intentis hastis pecora præcedebant. Reliqui agentes prædam, greges atque armenta subsequebantur. Hostes qui peditatu superiores se fore putaverant, tantam peditum multitudinem conspicati, non ausi sunt in pugnam descendere. Sed Brachio in superiorem evadente viam, illi in suprema collis juga se collegerunt. Jam milites conscenderant equos, quum hostes equitatu pro peditatu usum Brachium cognoverunt, tum se, tum fortunam accusare, quòd graves atque impeditos armis leviter armati fatigare, opprimereque subjecta atque angusta in valle potuissent; in reliquo autem itinere secuti à tergo sæpe prædam eripere, & quum loci opportunitas affuisset, manus conserere tentaverunt. At Brachius qui omnia, quæ evenire possent eventura cogitaverat, aptaque insidiis notaverat loca, equitatum omnem in geminam partitum aciem medium recipere prædam jubet. Peditatum non longo intervallo ad occupanda gradatim loca præmittebat. Hostibus plerumque à tergo adorientibus levia fiebant certamina; quum nec illi Brachii impetum exspectare, nec Brachius prædam relinquere statuisset. Militibus in castra reductis prædam viritim distribuit; singulis militibus dena circiter contigerant pecora. Postero die illis, unoquoque sua pecora pascentibus, dixisse per jocum fertur: Secum quidem actum esse præclarè, qui ex militibus pastores effecisset. His rebus à Brachio gestis, Perusinis qui paulò ante quieturi sub Regis tutela videbantur, nova solicitudo est injecta. Quippe infensis ceteris finitimis, quòd incognitum & externum secuti Regem, bellum ipsi suæ genti vel intulissent, vel illatum commeatu, frumento, armis, adjuvissent, soliciti, ne reliqua Etruria ob recentem offensionem, facta cum Brachio societate, magnum aliquod, & periculosum bellum excitaret, exercitum quantum maximum possent conducendum, & præsidia per omnia Castella disponenda curaverunt; maximè qua arcendi, & excursionibus hostes prohibendi erant. Inter hæc Brachius à Pontifice accersitus omnibus relictis copiis, iisque Jacobo Archipresbytero, magnæ inter Optimates auctoritatis, atque ex illustri Familia viro præfecto, Bononiam proficiscitur. Jacobus post multa præclara facinora à Tartalia, quem Perusini Marsiano oppido præsidii causâ imposuerant, captus, atque in vincula conjectus est. Igitur exercitus, & Imperatore absente, & rectore capto spoliatus, quum intra mœnia se contineret, Gulielmus Macha accusata timiditate, animisque militum accensis, Collazonum asperum situ, & montuosum oppidum oppugnare adortus est. Prodita per quemdam arce, captum statim reliquum oppidum diripiendum militibus est datum. Brachius non multis post diebus Bononiâ reversus, ascito sibi Sfortia bellicosissimo & fortissimo viro, Torsianum Perusinorum oppidum non procul ab Urbe passuum millia quinque situm, capere cupiebat. Igitur milites ad se vocatos, primùm magnam vim scalarum cogere, deinde corpora ante noctem curare, nocte incipiente itineri paratos esse jubet. Deinde postquam eundi tempus visum, milites levi armatura scalis oneratos, incertos quò profecturi, aut quid molituri essent, nocturnum iter ingressus, sequi se jubet; paucisque horis ad oppidum multa nocte in itinere consumta pervênit. Torsianum quidem magna ex parte duobus fluminibus Tiberi, & propinquiore Chiasio clauditur. Quà verò Chiasius præterfluit, ripæ aliquanto præruptiores salictis atque alnis obumbrantur. Igitur idoneum nacti locum, ibi inter fructeta sese occuluere; nec multo ante primam lucem muro scalis admotis oppidum irruperunt. Torsiano capto, Brachius Sfortiâ præsidio relicto, in castellum Leonis editissimo in monte situm, impetum fecit, oppidoque celeriter expugnato, milites omnia in prædam habuere: Ingratissima hæc fuere Perusinis. Jam enim duo propinqua spicula quotidie oculis intentatum iri, & Urbi atque agro perniciem illatura videbantur. Brachius quo infestiora essent omnia, reliquis eductis copiis, solos exules Torsiani præsidio collocavit, quòd sciebat certissimum robur, & belli & fidei contra hostes futurum. Ipse à Legatis Tudertinorum, quos ingens exulum manus aliquot occupatis oppidis toto agro infestabant, & Urbi factiosæ & intestino malo laboranti, haud mediocrem injecerunt metum solicitatus motis in Tudertinum castris, primo statim adventu exules Calonicam fugere coactos adortus expugnavit, diripuitque, paucorumque dierum interpositâ morâ Rucellescum in supremo cacumine editi montis positum, haud dissimili eventu captum vi est, & militi prædâ datum. Reliquum erat exulum receptaculum Oppidum Quadra, quod modico & invalido obtentum præsidio, nullo prope negotio redactum est in Civium potestatem, nec tamen benigniorem, quàm cetera expertum fortunam. Quippe exspectato militis impetu cuncta in prædam rapinamque concesserunt. Compertum erat, Ticiniani Comitem secutum adversam factionem, exules commeatu ac milite juvisse. Itur ergo in hostilem socium signis animisque infestis, sed oppugnatione loci nequicquam facta. Oppidani quum muros egregiè defendissent, quòd plerique erant eo prœlio à sagittariis vulnerati, sponte deditionem, ea tamen conditione, fecerunt, ut ejecto Comite, arcem ipsi ædificarent, perpetuum ac stabile fidei futuram pignus. Qua postea valido firmata præsidio, diu Brachius oppidanos habuit in fide.

Non multis post diebus Interamnensium fines magna atque improvisa excursione vexasse comperio, & prædam quantam vix umquam antea esse coactam. Nam Interamnenses Regem secuti à Pontificis imperio defecerant. His diebus duo milites, qui Perusiam transfugarum specie confugerant, quæstione, tormentisque adhibitis, de prodenda Urbe consilium cepisse confessi sunt. Qua nocte futurum hoc dixerant, Brachium non procul ab Urbe consedisse constat, & signo diu

A diu nequicquam exspectato, ratum proditionem detectam ingressu atque aspectu Urbis abstinere nequivisse, suburbanaque ingressum ædificia, magnam asperrimamque gessisse pugnam. Sed quoniam res admonuit, ut de suburbanis dicerem, pauca de situ ejus Urbis dicenda constitui. PERUSIA, nisi quòd Tiberim flumen ad Orientem relinquit, media inter Etruriæ atque Umbriæ fines editissimis in collibus projecta, vastè magis, quàm sita est. Urbis ambitus paulò eminentior, & veluti celsam in arcem exsurgens, vetustissimo & quadratis lapidibus erecto cingitur muro. Ad ejus muri radices quinque in longitudinem porrecta suburbia exoriuntur.
B Tria paulò longiora recto, planoque jacent tractu. Duo sub ipsum Urbis caput ad Occidentem & Septemtrionem paulùm recurvè excurrentia, tertium in Meridiem vergens pari longitudine in Urbis veluti caudam extenditur. Reliqua duo angustiora contractioraque ceteris per collium pendentia juga descendunt. Universa deinde perpetuus ac latior concludit murus. Igitur Urbs in medio, atque in edito sita prospectus habet omnem in partem latè pulcherrimos, & nisi quòd altitudine præstat, suburbia veluti stella minores majoresve radios circumfundit. Tria quæ diximus, ut planiora porrectioraque reliquis, ita majora celebratioraque sunt, angustiora
C reliqua contractioraque magìs, veluti minores radii ab Urbis gremio recesserunt. Quinque suburbiis quinque magnificæ erectæ portæ, totidemque extra portas operâ structissimi fontes aspiciuntur. Urbem leni clivo pendentes excipiunt colles. Hinc vineta, olivetaque dorsis latè consita cum ipsis collibus delabuntur. Mira omnium rerum fertilitas; nec minor facies atque amœnitas. Hæc omnia paulatim ad Orientem & Meridiem in amœnissimam desinunt planiciem. Eam quoque Tiberis fluvius mediam præterlabitur, qui alveo lato magìs quàm alto, perpetuis ad Chiasium usque transitur vadis. Inde majores incipiens moliri undas, altioreque fluens gurgite, rara præstat & profunda vada. Ni-
D hil hac ipsa Tiberis orâ felicius, nihil proximis à planicie surgentibus clivis lætius. Quà enim parte Perusia ad Meridiem spectat, perpetui quidem illi, sed non multum editi stant colles. Eorum collium magna fertilitatis cum amœnitate certatio. Quippe duodecim millia passuum (tantum enim se porrigunt) duodecim castella, pari intervallo distantia, recto per juga visuntur tractu; quæ in lævam lenissimo descensu, nec dissimili cultu, ad Thrasimenum Occidentem versùs proferuntur, tanta soli æquabilitate, ut colles sint an campi, non facilè dignoscas. Thrasimeni orâ nulla beatior, veluti ubi mul-
E tum terræ peragraveris, in maritimam plagam tepentiorem amœnioremque desinatur. Igitur qui benigniùs sentiunt, agrum Perusinum totius Italiæ censent cultu & amœnitate pulcherrimum. Qui verò Patriæ suæ studio quicquam detrahunt, hoc affirmant, nullam montanam Italiæ regionem huic esse, neque aspectu, neque ubertate comparandam. Sed quà inter Septemtrionem & Occidentem vergit, loca sunt paulò vastiora, quibus rara, & ea ipsa aspera, atque montuosa prominent castella, ut nec lignandi quidem, pabulandique copia desit. Sed jam ad Brachium redeamus; qui quum ad constitutum venisset locum, magnamque partem noctis in occulto consedisset, ubi vigilias Civium in armis agi, & Urbem diligentiùs munitam strepitu nocturno resonare surrectæ aures captavere, desperata proditione, vel desiderio patrii soli aspiciendi, vel quod verisimilius est, belli cupiditate incensus, impetum in Meridionale suburbium facit. Civitatis portas effringit, immissoque celeriter equitatu ad interiorem Urbis murum, pugnando, vastandoque pervenit. Cives partim, qui pro stationibus vigilabant, partim ingenti clamore excitati, undique ad arma concurrunt. Qui superiore loco pugnantes hostium equitatum summa vi repellere conabantur, tela, saxaque dejicientes, mulieres quoque aliæ cinerem, fervidamque aquam suggerebant; aliæ fenestris, nutu, manu, voce, viros ad pugnam cohortabantur. Inter hæc Tartalia, quem ad Urbis, atque agri defensionem superiore mense conductum ostenderam, cum omni equitatu delatus in hostes, tantum conatum in subjectos milites fecit, ut perturbati statim, atque extra portam repulsi, ejus impetum sustinere non possent. Ubi ad portas est ventum, Brachio incendente militum animos, & jam manifestam sistente fugam, tum verò accerrimè pugnari cœptum. Tartaliam primo impetu quàm reliquâ pugnâ ferociorem intra portas Brachianæ acies compulerunt, quem insecutus est statim omnis equitatus. Erat res admiratione dignissima inter tot Civium millia, nunc fugere, nunc acrius instaurare prœlium, nec quemquam nisi armatum gladio hastaque ferire, etsi ingentem telorum ac lapidum vim circumfusa inermium turba in Brachianum militem conjiciebat. Dum hæc ab equitatu gererentur, pedites prædæ magìs quàm prœlio intenti per suburbium latè excurrere cœperunt. Tum verò januas excidere, diripere, atque incendere cuncta videbantur. Jam Tartalia suis equitibus fatigatis intra Urbis mœnia se recipiebat, quum subitò ingens armatorum Civium multitudo, quibus arma capiendi temporis satìs fuerat, confluere undique, & in subjectas turmas facere impetum cœpit. Brachius ubi nimis augeri hostium copias videt, veritus ne à multitudine circumventus caperetur, signum receptui dedit, tamdiu hostibus incumbens, donec dissipati, & præda onusti pedites, colligendi sui tempus habere potuissent. Mox quadrato agmine paulatim prœlio excedendo portas egreditur, præmisso equitatu, ne hostes præcipiti lapsu descendentem adorirentur, peditatum omnem obsistere prementibus jubet; qui & concitatiùs accurrere, & firmiùs prærupto jugo consistere possent, & quum opus esset, donec in æquiorem locum equites devenissent, pro equitatu dimicarent. Atque ita ne urgente quidem hoste incolumem exercitum reduxit. Dum hæc ad Perusiam geruntur, Ludovicus, quem Pisas venisse ostendi, & Pontifex, qui per id tempus Bononiæ morabatur, Florentinum in agrum cum omnibus copiis convenerunt. Florentini quoque suum commisere exercitum. Brachius à Pontifice accersitus Etruriam cum suis & ipse copiis in Florentinorum fines pervênit, eique statim omnium copiarum summa delata est, Gallorum, Italorum-

lorumque consensu. Tanto coacto exercitu primùm Viterbium, mox relictis impedimentis, Romam ad opprimendum Regem proficiscuntur. Quum Viterbium esset perventum, Brachius statim de suo hospite percontatus, cum magnitudine æris alieni conjectum in catenas audivisset, primùm creditoribus satisfecit, mox vinculis exemtum, secum in exercitu postea habuisse traditur, & liberaliter magnificèque tractasse. Rex interea omnibus quæcumque bello usui erant, comparatis, certior de Pontificis adventu factus, per Transtiberim ad Janiculum penetraverat, Janiculoque occupato, præsidium firmissimum imposuerat. Ipse ad arcem Hadriani, quæ Pontificis fidem sequebatur, venientes hostes infesto exspectabat agmine. Omnem Pontificis exercitum Brachius in frequentia partiverat agmina; unicuique cohorti sua signa, suus Dux præerat; nec tamen universo exercitu, sed uno gradatim agmine certabatur. Primo congressu duorum exercituum Galli, qui primum cum suo Rege locum obtinebant, ante omnes prœlium susceperunt. Pugnatum est aliquamdiu atrociter. Gallis pro gloria bellicæ laudis in hostium ruentibus tela, Neapolitanis, qui sub Rege militabant, nobilitate, atque æmulatione prœliantibus. Utrique autem, quod de regno certari dicebatur, pro dignitate sui Regis fortiter mori, quàm turpiter fugere malebant. Aderant prœlio fortissimi Reges. Illi militis, illi imperatoris officium gerere, illi infesto se aspectare lumine, & alter in alterum pertinaciùs magis quàm fortiùs tela dirigere; manu quidem dimicare, ac ferro locum sibi in acie facere, voce autem incendere militum animos, atque in suum uterque hostem irritare aspiciebantur. Nusquam certatum est ardentiùs, nusquam ætate nostra tot milites prœlio desiderati. Galli pugnæ diuturnitate fatigati, enses dimittere, levissimos incutere ictus, paulatimque sudore simul ac labore deficere cernebantur. Ludovicus quoque nimii laboris impatiens, quum deficere suos videret, terga vertit. At Brachius, qui subsidiariam cohortem in parato habebat, ubi victum Gallum prœlio excedere cognovit, partem copiarum urgenti objicit Regi. Ipse cum delectissima manu, modico intervallo regressus, in angustum atque inflexum penetrat Vicum. Interea Neapolitanus, ne à fessis cum integris pugnaretur, recenti producto equitatu pugnam fortissimè instauraverat. Et jam subsidiariæ quoque cohortes inclinare, perturbarique ordines cœperant, quum repentè Brachius à tergo adortus hostem, tanta in prœliantem Regem concitatione fertur, ut subitò statim dissipati ordines, & milites incerti à fronte an à tergo se defenderent, nihil nisi de fuga cogitantes, perturbarentur. Tum verò reliquæ Pontificis acies, ubi aperta hostium latera prospexere, omnibus simul cohortibus aggrediuntur. Earum adventu hostes, quum jamdudum impetum sustinere non potuissent, fusi fugatique per Janiculum in alteram fluminis ripam evaserunt. Præsidia, quæ Janiculo erant relicta, diripiuntur. Hæc pugna adeò Regis attrivit animum, ut statim post conflictum munitionem pro pontibus faceret, fossam latissimè productam

A

vallo atque aggere percingeret. Quæ omnia una nocte mira cum celeritate confecta ingenti præsidio firmavit. Postridie ejus diei, quum varia belli consilia agitarentur, Brachius antequam Rex novas acciret copias, tentandam ejus munitionis expugnationem censuit, eam si perrumperent facilè Tiberi amne trajecto Regem reliqua Urbe posse depelli. Galli quum superiore die parum feliciter pugnatum meminissent, quo pristinam belli gloriam vindicarent, primum sibi certamen impetravere. Sed patentis belli quàm oppugnationum peritiores, à Regiis militibus multis cum vulneribus repelluntur. Hos postridie secutus Paulus Ursinus diu atque

B

acriter nequicquam ad hostium munimenta pugnavit. Ejus milites magno impetu rejecti, & à Regiis sagittariis vulnerati recesserunt. Tertii diei oppugnatione Laurentius Cotignolanus, & Rosarii milites collecta nullo Duce manus aggressi sunt impetu quàm umquam antea majore. Sed hi quoque post multa accepta vulnera aut victi, aut fatigati prœlio excesserunt. Sic Malatesta Ariminensis, qui Pontificem erat secutus, sic Sfortia suo quisque die munitionem frustra oppugnaverunt. Nam & Rex ipse primo pontis aditu obsistebat, & præter incredibilem multitudinem sagittariorum, machinæ varii generis intendebantur.

C

Sexta jam aderat dies, quum reliqui duces nihil profecissent. Brachius ad quem ultima vel gloriæ, vel periculi restabant discrimina, præter ceteros bellicarum rerum apparatus, magnam vim aggerum totam noctem comportari jubet. Prima deinde luce vocatos ad se milites, nunc magnam illis datam ostendit occasionem, qua totius Italiæ milites gloriâ superarent; meminissent pristinæ virtutis, non dubitare quin primo aut ad summum altero impetu intra hostium munitionem irrumperent, atque intra vallum prosilirent. Gallos inscitia, & insuetudine belli esse rejectos, ceteros duces nimis temerè atque incautè suum militem hostium telis objecisse, atque ideo & ipsos esse superatos. Se verò levi expedita manu fossam

D

aggere completurum; lectissimosque milites, & armis munitissimos contra hostes immissurum non diffidere se militum virtuti, si modò ipsi ducis prudentiæ confidant. Proinde eant in prœlium bono felicique auspicio, hunc illum illuxisse diem, in quo si acri fuerint animo, flos atque robur totius Italiæ reputentur. Ex brevi periculo perpetuam gloriam parari oportere. Nec segniùs hostes, quæ superioribus diebus excussa erant propugnacula, mira cum celeritate refecerant. Putabant enim, quoniam continuis superioribus prœliis nihil hostes profecissent, maximum atque ultimum conatum

E

esse facturos. Vallum altissimè munierant turres & tabulata erexerant, atque hæc omnia solida compleverant terra, saxa, tela, calcem, cinerem in turres & tabulata convexerant. Tormenta præterea, & omnium generum machinæ à fronte oppositæ minabantur. Hac re animadversa, Brachius veritus ne temeritas in periculum verteretur, militem tamdiu continuit, donec duæ ligneæ turres impositæ atque enixæ rotis conficerentur, opportunissimum factu, ratus, si pari loco, nec alter altero superior dimicarent.

Tur-

Turribus confectis, & omnibus rebus atque armamentis importatis graviter armatis militibus prœlium capere & in munitionem facere impetum jubet. Hostes superiore loco pugnantes ingentia saxa præcipitabant, tormentis quoque à fronte directis plerique trajiciebantur. Virtus militum, quòd iniquo loco prœlium committeret, in irritum recidebat. Ducis tamen hortatu, non priùs ab oppugnatione destitere, quàm propugnacula quadam ex parte labefactata dejicerent. Tum verò dato signo, qui rotas agebant in munitionem quanto maximo fieri potuit clamore atque impetu confertas militibus turres admoverunt. Hostes nihil tale cogitantes, quòd lapidibus se certaturos existimaverant, eamque ob rem paucas convexerant hastas, & tormenta ad inferiora feriebant, telis atque hastis confodiebantur. Jam ipsis excussi propugnaculis, vix intra vallum se continebant. Tum Brachius leviter armatis militibus imperat, ut fossam medium inter duas acies compleant aggeribus, atque intra munitionem irrumpant. Brevì fossâ æquatâ solo, Brachiani milites in pontem summa vi prosiliunt. Rex ipse inter primos pugnabat, sed pontis angustiæ, quominus toto exercitu decerneret fuere impedimento. Vix enim centum, aut ad summum ducentos milites capiebant. Pulsus tamdem Rex, omnibus dejectis munimentis, & portæ ab hostibus occupatæ, in interiorem se recepit Urbem, veritusque ne libero aditu hostes se adorirentur, proxima nocte cum omnibus copiis effugit in Regnum. Ea res mirificè Brachium conciliavit Pontifici; cui vocari ad se jusso per lætitiam dixisse fertur. Ejus milites Brachio, ceteros pede duce dimicare; eam ob rem illos pede fugam moliri, suos Brachio pugnam facere consuesse. Placuit deinde Româ captâ fugientem persequi Regem. Igitur biduo ad quietem militibus dato, magnis itineribus in Sorianorum fines, quò fugisse Regem audiebant, cum omnibus copiis pervenerunt. Rex ubi adventare hostem intellexit, sperans victoriâ exsultantem ad loci iniquitatem adduci posse, aciem ad montis radicem explicavit. Brachius mirâ gerendi belli solertiâ prædirus; quum manus cum hoste conferere, & paulatim de industria in planiciem cedere cœpisset; signum reliquo exercitui dedit, ut inter montem & planiciem ad hostium terga penetrarent. Regii milites duplici malo circumventi, veriti ne si terga verterent à Brachio cederentur, sin acriùs prœlio instarent, reliquæ hostium copiæ à tergo invaderent. Hoc periculo perterriti, quod propinquum habebant receptum, manifestâ fugâ se in oppidum receperunt, paucisque post horis Rex per adversam egressus portam, in intimum Regnum concessit. Soram statim expugnatam milites diripuerunt. Romam deinde rediens, Brachius cum Pontifice egit, ut facta sibi potestate abeundi, Torsianum, quod ejus tenebatur præsidio, petere liceret. Pontifex amplè, magnificèque locutus memorare cœpit quicquid ille pro sua dignitate atque imperio gessisset, ejus manu atque operâ devictum & profligatum Regem, recuperatam Romam, attritum paulò ante & pæne extinctum Romanum imperium restitutum; quod ad se pertineret non immemorem futurum tantarum rerum: bono animo esset. Virtutem ac fidem, duo mortalibus maxima bona, aditum illi ad amplissima quæque patefacere. Acciperet suarum copiarum quantum vellet, non se pecuniis, non exercitu defuturum. Inter hæc literæ Brachio redduntur, ut quammaturissimè fieri posset Torsianum contenderet; oppidanos & qui præsidio erant relicti ad summam rei frumentariæ egestatem, atque inopiam esse redactos. Segetem omnem ab hostibus esse succisam. Agros undique incensos, nec portas egredi audere, continuas incursiones pati. His literis acceptis Brachius maturandum sibi quamocissimè constituit, ne hostes munito & finitimo oppido, quod vi capere non possent, fame atque inopia potirentur. Igitur altero die continuis, diuturnis, nocturnisque itineribus Torsianum pervênit. Quod ubi Perusiâ est nuntiatum, perinde quasi inermem hostem essent invasuri ad arma concurritur. Cicholinus & Tartalia, qui Perusinorum copiis præerant, omnem peditatum, equitatumque in expeditionem eduxerunt. Hos quinque millia armatorum Civium nullo habito delectu, sed utcumque libido incesserat, secuta traduntur. Qui tanta multitudine, aut statim profligare Brachium, aut intra oppidum obsidere statuebant. Brachius ubi eorum adventum cognovit, simul de numero hostium certior factus, simulato de industria metu, exercitum intra mœnia reduxit; ubi parata atque instructa acie frequens agmen componit; & quem primum, quem ultimum egredi velit ostendit. Cohortibus per hunc modum ordinatis, primùm viginti equites, qui prœlium caperent extra portas emittit. Quos quum adorti hostes circumvenire conarentur, centum statim deinde hastatis subsidio suis ut eant imperat. Qui uno veluti globo collecti, strictique in confertissimos hostes incurrerunt. At Perusinorum tamquam de laude & gloria, non de salute & victoria, certaretur, universa agmina in paucos undique temerè corruunt. Brachiani dum acerrimè se defenderent, hostium ordines dissiparunt, qui paululum secedendo, partim sese capere permittebant, partim veluti desperato auxilio simulata trepidatione in diversa fugiebant. Jam hostes insequendo & capiendo sparsim, fusèque sinè modo, sinè ordine ferebantur. Tum verò Brachius signo erumpendi dato, universa acie per duas oppidi partes educta infestis in hostem telis impetum facit. Tanto quidem conatu, ut non oculos illi, aut vultum intueri, nedum impetum sustinere potuerint. Fusi fugatique alii ex altissima Tiberis ripa se dejicientes, ad alteram fluminis oram evadebant. Alii in propinqua se recipiebant oppida. Nonnulli dum fugere, armis impediti, non possent, passim ab hostium exercitu capiebantur. Capti sunt equites sexcenti, desiderati nulli referuntur Civium, qui arma ferre potuerunt. Ingens capta multitudo; qui in vincula conjecti multis millibus nummûm, quibus stipendium militibus datum, se redemerunt. Hac calamitate mirum in modum attriti sunt Perusinorum animi. Per hos dies Paulus Ursinus, & Sfortia, de quibus supra feci mentionem, superiore Romano bello societate facta, ad Brachium venerunt, conjunctis castris, exercituque lustrato, inventa sunt equitum circiter quatuor

tuor

tuor millia; peditum numerum perexiguum fuisse comperio. Tantis unum in locum coactis copiis, Brachius ne tempus otio tereret, Nonis Augusti Torsiano ingenti relicto præsidio exercitum movit; ea die amplius quàm duo millia passuum progressus inter Tiberim & Bucarellum nunc dirutum oppidum posuit castra. Postero deinde die prima statim luce signo expeditionis dato per ripam Tiberis itinere celeriter facto ad pontem Patulum contendit. Oppidum ad Occidentem flumine abluitur Tiberi. Quà verò in campos liberos ad Orientem exit, latissimo cinctum muro, fossâ etiam valloque munitur. Multis aliis de causis eo potiri oppido Brachius cupiebat, maximè tamen omnium, quòd pontis aditum ad trajiciendum flumen necessarium cognoscebat. Ubi ad locum pervênit, oppidanis improvisis, concitatissimo impetu pluribus simul admotis scalis, quæ consuetudine sua à leviter armatis militibus ferebantur, oppidum cepit; eademque celeritate trajecto statim ponte in superiora & monticulis posita castella percurrit. Plurimis direptis atque incensis villis, & prædâ quanta numquam antea abactâ, illo ipso impetu, & celeritate ad Civitatis portas se ostendit. Hac de re tantus Civium animos invasit pavor, ut cum superiore calamitate, tum hac subita incursione perterriti, nemo arma capere, aut Urbem exire ausus sit. Quarta die post captum Pontem, inferiorem agrum, quà Tiberis interfluebat, cum leviter armatis militibus depopulatus, Prætulam, quæ in fluminis ripa sita est, direptam milites incenderunt. Plures eo die molæ frumentariæ effractæ atque disjectæ. Ceterum quòd cives pecora atque armenta subduxerant, parum prædæ est actum. Villæ atque ædificia passim igni, ferroque vastata. Paucis post diebus ad superiorem fluminis oram castris permotis multa castella sua sponte venêre in potestatem. Petramelina magnum & munitum oppidum vi expugnata atque direpta est. Paulus Ursinus, quum proximum quoddam Castellum oppugnaretur, telo per alterum oculum trajecto confoditur. Ea de re statim est ab oppugnatione cessatum.

His rebus in Perusino gestis, Brachius ad Pontem, & reliqua Castella duabus cohortibus præsidio relictis, quo liberiùs copia frumenti & commeatus suppeditare posset, in Tudertinum concessit; commodiorem eum arbitratus excurrendi, ac prædandi futurum locum. Nam Perusini qua parte Tiberis prælabitur, pecora intra mœnia, & munitissima quæque proximaque Urbi Castella compulerant. Postridie quàm in Tudertinum est accessum, Perusinum agrum ex adverso latere cœpit excurrere. Sed qua parte Perusia ad Derutam pertinet Tiberis confluente Chiasio, atque undas intermiscente, minùs frequentia habet vada. Transeuntibus iter est per pontem, quem Novum appellant, nunc quidem totum pæne collapsum pontem, tunc verò etiam hominibus habitatum, & arce munitum oppidum. Brachius trajecto per superiora vada flumine, Pontem ex utroque latere oppugnare aggressus, duabus continuis horis prœlio consumtis expugnavit. Hac re mirum in modum elati sunt militum animi, quòd videbant etiam si pluviis crevisset flumen, liberè jam in hostium fines excursuros. Nec multis post diebus agro undique vastato, Brachius ad lacum Thrasimenum cum duobus millibus equitum proficiscitur. Causa fuit spes potiendi montis situ & naturâ muniti loci. Oppidum est in Thrasimeni litore positum, à quo tribus ferè lateribus abluitur, reliquo latere lato & eminenti cingitur muro. Tum crebræ per ejus mœnia erectæ turres mediam aspiciunt & tuentur arcem. Undique foris eminentia altè assurgunt propugnacula. Quidam ex oppidanis factiosi homines, & ipsi, dum res Optimatium stetit domi, potentes, prodendi oppidi consilio habito, Brachium in suos fines vocaverunt. Thrasimenus duabus pulcherrimis & cultissimis interjectis insulis, tertiâ desertâ adornatur. Earum incolæ, ut ceteri, qui extrema incolunt litora, multis variisque navigiis utuntur; aliquo exorto bello navigia omnia in insulas subducunt. Quod eo faciunt consilio, ut & ipsi succurrere finitimis queant; & si quod fortè oppidum hostes capiant, navigandi ad insulas facultas eripiatur. Igitur cognito Brachii adventu, ingens accolarum multitudo ad oppidum Montem lacu, terrâque confluxit. Quocirca qui oppidum statuerant prodere, perterriti multitudine, signum non dedere. Brachius quum multis horis non longè ab oppido consedisset, ubi rem minimè procedere intellexit, omni vastato agro, re infecta reduxit exercitum. Nec multum procul inde Castilionum & Monticellum duo exigua oppida modico impetu expugnata diripiuntur. Præsidio relicti ducenti pedites, qui finitimum agrum vexarent, aliquot post diebus ex omni parte infestaturus hostem, oppidum Casilinum oppugnare aggressus. Jam vallum atque pontem transilierat; jam undique scalis muro admotis, milites hostium compleverant mœnia; quum ex adverso excussa bombarda Gulielmum Mœcham altero crure, corripuit. Casu tanti viri non tam ab oppugnatione destitere milites, quàm manifestam dimisere victoriam. Ille exceptus à suis, & Tudertum delatus ad medicos, paucos post dies pridie Calendas Septembres moritur; vir manu strenuus, & suo Duci fide atque consilio imprimis carus. Hujus mortem Brachium molestissimè tulisse ferunt. Nam citra dignitatem & magnitudinem animi temperare lacrymis nequivisse, & magnificentiùs quàm opus esset jussisse sepeliri. Mortuum etiam in castris pro concione laudatum, non minùs sibi quàm omnibus militibus excussisse lacrymarum, multisque diebus incessisse squallidum, & illum in cœna, illum in sermone appellare auditum. Sed ubi videt dolorem atque incommodum nihil aliud quàm incommodum adjicere, accusata hominum fragilitate, & instabilitate fortunæ, animum ad bellum convertit. Interea Perusini tanta belli mole oppressi, proximis castellis partim expugnatis ac direptis, partim vastato incensoque agro bellum sustinere nequeuntibus, ultimum conatum ad excutiendum hostem facere decreverunt. Plurimis ad conducendum per omnem Italiam exercitum cum pecunia dimissis, domi ingentes apparatus, machinas, arma, tela faciebant. Castella, quæ nondum in hostium venissent potestatem, omnia præsidio, & frumento muniebant; quæ defendi mœnium

nium imbecillitate non possent, ipsi incendebant. Agri finitimi hostibus ne pabula suppeditare possent, ferro atque igni vastabantur. Denique quàcumque hostes aditum sibi armis facturi, quàcumque agrum depopulaturi viderentur, quæ in Urbem subduci non poterant, omnia corrumpebant. Sævire in seipsos crederes, quum universum Populum pari consensu sua quemque prata exurere, incendere, ædificia demoliri, villas, casasque videres. Brachius per vastatum & exinanitum agrum iter sibi ad interiora proximaque Urbi armis facere, pecoris quod fuerat reliquum, in prædam agere. Jam Perusiæ magnæ copiæ convenerant, ut obsistere hosti, & bellum non modò propulsare, sed etiam inferre posse viderentur. Albericus Barbianeus, sub quo Brachius aliquot ante annos militaverat, equitum duxerat duo millia & quingentos, Comes Carrariæ quingentos, Ciccholinus sexcentos. Tantis coactis copiis, conjunctoque trium Ducum exercitu, milites, qui in hibernis passim per arva morabantur, plerique Fractulæ ad Brachium convenere. Hostes ne frustra tantum exercitum coëgisse viderentur, simul ne paulatim copiæ deficerent, Fractulam obsidere statuerunt. Itaque eò traducto exercitu, non procul ab oppido stationes & castra muniebant. At Brachius veritus ne si hostes munimenta perficerent prohiberi commeatibus, & quum vellet exitu intercludi posset, repentè capere arma milites jubet, ordinibusque intra mœnia dispositis, quadrato agmine, & veluti uno globo consertis, sibique instantibus cohortibus aliquot leviter armatos, qui fugam simularent ex inferiore porta dimittit, ordine quàm longissimo veluti copiæ omnes ex oppido demigrarent. Hostes, qui superiorem occupaverant locum, dimissis munimentis in fugientem militem dissipantur. Ille ad inferiora de industria tendens, spem capiendi sui faciebat. Hæc quum essent Brachio cognita, per superiorem portam educto agmine, vacua præsidio ac prope derelicta hostium castra nullo cepit negotio. Duces deinde persecutus, quòd in editum evaserant locum, profligare non potuit. Illi soluta obsidione, omnibusque amissis impedimentis in proxima se castella receperunt. Postridie reliquis copiis, quæ superiori prœlio non interfuerant, ex hibernis deductis, Brachius in hostium fines contendit, sperans Duces ipsos multitudine fretos, præbita facultate pugnandi ad prœlium esse venturos. Tum quo magìs hostium irritaret animos, per ipsas oppidorum portas transitum faciebat, occurrente nemine. Marsianum eodem die profectus, quod de prodendo oppido agebatur, non procul à mœnibus in ripa fluminis consedit. Sed signo diu nequicquam exspectato, ratus, rem detectam per collinam frequentibus castellis cultissimam regionem, Querquetum pervênit. Magna heic hostium convenerat manus ad oppidum defendendum, & præter innumeros pedites, & eos, qui confluxerant, Comes Carrariæ cum aliquot cohortibus delectorum equitum ejus loci præsidio erat impositus. Brachius quadrato agmine ante oppidi portas transitum fecit. Ille parata atque instructa acie eduxit quidem extra portam exercitum, sed pugnam ma-

A gnificè detrectans, suos munito & sublimi loco, nec multum procul à mœnibus continebat. Brachius ubi videt metu laborare hostem, levis armaturæ milites geminas dimittit in partes; alteros, ut in oppidanorum oculis subjectum depopularentur agrum, alteros ut intra hostium frequentem aciem tela conjicerent. Ipse cum delectis equitibus denso & glomerato agmine paratus subsidio, intentis hastis exspectabat. Tum Comes metu dissimulato signum dat extra munimenta prosiliendi, ratus id quod erat futurum, Brachianum militem dimissa populatione ad prœlium recursurum. Interea oppidanos, qui in agros pabulatum, lignatumque exierant colligendi sui facultatem habituros.

B Heic prœlio à paucis leviter commisso Brachius paulatim loco cedens, patentes in campos eliciebat hostem, qui quamquam suorum confidebat virtuti, non tamen iniquo loco pugnam committendam putabat. Ubi in campos est ventum, aciem paulò ante, ne terrori hosti esset, consertam quantum opus visum est, explicavit, atque magno facto in hostes impetu, ordinibusque latè perturbatis, mira celeritate convertit in fugam. Capti præter agrestes, quos levis armaturæ milites interceperant, equites octoginta, ceteri quod proximum erat in oppidum refugerunt. Hac celeritate non intermissa,

C Brachius per proxima quæque Castella excurrens, ad Urbis usque portas progressus, prædâ, quanta numquam antea, coactâ, Fractulam exercitum reduxit. Hæc uno die, uno cursu gesta sunt omnia; ut, si iter, si prœlia, si intervalla consideres, ultra humanam vim putes, millia passuum circiter quadraginta decursa. Marsiani consessum in insidiis, Querqueti cum victoria pugnatum. Ventum ad portas Urbis, prædam majorem quàm superioribus bellis peractam, exercitum cum præda reductum. Hæc omnia uno die geri potuisse vix ipse credo, qui scribo, etsi omnia certa à nobis, explorataque scribuntur. His rebus in Perusino gestis,

D cogitare cœpit, si quo pacto Montonum recuperare posset paternum atque avitum oppidum. Sed quòd erat naturâ atque operâ egregiè munitum, ut vi expugnari non posset, agere cum oppidanis cœpit, qui ei plurimum afficiebantur, de tradenda arce, dictum tempus, dicta dies est, qua die proditio convenerat in agrum Montonensem cum omnibus copiis sub occasum Solis profectus, tota nocte militem in armis habuit. Fertur paterna in silva consedisse exercitum. Sed militibus ignes nimium latè facientibus, reliqui oppidani cognito hostis adventu vigilias duplicavere. Custodes arcis plerique mutati: excubiæ circum mœnia tota nocte

E in armis habitæ. Re per hunc modum patefacta, milites silvam omnem, & pastoria quædam tuguria latissimo incendio vastavere. Quos quum Brachius per jocum increparet, quod in se bellum convertissent paterno vastato prædio, respondisse nonnullos ferunt: *Immo verò tu tibi inferebas bellum, quum tuis hostibus belli alimenta præberes.*

Omnibus deinde populatis finitimis locis ad ripam fluminis Tiberis castra permovere, nec procul ab oppido Fracta, quod Perusinorum præsidio tenebatur, agere prædam cœperunt. Oppidani nihil hostile metuentes, in

in agros pecora deduxerant; passimque toto agro suis intenti studiis aratores aspiciebantur. Ingens pecorum atque agrestium captus numerus. Ciccholinum, qui Fractæ præsidii causâ morabatur, milites ad pugnam concitavere. Sed primo impetu repulsus, aliquot amissis equis in editum & oppido finitimum collem effusissimâ fugâ se recepit. Brachius omni fluminis ora vexata ad Pontem Patulum exercitum perduxit. Inter hæc Ciccholinus ex proximis Castellis accito milite Perusiam primùm, deinde ut hostem anteverteret, Brusam contendit, iniquo loco hostem invasurus, hostem sperans inter fluminis, montiumque angustias, aut oppressurum transeuntem exercitum, aut si id non posset, prædam erupturum, aut si ne id quidem daretur, incursionibus atque reliqui agri vastatione prohibiturum. Nec Brachio quidem consilium defuit. Composito enim procedens agmine prædam omnem in medio collocaverat. Tum ubi ad angustias est ventum leviter armatos milites ad occupandum supremum montis jugum præmittit. Qua re cognita, hostes veriti, ne de superiore loco invaderentur, non solùm abstinuere prœlio, sed etiam loco excedentes liberum iter militibus reliquerunt. Sed angustias celeriter prætergressi, proximisque Brusæ collibus occupatis, superiores à latere prædam atque hostem insequebantur tam modico intervallo, ut duorum agminum sese ad prœlium irritantium verba exaudirentur, telaque utrimque conjicerentur. Quæ res Brachianum militem ne latiùs prædari posset in ordine continuit, hoste nec facultatem pugnandi, nec excurrendi potestatem faciente. Brachius continuo itinere per medium hostilem agrum facto, ad oppidum Fractulam cum exercitu incolumi revertitur. Illic laudatis pro concione militibus, prædam distribuit. Continuos deinde complures dies excursionibus factis locupletatum assiduâ prædâ militem, ad sua quemque hiberna dimisit. Perusini ex omnibus partibus infestante hoste jam non solùm ad bellum acrius sentire, sed manifesta premi obsidione videbantur. Quippe superiorem agrum urgentem ad Septemtrionem asperum & montuosum, qui ad Pontem Patulum præsidio erant relicti, latè pabulabantur, inferiorem qui Torsiano præerant, quique Fractulæ diripiebant. Qua verò pertinet ad occidentem Solem Castilionum & Monticellum superioribus diebus expugnata finitimos durissimè lacessebant. Parva quidem illa oppida, sed libero patentia tractu, & peditum præsidio egregiè munita. Quum igitur tantis undique excursionibus quasi stimulis vexarentur, non portas egredi, non suburbanos agros visere audebant. Omnia pavore atque metu hæsitantia. Urbs magna, munita, populosa semper noctu, nonnumquam interdiu portas claudere, totas noctes vigiliæ in armis fieri, plerumque incerti tumultus excitari, concurri undique in forum cum armis. Urgebat præterea inimica plebi fames, quam exusti agri, succisa frumenta majorem in dies acerbioremque promittebant. Et quo minus aderat spei, hoc plus formidinis invadebat. Murmurabant varia Reipublicæ miseriam deplorantium Cives inter se diversa sentire. Principes qui erant Civitatis, reliquo Populo non

A satisfacere, ipsis frumentum abundè esse; ceteros, quorum major esset numerus, egere, aut cariùs sanguine constare: à paucis de industria trahi bellum, qui pacem possent vel pecuniâ, vel aliqua pacis conditione redimere. Conductum exercitum magìs augere famem, quàm agrum defendere. Quas non villas incensas, quæ castella, quos agros non ab hostibus esse direptos dicere. Duces omnes esse superatos, seque in oppidis timidiùs quàm ipsos oppidanos continere, eosque ipsos rapinis intolerabiliores, quàm hostes esse. Illos apertè gerere bellum, ut caveri posset, hos quo nihil esset remedii clam furtis, latrociniisque vexare, & se magìs quàm
B hostes lacessere. Tum non modò pecunias publici ærarii, sed sanguinem Populi stipendiis exhaustum esse. Hæc palàm publicèque jactabantur, & prope erat, ut nisi alia res avertisset hostem, seditio in Civitate fieret. Per id tempus Camertes, quibus Berardus imperabat, quum varia inter se agitarent consilia, magnam domino seditionis, rebellionisve suspicionem injecerant. Nam illi quoque factionibus acerrimè laborabant. Quorum plerique vel quòd servire domino non poterant, vel quòd aliis imperare cupiebant, ejiciendi Berardi consilium cepisse dicebantur. Quam suspicionem augebant permulta.
C Jussi venire ad curiam non parebant. Noctu per forum armati atque inermes, ut cuique erat libido, grassabantur. Nocturnos cœtus, turbulentas conciones facere. Denique omnia insolenter, superbèque agitare. Domini auctoritas contemtui habebatur. Veritus igitur Berardus, ne qua tumultuosior orta seditio imperium, ac Civitatem, & fortasse vitam eriperet, Brachium accivit veteri familiaritate, officioque devinctum; ut est devinctus qui non referre magìs quàm accumulare debet beneficium. Quem Brachius à Ludovico Firmano, quem à Martino Faventino, quem à Fabrianensibus paulò ante defenderat. Cum omnibus igitur copiis pro-
D fectus in Camertes, ut si gratiâ sedare non posset seditionem, auctores vi Civitate depelleret, Urbem placidè amicèque ingressus est, ac postridie primùm singulos allocutus, deinde universos vocatos in concionem, paucos benignè, modicèque castigavit. Cujus mihi digna visa est oratio, quam ejus gestis insererem. *Equidem*, iniquit, *viri Camertes non tam Berardi gratiâ, quàm periculo permotus vestro, huc veni. Nam illi sæpe aliàs prodesse poteram; vobis si nunc defuissem, ampliùs non poteram. Imperium ubi est amissum, recuperari potest aliquando: ubi Civium animos intestinæ cædes invasere, perpetuum est malum. Nec facilè sedatur odium, quod per vim*
E *atque injuriam hominum animos inflammavit. Illud in filiorum, illud in nepotum penetrat mentes; nec ulla potest extingui vetustate, ubi semel gladii vis incubuit. Nequicquam obsistas verbis. Aut moriendum est tibi, aut quod æquè miserum est, Civium tuorum clade vincendum. Utrumque sanè calamitosum & miserabile. Nam pelli Civitate, spoliari vitâ, fortunis, liberis, quid hoc tamdem potest esse miserius? Cives autem tuos ferro interimere, quid hoc magìs calamitosum atque nefarium? Præterea amicos, affines, propinquos, quos ubi offenderis, metuas necesse est. Nec tui erit arbitrii, quos potissimùm offendas, diversam factionem secuturos. Et parentes à li-*

A *beris civili bello sæpe dissentiunt. Atque ideo civile dissidium cetera bella immanitate vincit; quòd non barbari, non incogniti, aut alieni virtute atque robore, sed tui propinqui, sed quod nescio, an arctius est vinculum, Cives tui erunt offendendi scelere atque injuria. Prætereo illorum ipsorum umbras, quos occideritis, quæ continuè versari vobis ante oculos, & magnas in vos concitare furias videbuntur. Quid dicam ultorem Deum, qui cogitato nedum perfecto scelere pœnas petit? Ille vobis unas ædes, una templa, una sepulcra esse voluit. Vos vestros Cives suis in domibus quiescere non sinetis? Ruitis in factiones, perpetuum & perniciosum etiam validis Urbibus malum. Quid agitatis Camertes? vestram ne* B *vultis exinanire Civitatem? An quoniam vestrum non capitis, alieno Populo mœnia complere statuistis? An & hoc quoque non cernitis, graviora esse arboribus aliena poma, quàm sua? Si qui eodem Cœlo nati, iisdem orti progenitoribus, iisdem moribus instructi sunt, ferre non potestis, quo pacto feretis incognitos? Quid existimatis, si factiones & civilia excitaveritis bella? Num putatis, liberos vestros, num etiam nepotes esse quieturos? Sæpe in matris utero latuit, qui paternas injurias persecutus est. Nunc etiam quum hæc agitatis in matrum visceribus ad inimicitias simultatesque vestras armantur. Sugitur enim atque ebibitur cum ipso lacte civile odium, & ubi semel est degustatum, sanguine, atque cædibus satiari numquam potest. Turpe est prædia* C *quidem liberis vestris thesaurosque relinquere, quos amittere illi variâ fortunâ possint, odiis autem & inimicitiis, quæ deponi non possint, vacuos non relinquere. Ponite vobis ante oculos civilis belli incommoda, cædes Civium, ejectiones liberorum, domorum incendia, spoliationes agrorum, opum, fortunarumque direptiones, nocturnos, diurnosque tumultus. Tot metus, tot pericula, tantas & tam continuas clades. Cuncta libidine, nulla legibus moderanda. Hæc etiam ei possunt displicere, qui fecerit, & tamen in incerto est, cui belli fortuna arriserit, quæ etiamsi secundam se ostendat, non poterit esse diuturna. Veluti concussa domus, cujus altera pars prior* D *labefactata concidit, altera diutiùs constare non potest, nisi quòd altiùs cadunt Urbes, quàm domus. Majores mei Civitate fuere ejecti, & me quoque eadem fortuna vexavit. Quid facere putatis illos ipsos, quorum nos majores ejecerunt? non somnum, non quietem capere possunt. Accusant parentes atque avos suos, qui ad hæc se discrimina, periculaque genuerunt, & quæ ipsi non conceperunt odia atque inimicitias, ea nunc alere inviti, exercereque coguntur. Qui si etiam dormirent, si quiescerent, si nihil timerent periculi, humanius tamen putarent nos domi esse quàm foris. Sed quid hæc commemoro? Ego multos annos continuum bellum gero, ut Cives mei domi esse possint. Vos vestros sua, & vosipsos* E *vestra tentatis ejicere. Non hæc agimus, dicetis. Ego quoque scio, vos ista non agere. Habent enim summa mala, levia atque infirma, nonnunquam etiam honesta principia, & parvæ radices in magnas arbores paulatim excreverunt. Nondum eò ventum est, at serpit occultè hoc malum, & ubi semel mentem invasit, recidi nullo modo potest. Profert sese latiùs, & cuncta Civitatis viscera pervagatur. Nunc enitendum est vobis exstirpare nondum corroboratam pestem; nequicquam paulò post, ubi omnium animos occupaverit, exstirpaturi. Nam quid per Deum immortalem vobis habetis? Quid quæritis, nisi vestra vos nimia bona corrumpant? Civitatem habetis in primis opulentam; dominum justum, clementem, magnificum, liberalem. Quid ab illo concupistis umquam, quod non statim impetraveritis? Sed hæc omnia perinde sunt, ut quisque utitur. Nam ubi neque tuis rebus contentus sis, neque ei pareas, cui leges parere te jubeant, quid tamdem remedii erit Camertes? Copia in fastidium vobis, liberalitas in contemtum versa est. Nec justitiam in vobis pati vultis, nec eadem in aliis carere potestis. Omnium malorum origo vestra simultas est; quam nisi hodie deposueritis, vereor, ne mihi quoque dolendum sit, qui jampridem afficior vobis. Superiore bello, quod cum Ariminensium Duce gessistis, quod opem ferre potui, nihil equidem cessavi. Implorantibus vobis auxilium, domestico intermisso bello cum omni exercitu præsto fui. Hostem vestrum aut vici, aut fugavi. Satìs mihi tunc quieti esse videmini. Otio corruptis, & in factionem euntibus, vereor ne opem ferre non possim; veluti intemperanti ægro nulla possunt medicamenta conferri. Qua enim in Urbe Civium studia, voluntatesque dissentiunt, eam nulla arma, nulla mœnia tuebuntur. Dicerem hoc mihi satìs futurum solatii, quòd quoties de calamitate vestra cogitarem, toties huc me venisse, præmonuisse, futura hæc vobis dixisse recordarer. Magnum etiam in parente nedum in amico solatium. Sed propensior est animus meus in Civitatem vestram, quam ab hostium prope manibus eripui, eam à domesticis factionibus defendere. Utinam sic possim ut cupio. Quum vestra mœnia, quum vosipsos intuerer, videbam nonnulla beneficii mei exstare vestigia. Quum verò mulicularum more, de domestica venustate contendere vos audirem, interponendam putavi & gratiam & auctoritatem meam; ne priora beneficia vestra internecione delerentur. Si quid umquam egi pro vobis fortiter, viri Camertes, si hostem vestrum jam vobis ad portas imminentem à cervicibus vestris repuli, si quæ illi oppida expugnaverant; ea ego in fidem vestram, potestatemque revocavi, oro vos obtestorque, ut ista odia, simultates, dissidia, si non saluti vestræ, meæ saltem gratiæ condonetis; ut quos ego ab hostili servitute liberavi, gloriari possim à domestica cæde, intestinoque dissidio defendisse.* Hæc quum dixisset, ingens Populi secutus est clamor; illum amicum, illum dominum, illum Civitatis parentem esse. Se verò indignos esse, quos ipse quum olim bello, tum nunc etiam in pace servasset. Jam eò superbiæ ventum à paucis, ut nullum sui modum, rationemque haberent, & domino æquari velle, quos multi Civium dignitate anteirent. Ceterùm daret veniam omnibus, sperare numquam posthac in eam dementiam redituros. Componeret rem, dominum Civibus; Cives domino reconciliaret. Sperare hunc diem, Civitati, Populoque Camerti fœlicem faustumque futurum. Multis admixtæ verbis lacrymæ profluebant. Brachius utendum occasione ratus, dum Civium animi recenti persuasione tenerentur, totum triduum commoratus, omnes privatas, publicasque contentiones sustulit. Erat in Brachio non ficta, & simulata calliditas orationis, sed gravis, nudaque in dicendo suavitas; non arte sed naturâ, nonnihil etiam industriâ comparata. Nemo iratos hominum animos remissiùs demulcere, nemo hortari vehementiùs, ardentiùsque excitare: In milites blandus, nec tamen rigidus aut tristis in ceteros.

ros. Admixta præterea ingens quædam cum bellica severitate Civilis atque Urbana modestia, ut non magis belli, militiæque versatus esse, quàm domi egisse ætatem videretur.

His rebus Camerini confectis, ad oppidum Fractulam revertitur. Productoque ut erat in aciem exercitu, novas excursiones quotidie facere hostes, qui ejus discessu respirasse aliquantulum putabantur, multo acrius atque infestius quàm antea vexare, ne unus quidem, aut ad summum alter præterire dies, quo non ille ad Urbis sese portas cum præda, cum exercitu ostentaret. Quum ad Fractulam stativæ haberentur, Brachio nuntiatum est Gualdum, quod vocant Cataniæ opulentum, ac munitum Ciccholini oppidum, seditionem fecisse. Repente igitur expeditis cohortibus, Gualdum summa cum celeritate est profectus, captoque subita atque improvisa oppugnatione oppido, equites quinquaginta qui præsidio erant relicti, prædæ militibus dati, oppidum à direptione servatum. Nec multo post Fulginensium Tyranno quatuor millibus nummûm acceptis traditum. Interea hostes audita Brachii profectione speculatores ad Fractulam misêre, quod ubi nullo teneri præsidio est nuntiatum, parva & expedita manu expugnatum ire statuerunt. Ducenti equites erant, quos Perusini ad Papianum oppidum tuendum reliquerant; quorum ductor Antonius Neapolitanus animo quàm ingenio vastior. Ergo pulcherrimum gesturi facinus ad Fractulæ mœnia pervenerunt. Fortè Brachius paulò ante Gualdo reversus, vix equo descenderat, quum cognito hostium adventu claudi portas oppidi jussit; metum ab oppidanis simulari. Ipse interea expeditissimo milite in cohortes distributo agmina levissimæ armaturæ non procul à porta disponit. Hostes rati oppidanos metu laborare, jam scalas admoverant muris, turbarique à stationibus oppidanos conabantur. Tum verò apertis portis, subitaque militum facta magno cum impetu eruptione, hostes ingenti terrore perculsi per oppidi fossas sese præcipites dare, fugere, scalas, equosque deserere. Sed à leviter armatis militibus plerique invasi capiuntur. Antonius cum quinquaginta equitibus in proximam Tudertinorum confugit arcem. Sed à custode in interiorem turrim non receptus, inter extrema & levi fossa tenuique muro præcincta munimenta se conjecit; robustioribus dumtaxat equis in arcem subductis. Hunc cum paucis insecutus Brachius, cetero exercitu paulatim confluente, totam noctem munimenta oppugnavit; paulòque ante primam lucem Antonius desperata salute hosti se permisit. Custos arcis cùm dedere, quos subduxerat, equos recusaret, Brachii jussu emissâ clam sagittâ trajicitur. Quo paulò post mortuo, & turris & equi venere in potestatem. Capti ea profectione equites quinque & sexaginta. Postero die Brachius nulla quiete militibus data Tiberis pontem, qua iter est ad Asisium, impositamque ponti Turrim occupavit, propius jam infestaturus hæsitantem hostem. Nec enim ampliùs duobus millibus passuum distabat ab Urbe. Quatuor deinde intermissis diebus duo parva Castella proxima Torsiano in fidem recepit. Marsianum armata manu proficiscenti oppidani portas statim aperuere. Hæc tanta celeritate conficiebantur, ut hostes neque consilium capere, neque qua parte magis tueri se oporteret, scire possent; adeò cuncta Brachii celeritate præveniebantur. Civitatem interea varii metus, variæque formidines agitabant; sive propior, sive paulò remotior esset hostis, plus semper periculi incumbere, plus detrimenti capere querebantur. Itaque publico inito consilio legatos, qui significarent, quo in statu essent eorum res, quamque in periculo versarentur, simulque ut subsidium implorarent, mittendos ad Regem decreverunt. Acres fuere legatorum querelæ; post Etruscum bellum solos fuisse, quos undique bella, rapinæ, incendiaque vexassent; finitimos, quod cum Rege sensissent, infestos esse; magnis hostium conatibus eripi imperium, nec tam periculosum ipsis quàm Regi turpe esse suam secutos fidem, suo deditos imperio, non defendere. Brachium non jam agro, quem totum aut subegerat, aut vastaverat, sed ipsis Urbis mœnibus imminere. Quod si cum finitimis de regno, aut finibus certarent, omnia fuisse passuros. Potuisse se urbano tueri præsidio; nunc cum his bellum esse adversùs quos nihil magis quàm Cives extimescerent. Nec de agro & laude bellica, sed de vita, sanguineque dimicari. Nec queri, ut novo pareant imperio, sed ut omnibus affecti malis, domo & Civitate pellantur; ut præbeant jugulum. Denique ut perpetuo patriâ & vitâ careant. Rex legatione accepta, quod de inferendo iterum Etruscis bello consilium teneret, simul ne deseruisse vectigales, sociosque videretur, Sfortiam, qui paulò ante sub se stipendium facere cœperat, cum aliquot cohortibus Perusinis auxilio mittit. Sed ante Sfortiæ adventum aliquantum temporis atque belli intercurrit. Brachius in ditionem accepto Marsiano commodiorem belli locum nactus, cuncta hosti difficiliora faciebat. Nam fertile ac munitum oppidum intra primos Perusinorum fines situm, & pabulationis, frumentationisque magnam copiam suggerebat; & quod præterlabente abluitur Nestore flumine, latè hostibus minabatur. Inter hæc Carrariæ Comes, quem Querqueti præsidio diximus impositum, ut ipse quoque egregium aliquod moliri facinus videretur, Marsianensium agrum excursurus, quo tutior procederet res, magnam & bene armatam equitum manum ante oppidi mœnia de tertia vigilia sub ripa fluminis collocavit, sperans Brachium parva manu occursum prædatoribus venturum, casurumque in insidias. Sic reliquis copiis latè agrum depopulari jussis, ipse cum paucis rei eventum exspectabat, aut subsidio venturus suis, aut palantem, effusumque militem à præda revocaturus. Igitur prima luce agrestes, qui partim pecora agebant, partim colebant agros, quum Brachii stativis tutos se esse arbitrarentur, latè diffusi per agrum, ab hostibus invaduntur. Tolluntur undique ad cœlum clamores, nam hostes ut terrori essent, oppidani ut auxilium accirent, altissimis vocibus conclamabant. Brachius non temere provectum hostem arbitratus, repentè omnibus militibus arma capere jussis, duas cohortes ad occupandum reditum præmittit, ipse cum ceteris copiis in palantes effusissimè facit impetum. Qui ad ripam fluminis consederant, Brachia-

chianis cohortibus à fronte sese ostenderunt, factoque in eas incursu manus conserere cœperunt. Comes ubi confertam aciem est conspicatus, ratus eo prœlio Brachium implicitum, de superiore statim occurrens loco, suorum confirmabat animos. Sed interea cohortibus acri animo se defendentibus, milites qui prædatum ierant, vim Brachianorum ferre nequiverunt, dimissâ prædâ, conversique in fugam pars capti sunt, pars sese ad Comitem receperunt. Ille cùm incolumi exercitu se recipere potuisset, quod Brachium prœlio adesse existimabat, sperans capere eum posse, ultimum belli discrimen adeundum constituit. Brachius cognitâ suorum pugnâ, partem militum mittit ad occupandum transitum, quo pervenire duæ priores cohortes non poterant. Ipse cum reliqua parte copiarum suis jam fessis subsidio vênit tanto cursu & clamore, ut hostes non exspectato impetu statim in fugam converterentur. Fugientibus præmissæ cohortes occurrerunt, magnumque ex his numerum confoderunt. Comes equi pernicitate per medium hostem prætervectus incognitus evasit. Centum quinquaginta equites capti eo prœlio referuntur, inter quos Obecium Comitis filium Brachius magnificè donatum postero die remisit ad patrem. Perusini qui jam spe regii auxilii animos erexerant, confirmato exercitu ad defendendam Derutam, simulque ad arcendum hostem exercitum miserunt, oppidum magìs situ, sed tamen etiam operâ munitum. Huic proximum erat castellum, Collempepum vocant incolæ; quod in monte situm Brachius initio belli Perusini ceperat, præsidiumque imposuerat. Comes in spem potiundi oppidi adductus, sperans incognitam profectionem suam hosti futuram, cum omni exercitu ad collem oppugnandum contendit. Quod ubi Brachio per exploratores est nuntiatum, Tiberi magna cum celeritate trajecto, Comitem oppugnationi intentum à fronte, à tergo, à latere simul adortus: gravi commissa pugna profligavit. Capti equites galeati centum. Duo præterea Comitis filii, Obetius quem superioribus diebus captum dicebamus, & Ardicio natu grandior, quos statim cum muneribus remisit.

Post hanc pugnam adeò fuere attritæ Comitis copiæ, ut nunquam ampliùs eo bello, nisi aliis adscitis Ducibus in aciem prodierint. Dum hæc geruntur, Sfortia Perusinis auxilio missus tertio Calendas Majas in eorum fines pervenit, junctisque cum ceteris ducibus copiis, ac hostium spreta paucitate Marsianum obsidione cinxerunt. Brachius veritus ne hostium potentia conterriti oppidani à se deficerent, omnibus copiis, quæ in agro Tudertino hyemaverant, ex hibernis deductis, non procul ab oppido posuit castra, aut ab obsidione prohibiturus hostem, aut totis viribus belli discrimen aditurus, ducibus inter se dissentientibus, alii prœlium ineundum, alii solvendam obsidionem censebant. Inter hæc Brachius parata atque instructa acie, ne hosti pugnandi facultas deesset, quàm æquissimo loco se ostendit. Duces & ipsi composito agmine ad ripam Tiberis recesserunt. Quos ubi fugam magìs quàm pugnam ornare cognovit, quadrato agmine à tergo insecutus paucos ex ultimis cæcidit. Eodemque servato ordine, quum hostes ad alteram fluminis ripam evasissent, ipse Marsianum cum victore exercitu revertitur. Hæc dum ad Perusiam geruntur post tantas rerum fluctuationes inter Summum Pontificem, & Ladislaum Regem, confecta tamdem pax est haud sanè multum duratura. Hæc res Perusinos aliquamdiu quietiores habuit. Sublata bella sunt, sublatæ offensiones, quum Perusini sub Regis essent imperio, & Brachius Pontificem pacis, bellique auctorem sequeretur. Nihil exulibus quidem incommodius accidere potuisset; Civibus autem nihil magìs in tempore atque utilius evenire. Duces victi, exercitus profligati, vastatus ager, incensæ villæ, oppida partim sua sponte dedita, partim vi expugnata; Cives publicè, privatimque pecuniis exinaniti: annonæ ingens caritas, ingentior fames, atque ex hoc ipso bello nata dissidia. Hæc omnia invaserant Civitatem, nisi subita pax intervenisset, paulò post perituram. Per id tempus Pontifex Romæ compositis rebus Bononiam recipiendæ Urbis gratiâ proficiscitur. Brachius sequi Pontificem jussus Fractulæ, ceterisque Castellis, quantum satìs esset, præsidii disposuit. Ad Pontem Patulum Jacobum Archipresbyterum clarum domi ac militiæ virum, præsidio reliquit. Cetera oppida sub Berardi Camertium Tyranni tutela atque imperio esse jussit. Ipse cum octingentis equitibus, paucisque peditibus, qui præsidiis disponendis superfuerant Bononiam versùs contendit. Ariminenses & Faventini Camertium bello lacessiti, transitum per suos fines facere prohibituri, quingentos equites & tria peditum millia, collectam agris & insuetam bello manum ad iter atque aditus omnes intercludendos transeunti opposuere, jussos si arcere aliter non possent, manu belloque decernerent. Ventum erat ad Faventinorum amnem, Canalem accolæ vocant, quum ex adversa fluminis parte crebræ militum stationes secundùm ripam dispositæ videbantur. Post ubi paulùm progressum est, pontem quoque inveniunt occupatum. Jam hostes non solùm infesta direxerant tela, sed ad impediendum pontem ingentem, vim trabium, tabularumque convexerant. Heic Brachiani equites novo exorto bello indignabundi, quum impetum facere in pontem vellent plerique confodiuntur, peditesque temere invadentes hostem, pars multis acceptis vulneribus repelluntur, pars in ipso ponte injectis quamlatissimè catenis interclusi capiuntur. Andreas Campanus peditum Centurio cum quinque & viginti militibus ab hoste correptus. Brachius ubi videt iniquitatem loci, nihil aliud suis quàm cladem afferre posse, milites à pugna revocavit, eosque leviter increpatos docet nihil prœliantibus incommodius esse, quàm iniquo loco prœliari. Nocte interveniente ad proximas villas reduxit exercitum. Militibus deinde imperat, ut noctis usi beneficio, alii quamlongissimas possent trabes, roboraque succiderent, alii succisa ad superiorem fluminis ripam comportarent. Duo millia passuum procul à ponte ipse cum paucis, ne quid hostes perciperent, longo atque obliquo intervallo regressus, quasi aliud acturus, quo materiam comportaverunt milites, proficiscitur; latissimo-

fimoque ftructo ponte fupra Canalem ex adverfo extendi jubet. Mox reverfus ad fuos fortiffimum quemque præmittit equitem, qui ponte occupato totius militis adventum exfpectaret. Quos ubi eo perveniffe cognovit, vix prima exfpectata luce fignum militibus dat per fluminis ripam incedendi. Hoftes ubi moveri copias ac furfum tendere viderunt, ipfi quoque per adverfam ripam quadrato agmine infequebantur. At Brachius quod prior in expeditionem moverat exercitum, quum hoftes vix medium confeciffent iter, flumen cum omni equitatu, peditatuque trajecerat graviffimo commiffo prœlio. Faventini dedere terga. Hæc pugna aliquanto cruentior eft habita, quàm quibus ætate noftra uti folent. Caufam quidem fuiffe ferunt militum iram indignantium tranfitu fe ad alienas terras, ne belli quidem tempore, effe prohibitos. Ego verò non parum caufæ fuiffe arbitror inermium hoftium ftolidum conatum. Agreftes erant imperiti militaris rei, quos non virtus bellica, aut animi magnitudo, fed temeraria multitudinis æmulatio domo ad bellum exciviffet. Itaque paffim aut inermes, aut ad fummum loricati cedebantur. Nec tamen militis iram auxiffe cædem negaverim, quem tradunt agreftium fanguine perfufum vix inhibente Imperatore contineri à ftrage potuiffe. Cecidere pedites centum quinquaginta, trecenti capti, equites cæfi perpauci, capti ducenti referuntur. His rebus ad Faventiam geftis, Brachius magnis itineribus ad Bononiam contendebat. Eunti Michilectus Cotignolanus pari equitatu, peditatu multo majore proceffit obviam animo militis, Ducifque diripiendi. Brachius veritus ne miles re improvifa moveretur, paucis hortatus eft, ut priftinæ virtutis meminiffent, neque hoftium magnitudo terreret animos, quorum plerofque imperitos effe rei militaris, magnamque partem ex proximis Caftellis ad fe diripiendos concitatam; plus illam prædæ quàm belli importaturam. Pugnarent acri animo, & primum quemque invaderent, perrumperent magna vi in hoftium equitatum, non dubitare pedites primo ftatim impetu fugituros. Hoftis quoque hortabatur fuos ingentem gloriam atque prædam effe paratam. Brachianum militem recenti, & diuturno bello locupletatum; præda onuftum effe: facilè paucos itinere defeffos à pluribus integris circumveniri ac vinci poffe. Hæc & fimilia quæ utrique Duci ad hortandos fuos occurrere dicebantur. Igitur inter Imolam & Caftellum Bononienfe congreffi, prœlium collatis fignis inierunt. Pugnatum eft aliquot continuis horis. Neque enim de controverfia Ducum, fed de militum præda, communique gloria certabatur. Tamdem inftante Brachio, & ardentiffimè excitante militem hoftes fe in fugam perturbatis ordinibus converterunt. Captus Dux, capti equites quadringenti. Multum gloriæ, nec minus prædæ victoribus attulerunt. Brachius duplici victoria, prædaque potitus Bononiam pervenit. Ejus adventu Pontifex quòd fatis jam videretur habere virium, multa de conftituenda civitate ac confirmandis Civium animis agere cœpit. Nam ante id tempus factiofos & diuturnâ licentiâ corruptos attingere aufus non erat; veritus ne quid feditionis aut tumultus excitaretur, quod futurum neceffe erat, ubi diuturna licentia fummam impatientiam peperiffet. Brachio Urbem ingreffo, cives magis vereri Pontificem, modeftiam & æquitatem tueri; denique boni libertatem cognofcere, improbi detrectatum diu fubire jugum cœperunt. Hæc dum ad Bononiam geruntur, Paulus Urfinus Romanæ defectionis auctor, quum & ipfe à Rege defeciffet, Sfortia & Malatefta ad eum perfequendum miffis à Rege ad Roccham Contratam perfugit. Receptum in arcem Regis exercitus obfidebat. Oppidum editiffimo in monte fitum afcenfu perdifficili atque arduo ab omni erat oppugnatione tutiffimum; quod ut primùm omnium in Brachii venerat poteftatem, ita in ejus fide quamlongiffimè manfit. Tres menfes obfidio proceflerat. Oppidani obfeffi longè minus quàm qui obfidebant, defatigati affiduam immanium faxorum molem dejiciebant; quibus præcipiti faltu decurrentibus plerique hoftium conterebantur; nec jam ipfis montis radicibus, ftationes tutè habere poterant, fed aliquo interjecto fpatio tendere ad multam planiciem tentoria erant coacti. Quippe tum fupernè devoluta faxa cum fuo decurfu, tum prærupti montis afperis præcipitiis concitata non ftatim fiftebant impetum, fed ubi ad planiciem erant delapfa, ingenti per campos faltu rapiebantur. Brachius obfidione audita fuccurrendum fuis omni abjecta cunctatione decrevit, nec invito quidem Pontifice. Igitur quanto maximo poterat coacto exercitu primum ad Cefenæ portum procurrit. Hic omni excurfo, populatoque agro furgentem medio in portu arcem expugnavit. Captâ Caroli Malateftæ concubinâ, quam ille tyrannicæ libidinis diverforium clam uxore in arcem abduxerat, diruta ftatim atque incenfa arce omnem maritimam oram excurrit. Tantum pecorum, atque hominum in prædam actum, ut nifi qui ea die atque his rebus interfuere, alii crederem nemini. Pro omni præda octoginta millia nummûm accepta; pecunia pleraque viritim militibus diftributa; reliqua imperatoris fuit. Brachius magnitudine prædæ demoratus Bononienfem in agrum reduxit exercitum.

LIBER TERTIUS.

SEcutum est deinde Etruscum bellum, primùm cum Rege, mox adversùs Perusinos gestum. Sed mihi eam tempestatem, qualem à patribus accepi cogitanti omnia divina atque humana promiscuè tunc exercita, vexataque videntur. Rex potentissimus animo vasto magìs quàm magno, Italiæ cunctæ imminebat; nec tam quid ad sua spectaret jura, quàm quid rapere posset versabat animo. Pontificem sacratissima domo expulerat, ipse nefaria manu Romanum invaserat imperium. Senenses lacessiverat, Florentinis totis viribus moverat bellum. Cortonenses fraude subegerat, Perusinos receperat in potestatem. Româ pulsus, victo, profligatoque exercitu ad intima Regni sui refugerat. Facta deinde pace novos apparatus bellicos moliri; rursus immortalium numinum sedibus inhiare; denique jure atque injuria cuncta infestatum, direptumque venire nuntiabatur. Ergo novo & majore comparato exercitu rupto fœdere, contra Dei Optimi Maximi fana simulacraque gesturus bellum, Romam iterum invadit. Urbe sibi atque imperio extorto, non desunt qui pavisse ad altaria sacrarum ædium equos tradant. Mox Viterbium eodem illo exercitu nefario contendens Civitate est potitus. Sed ne cum solis numinibus gerere bellum videretur, Fabricium Campanum cum parte copiarum in fines Perusinorum præmittit, eique imperat, ut quæ oppida ad Brachium defecissent, ea in Perusinorum redigeret potestatem. Ille, ut erat imperatum, primùm Torsianum expugnare aggressus, oppidanos prœlium non exspectantes recepit in fidem. Proxima deinde Castella pars vi expugnata direptaque sunt, pars situ munitiora sua sponte deditionem fecere. Ultimum restabat omnium longè difficillimum, ut Pontem Patulum, quod validissimo fidissimoque tenebatur præsidio, & præterea Marsianum reciperet. Hic captis oppidis, nihil fuisset reliquum quominus omnem agrum Civium imperio subegisset. Igitur omni ad Pontem traducto exercitu, magnoque Civium habito delectu, oppidum obsidere ex utraque ripa fluminis statuerunt. Hæc ubi Brachio sunt nuntiata, veritus ne qui præsidio erant relicti diuturna obsidione, frumentique egestate fatigati ab hostibus caperentur, tum quod obsideri adhuc Paulum Ursinum intelligebat, Bononia discedens, magnis factis itineribus pervenit ad Burgum. Nocte sequenti cum parte copiarum profectus ad Montonum, arce per oppidanos prodita, oppidum cepit. Inde suum adventum Paulo significat, & quid uterque facturus sit ostendit. Dicta dies, dicta hora, qua eruptionem Paulus faceret. Addit se Eugubium non procul ab illo decem millia passuum profecturum; existimare tamen hostes cognito ejus adventu obviam ituros. Quod si facerent, nihil ipse ampliùs post aversum hostem, solutamque obsidionem exspectaret, sed data evadendi occasione in sua castra concederet. Sin hostes in obsidione persisterent, se eorum castra invasurum; prœliumque commissurum; ipse supernè cum suis impetum in subjectos faceret. Sed quum hostes audito Brachii adventu obviam profecti ab obsidione discessissent, Paulus ut erat monstratum aspero saltuosoque itinere ad Brachii castra penetravit. Post junctas duorum Ducum copias hostibus visum est novum consilium capiendum; qui etsi militum numero superiores erant, plus tamen ex virtute aliena terroris, quàm ex suorum multitudine animi capiebant. Eorum exercitus erant duo. Alter ad obsidendum Pontem aliquot jam nequicquam triverat menses. Alter, quem primùm Paulum obsedisse, deinde in Brachium conversum dicebamus. Sed veriti ne partitæ copiæ opprimi, ac deleri possent, ad Pontem altero ducto exercitu copias & ipsi conjunxere. Fuere in hostium exercitu equitum quatuor millia, pedites octingenti. Brachius duo millia equitum, paucosque pedites in castris habebat, qui quanto numero erat inferior, tanto militem virtute præstabat. Hostium plerique tyrones, Brachiani veterani omnes. Illi ornatu equorum, hi armorum nitore fulgebant. Illos Regia purpura, auro atque argento distincta venerandos, hos ingentes hastæ, præacuta expeditaque tela formidandos faciebant. Denique illis emolliti domesticis deliciis animi ferri aciem expavescebant; Brachianis durata sole, ventoque & assueta vulneribus corpora, ne ictus quidem gladiorum formidabant. Hoc milite non dubitabat vel iniquo loco pugnam majore cum hoste committere; ille ad nutum ducis uno momento currere, recipere sese, nunc à fronte invadere hostem, nunc à tergo cedere perdidicerat, & quò Ducis oculi non pervenissent, ipse sibi moderari, servare ordinem, locum æquum, iniquumque dignoscere, imperatoris gloriæ quàm suæ prædæ avidior. Nam illud quoque constat, in militibus deligendis singulari usum diligentia; nec magnos aut proceros, ne quod dicere solebat, equos nimio fatigarent pondere, sed breves & infra mediocres, robustos tamen ac bonæ habitudinis conducere libentius consuesse; maximè omnium quos adversa fronte cicatrices, & deformata plagis, ac vulneribus membra, insignia bellicæ virtutis, notarent. Igitur hostibus in Ponte obsidione præstantibus, Brachius sæpe cum Paulo egisse dicitur, ut incautos, improvisosque aggrederentur; quem quum suam in sententiam flectere non potuisset, Tudertum unà profecti, agrum Perusinum sæpe aliàs vastatum novo bello diripere, vexareque cœperunt. Nec multis post diebus Paulus ad Urbem Veterem cum suis copiis est profectus. Brachius in agro Tudertino stativa quum haberet, Castellum Leonis, quod ad hostes paulò ante defecerat, subita vi expugnatum, militi diripiendum concessit. Mox deinde quo propinquiore metu solicitaret hostem, Marsianum, quod in fide permansisse dicebamus, contendit. Hic novi belli telis veteres Perusinorum cicatrices exulcerari cœptæ, ager longè latèque populari, oppida pleraque diurna vi, quædam etiam nocturna fraude debellari. Denique ex

ex omnibus locis prædæ agebantur. His rebus perterriti Perusini, soluta Pontis obsidione, ad finitimum hostis agrum exercitum permoverunt, ut vel multi cum paucis aperto decernerent bello, vel ut clam depopulatores, ut fit, interceptos rapinis, excursionibusque prohiberent. Adventu hostium Brachius, quod ejus copias Pauli discessu plusquàm dimidio impares videbat, intra oppidum militem continebat, nihil magìs quàm apertum fugiens bellum. Hostes quoque nisi quamæquissimo loco magnificè detrectabant pugnam; quorum nimis cauto metu cognito, paulatim lassare militem cœpit, & nunc à læva, nunc à dexra per occultos tramites subitas excursiones facere; tanta celeritate nonnunquam, ut intra primas hostium stationes irrumperent, & priusquàm arma capere illi possent, sese incolumes cum præda reciperent. Adventu deinde hyemis utrimque ad hyberna subductus exercitus. Sed nec hyeme semper quies militibus fuit. Plerumque levia commissa prœlia, nonnunquam peditum factæ excursiones, Civitatem solicitam habuere. Interea Perusini veriti, ne adventu æstatis hostium copiæ augerentur, militem undique conducere novasque auctiones facere decreverunt. Paulus Ursinus magnis promissis solicitatus à Rege, partem exercitus auxilio his misit, ipse Regis adventu exspectato, sæpe Brachium clam, apertève magìs quàm hostem lacessebat. Adeò statim tam præclarum exciderat beneficium. Dum tot belli apparatus agerentur, profectus in Tudertinos Brachius militibus novi anni stipendium dedit, non exspectato Regis adventu; quem mira fama præcesserat, viginti equitum, octo peditum millia in exercitu habere; tanta mole belli Pontificem invasurum, quanta nuper Etrusco bello rejectum. Tudertini, qui Pontificis fidem sequebantur, quamquam situ & loci naturâ muniti, tamen quod Civitas esset factiosa, Brachio cum omni exercitu in Urbem recepto, Regis ingentem procellam exspectabant; rati quod erat futurum, magnos illum facturum conatus, ut media inter Romam, Perusiamque Urbe potiretur. Igitur Rex adventu suo proximis Urbi collibus ac vallibus occupatis, Urbem cinxit obsidione, si ferro expugnare non posset, fame domiturus. Brachius quamquam superiore loco facere potuisset in subjectos impetum, cognita tamen suorum paucitate, primùm intra mœnia se continebat. Mox crebra facta eruptione sic infestabat hostem, ut non tam obsidio illa, quàm pugna videretur. Jam & militibus creverant animi, ut nonnumquam facto impetu ad Regis usque tentorium penetrarent, & hostes procul ab oppido stationes ponere, ac sese vallo munire cogerentur; sed multitudine freti, alii excurrebant agrum, alii villas incendebant, alii ædificia suburbana diruebant. Erant qui vineta olivetaque succiderent. Quæ quum ante Civium fierent oculos, unumquemque sua tangebant incommoda. Sed quum proximas Urbi plantulas passim arbustis evelli conspicarentur, tunc demum maximo affecti desiderio, consilium dedendæ Urbis inierunt. Mittuntur ad Regem Civitatis principes, qui pacis conditionem, deditionisque deferrent. Imprimis legati postulavere, ut Brachio cum omni exercitu, quo videretur, abeundi potestas esset. Eam conditionem libenter repudiasset Rex; sed instantibus legatis, & regiam fidem ac dexteram implorantibus, vix quidem, sed tamdem est recepta. Statim ad Urbem recipiendam quingenti pedites missi sunt. Brachius facta potestate abeundi, cum exercitu ad oppidum Fractulam se contulit. Sed quum pedites à Rege missi Civitatem furtis, rapinisque vexarent, additâque temeritati licentiâ domos alienas clam noctu diriperent, cunctaque more militari libidine ac vi vulgo miscerentur, Cives pœnitentiâ adducti, rursus ad Pontificem defecere; vocatoque ad defendendam Urbem Brachio, Regiis dejectis signis, Pontificis vexilla sustulere.

Cinguntur ergo nova obsidione Tudertini. Qua die hæc acta sunt, Rex missa suorum manu, aliquot equites Brachianos, qui pabulatum in subjecta prata exierant, ducentos prætorea, qui erant in pabulis, equos corripuit. Proxima nocte Brachius militibus arma capere jussis, de prima vigilia egressus Urbem, tanto impetu hostem invasit, ut munitionum effractis repagulis, deturbatisque statione vigilibus, vallum transiliret. Milites somno excitati, quum ad arma concurrerent, extra munimenta capti, vinctique trahebantur. Quatuor equestris ordinis viri, qui Regiis præerant signis, dum ad Regis tabernaculum armati festinarent, capti, atque in Urbem subducti sunt. Brachius ubi hostes armandi sui spatium nactos prodire in aciem videt, veritus, ne multitudine circumventus caperetur, signum receptui dedit. Nihil hac eruptione inter tot gesta magnificentius. Rex ipse ad Urbis portas insecutus, Signariorum suam opem implorantium audiebat vocem; qui tamen tanto impetu per collium juga trahebantur, ut quum Rex ad eos se crederet pervenisse, multo intervallo reclamantes exaudiret. In Urbem subductos spoliare jam cœperat in obscuro miles: mox admoto lumine reverentia retardavit. Vestes erant multo intertextæ auro, calcaria quoque aurea pedibus internitebant, loricæ, galeæque aureis lymbis cristatæ aspiciebantur. Nec equi quidem humilius erant adornati, phaleræ, sellæ, lora densissimo & ipsa interlucebant auro. Brachius Signarios ad se venire jussos perbenignè humanèque accepit. Postero die quos redimere belli jure potuisset, prima statim luce remisit ad Regem. Detracti sunt ea nocte ex hostium stationibus equi septuaginta. Fertur Regem à Signariis sæpe de Brachio diligentissimè percontatum; cujus quum illi mirum in modum commendassent & humanitatem & magnitudinem animi, misisse statim Caduceatorem, qui gratias ageret Regis nomine. Postero die levi commisso prœlio quum captus esset à Regio comitatu Brachianus miles, suo Duci imprimis charus, purpurea veste donatum remisisse, dixisseque, cupere se vehementer cum Brachio colloqui. Erant inter duas acies præter vallum & fossam intexta frequenti trabe munimenta. Hinc atque hinc armati milites occurrentibus inter se gladiis ac telis consistebant; alteri perrumpere trabium obstacula: defendere alteri: atque hostem arcere conantes. Hic miles Ducem proximè accedens, Regis pertulit mandata, ipsumque ex altera valli parte dimicantem ostendit.

dit. Tum Brachius, *i tu*, inquit, *& Regi si quid me vult, heic esse dicito*. Illo ad munitionem appropinquante, Brachius galeâ statim sublatâ, detecto capite, gladioque procul abjecto, equo descendit, deflexoque ad terram poplite regio more salutavit. Tum ambo ad lævam secedentes militibus non procul inde pugnantibus collocuti sunt. Loquentes interjecta & trabibus munita fossa dirimebat. Rex si secum stipendia facere vellet, trecenta millia nummûm, & totius exercitus imperium obtulit. Adjecit præter unam Neapolim, quam mallet Urbem suo in Regno delegeret; nihil se denegaturum. Hoc per suam dextram, per regiam fidem, majestatemque polliceri. Brachius primùm gratias egit Regi, qui se privatum, atque infimæ fortunæ hominem alloqui esset dignatus. Adjecit deinde sic se institutum esse, quibus parendum fuisset, quorum sequeretur stipendia ei se fidem purè integrèque servare didicisse; nunc sub Pontifice stipendium facere, quo perdurante, etiamsi moriendum esset, in fide mansurum: non pretio, non amore, non metu aut periculo defecturum. Nihil sibi fide esse præstantius. Ceterùm si privato officio conferre quicquam regio posset fastigio, eo demum pacto restituturum esse; si nulla in re offenderet Pontificis dignitatem, ejus completo stipendio, si Regi ac sibi commodum videretur, illius majestati eadem fide, qua nunc Pontifici pariturum. His utrimque dictis, Rex ejus laudato proposito, amicèque multa pollicitus colloquio discessit; Prœlium fortius est instauratum, utroque ardentiùs suum militem excitante. Sed nec perrumpere munimenta potuit Rex, popularibus etiam crebrâ sagittâ repellentibus. Sic quatuor & viginti diebus nequicquam in obsidione consumtis, exercitum movit, nec multis post diebus pace cum Florentinis facta, capto Paulo Ursino, atque in vincula conjecto Romam primùm, mox in Regnum reversus moritur. Rege mortuo magnæ per omnem Italiam sublatæ formidines, quietiora tempora secuta sunt. Habere se jam Etruria cœpit, tam recidiva & diuturna belli peste vexata. Inter hæc Pontifex ad concilium vocatus, ne vacuam præsidio provinciam relinqueret, Brachio per literas edicit, ut maturè cum omnibus copiis, Bononiam pergat. Ille ut erat imperatum biduo ad sese parandos militibus dato, profectionem quamocissimè accelerandam curat. Lustrato militari more exercitu per agrum Clusinum iter facit. Omni agro Cocchus Senensis vir domi nobilis imperabat. Hunc ferunt anno ante eam profectionem, quum ne suspicio quidem belli intercessisset, quadraginta equos, qui per suos fines iter faciebant, Brachio nihil tale metuenti eripuisse. Eam ob rem Brachium vastato agro, aliquot etiam direptis Castellis non priùs finibus discessisse, quàm triginta millia nummûm extorsisset à Coccho. Ubi Bononiam est ventum relicto procul ab Urbe exercitu ad Pontificem salutandi gratiâ concessit. Duplex est heic, & quidem diversa fama. Alii Pontificem de capiendo Brachio cogitasse dicunt. Causas verò capiendi fuisse duas. Alteram Pontificis avaritiam, qui quum octoginta milia nummûm Brachio emerito stipendio deberet, ne pecuniam solvere cogeretur interficiendum curasse. Alteram imperii aviditatem. Quippe Perusini mortuo Rege, quum de statu atque imperio dubitarent, Pontificem in rem dictu nefariam solicitasse ferebantur, polliciti, si Brachium interimeret, Civitatem daturos. Quam rem, quum ex Pontificis quæstore resciviset, veritum ne si palàm cum omni comitatu portas Urbis egredi properasset, à præfectis vigilum prohibitus caperetur: aliquot præmisisse milites, qui exeuntem exciperent; præstoque cum equis velocissimis essent. Ipsum Urbis lustratione & quibusdam in locis refectione mœnium simulata cum aliquot Civibus pererrata Urbe pedetentim venisse ad portas. Inde paulatim progressum, exceptum à suis conscendisse equum, subitòque ad exercitum summa cum celeritate confugisse; quædam deinde proxima cepisse Castella, nec priùs quàm acceptis octoginta millibus nummûm restituere voluisse. Postea verò Pontifici reconciliatum, ad custodiendam Urbem, exigendaque vectigalia esse reversum. Alii negant Pontificem quicquam de capiendo cogitasse. Affirmant tamen ab Etruria in Galliam accitum. Acciundi causam non aliam fuisse, nisi quòd Pontifex ad concilium accersitus, non putabat Urbem factionibus & civili dissidio laborantem sinè fido præsidio relinquendam; nec quemquam illi fideliorem quàm Brachium visum: cui statim in Galliam profecto, Urbem atque arcem tuendam dedisse, proximaque Urbi oppida in fide retinenda, exigenda omnis Galliæ vectigalia. Denique Civium curam ante Pontificis discessum omnem in eum esse rejectam. Illum cum Pontifice dies noctesque versatum. Illum quotidie sinè comite, sinè armis ad cubiculum intromissum. Pontifice discedente Urbis præsidio esse relictum. Non videri verisimile summum Pontificem innocentissimi, & de se optimè meriti viri sanguinem vendere communi hosti voluisse. Hæc magìs animum inducunt, ut assentiar; tametsi imperandi cupiditas animos mortalium plerumque præcipites agit, ut non tam quid liceat, quàm quid libeat, soleant cogitare. Utra fama sit verior, ne illi quidem satis conveniunt, qui interfuere. Hoc utrique affirmant, post Pontificis profectionem Bononienses Brachii imperio totius Civitatis consensu paruisse, atque illi finitimorum tributa, illi urbana vectigalia persoluta esse. Igitur Civitatis gubernatione suscepta, cum ad alios multos, tum imprimis ad Forlivienses legatos, qui vectigalia peterent misit. Illis recusantibus exercitum agro admovit, crebrisque factis excursionibus, incredibile dictu est quantum pecorum, quantum hominum in præda sit aversum. Ferunt sexcenta carra frumento onerata, & ex his pleraque cum aurigis, cum bobus una excursione esse correpta. Hac re irritatis Forliviensium animis, mittendos ad conducendum Crassum Venusinum legatos, tuendosque fines suos à bello statuerunt. Crassus magnis coactis copiis, qua die Brachius exercitum ad populandum iterum agrum dimiserat, infesto agmine palantem militem est adortus. Vix Brachianus miles à fuga retentus est, nec sinè summa Ducis prudentia, qui quæcumque evenire possent, omnia tamquam ventura cogitaverat. Equitatu enim in

in duas diviso partes, alteram levium armatorum prædatum vagè fusèque dimiserat, alteram delectissimorum equitum subsidio relictam, unde latus esset prospectus, collocaverat. Hæc Crassum in expeditos temerè, inconsultèque grassantem circumvenit; qui gravi commisso prœlio, vix cum paucis victus, profligatusque evasit. Brachius ducentis captis equitibus omnem equitatum, peditatumque ad majorem cogendam prædam quamlatissimè, atque effusissimè jubet excurrere. Quadringenti agrestes ea die capti referuntur. Militibus & qui equis, & qui pedibus militabant, liberè usquequaque populantibus diripientibusque omnia, ut quos nec hostis, nec metus victo hoste deterreret. Postero die cum omnibus copiis in agrum Ravennatem, qui Forliviensium ditionis erant, paulò ante ortum Solem profectus est. Heic prædæ actum est, quantum superiore die in Forliviensium agro. His rebus attriti Forlivienses legatos, qui & vectigalia persolverent, & redemta duodecim millibus nummûm præda, pacem postularent, ad Brachium misêre. Data postulantibus pax est.

His rebus gestis Brachius, qui nihil magìs quàm militum quietem atque otium fugiebat, longa expeditione exercere suos constituit. Convocato ex omnibus partibus milite, paucisque diebus ad quietem datis, primùm Fanum, deinde Ariminensium, Pisauriensiumque fines incredibili celeritate pervolavit, triplicique structa acie, primâ Fanensem, alterâ Ariminensem, tertiâ Pisaurensem agrum eadem die, eodem impetu excurrit; omnibusque imperat, ut Pisaurum versùs, quo ipse cum tertia parte copiarum penetraverat, prædam agant. Ut erat imperatum, ita milites fecere: cuncta undique depopulata maritima ora, ingentique coactâ prædâ in Pisaurensium fines convenerunt. Tum Brachius quod per media hostium oppida redeundum cum præda erat, aciem omnem in tria confertissima partitur agmina. Ex his duo prædam anteire, reliquum subsequi jubet, paucis præmissis expeditis militibus, qui iter explorarent. Quum in fines Ariminensium ventum esset, Pandulfus Malatesta cum octingentis equitibus à fronte se ostendit, qui per superiores à latere incedens colles, prœlio quidem abstinuit; sed prædæ imminens numquam inde flectebat oculos, suorum fortunam & calamitatem miseratus; quibus præsens atque videns tam exspectatam opem ferre non posset. Tum demum acerrimo dolore confectus, quum longissimum trahi captivorum ordinem, seque suamque opem implorantium intueretur; quorum plerique juncti, pulsique frustra tendere manus conabantur. Agmine sic tripartito jam extra fines Ariminensium exitum erat; quum ille vel pudore sui, vel miseratione suorum lacessere hostem à tergo cœpit, levique commissâ pugnâ hostes Brachiani militis non sustinuerunt impetum: sed aliquot acceptis vulneribus in edita sese collium juga receperunt, quominus in fugam versi statim profligarentur. Impedimento fuit præda, ad quam undique intentus miles, non putabat rem certam pro incerta deserendam; & copias dividere, partemque ad insequendum hostem mittere periculosum videbatur. Ejus prædæ magnitudinem vix illi numerare potuerunt,

A qui fuere participes. Quinque continuis diebus eundo redeundoque consumtis plus quàm centum viginti passuum millia decursa sunt. Prædam quoque tam longo dignam itinere nihil magìs quàm ex industria in longissimum spatium captivorum protractus ordo decorabat. Nam greges atque armenta vix latissimi capiebant campi. Omnia ubi ad stationes est reditum, viritim militibus distributa. Bononienses cognito Brachii discessu, orta seditione inter Cives defectionem fecerant, rati Brachium in Perusinos movisse exercitum, diuturno atque externo bello vacaturum, se jam excusso rectore liberius omnia, tumultuosiusque concitaturos. Hac re cognita

B Brachius quammaturissimè sibi accelerandum putavit; ut priùs Urbem obsidione cingeret, quàm cives arcem, quæ ejus præsidio tenebatur, expugnare possent. Accito ex proximis oppidis magno peditatu ad Urbis consedit mœnia. Bononienses veriti ne simul ab exercitu muri oppugnarentur, simul qui arci præerant, eruptionem facerent, statim Urbis portas aperuere, misereque qui dicerent, nihil se contra Pontificis imperium esse molitos. Ceterùm civiles illos fuisse motus, se quidem imperata esse facturos. Brachius cum exercitu ingressus Urbem, duplicato præsidio arcem, frumentoque munivit. Mox ad

C stationes reducto exercitu, aliquot mensibus in hibernis habuit militem. Sextus jam præterierat mensis, quum in stativis moranti nuntiatum est, Bononienses in arcem fecisse impetum, sed eam egregiè defensam, capere non potuisse. Civitatem totam esse in armis, omniaque tumultuosius agitata misceri, nisi celeriter occurrat, ultimum diem Urbi adesse. Tantam enim concitatam multitudinem, ut si cædem essent exorsi, nisi totius Civitatis internecione sedari tumultus non posset. Brachius subitò ad eum, quem arci præsidio reliquerat, literas dat, ut proxima nocte contiguum arci murum, quantum decem simul equites ingredi potuissent, demoliendum curaret. Quo diruto, pontem extra

D arcem supra fossam eodem spatio ædificaret, ostendit, quanta celeritate opus foret. Ille ut erat imperatum, murum diruit, structoque celeriter ponte, prima luce venientem exercitum recepit in arcem. Brachius confestim multas bombardas, quæ mediam in Urbem ingentia conjicerent saxa, incendi jubet. Ipse quadrato agmine strictis militum telis occupat forum, & quo plus Civibus incuteret terroris, angustos & foro proximos vicos structa ac parata invadit acie. Tum quo suorum falleret paucitatem, bis terque veluti in girum eumdem quasi novum aliumque militem circumduxit, signumque dat,

E ut ex arce plurimis simul bombardis ignem admoverent, quibus latè excussa saxa domos, ac tecta sternerent, nec sonitu minus quàm ictu perterrerent Civium animos. Bononienses his rebus attoniti, quamquam omnes aditus Urbis trabe, catenaque impediverant, depositis extemplo armis, legatos celeriter pro tempore creaverunt principes Civitatis; quorum auctoritatem & gratiam plurimùm valere apud Brachium cognoverant, qui orarent, ut Urbem pulcherrimam à Civibus suis perditam à militum incendio servaret: non se negare totam Civitatem temere ac tumultuosè arma cepisse. Verùm eos, qui expu-

expugnare arcem tentaverant, paucos extremæ sortis ex infima plebe fuisse homines, non tam sanguinis quàm prædæ cupidos, quos si vellet ulcisci, polliceri se in manus tradituros. Ceteros Cives, qui aliquid haberent auctoritatis, privato atque intestino odio concitatos, nemini nisi sibiipsis injuriam facere voluisse. Ignosceret satis suo malo laborantibus; veterem eam esse nimis corroboratam Urbis pestem: sæpe aliàs in suam ipsos ruisse perniciem; quos si sanare pergeret, omnia Civium viscera esse dissecanda, alioquin frustra eum mederi inveterato jampridem vulneri, & omnium medullas pervaganti. Hoc enim existimare oportere, si boni regere pravos, & moderari potuissent. Non itum fuisse ad arma, non tumultum in Civitate factum. Satius esse, si in altero peccandum sit. Ignoscere malis bonorum gratiâ: quàm bonos malorum odio persequi, atque innocentes alieno scelere punire. Testari Deum immortalem, posthac aut Civitatem in fide detenturos esse, aut, si quid accidisset, pro Pontificis imperio morituros. Ignosceret privatæ amicitiæ, si publicè esset iratus. Brachius graviter increpatis legatis; non se ignorare inquit. Tum demum veniam postulatum venisse, quum armis nec se, nec Urbem defendere potuissent, non voluntatem precibus, sed periculi metum affuisse. Bis se procul inde movisse exercitum, bis à Civibus seditionem excitatam; nunc etiam rebellione facta signis allatis arcem oppugnasse. Mirum id quidem, nisi quum ipse abesset, omnes inter sese dissentirent, atque ideo seditione excitata defectionem facerent: quum propiùs admovisset exercitum inter se reconciliari, quia quem absentem universi pati non possent, præsentem singuli metuissent. Appellent quam velint seditionem, & leni nomine rem gravissimam extenuent. Se non minus cognoscere, bis rebellionem esse factam. Nam quem Civem non arma cepisse, quem Pontificis partes suscepisse defendendas, quem seditione Civitate esse dejectum? Non igitur blandis intestinæ simultatis nominibus se demulcerent, quasi in arcem fugissent, qui alteram factionem tuerentur; atque ideo ad eam uno consensu omnium Civium cum armis fuisse concursum; scilicet illic eorum inimicos, illic seditiosos, & turbulentos auctores factionum potuisse opprimi, quàm tanto conatu, tantoque impetu oppugnare voluissent. Ceterùm animo sibi esse, aut diripere Civitatem, atque incendere, aut arctissimo aliquo vinculo in Pontificis fide retinere. Illi ad pedes procumbentes orant, ne se frustra Populus legatos miserit, omnem conditionem accepturos, modò Civitati parceret toties suo beneficio conservatæ. Brachius quinquaginta obsides, quos arbitratu suo è tota Civitate deligeret, imperavit. Conditione accepta, quinquaginta principum atque Optimatum liberi Brachium in castra secuta sunt. Mansere post hæc in fide Bononienses. Per id tempus Brachio renuntiatum est Pontificem, quem ad Concilium vocatum diximus, profectum Constantiam, Pontificatu abdicatum, atque in ejus locum Oddonem Columnam, cui postea cognomentum Martino fuit, suffectum esse. Qua re cognita priusquam ad Cives nuntius pervenisset, arcem quanto fidissimo potuit, munivit præsidio. Tum obsides diligentiùs observari jussos procul inde mittendos curavit. Hoc modo tamdiu stetit in fide Civitas, donec prioris Pontificis dignitate desperata, cum Civibus de tradenda arce, remittendisque obsidibus ageretur. Igitur acceptis centum octoginta millibus nummûm, quæ illi ex superiore stipendio debebantur, arcem, obsides, & proxima Urbi Castella agrumque restituit. Sunt qui affirment Brachium audita novi Pontificis suffectione admovisse Urbi exercitum, refectoque ad arcem quamlatissimo ponte militem in acie composito tenuisse agmine. Cives novitate rei perturbatos receptis obsidibus, atque arce pecuniam eam exactam per Civium capita tradidisse. Brachius stipendio militibus dato, intentus toto animo ad Patriam novam expeditionem parare, & in fines Insubrium à Mediolanensium Duce solicitatus, trajiciendum exercitum simulabat. Interea copiis peditatu, equitatuque auctis in Etruriam converterat animum, ultimam vim conatumque facturus; ratus id, quod res admonebat. Mortuo Rege, Perusinis omnino præsidio destitutis, Pontifice nondum à Germanis reverso, & propter novitatem rei de suo Imperio solicito simul, quòd ipse nunc pecunia atque armis valeret, quàm opportunissimam inferendi belli, Patriæque recuperandæ adesse occasionem, quam si negligeret, numquam ampliùs tantam rerum omnium commoditatem habiturum: sed quo altiùs descenderet, vulnus improvisis, nec quicquam hostile metuentibus movendum instituit bellum. Jam vulgo ferebatur in Insubres propediem cum omni exercitu profecturum. Confirmaverant eam opinionem pauca de industria præmissa impedimenta, & Ducis legati, qui ad eum solicitandum venerant. Interea quamoccultissimè potest mittit cum pecunia qui Tartaliam, tunc fortè Tusculi cum sexcentis equitibus morantem, conducerent, hominem plus quidem manu, tamen etiam consilio promtum.

Perusini post mortuum Regem omni agro redacto in potestatem, nihil nisi de pace atque otio cogitaverant. Captis Ponte Marsianoque, exauctorato Ciccholino exercitum dimiserant: repudiati milites etiam finibus pellebantur. Quæ quum Brachio essent explorata, omnia sexto Idus Quintiles Bononiâ movit tanta celeritate, facto per Ariminensium fines transitu, superatoque Apennino monte, ut priùs Burgum pervenerit quàm hostes ne de motu quidem, nedum adventu quicquam scire potuissent. Hac re permoti Perusini ad conducendum undique militem varios nuntios dimisere. Cicchulinum è Campania revocarunt. Paulo Ursino dedere stipendium, nihil reliqui facientes, quod vel ad improvisum repellendum hostem, vel ad resistendum pertineret. Munita statim finitima oppida, præsidia undique per Castella disposita; sed subita consilia Civium præcogitata Ducis celeritas antevênit. Jam ad Tiberim pervenerant copiæ; jam in tribus occupatis pontibus amnem trajecerant. Continuos deinde complures dies passim actæ prædæ, Castella expugnata, nec multum procul ab Urbe consessum. Oppidum erat tria millia passuum distans ab Urbe, quod Divi Fortunati vocant. Hìc ingens pe-

peditum atque equitum præsidium erat collocatum. Qua re cognita, tentandam ejus loci oppugnationem constituit Brachius. Itaque præmissis qui præsidiarios milites ad deditionem hortarentur, scalas, variique generis machinas comportari & circum mœnia, non longè à propugnaculis hostium, longo ordine, quo magìs insueta rerum facie terrerentur oppidanorum animi, disponi jubet. Milites mœnia, stationesque compleverant; tanta erat præsidii magnitudo. Quum Brachius aggeres afferendos & in fossam conjiciendos demonstrat, imperatque ut quamsiccissimam queant materiam portis admotam succendant, oppositis à fronte sagittariis, ne extinguere hostes portarum incendium possent. Hac re animadversa oppidani, & qui præsidio erant collocati, saxa ingentia & magnam vim terræ congerentes quàm latissimo spatio interiorem pro portis ædificant murum. Interea exustis portis Brachius signum dat, ut omnibus simul locis admotæ mœnibus scalæ erigerentur. Sagittarii militem à propugnaculis arcerent. Ipse facto ad portas impetu, recentem & vix bene confectum perrumpit murum. Cohortes jam & scalis in mœnia evaserant, quæ intra oppidum prosilientes cuncta diripuere. Milites partim capti sunt, partim ex adversa parte oppidi sese mœnibus ejecerunt. Centum equites traduntur capti, qui equis armisque spoliati dimissi sunt. Francischinus Miraldola, quem præsidio hostes præfecerant, captus atque in vincula conjectus est. Qua die hæc gesta sunt, Brachius præmissa parte equitatus, ad Urbis portas impetum fieri jussit. Ipse cum reliquis copiis ad Fanum Constantii, quod extra Urbem ad teli jactum situm est, subsecutus, ingenti coacta præda Thrasimenum versùs iter fecit; ut ex omni latere vexato hoste, acriora magìs quàm finitima bella concitaret. Jam intra paucos dies omnia, quæ secundùm Tiberis oram sita sunt oppida, aut vi, aut sponte venerant in potestatem. Pleraque etiam proximis eminentia collibus ab hoste defecerant, partim metu, ne vi capta militi in prædam darentur, partimque exulum partibus veteri majorum amicitia favebant. Perusini qua die hostes impetum ad portas fecerant, Suburbium, quod ad Meridiem pertinet, metu deseruisse, & in superiorem Urbis ambitum domesticam supellectilem convexisse dicuntur. Quippe quos superioris belli eodem in loco accepta calamitas admonebat, nec minus terroris in Urbe erat quàm in agro periculi. Pauca jam oppida obsidionem, multò paucissima oppugnationem exspectabant. Civitatis metus desperatio reliquis oppidanis erat. Interea multis factis excursionibus Tartalia cum suo delecto milite adventans copias duplicavit. Quæ res quantum animi Brachianis addidit, tantum Civibus incussit terroris. Huc accedebat ingens exulum multitudo, qui patrio audito bello undique ad exercitum confluebant. Brachius Querqueto & Marsiano receptis in potestatem, Papianum, Morcellam, & proxima quæque Castella ne uno quidem prœlio cepit. Postridie verò quàm conjunctæ sunt copiæ, Urbi cum exercitu ad ducentos passus, qua parte vergit ad Septemtrionem appropinquavit, tribusque sacrarum Virginum templis, quæ quamquam arcibus munita, bello tamen deserta erant, occupatis, jam propiùs imminebat Urbi. Postero die facto impetu in portam, Suburbium magna vi ingrediuntur; sed Populo supernè resistente, paucis cæsis militibus, compluribus vulneratis Urbe rejecti sunt. Hoc prœlio irritatis magìs quàm territis militum animis, majorem in sequentem diem conatum moliuntur, factoque iterum ad eamdem portam impetu, de militum gloria certari crederes, tanto quisque animo etiam iniquissimo loco in prœlium ferebatur. Sed loci iniquitate prævalente major est edita cædes, tantoque plus acceptum vulnerum, quanto acrius bellandi studium fuit, & milites nimis intra Urbem processerant. Nec minùs cruenta res Civibus stetit, quos simul sagittarii & hastati milites fodiebant; simul equites stricto gladio resistentes adverso feriebant ore. Brachius ubi cædem magìs quàm pugnam augeri vidit, & Cives, quòd jam ad declivia Urbis erat ventum, non solùm defendere se armis, sed præcipiti lapsu ingentia saxa devolvere, cani receptui jussit, exercituque extra portas pugnando simul cædendoque reducto, militem magnificè commendavit; ostenditque eam loci difficultatem non fuisse subeundam. Ceterùm ubi itum in certamen fuit, neque fortiùs, neque ardentiùs pugnari potuisse, Perusini duplici & accepta & illata calamitate, occludendam eam portam trabibus, muroque, & mœnia militum dejecta impetu celeriter reficienda curaverunt. Qua die intra portam est pugnatum, vicinorum oppidorum curatores, Syndicos vocant, Brusani, Collini, & qui his finitima incolunt loca, ad Brachium venerunt, oppidorum claves oleastro involuta deferentes, petitæ pacis, ac ultro delati imperii signum. Postero die nullâ interjectâ morâ vexilla bellica multis militaribus signis adornata non procul ab Urbe jussit collocari, quo significabatur obsidionem jam adesse non bellum. Civitatem multa mala, pavor, metus, fames agitabant. Nec deerant qui etiam in postremo periculo discordias graves fererent. Auxilia pars nondum convenerant; pars hostili ferocitate defecerant: denique cuncta magna & acerba mala versabantur animis. Quicquid ab inimicis de vita & sanguine certantibus non fieri solùm, sed etiam excogitari posset, rapinas, clades, stupra, incendia metuebant. Castris circa Urbem positis, Brachius ne uno quidem intermisso die militem continuam irruptionem tentare, & ex pluribus simul partibus Civitatem oppugnare jubet. Quæ quum parum procederent, exercitum in duas divisit partes, alteram ad Fanum Julianæ, Vestalium Virginum templum, quod ad radices meridionalis Suburbii situm est, oppugnandum dimisit, ratus Cives aut universos illò, aut delectiore manu occursuros. Ipse cum altera parte copiarum ad toties effractam portam, quam appellant Solis, majore quàm umquam antea, defertur impetu. Murum, quem superiore die Cives confecerant perrumpit; penetrat magna vi ad intimum Suburbium occupaturus superiorem Urbem, si fortè Cives aliò aversi vacuam præsidio reliquissent. Et dies erat nebulosa, atque pluvia, facilè tectura dolum aspirante fortuna. Sed Cives primo exaudito clamore, divisioneque exercitus per conjecturam cognita,

gnita, & ipsi juventutem duas in partes divisere. Alteram ad resistendum à Fano oppugnantibus missam. Alteram egregium ætatis florem, delectaque juvenum robora interiori Urbi præsidio relictam; ut si quid reliqui hostes à Solis porta molirentur, paribus occurri viribus posset. Magno utrimque consilio, multo majore conatu pugnatum est aliquot continuis horis. Alteros bellica virtus, alteros metus mortis, & morte crudelius exilium, nonnullos ardentissima odia, & conceptæ jampridem animis crudelissimæ cædes armabant. Non hostes cum hostibus de imperio congredi, sed inimicos cum inimicis de sanguine sævire, vel ipsi vultus atque oculi demonstrabant. Brachius concitato milite nunc ultimum restare laborem exclamat, nunc præmia tanti belli subesse. Urbanam juventutem, non senes modò, sed fenestris saxo & ipsæ pugnantes fœminæ adhortabantur. Nunc pugnandum fortiter, nunc inimicos manu, ferro, dente feriendos, nunc denique pro Diis patriis, pro liberis, pro capite & vita dimicandum esse; omnino nisi vincant crudelissimè omnibus esse pereundum. Senes, qui per ætatem arma ferre non poterant, liberos, nepotesque obtestabantur, ut solum quo paulò post quieturi forent, acerrimè fortissimèque defenderent, ne procul à Patria modicum quod esset vitæ reliquum agere, & alienis in sepulcris, alienâ terrâ miseri atque inopes jactari cogerentur. Nebulæ stragis magnitudinem celabant. Quippe aut progredientibus aut regredientibus militibus magna utrimque cædes edebatur, & passim fusa humi cadavera pedibus calcabantur. Jam ad Urbis inferiora mœnia ventum erat, quà difficilis, atque arduus surgebat in forum aditus. Hinc Cives ingentia saxa devolvere, hinc dolia in subjectos lapidibus plena præcipitare. Tum mulieres evulsam manu tegulam tectumque dejicientes, indigno vulnere feriebant militem. Demum facto à Civibus superiore de loco impetu, milites, quòd iniquissimo certabant loco, magno telorum saxorumque impulsu repellebantur. Jam saxis, jam cinere supernè cadentibus reculcati, in æquiorem locum paulatim cedendo recessere. Interim qui ad Fanum se ostenderant, levi commisso prœlio rejecti sunt. Brachius fatigatum labore ac vulneribus militem plurimis utrimque desideratis in castra reduxit. Hic dies utrisque longè difficillimus fuit. Nam etsi milites graviores armis peritioresque erant, iniquissimo tamen loco certaverunt. Cives leviter armati & plerique insueti rerum bellicarum, vix militis impetum sustinuerunt. Cæsi fuere eo prœlio ex urbana juventute plures, ex Brachianis plures vulnerati.

Brachius desperata Urbis oppugnatione, non ampliùs loci subire iniquitatem, sed premere Civitatem obsidione constituit. Postero illucente die partem copiarum adversum in agrum emittit, qui inter Septemtrionem & Occidentem pertinet, asperum & montuosum. Eam ob rem numquam antea neque bello, neque incursione vexatum auxit prædam, oppidanorum nihil tale metuentium securitas, Mantinianum, Misianum, & quæ sunt finitima his oppida; pars montibus, pars in montium angustiis sita ingentem ea die calamitatem accepere. Porrò ubi alter illuxit dies, moto ad Fanum, quod dicunt Trinitatis, exercitu, haud ampliùs centum passibus procul ab Urbe consedit. Erant aliquot præmissi milites, qui occultè murum in disertiore parte Urbis diruerent. Sunt qui affirment, ut veterem cuniculum crebro occlusum muro penetrarent, submissam statim aliam militum manum ad superiorem Solis portam oppugnandam; ut quod superiore die Cives fecerant, ad eum reliqua relicta Urbe concurrerent locum. Quod si fecissent, ceterum exercitum per cuniculum recipere præmissi milites potuissent. Sed re canum latratu detecta Cives rejecto magna vi milite, locum firmo præsidio munivetunt. Brachius ubi nequicquam omnia tentata videt, ne tempus aut otio aut periculoso magis quàm utili negotio tereret, castris fossâ valloque munitis, ac valido imposito præsidio ipse, quæ circum Urbem essent, occupare castella properavit; ratus id quod res admonebat, nullam acriorem futuram obsidionem, quàm si Cives omni occlusi aditu portas Urbis exire, alimentaque ex agro supportare non possent. Militibus autem frumentum & commeatus abundè suppeterent; si proxima quæque oppida liberè ad exercitum comportarent, vel ipsos oppidanos satis belli facturos, si nec annonam suppeditarent Civitati, & Civem Urbis egressu prohiberent. Ergo ad inferiorem planiciem, quam Tiberis fluvius mediam præterlabitur, deducto exercitu, Ripam, & Columellam, ac proxima Castella recepit in potestatem. Omnes fluminis pontes, præter Patulum, uno cursu occupavit. His peractis rebus, reductoque exercitu, corpora curare militem jubet. Tertiâ deinde vigiliâ in eum agrum, quem ad Thrasimenum spectare diximus, profectus, Corcianum oppugnare est aggressus, quod oppidum in inarido & olearum feraci monticulo situm totius agri Perusini naturâ magis quàm operâ est munitissimum. Collectum propemodum ac rotundum supremum montis verticem complectitur. Muri exteriùs præalti, intus verò densissimâ completi terrâ æquabili accingunt, atque excurrunt solo. Aditus etiam ad muros non undique liberi; quippe magna ex parte præruptis, atque altissimis clauditur rupibus. Nec segniores oppidanorum animi. Nam præter multitudinem, quam belli tempore etiam ex subjectis concipiunt villis, fide, atque ingenio valent. Nec tam privatas amicitias, quàm commune sequuntur imperium Urbi parent magis, quàm Civitati, Nobilitate Urbem obtinentibus parent Optimatibus, contra Plebejis, quamdiu illi Urbem teneant, obsequuntur. Hoc oppidum oppugnare adortus, durissimo commisso prœlio, nihil præter militum vulnera, cædesque reportavit. Motis inde castris, villis omnibus incensis, proximoque direpto agro, ad montem Urbianum contendit. Postero die Spinam munitissimum & ipsum oppidum magna vi adortus oppugnavit, ubi duobus commissis prœliis aliquotque desideratis militibus, re infecta ab oppugnatione discessit. Scalis deinde & muralibus machinis, quæ oppugnationi usui forent, comparatis, quòd fatigati milites erant, in alterum diem rem distulit. Quo die oppidum magno militum invasum impetu, ac captum, di-

direptumque est, sed strenuissimo quoque aut cæso, aut vulnerato, cruenta victoria fuit. Spinâ captâ, finitima statim Castella victorem secuta sua se sponte dediderunt. Postridie quàm hæc gesta sunt, Brachius incredibili celeritate ad portas Urbis profectus, proxima & contigua Urbi ædificia incendit, effregit molas frumentarias, frumentum, & qui subsidio venerant, corripuit. Quinque & viginti fuere equites. Mox eadem celeritate in alteram Urbis partem, ubi castra munierat secundùm mœnia stricto exercitu penetravit. Perusini tantis intra paucos dies affecti incommodis, mittunt, qui Pauli Ursini adventum solicitent. Item qui Ciccholino quamocissimè maturandum significent, ostendantque Civitatem ad ultimum venisse discrimen. Nihil ex agro reliquum esse, vix se intra mœnia continere perterritos Cives, atque pluries inde paulò minùs esse dejectos. Huc accedere intolerabilem Plebi famem. Legatos præterea Florentiam misère, orantes, ut pro amicitia, quæ esset Florentinis cum Brachio, eorum interposita auctoritate bellum componerent. Sperare nullos commodiores pacis auctores futuros. Interea Brachio nuntiatum est per speculatores Paulum Ursinum, quem fama erat Perusinis auxilio venturum, magno cum exercitu adventare: jam Tiberim esse trajectum, jam Utriculum, jam deinceps Narniam processisse. Maturatione opus erat, ut cum altero ducum ante confligeret; quàm tot simul copiæ jungerentur. Igitur ex omni parte collecto milite, & corpora curare jusso, nocte intempesta movit exercitum, continuoque itinere non die, non noctu intermisso ad urbem Interamniam plus quadraginta millium spatio decurso pervênit. Interamniam Nar fluvius duobus alveis circumfluit; inde Interamniæ, inde Narniæ datum nomen. Qui tanta velocitate delabitur, ut nusquam vado, rarò naviculis transiri possit. Interamnenses rei novitate permoti, negant se armatis per mediam Urbem transeundi potestatem esse facturos, delectamque pro portis & egregiè armatam juventutem opponunt. Levi cum his commisso prœlio fusi, fugatique intra mœnia compelluntur. Paulus audito hostium adventu, in editos Narniæ montes se subduxit, ut si committere prœlium cogeretur, munitissimo esset loco. Brachius qui hostem repentè de improviso adoriendum speraverat, ubi de fuga ejus cognovit, Interamnensem depopulatus agrum, eadem, qua profectus est, celeritate revertitur. Interim legati Florentinorum in castra ad Brachium venerunt, jussi exponere mandata. Orant ut ceterâ quietâ Italiâ ipse quoque bello abstineret. Timere Florentinos, ne si diutius traheretur bellum æmulatione partium finitima concitarentur arma. Jam audire Carolum Malatestam & Paulum Ursinum utrumque magno cum exercitu ad Urbem defendendam venire, totam Etruriam armis completum iri. Jam nunc itinera suspecta esse, latrones obsidere vias, nec qui sint, aut quò recipiantur, scire licere: Quid futurum, ubi tot fortissimorum Ducum accesserint copiæ? non vias, non aditus, quàm Urbem ipsam tutiores fore. Nam ut duces militem à præda contineant, ut supplicium, mortemque proponant, quem utra ex acie latrones prodierint, cogniturum. Tum satius esse victorem bello discedere, & accepta restituere oppida, quàm variâ fortunâ amittere. Quæ sic etiam tueri posset, fore tamen illi de commeatibus & stipendio cogitandum. Si facere pacem velit, Florentinos commodè intercessuros; polliceri quantum pecuniæ conveniret, sponsoresque futuros, si modò ipse deponeret arma, & agrum Civibus liberum, pacatumque reliquisset. Brachius in hunc modum legatis respondit: *Sciebam*, inquit, *ubi primùm de legatione vestra audivi, quantum hostibus animi speique attulisset adventus vester. Nec decipiebantur illi quidem, quum de gratia, atque auctoritate in me vestra cogitarent. Et ego fateor parendum vobis fuisse pro amicis, pro sociis, pro finitimis, orantibus vestris. Verùm aliter hæc res sese habet; de quorum vos salute tantopere soliciti estis, communes Etruriæ fuere hostes; nisi propterea hoc me abstinere bello jubeatis, quòd prementem atque hærentem cervicibus vestris inimicum Regem, illi adversùs vos non solùm irritaverunt verbis, sed commeatu, delectuque juverunt. Ego periculo capitis mei repuli, illi transitum adversùs Civitatem vestram aperuere. Contra vos armati in acie fuere. Vestra capita, vestrum jugulum petiere. Ego pro vobis cum immanissimo & capitis mei inimicissimo Rege dimicavi. Ingrati animi est, non recordari quæ acceperis; hostem contra socium, inimicum contra amicum defendere, impium atque nefarium. Nec idcirco ista commemoro, ut aut me pœniteat collati beneficii, aut vos acceptum non satis amplè prosecuti sitis. Satis præmii est, ubi studio atque amore devinciuntur animi. Sed quænam hæc est miseratio, hostes vestros domi in quiete, in otio esse, ut contra vos illorum vires augeantur? Nos amicos & belli ac periculi socios in exilio consenescere, aliena in patria mori, atque insepultos jacere cupietis, ut vobis, si res exigat, opem ferre nequeamus? Non heic de imperio agitur, uter sit regnaturus. Exilium illi volunt nostrum, non regnum timent. Quamquam nec exilio quidem contenti sunt, qui toties aut vi, aut fraude vitam nobis eripere tentaverunt. Nec tamen nobis bellum placet, si domi esse possimus, non arma, non finitima concitamus bella, qui ad patrios lares, ad parentum nostrorum, quos isti media in pace necaverunt, tecta, domosque revertimur. Quid si armis abstinendum est nobis? Num isti legibus obtemperabunt? quæ vim atque injuriam fieri cuiquam prohibentes, sua cujusque esse, non rapi aliena jubent. Ubi legibus non paretur, armis est decernendum. Equidem quum hoc gero bellum, non mea solùm, sed multorum jura causamque defendo, quorum calamitates atque exilia, ut ipsi taceamus, vobis incognita esse non possunt. Latior enim ac diuturnior fuit miseria nostra, quàm occulta dissimulari potuerit. Num igitur nos sumus, qui finitima concitamus bella? Præclarè vos quidem de latronibus admonuistis, obsideri vias, itinera esse suspecta. Credo equidem, ita rem sese habere. Novi quamlatè excursitent militum manus. Sed, quæso, quid si Muliones, si jumenta vestra (nam his plurimum utimini) à latronibus correpta fuerint? Si hæc tam procul à vobis impedita itinera, quo id feretis animo? At nos latrones ejecerunt domo, iter ad patriam intercluserunt; opes, fortunasque nostras corripuerunt, parentes nostros indictâ causâ interfecerunt. Nisi minùs peccaverint, qui media in pace, intra Urbis mœnia, quàm qui in silvis & bello latrocinan-*

nantur. Qui quum ipsi latiùs latrocinia exercere non possent, aliunde infestissimum vobis, non dicerem latronem, nisi ille quoque ad injustas venisset rapinas, provocaverunt. Receptatulum prædandi, rapiendi, grassanti Regi præbuerunt. Cum his nobis est bellum, quod non concitavimus ipsi, sed quia defendere quondam fortunas nostras pace non potuimus, nunc ereptas, si Diis placet, bello recuperare contendimus. Nostra enim repetimus, non extorquemus aliena. Nec est nobis pecuniarum controversia. Habeant sibi quas nostra calamitate, nostro exilio, nostrorum parentum sanguine accumulaverunt. Patria est, quæ nunc in causam vertitur. Revocent domum satìs diuturna exilia perpessos. Ego verò sic habeo constitutum, aut honesta morte, aut gloriosâ victoriâ exilii jugum excutiendum esse; dicerem etiam concordiâ, nisi scirem nocentes sontium animos nimiâ teneri pertinaciâ, nec sperare ignosci sibi ab inimico posse, cui ipsi amico non putaverunt ignoscendum. Aut recipiant nos nostro tecto, aut bellum, si propulsare non possint, eo ferant animo, quo nos acerbissima exilia, quo parentes nostri cædes crudelissimas, nefariasque pertulerunt. Nec existimo Florentinorum gratiam hostibus magis quàm sociis, inimicis, quàm auxiliaribus prodesse oportere. Faciunt illi quidem perhumanè, qui acceptas obliti injurias, non quid ipsi detrimenti acceperint, sed quid beneficii conferre possint, cogitandum putant. Sed latior patet ea gratia, quàm mortalium capiant mentes. Nam prodesse interdum inimico pulcherrimum est. Amicum ad omnia juvare necessarium. Sed nimis stultè sentio, qui existimem Florentinos alienis solicitatos precibus id à me velle exorare, quod orant. Sæpe enim postulamus, quæ non cupimus, quàm sæpe etiam quæ cupimus, non postulamus. Credite mihi: gratum est vobis hoc bellum, quod si per humanitatem liceret, non solùm non dissuaderetis nobis, sed ultro ad idipsum faciendum hortaremini; ut qui non ignoratis tutiùs vobiscum agi, si prope amicum, quàm inimicum, socium, quàm hostem habeatis. Legati pauca ad ea respondere; Populum Florentinum in memoriam habere, quæ commemorasset omnia: nec quicquam præter æquum ac bonum quærere: studere tamen plurimùm Etruriæ paci, si sinè suo incommodo fieri potuisset, ut plurimâ acceptâ pecuniâ bello discederet. Id erat quod postulandum jussisset. Sin aliud commodius videretur, facile fuisse Florentino Populo verba præstare belli opem implorantibus, atque hæc in mandatis se habere.

Eo die Brachius præsentibus legatis Pilam oppidum vi cepit. Postridie motis castris, Derutam cinxit obsidione. Oppidani biduo obsessi deditionem sub conditione fecerunt. Legati re infecta Perusiam reversi sunt. Magna spe excidere Perusini: quòd existimaverant legatorum auctoritate, quam plurimum valere apud Brachium rebantur, bellum compositum iri. Ergo aliâ viâ excussuri hostem, Legatos ad Carolum Malatestam mittunt, polliciti, si opem tulisset, octoginta millia nummûm daturos. Carolus respondit, se quidem pecuniis non egere; satìs sibi magna esse vectigalia, nec umquam cupiditate pecuniæ Regnum suum in belli discrimen devocaturum. Ceterùm si tradere Civitatem vellent, omnia pro sua gloria de eorum Republica facturum esse; nec se mercenarium esse Ducem, sed pro magno imperio summa pericula putare adeunda. Legati nec recusare eam conditionem, nec promittere posse responderunt; sperare tamen si liberè Civibus in tanto discrimine rerum subveniret, facilè imperium consequi posse à se defensæ Civitatis. Qua spe adductus Carolus, centum delectos equites auxilio præmittit. Ipse ad reliquum expediendum exercitum demoratus, militem ex hybernis deductum in parato esse jubet, ratus ubi tanto beneficio devinxisset Civium animos, paulatim largitionibus paucorum communem Urbis superbiam emolliturum. Per hos dies Brachius, ne quid reliquum ex ea parte agri hostibus foret, Castellum Planum, & Balneariam, non parva oppida, per conditionem recepit, & uno intermisso die, castra non procul ab Urbe quingentos posuit passus. Sed quoniam dies fuit nebulosa atque pluvia, militem in castris continuit. Postero die, quum prima statim luce ad Civitatis portas infesto se agmine ostendisset, Cives omnes, qui per ætatem arma ferre possent, eodem concurrêre, & quòd loco erant superiore, & naturâ egregiè munito (Vegium vocant Perusini) cum subjectis hostium cohortibus prœliabantur. Sed loco freti cives acerrimè, fortissimèque se defenderunt. Prœlio commisso, multis acceptis, illatisque vulneribus, militem in castra reduxit. Idem sequenti die fecit, sed alia parte non tam aspera, & præcipiti aggressus Urbem; & fractâ, dejectâque portâ, miles intra suburbium irrupit, peditibus aliquot, qui resistebant, cæsis. Cives quod superioribus fecerant prœliis, parte juventutis fori præsidio relicta, ceteri ad defendendam reliquam Urbem concurrêre. Eorum concursu acrius instauratur prœlium. Sed ubi aliquamdiu dubio marte pugnatum est, milites quanto magìs procedebant, tanto iniquiorem subeundum locum intelligebant. Sic languidiores desperatione victoriæ facti, magno cum impetu repelluntur. Nusquam Perusino bello, quàm tum hoc prœlio sanguinis fusum. Nam & pedites, qui pro portis dimicaverant, ab exercitu plerique fuere occisi, & milites eò erant progressi, ut nisi scutis se protegerent, supernè conjectis tegulis opprimerentur. Tum tantus utriusque impetus, ut Cives quamdiu æquo loco pugnaverant, magna cum strage rejecti sint, donec ad præcipitem fori clivum compulsi de loco superiore converso in militem impetu, magnam & ipsi cædem ediderunt, perturbatosque extra portas magnificè repulerunt. Quæ res tantum animorum addidit Civibus, ut postridie universus Populus armatus prodierit, prœliumque postulaverit. Brachius, quòd videbat hostem, quid loci posset iniquitas, magno exercitus incommodo edoctum, in colle sese egregiè continere, veritus, ne rursus ad iniquitatem loci compelleretur, militem & ipse continuit; proximaque nocte vel metu, ne quid de improviso repentè hostes molirentur, vel timore simulato, ut commodiùs invadere securos posset, vel quod magìs putaverim, ne tempus periculosa magìs quàm utili pugna contereret, motis inde castris, ad montem Melinum quinque millia passuum procul ab Urbe recesserat; quum legati Florentinorum iterum ad Brachium venêre, qui multis ultro citroque habitis frustra consumsere diem. Nondum aberant Legati, quum Agellani, Pac-

Paccianenses, Panicarini, Cibottulani, Plagarini, & qui his finitima incolunt loca, misêre, qui oppidorum claves, atque Olivam deditionis, pacisque signa deferrent. Ponspatulus toties ante utrisque belli causa, & Castellumvetus, diversa situ oppida, sua sponte deditionem fecere. Jam confecto quasi terrestri bello, ne quid intentatum esset, in Thrasimenum totius Italiæ amœnissimum ac fertilissimum Lacum, tamquam ad maritimam expeditionem proficiscitur. Thrasimeni ambitus triginta passuum continet millia, litusque habet placidum atque arenosum, & in speciem maritimi sinus longè vastèque extensum. Rotundus ferè, ac mari similis, nec recipit alienas aquas, nec refundit suas. Oppida ex omni parte Lacum cingentia felici ac perpetuo jacent litore. Nihil eâ plagâ vel fertilitate agrorum, vel piscium ubertate felicius. Medio autem lacu tres interjectæ Insulæ, quarum duæ hominibus frequentes aspiciuntur. Igitur Brachius tamquam ad bellum navale profectus, primùm Monte Columnolo recepto in potestatem, Passinianum, quod Thrasimeni fluctibus abluitur, exercitum perduxit. Oppido in fidem accepto, qui Insulas colunt, etsi navigia omnia veteri more subduxerant, cognita tamen finitimorum defectione, veriti ne aut gravi fame domarentur, aut navigia hostes ædificarent, in continentem cum omni classe exeuntes, Insulas dediderunt. Nihil Brachio hac Insularum victoria gratius. Partim famâ rerum gestarum, quod terrestri bello vinci non poterant, partim ne inaccessibilem à tergo hostem relinquere, aut tempus conficiendis navibus terere cogeretur. His rebus ad Thrasimenum gestis, Antriam populosum oppidum oppugnatum cum exercitu profectus, dum quæ oppugnationi usui forent, comparat, Legati Perusinorum ad eum venerunt. In his erat Cinellus ex Brachii natus matertera, qui jàm prope centesimum natus annum ætatis sensum, & prudentiam, & memoriam retinet. Legatio erat nomine; ceterùm re ipsa belli dilationem, donec Carolus, quem omnia parare ad bellum audiebant, cum suis adventaret copiis, agitabant. Legati multum de pace agere, sermones longos de industria quærere, spem magìs quàm concordiam præseferre; denique omnia, quæ tardare hostium possent impetum, simulabant. Brachius quòd dari sibi verba intelligebat, ipse quoque de pace agentes studiosiùs audire, bellum tamen interea non intermittere. Nec dum discedentibus legatis facto propter Urbem transitu cum omnibus copiis Tiberim amnem trajecit. Vix ad alteram ripam vexilla pervaserant, quum Torsianensium Legati occurrerunt, orantes, ut oppidum olim suum reciperet in potestatem. Non se sponte sua, sed obsidione diuturna coactos ad hostem defecisse. Postridie quàm Torsianum est receptum, Legati Tudertinorum in castra venêre, atque Urbis, quam Rex olim oppugnare non poterat, deditionem fecere. Tanta Urbe recepta in potestatem, Brachius exules omnes, quos superiore seditione ejectos dicebam, in Patriam reduxit, arbitratus id, quod erat futurum, revocatos beneficio suo diutiùs in fide mansuros. Hac re vehementer permoti Perusini, nimiam Regni accessionem, & hostis quotidie auctas opes metuebant; jam eò potentiæ ventum intelligentes, ut etiamsi omni agro pelleretur, nimis proximum habiturus foret receptaculum. Unde ut vi pelli non posset, sic exhaustum bello Perusinum Populum invasurum, & agrum quotidiana vexatione depopulaturum. Tum suas vires adeò attritas esse, ut si jam conducti milites resisterent hostium ferocitati, non tamen tantum exactionum diutiùs pati posse; redivivum futurum id malum, quum hostis etiam pulsus agro, non ampliùs quàm viginti millia passuum procul mansurus esset, atque inde perpetua clade Urbem, agrum, itinera infestaturus. Hæc quum inter cives agitarentur, non minor, quàm si eorum mœnia intrasset hostis, pavor & trepidatio cunctorum invaserat mentes. Una spes erat adventantis exercitus, si uno prœlio bellum omne conficeretur. Nec dubitabant hostem numero longè imparem, aut non venturum in certamen, aut si veniret facilè à multitudine profligatum iri. Repetebant qui rerum eventus essent, quæ fortuna belli. Si aut victus hostis effugeret, aut pugnam non caperet, magnam tamen restare molestiam. Sin profligatus fortè caperetur, omnia in tuto atque in portu fore. Hanc unam exstare tranquillitatis ac pacis spem. Interea legatos iterum, qui eâdem, qua superiore legatione, viâ hostem eluderent, mittendos placuit. Brachius legatis respondit, illos maximè stultos esse, qui alienæ confisi stultitiæ, solos sese sapere arbitrarentur. Jampridem cognovisse, quid eiusmodi legationes pacis bellique afferrent: sibi unam esse hanc, fuisseque sententiam, non aliter bello discessurum, quàm si exules in Urbem revocarentur. Scire quantum auxilii Cives exspectarent, eamque ob rem belli dilationem quærere, sed exspectarent sanè quam vellent, aut sibi pro suis moriendum esse, aut in patriis sedibus repositurum miserrimos Cives. Hæc quum dixisset præsentibus legatis classicum cani jubet, armatoque statim milite ad oppugnandum oppidum Bastiam, quod est in agro Assisiatium, proficiscitur. Eunti in itinere Vectoniensium legati cum muneribus congratulatum occurrêre. Accepti sunt perbenignè Vectonienses, qui quod oppidum haberent magnum ac montuosum, & naturâ, situque egregiè munitum, & Perusino imminentes agro Chiasio amne, qui eorum fines secat, transitum & aperire, & claudere pro arbitrio possent. Adeò Optimatium faverant partibus, ut maximis primùm solicitati præmiis, deinde anniversario incendio & populatione agrorum vexati, numquam à nobilitatis societate deficerent, & Torsianum à Civibus obsessum commeatu, & aliarum rerum supplemento juvarent; idque operâ Crispolitorum factum, qui inde oriundi eòdem in exilium acti oppidum in fide per extrema & difficillima quæque tenuerunt. Inter hæc Perusini legationibus elusuri hostem, tertiùm misêre legatos, qui nihil aliud agere potuerunt, nisi quod pacis, quam aut quærebant, aut simulabant, spem sublatam reportaverunt. Ultima Ducis fuere verba, si alia conditione quàm de recipiendis exulibus post id ejus castra ingrederentur, legationis jura violaturum, & pro hostibus, non pro legatis habiturum. Motis deinde castris, propiùs quàm umquam antea ad Urbem

bem consedit, paulòque post levi ad Civitatis portas nequicquam commisso prœlio, partem copiarum Corcianum, quod oppidum situ munitissimum esse monstravimus, obsessum dimisit. Oppidani, qui gravissimam oppugnationem magnis sustinuerant animis, obsidionem pari non potuere. Facta deditione, Antria, Misianum, Mantinianum, quæ reliqua ex omni agro præter pauca admodum hostibus superfuerant, ad Brachium defecere. Denique centum viginti Oppida, & octoginta Vicos redegerat in potestatem.

Jam solam Urbem bella respiciebant, nec erant ampliùs dividendæ copiæ, exercitusque diminuendus, ad unum locum universis intentis viribus. At Cives undique obsessi non modò continebant se mœnibus, sed exteriores portas latissimo clauserant muro; & jam toties oppugnatam Urbem sic perterritam fecerat hostis, ut ne custodibus quidem portarum, qui pro stationibus & propugnaculis vigilare consueverant, credere se auderent. Nam Civitatis varia erant studia, diversæque Civium voluntates. Alii domi potentes & factiosi, quibus de vita & sanguine erat dimicatio, quotidie dies atque noctes in armis esse, nec quicquam magis quàm insidias proditionemque timere. Hos plerique postremæ fortunæ homines, prædis, rapinisque publicis assueti sequebantur. Sed nec hi tam acri erant ad bellum animo, quos victos, victoresve ut multum rapinarum, ita nihil periculi dignitatisque maneret. Alii erant boni & æqui amatores, domi opulenti, pecuniosique, contenti suis artibus. Hi nec arma nisi coacti capiebant, nec belli hujus exitum magis quàm bellum ipsum extimescebant. Quorum majores sua quisque studia secuti civilibus dissidiis, domesticisque cladibus abstinuerant. Ab his pecuniæ exigebantur; his stipendia conducendo militi extorta, nec ulla re magis quàm domestica vexati tyrannide, pacem, quam verbis petere non licebat, animo avidissimè cupiebant. Ultimum erat genus, quorum majores nobilitatem secuti, quòd aut frigidiusculè factionibus studuissent, aut affinium & propinquorum ope freti in exilium ejecti non essent, in Civitate remanserant. Sed nec magistratus gerere, nec dignitates, civiliaque munia obire poterant. Ii erant, qui maximè omnium suspecti habebantur etiam ab illis ipsis, qui ne in exilium præcipitarentur, affinitatis jure effecerant. Quippe illa tempestate unis in tectis, una in familia, vel à parentibus liberi dissentiebant de vita & sanguine. Inter tot diversa Civium studia etsi potentiores erant, qui armis, clientelisque, quàm qui suis artibus viverent, aut qui alieno essent animo, tamen metus & suspiciones undique in Civitate versabantur. Alios imperii solicitudo suspensos tenebat. Alios fortunis exinanitos assidua exactionum magnitudo terrebat. Alii, ne quid suspicionis aut esset aut conflaretur, summum periculum, atque ultimos cruciatus metuebant. Multorum erat timor, ne auctores rapinarum, quorum ipsi ductu raperent, spoliarentque aliorum fortunas, imperio dejicerentur. Hæ res effecerant, ne cuiquam portæ Civitatis, nisi muro crederentur. Brachius ubi videt tantum pavoris, ac trepidationis invasisse Urbem, etsi intelligebat unicam spem Civium in Caroli adventu esse repositam, nihilo secius, quo magis aut perterreret attonitos, aut sperantes in certamen provocaret, cum quadringentis equitibus, trecentisque peditibus, ad muros Civitatis sese ostendit, pugnamque milites postulaverunt. Cives, ut est ea gens totius Italiæ longè bellicosissima, quum portis egredi nequirent, muris qua parte pressiores erant, cum armis se se jacientes, ad pugnam animis pleni desiliebant. Magna corruente multitudine acerrimum initum est prœlium. Cives etiam illi ipsi, quibus bella displicebant, studio pugnandi, & gloriæ, ac laudis æmulatione trahebantur. Qui muris hærebant dispositi, propugnaculis lapides ac tela conjiciebant. Multi utrimque vulnerati, desiderati etiam nonnulli. Brachius reducto nec victo, nec victore exercitu, quum aliquot militum vulnera subito livore intumescerent, comperit tela quædam mortifero tincta, atque oblita medicamine. Eamque ob rem mittit, qui ad Rectores Civitatis tela ipsa deferrent, simulque nuntiarent, ne belli jura violarentur; alioquin sibi quoque consilium non defuturum. Insuetam hanc pugnæ speciem Italicæ genti, & ne cum barbaris quidem hoc modo solere dimicari. Decem viri (tot enim præerant Civitati) statim decernunt, si qui eo genere telorum usus fuerit, capitali supplicio esse damnandum. Ad Brachium respondere, ejus rei se ignaros esse, non placere sibi nec gentium, nec belli jura violari. Et quoniam controversia esset de Civitate, contentos esse rem suam non magis aliena pernicie, quàm salute sua defendere. Præconio deinde edici jubent, qui veneno tela tinxissent contra Rempublicam esse facturos; quo crimine nullo apud eos majore animadversione & supplicio dignius. Dum hæc geruntur, Brachio per speculatores significatum est, multum copiarum ab Ariminensibus coactum esse: Carolum Malatestam Civibus auxilio venire; ducere in armis equitum duo millia, peditum mille & septingentos. Jam in fines Asisiatium pervenisse. Esse cum illo in exercitu Angelum Pergulensem, & præterea ductores alios non mediocris in re militari auctoritatis. Hac re nuntiata per alios exploratores, quos consuetudine sua latè dimittebat, certior fit, Ciccholinum præterita nocte cum mille equitibus, totidemque peditibus ad Spellum, quod & ipsum est Umbriæ oppidum consedisse, & fama increbruerat, non priùs inde moturum, quàm copias junxisset cum Caroli exercitu. Huc addebant Paulum Ursinum in itinere esse, jam Narem flumen esse trajectum. Brachius tot simul rebus nuntiatis, adoriri singulos hostium Duces instituit, ne si cum universis confligendum esset, nimium discriminis ac periculi subire, militesque à multitudine circumveniendos ad cædem non ad pugnam objicere cogeretur, citato statim milite, quod maturandum sibi quammaximè intelligebat, sub occasum Solis movit exercitum, multoque ante primam lucem tota nocte in itinere consumpta Spellum pervênit. Hostium pedites stativis circa portas ac muros crebri stipatique consederant. Fit nocturnus impetus in somno gravem hostem. Tum verò quantum subitæ res momenti habeant, quamque mortalium animi terreantur maximè

mè patuit. Primo sublato clamore trepidus hostium peditatus non arma capiendo, sed huc illuc fugiendo latitabat. Non ordinem, non Ducem, non signa sequebantur, sed quà propiores essent portæ, in oppidum se perterriti recipiebant; arma, vestes, tela passim relicta, pleraque in ipsa fuga trepidis elapsa, atque humi jacentia calcabantur. Interea Ciccholinus auditâ suorum fugâ, ubi de hostium adventu cognovit, equitatum, quem omnem, ne agri pabula vastare, aut frumentum noctu asportare milites possent, intra oppidi mœnia compulerat, extra portas composito educit agmine. Sed quo magìs res erat improvisa, eo minùs explicare aciem, proculque à mœnibus procedere audebat. Qua re cognita, Brachius tripartito agmine tertiam partem copiarum obliquo tractu clam ad occupandas portas, hostemque intercludendum dimittit. Ceteris copiis à fronte atque à latere invasurus hostem. Nec consilium se fefellisset, nisi oppidani, qui videndi studio ad mœnia confluxerant, & quantum nox permitteret, prospiciebant, Ciccholino iter obliquum hostium nuntiassent. Ille reducto ad portas equitatu, ne circumveniri posset, intra prima oppidi munimenta se continebat. Mox provocatus, ut fit, ad pugnam, levi commisso prœlio, paucisque ex suis amissis intra mœnia compellitur. Hæc victoria, quamquam minor spe fuit, peditatus tamen direptione insignis est habita. Brachius, quòd ex captivis cognoverat, omnes hostium copias in Asisiatum finibus conventuras, quod ubique erat virium, unum in locum coëgit, sperans Pauli Ursini adventum tardiorem fore; ceterùm Carolum animo esse vasto, & ad gloriæ cupiditatem, quàm periculi metum cogitandum procliviore, minimè exspectaturum Pauli adventum existimabat. Hoc consilio ne hostibus quominus conjungere exercitus possent, impedimento esset, in sua castra revertitur, sperans conjunctis copiis in prœlium, quòd peditatu & equitatu prævalerent, esse venturos. Postridie ejus diei hostis uterque ex diverso Asisium conveniens, castra exercitus conjunxere. Perusini ubi primùm de auxilio est nuntiatum, subitâ lætitiâ privatim publicèque affecti, portas jampridem muro septas aperiunt. Mox turribus, mœnibus, palatio, privatis etiam ædificiis, luminari flamma distinctis, quo signo magnis prosperis in rebus uti consuevimus; se quoque ad pugnam parant, juventutem conscribunt, arma, telaque expoliunt. Videres seipsos hortari, atque excitare, muta jampridem consilia, magno celebrare plausu alterum alteros gestienti similem intueri, & qui minùs lætus ex ea re esset, eum plus lætitiæ simulare. Brachius in castra reversus, Tartaliâ ceterisque præfectis militaribus ad se vocari jussis, edicit ut omnia quæcumque committendo prœlio usui forent, quamoptimè possent, compararent; proximam instare pugnam, aut hujus belli, aut utrumque futurum sit, laborum atque exilii finem. Ipse quum ad multam noctem vigilasset, tabernaculum solus ingressus, multa secum cogitasse dicitur. Occurrebat animo duplicatus hostium exercitus, duplo suis copiis major. Pauli etiam adventus, qui si antequam confligeretur, advenisset, futura in hostium exercitu equi-

A tum quinque, peditum ferè totidem millia. Tum Populum Perusinum magno numero, majoribusque animis pugnæ interfuturum. Jam nunc nondum victis insultantem, & pœnæ citra externam opem suis viribus parem se facere. Bellandum esse alieno loco equos suos in acie & diuturnitate belli confectos; hostium robustos atque integros, & nunc tamdem hybernis exeuntes tum aut pugnandum sibi esse, aut agrum totum amittendum. Nihil alienius esse, quàm præsidiarias manus per oppida disponere; campum hostibus liberum patentemque relinquere. Nam ut hostes non oppugnarent, fame tamen esse pereundum.

B Huc accedebat bellicæ rei gloria, invictumque ante id tempus nomen; si hosti cederet magnam famæ suæ, ac nominis esse jacturam: nihil paulò ante fundato imperio periculosius. Quòd si belli discrimen vellet adire, facilè unum à tribus circumveniri ac vinci posse. Quæ res multo cunctatiorem ad bellum faciebat. Repetebat quàm esset varia atque anceps fortuna belli, nec quicquam magìs, quàm ne superiorem fœlicitatem nova fœdaret calamitas, metuebat. Hac tam ancipiti cura districtus totam noctem insomnem egisse, etiam ipse confessus est. Ceterùm ut sæpe ex longa cogitatione sana & matura consilia, porrò ex consiliis pulcherrimi rerum

C exitus oriuntur, multis ultro citroque unam in rem collatis, placuit omni, qua posset, via priùs bello decernere, quàm tot simul hostium copiæ jungerentur. Hoc ut facere posset, quòd ubique erat militum, equitum, peditumque unum in locum coacto, omnibus dimissis impedimentis in latè patentes campos, quò hostis erat transiturus, composito atque instructo pergit agmine. Planicies longè magìs, quàm latè jacens à flumine Tiberi, qui à Septemtrione defluit in Meridiem, recto tractu ad Orientem in Asisiatum pertinet fines. Non procul à flumine hinc collis, inde Sanctum Gilium, parva

D oppida à latere prominent, quo fit, ut cetero tractu planè patentes campi hoc in loco paululum devexi demittantur. Qua verò à Meridie in collem attolluntur, parvis, sed tamen frequentibus arbusculis increvit silva. Idibus Juliis Brachius huc omni traducto exercitu non longè à Tiberi flumine, quà hostem non multo post transiturum existimabat, consedit. Aciem non in cornua veterum consuetudine, sed novo atque inusitato genere pugnandi, quo post illud tempus usi sunt omnes, in plura consertaque divisit agmina. Unicuique agmini suus est ductor. Quadrati agminis caput appellant. Primus enim prœliari turmatim instituit, ante quem

E non singulis primùm, & modicis cohortibus, sed toto simul exercitu res cornu, atque alâ gerebatur. Igitur omnibus equitum turmis in ordine quamaptissimè collocatis, pedites raros interjecit, hisque imperavit, ut equitibus adessent, illos observarent, nusquam oculos ab illis flecterent, excitarent cadentes, vulneratos susciperent, hastas pugnantibus administrarent, pocula circumferrent, & quum commodè potuissent, hostilium equorum ilia suffoderent. Rebus sic peractis, mittit qui è proximo oppido dolia, cados, & varii generis ingentia vasa perferrent: quæ accitis statim mulieribus ad aquam

è flumine deportandam media post militum ordines collocavit. Quæ res vel sola victoriam præbuit. Quod eo fecit consilio, ne ardore Solis bellique labore defessi, milites ab ordine discedere, respicereque ad Tiberim cogerentur; ratus id quod postea evênit, hostes propter anni tempestatem Solis æstum nequaquam diutiùs esse passuros, sed belli simul labore fatigatos ad Tiberim octingentorum passuum intervallo decessuros. Hæc ubi sunt peracta, paululum temporis permoratus, procul inde quatuor millium spatio venientium hostium agmina conspexit, quorum paulatim appropinquantium arma Solis splendore percussa fulgebant, & pulvis veluti fumus latè exsurgens nebulæ speciem ostendebat. Aspiciebantur jam compositæ parataeque prœlio cohortes, quæ vel spe prœlii, vel ut Civibus quaminstructissimæ bellicosissimæque viderentur, magnificè se ornatissimèque distinxerant. Brachius ubi videt hostem pugnæ intentum procedere, veritus, ne magna vi Populus auxilio veniret, peditibus aliquot ad occupandum fluminis pontem dimissis, ceterum exercitum in acies plurimas distributum circumiens hortabatur. Aliquæ erant exulum cohortes, quibus Malatestam Balionium Pandulfi, quem à Plebejis trucidatum diximus, filium præfecerat. Ad eas ubi hortando pervênit propior factus, in hunc modum locutus fertur. „ Poteram, „ *inquit*, viri, utinam dicere liceret, Perusini, & calamitate vestra, & hostium injuriâ contentus esse, nec eos verbis hortari meis, quos dura sua excitare debeant „ facta. Tertius hic & vigesimus agitur annus, quo nos ejecti Civitate, vagè miserèque acti, nec cœlo nec terra stabilem sedem habere potuimus, nulla re quàm longâ fugâ tutiores. Tamdiu etiam parentes nostri multi jacuere, quòd injurias ut ipsi non sentiant; nos recordari sinè maximo gravissimoque animi dolore non possumus, nisi nostra mala paternas injurias superavere. Nec facilè quisquam aliena incommoda recordatur, quem premunt sua. Equidem memoriâ teneo plurimos ex vobis, quum exilii mala comploraremus, dicere solitos, sæpe sibi de morte esse cogitatum. Nec quisquam est nostrûm, cui tam misera, & laboriosa vita non morte fuerit acerbior. Nam ut omittam patrium cœlum, ut affines, cognatosque nostros, qui non parum nobis possunt afferre desiderii, quid per vestram fidem miserius dici potest, quàm tot vix spiritu sustentatos annos, non potum, non cibum sumere, non dormire, non vigilare sinè perniciosissimæ mortis suspicione potuisse. Quoties nos insidiis, quoties veneno tentati sumus? Ubi gentium paulò diutiùs commorati, ut non statim missi sint, qui capiti, vitæque nostræ insidiarentur, pretium nostri sanguinis accepturi? Ex oppidis in oppida, è regionibus in regiones fugere magìs quàm migrare compellimur. Adeò nullo malo nostro contenti perniciem, quàm exilium malunt. Qui parentum quoque nostrorum sanguine ac cædibus sunt cruentati. Pudet dicere, quæ pati miseros oportuit. Quum patriis ejecti laribus, Civitate ferro præcipitabamur; quum parentes nostros medio in „ foro crudelissimè, immanissimèque trucidatos, alios deformatos naribus, alios manibus, pedibusque articulatim cæsos ac mutilatos relinquebamus. Quanto majore effugimus numero, quàm nunc sumus? Ubi sunt illi ipsi, quos fugæ atque exilii duces habebamus? Id à me si quæritis, alii inopiâ & fame, veneno alii, nonnulli mœrore atque ærumna perierunt, quorum exilium hoc fuit miserius, quòd in patria vel ab inimicis, qui occidissent sepeliri potuerunt. Nam ut viventibus multi, sic morientibus invidit nemo. Sed quid ego aliorum mala commemoro, quasi verò desint nostra, nec pari nos jactemur tempestate, paulò post iisdem exilii fluctibus interituri. Beatum illum ac lætum juventæ florem insueti generi, fortunæque nostræ labores excusserunt militares annos, & pugnacem ad hunc diem ætatem, quam adhuc celeri labentem passu retinemus, paulò post etiam ocium & quietem nacti erimus, senectus absumet. Ubi jam exhausta viribus & sanguine effœta reponemus corpora? Ubi moriemur tamdem miserrimi exules? aut quibus ossa nostra sepelienda demandabimus? Hæc tam acerba & diuturna mala si, ut sunt, ita vobis gravia atque aspera videntur, non dubito virtute vestra evitari hoc die posse uno momento. Et parentum nostrorum umbris satisfecerimus, & saluti nostræ, quam tot variæ procellæ, & tempestates agitaverunt, consulemus. Sit satìs hactenus fuisse miseros, jugum illud tamen grave nostri exilii, ut patienter ad hoc usque tempus pertulimus, ita nunc fortiter excutiamus, ne nimis didicisse miseros esse, & nati ad exilium, non ejecti videamur. Quousque inimicos nostros tot scelerum impunes, ac lætos esse & parentes nostros inultos jacere patiemur? Satius est injurias ulciscendo mori, quàm vitam eas negligendo retinere. Nam qui sic moritur, tunc etiam ulciscitur, quum moritur. Quo quid potest esse in miseria pulcrius? Contra verò qui negligit tamdiu acceptas auget injurias, donec earum testem vitam retinet. Nihil animo magno & fortia atque præclara cupienti potest esse pulcriùs, quàm injurias, ubi patientiæ modum excesserunt propulsare. Quem non natura solùm ad vindictam armavit; sed etiam excitavit ad gloriam. Aliud est quærere gloriam, aliud ignominiam propulsare. Illud honestè sæpe non curamus; hoc sinè summo dedecore & turpitudine non curare non possumus. Quòd si gloriæ cupiditate, & majorum ultione non tangimur, quoniam gravia quæ sunt usu fiunt atque assiduitate leviora: nostra tamen necessitas impellat ad bellum. Sin tot mala perpeti æquo possumus animo, liberis nostris, quos media in fuga peperimus, aut si Dii volent, in Patria pariemus, consulendum nobis est. Quòd si hoc fortasse veremini, ne nimis severi ultores futuri simus, missas parentum faciamus injurias; saltem nostra tecta, nostros lares, prædia & sepulcra nostra repetamus. Quamquam quæ satìs severa ultio iis; qui avos, qui parentes, qui germanos nullâ causâ interfecerunt; qui nos è nostris laribus cubili- „ bus-

„ busque nostris ejecerunt, qui jampridem inopiâ & fame pereuntibus domos atque agros eripuerunt? Veremur, ne nimis magnam iis injuriam faciamus, qui nostris injuriis non contenti, vi, fraude, ferro, veneno usquequaque vitæ capitique nostro insidiati sunt. Quotusquisque est mortalium, si pugno ictus, si paulò conviciosiùs aures appellatæ, qui non irâ statim incensus, gladium perstringat? Sed multo major injuria nostra est. Utinam patientiæ locus foret, & quos habuimus offensores, iisdem petentibus veniam dare possemus. Sed nec illi sui sceleris atrocitate petere audent, nec nos, si peterent, ignoscere paternæ pietatis jura paterentur. Majus est illorum scelus, quàm quod ignosci à nobis queat. Sed quid hæc loquor, quasi illa de venia impetranda, non de calamitate accumulanda cogitarent? Agrum omnem vastavimus, Thrasimeni oram etiam illam navigabilem recepimus in potestatem. Oppida cuncta, quæ munierant, aut vi nos subegimus, aut illa sua sponte in ditionem devenerunt. Montuosa & asperrima situ castella ad nos defecere omnia. Urbem ut nos quietem aut aliud ageremus agricolæ obsiderent, non pedem efferre, non portas aperire audent. Videte, quæso, indebilem pertinaciam. Num de recipiendis nobis vel unum fecere verbum. Misere illi quidem legatos, sed quid aliud legati quàm verba dare belli dilationem quæsierunt? Quid facturos putatis, si hinc victi vagè, sparsimque diffugerimus? Quos intra mœnia nostra coërcitos mitigare nequivimus; eos nobis fugientibus pacem daturos existimamus? Credite mihi, aut hodie vincendum est nobis, aut victis miserè in exilio moriendum. Nihil dico de gloria; nomen ipsum admonere nos potest quamdiu exules fuimus, nihil tam ignominioso titulo splendoris esse potuisse. Affinitates & conjugia, quæ antea finitimis dare negabamus, nunc ignobilissimus quisque fastidit; adeò nostræ fortunæ, nostri aspectus omni genti sordere. Semper ne igitur extorres exulabimus? Semper fame atque inopia excruciati in miseria & calamitate versabimur? Et quis erit laborum finis, si etiam fugientibus pro capite arma ferre opus sit? Hoc illud est tempus in quo modico brevis horæ discrimine, perpetuum nobis paratum est otium. Si hodie nostris utemur dextris, reliquæ vitæ non nostræ solùm, sed liberorum, nepotumque nostrorum consulemus. Nec est ea ratio exules, ut meliorem belli occasionem futuram sperare possimus. Hodierna pugna totius belli finis erit, & oppida quæ cepimus & Urbs ipsa victorem sequetur. Nulla jam nec nobis, nec hostibus auxilia operienda. Quod habent virium, id hodie in ultimum belli discrimen adduxerunt. Quod mearum fuit partium, dedi operam, ut quamæquissimo loco antequam hostes cum urbano delectu conjungant, cum dimidiis eorum copiis prœliaremur. Amnem videtis interclusum, si sitim extinguere pergant hostes, ferro iter erit aperiendum. Nam ut acri pugnent animo, id curavi, ut non cum solis vobis esset illis, sed cum ardentissimo etiam æstu dimicandum: Omnia nobis, Diis gratias, opportunè provisa sunt. Delectus locus, constitutæ in ordine acies, parata quæ fatigatis succurrant. Pedites vestro præsidio intermixti; nihil nisi vestros nutus, vestros oculos intueri jussi sunt. Jam & mulieres, ne Solem timere possitis, auxilio præsto fuere. Si pares tantis apparatibus adhibeatis animos, nos certè vicimus exules. Quid etiam si hæc gravissima forent? necessitas nos cogeret pugnare, si non ipsa voluntas impelleret. Patiemur nos ignobilissimum quemque regnare domi? Patiemur abjectissimam plebeculam nobilissimæ imperitare Civitati? Domos nostras sanguine parentum nostrorum cruentatas ab iis ipsis teneri, qui occiderunt? Equidem sæpe audivi, qui violenta & manu illata morte perierunt; eorum umbras circa domos ac tecta volitare, conari sæpe vocem & piacula exposcere. Quid si parentum nostrorum umbræ suas domos circumerrent, quos aspicient non interfectores suos? Quid audient? non quotidianas exsecrationes? A quibus piacula & parentationes expostulant? num ab iis, qui se nefariis manibus interfecerunt? Opem exspectant vestram, non qui ceciderunt solùm, sed quos ludibrio inimici in Urbe retinuerunt, affines & propinqui nostri. Quibus quid potest esse miserius, alienum atque inimicum vultum sumere, ubi doleant gaudere, ubi gaudeant, dolere coguntur; adeò libertatem animi quæ communis est omnibus dissimulare miseros oportet. Nihil dico de Magistratibus, nihil de divitiis & libertate civili, nihil de contentionibus urbanis. Jampridem memoriâ exciderunt honores & dignitates, quas continuè apud inimicos intuentur. Cogitate quantum acerbitatis. Nam nobis quoque idem est malum, nisi fortasse minùs doleat, qui injuriæ suæ auctores non semper habet ante oculos, quàm quibus præsentes metuendi, sustinendique sunt illi, qui domos nostras frequentare solebant; direpti, spoliati nihil nisi dextras exspectant vestras: qui comitari parentes nostros, qui cum illis Rempublicam gerere, quorum magna pars ferro absumta est. Quas porrigere preces, quæ vota facere, quàm occultè tendere vobis timidas manus arbitramini? Suspicite, quæso, illa in quibus nati sumus mœnia, quàm cupidè hodie vos exspectent. Quæso item introspicite; videte illa interiora templa, illic patrum matrumque vestrarum jacent ossa. Quid illa privata nec tam eminentia ædificia? Ibi nati, ibi qui per hostes adolescere non licuit, primis in cunabulis educati sumus. Quàm amicè nos videntur acclamare & implorare opem nostram. Quid dicam illos supremos colles? Quid hos campos, quibus etiam pueri versabamur, & hunc ipsum Tiberim, tum hoc patrium cœlum, quod in hanc lucem educti hausimus, quampulcrè ad bellum contra inimicos invitant. Ubi aut gloriosiùs vincere, aut honestiùs sepeliri poterimus; unde fugere turpius? Porrigite mihi dexteras vestras mei cives: nam sic auguratur animus. Per has ego vos appello, in quibus victoria nostra sita est, ut hodierna die pulcrum

A
„ facturi facinus pro vestra Patria, quam
„ videtis ante oculos, pro vestris tectis, ve-
„ stris incunabulis atque fortunis, pro pa-
„ rentum gloriosa vindicta, pro salute &
„ dignitate nostra, denique pro hoc ipso
„ nostro tam pulcro, tam nobis amico coelo,
„ ita fortissimè dimicemus, ut aut fortiter
„ vincendo, aut honestè moriendo, perpe-
„ tuò in nostris, parentumque nostrorum
„ quiescamus sedibus.

Hæc dicenti, una reddita est omnium vox: Se aut vincere hoc prœlio, aut mori statuisse. Eas acies Brachius, quòd in his plurimum confidebat, primo loco post Tartaliæ aciem constituit. Singulis in ordine collocatis ad militum agmina progressus: eos quoque hortandos ad bellum, incendendosque pro periculi magnitudine arbitratus, ita disseruit:

B
„ Quum belli varia pericula cogito, mili-
„ tes, quæ me duce superastis, omnia tanta
„ mihi virtutis vestræ recordatio occurrit,
„ ut nihil novi negotii putem expetendum.
„ Satis erit pristinæ virtutis admonuisse.
„ Ejus hodie, si ut spero memineritis, victo-
„ ria in manu est. Exhibete mihi, quæso,
„ illas victrices dexteras, quibus me ad Pi-
„ centes pauci à plurimis defendistis. Qui-
„ bus Cingulanum Populum compulistis in-
„ tra mœnia; quibus Faventini, qui transi-
„ tum per suos fines facere prohibebant,
„ altiùs quàm vellem cecidere, quibus Romæ
C
„ Regem pugnâ, Gallos virtute, omnes glo-
„ riâ superastis. Non dubito, qui fortissimas
„ gentes vicistis, ne ignavissimam non su-
„ peretis; nec vos armorum deterreat vanus
„ fulgor; quæ paulò post vestra futura sunt.
„ Illi clypei, illæ hastæ, quas procul venien-
„ tes intuemini, hostium fugæ non vestræ
„ victoriæ impedimento erunt. Gens imbel-
„ lis & domesticis emollita delitiis, quam
„ nimis imperiosus Dux ad numerum, non
„ ad pugnam domo excivit, multum prædæ,
„ nihil periculi affert, ut nos negligentiùs
„ pugnemus. Aciem nostrorum oculorum
„ diutiùs ferre non poterunt. An verò quid
D
„ nomen valeat, ignoratis? Tremere nunc
„ hostem sub armis non sua magìs ignavia,
„ quàm fama vestra cogit. Tot magnificè
„ gesta prœlia, tot illustres victoriæ, tot ex-
„ pugnationes, quibus ante hanc diem in-
„ victi reputamini. Non latent in angustiis
„ milites, sed cunctam Italiam, omniumque
„ hominum animos pervagantur. Et qui ti-
„ midè accedit ad prœlium, de fuga cogi-
„ tat, non de victoria sperat. Quid putatis
„ facturos hostes? quorum alii bellorum in-
„ suetudine, alii famâ vestrâ omnes perter-
„ riti, omnes à liberis & conjugibus evulsi
„ ad domos suspirant. Nec magìs vos mili-
E
„ tes primam in frontem progrediemini stu-
„ dio bellandi, quàm illi ad terga suorum
„ fugitabundi delitescent. Veterani, si qui
„ sunt hostium milites, quos ille per oppida
„ disjectos uxoribus enervandos, exhaurien-
„ dosque dispersserat, desueta jam bello sunt,
„ & longo otio soluta corpora nequicquam
„ nostris cicatricibus, & duratis callo lacer-
„ tis congressura. Quæ ut minùs à nobis
„ prœlio vexentur, sitis atque æstus absumet.
„ Equi eo robustiores sunt, quo magìs exer-
„ citi. Nec Solem facilè patitur, quem diu-
„ turna complexa est umbra. Tum magnum
„ pugnantibus incitamentum præda est. Opes
„ nostræ quàm angustæ sint, ne ipsi quidem
„ ignorant hostes. Galeam, loricam, thora-
„ cem, ocreas, tela, equos, hæc nobis eri-
„ pere victores possunt. Hæc sunt quibus
„ discrimen belli, ne ipsi quidem, qui bello
„ vivimus, putaremus adeundum. Quid ho-
„ stes quàm longa pace, quàm recenti expe-
„ ditione atque apparatu opulenti? Non no-
„ bis cum armis atque equis est bellum,
„ quos spoliatis auferamus. Pro captivis re-
„ dimendi erunt, quos ceperimus, non pro
„ militibus dimittendi. Superiore Gallico
„ bello una excursione octoginta millia num-
„ mûm prædæ pretium accepimus. Quid ex
„ tot simul captivis sperare debebimus. Nam
„ arma illa procul micantia magìs sunt or-
„ nata quàm firma. Delecta ex oppidis ju-
„ ventus phaleris atque armis tota nitet;
„ ceterùm animis ingens trepidatio & pavor
„ officit. Quas opes, Dii immortales, quæ
„ vasa argentea, quantas pecunias Ariminen-
„ ses longa pace congesserunt! Ii sunt, quos
„ jam non longè aspicitis, veluti ad nuptias
„ molli apparatu venientes. Stringite modò
„ gladium: nihil dubito profugituros. Nec
„ enim Ariminenses Faventinis finitimis suis
„ fortiores erunt. Idem tractus terræ, ea-
„ dem ora est, nisi quòd isti longiore otio
„ torpuerunt. Quanta cædes Faventiæ facta?
„ Quàm nullo prœlio tot millia hominum
„ fusa fugataque sunt? Quum ad Pisaurenses
„ penetravimus, quantum prædæ in Arimi-
„ nensi actum? quàm nihil ausi sunt graves
„ prædâ, impeditosque invadere? Quid nunc
„ animi habituros putatis alieno solo pro
„ alieno imperio bellaturos cum iisipsis, qui-
„ bus suis in sedibus pro suis fortunis con-
„ gredi non sunt ausi? Non facilè exsurgit,
„ qui semel dejectus est, animus. Nam de
„ multitudine quid attinet dicere? Fato quo-
„ dam nostro fit, milites, ut numquam pari
„ numero congressi sumus. Et vos jampri-
„ dem vincere multitudinem didicistis. Te-
„ stis est Michilettus, testes isti ipsi Arimi-
„ nenses, & Faventini; quo majoribus,
„ quàm nunc sunt, copiis Camerti agro,
„ Fabrianensique fugavimus. Testis hic ager
„ Perusinus, ubi quum multi uno in exer-
„ citu Duces convenissent, subitò conspectu
„ nostro ad Tiberim defugêre. Testis, ut
„ alios taceam, potentissimus Rex Aretio
„ fugatus, Romæ devictus, Sorâ pulsus ve-
„ stra virtute, milites. Nam alii, quid opis
„ tulerint, non est necesse aliena facta com-
„ memorare. Diis gratias, eo animorum
„ ventum est, ut multitudo contemtui sit
„ vobis, paucitas verecundiæ. Nam ii ipsi,
„ qui nullâ injuriâ nisi militari lacessiti à no-
„ bis contra nos aliena capessunt bella, sæpe
„ quid vestræ dexteræ valeant, experti sunt.
„ Quo magìs eorum Ducis pertinaciam de-
„ miror, quem toties cognita pericula ter-
„ rere non potuerunt! Volumus transire ad
„ Gallos. Iter per Ariminensem impediebat.
„ Pisauro cum præda revertebamur; præsto
„ nobis à tergo, à fronte, ac se ac militem
„ objecit suum. Patriam recuperare conten-
„ dimus; videte quàm importunè sese inge-
„ rat nobis. Nimirum hic sanguinem sitit
„ nostrum, qui etiam invitos suos trahit ad
„ alienum bellum, & exilium meum pro re-
„ gno habet; quo in bello lapides, si pos-
„ sent, aliquid mihi ferrent auxilii. Hic
„ unus

„ unus ex omni Italia est infestus. Quæ tam-
„ dem ista est immanitas? Si quis togâ ac-
„ ceptos suum in prædium divertere nos ve-
„ taret, quantam facere videretur injuriam?
„ At hic ne ad Patriam, ne ad propinquo-
„ rum, amicorumque amplexus accedam,
„ nefariis obstat armis. Et quo pacto me vo-
„ bis eripiat, inimico venit animo non ho-
„ stili. Defendite me ab inimicis, milites,
„ qui toties ab hostibus defendistis. Si um-
„ quam fortiter pro mea dimicastis gloria,
„ nunc per invictas, me duce, dexteras oro,
„ pro mea vita, pro meo sanguine, pro mea
„ illa, quam suspicitis, Patria multò fortis-
„ simè dimicetis. Ex opulentissimo hoste in-
„ gentem prædam, ex me digna vobis re-
„ portaturi hodie præmia. Reponite me
„ meis domibus, quem tamdiu errantem se-
„ cuti nullo in periculo deseruistis.

Hæc dicentem magnus vibrantium clamor interpellavit, nec umquam magìs exarsere militum animi, quos certatim fortissimi, cuique datâ ducis manu hastâ, magìs magìsque accendit. Voces magnificè undique exaudiebantur. His hastis pulcherrimum facinus ante Ducis oculos esse facturos. Et quo suum quisque studium in Brachium declarare cupiebat, eo de se fortiùs polliceri. Hunc diem testem virtutis, amorisque daturum. Plerique bellandi ardore non exspectandum hostem, sed ultro adoriendum censebant. At Brachius quòd locum delegerat quamæquissimum, unde aditu fluminis hostem intercludebat, unoquoque in ordine manere jusso, post Tartaliam, atque exules, quos primâ fronte constituerat, militum disponit agmina in crebros & confertissimos glomerata orbes. Signa autem militaria & belli vexillum post silvam in occulto haberi jussit, quo magìs suspensum teneret hostem. Heic inermem, & pæne inutilem adjecit multitudinem, quæ eminentibus supra silvam hastis integri & signarii agminis speciem præferebant. Jam hostes, ubi ad mille passus appropinquavere, paulisper subsistentes, suam & ipsi aciem tripartito agmine, & in cornua producto exercitu paraverunt. Primi agminis ductor Angelus Pergulensis, in quo equites erant circiter mille, pedites octingenti. Alteri agmini pari equitatu, peditatu aliquanto minore præerat Ciccholinus. Ultimam aciem Dux ipse mille &. quingentos equites, pedites octingentos, collectum ex omni exercitu robur anteibat. Nec deerant, qui militum animos incenderent verbo: Nunc qui præcedebant, nunc ad sequentes conversus magnificè hortabatur: *Habemus*, inquit, *occasionem milites ulciscendi tot illatas nobis injurias. Cum illis bellum nobis est, qui Cæsenatem depopulati agrum, non contenti prædâ, mulieribus contra jus gentium injecere manus, & arcem expugnatam igni, ferroque vastaverunt. Camertes contra nos neque publico fœdere, neque privatâ inter se amicitiâ, sed capitali odio nostri defenderunt. Tum ex Gallia usque tot dierum itineribus decursis ad nostros fines prædabundi venêre, pecora atque agrestes abegere in prædam. Villas non hostili impetu sed inimica manu incenderunt; qui nisi aliquid ultra bellum agitassent, non tantum exhausissent laboris. Nunc pœnam tot scelerum daturi, nisi vana vos deterreant nomina. Nam illa temeritas improvisis nobis terrori esse potuit. Nunc consultò ad bellum imus. Tunc nu-*

A *mero impares, nunc duplo majores, ut circumvenire hostem, nec victoriam modò, sed certam fugam sperare possimus. Non eodem milite res agitur, nec vos insignia illa decipiant. Nam quos in Piceno vidimus, pars secuti Paulum sunt; quem ut nostra omnis pæne vos esset gloria belli, exspectare nolui; pars Bononiæ relicti præsidio. Hæc exulum omnis est manus; illis nec equi, nec arma abundè sunt, quos inanis spes recuperandæ Civitatis exhaustos jampridem, & vagè dejectos, ad patrium contraxit bellum. Equi in acie confecti; arma plerisque raro antea capi solita. Sed facite equos, arma, usum belli, atque corporis, atque animi vires. Denique omnia egregiè hostis habeat. Quàm facilè est vincere*

B *interclusos. Hinc Populus imminet, hinc noster altero tanto major premit exercitus. Nec homo plusquam hominem valet. Suæ cuique manus, sui pedes sunt. Nec quisquam magis acer oppugnator salutis alienæ, quàm cautus defensor suæ. Sed qui terga vertit hosti, feriendum se impunè offert. Nec ulla tam fœda vulnera, quàm quæ tergo excipiuntur. Contra, nulla honestior quàm adverso in pectore, fronteque cicatrix. Quid quod hostem jam nunc timere videmus sibi ipsi diffidentem; qui ut falsò nos terrerent metu, perexiguum exercitum frequentia divisêre in agmina, quasi numero illa non robore constarent. Si vicerimus, milites (quod scio futurum) omnis hic tam latè patens ager nostro cedet imperio. Urbs*

C *illa, cujus tam superba videtis mœnia, nostra futura est. Tum hostes vincere etiam si parum foret prædæ, pulcherrimum est. Sic lupos sæpe laqueo petimus, non tam prædæ gratiâ, sed ne quid ovilia nostra corripiant. Omnia tuta erunt nobis hoste profligato; & ultra imperii fines, quos unâ victoriâ longè latèque propagabimus, nihil Regni nostri exactionibus opus erit. Hujus Urbis vectigalia satis nobis stipendii dabunt. Nec solùm tuebuntur illa sese nostris auspiciis, sed magna imperii accessio, quæ vobis quoque cupienda est, novarum rerum, magnarumque expeditionum initium erit. Nec solùm dico de præda, quæ omnis futura vestra est, sed de gloria multo magis, quæ communis mihi vobiscum erit. Ite*

D *modò alacres ad bellum, & hæsitantem jampridem hostem, ubi cinctum habebitis, stricto mucrone adoriamini, ulturi hodie tot indignè acceptas injurias.* Exiguum jam intervallum utramque aciem dirimebat. Brachius Tartaliam, cui primam aciem ducendam dederat, cum aliquot suis turmis contra hostem ferri, reliquas subsidio paratas esse jubet. Nec longo intervallo Malatestam secundi agminis ductorem, pressâ galeâ, intentisque hastis pugnæ eventum exspectare, & ubi signum daretur, paratum esse ad impetendum hostem. Parique spatio Cherubinum instructa parataque acie constituit. Ipse extremo loco subsidiaria collocata manu peditum, aliis equiti

E intermixtis, qui hostium suffoderent equos, aliis ad occupandos dextrâ lævâque transitus dimissis obliquo cursu, triginta stipatus hastatis, suorum agmina prætergressus est. Nec hosti defuit animus. Prodire jussi confestim aliquot equites, qui manus cum illo consererent. Hoc modo leviter duobus in locis pugnari cœptum. Angelus Pergulensis parte suorum contra Brachium missa, subsidio suis modico spatio veniebat. Brachius magna vi pugnans repellitur. Huic Malatesta, quem paratum prœlio dixi, cum parte equitatus succedit tanto impetu, ut dissipati hostes in

reli-

reliquum refugere exercitum cogerentur. Captique sunt equites septuaginta: quibus statim spoliatis, equos atque arma peditibus distribuit, jussosque armari in novum producit agmen, & quid unumquemque facere velit ostendit. Ipse pugnâ egressus, quid hostis, quò tenderet, observabat; simulque ut quum auxilio opus esset, provisa forent, nihil ordines interruptura subsidia. Tartalia fortissimè pugnante, vel potiùs insequente, Angelus cum parte equitatus, quem subsidio venire dicebam, fugientes suo excepit agmine; sed nec ipse firmato gradu procedere ad pugnam est ausus, vel metu tanti impetus, vel quod verisimilius putant, lassationem ordinum opperiens. At Brachius ubi videt hostem vel detrectare pugnam, vel differre, cum quadraginta equitibus hostium agmen aggressus, magno conatu pellicere ad prœlium non potuit. Quocirca utendum occasione ratus, Tartaliam revocavit, milites atque equos ad dolia subducens reficiendos curavit. Diu deinde in mora stetit utraque acies. Quæ res Brachio perniciosa videbatur. Si aut colligendi sui spatium dedisset hosti, aut cum Populo conjungendi, tamen utrimque invadendi commoditas exspectabatur. Uterque Dux ad tempus atque locum intentus tenebat oculos. Carolus moræ & caloris impatiens promoveri vexilla, & confertissimum suorum agmen in longissimum extensum cornu subsequi jubet. Jam ducentos passus processerant signa, quum Brachius veritus, ne multitudine hostis circumveniendi sui consilium cepisset, simul ne cum Populo jungeret, quem magnâ turbâ adventare missi speculatores referebant, variis in locis petendum uno tempore hostem constituit; ne tota mole belli aut elaberentur hostes, aut premerent, ratus id quod res admonebat, quòd frequentia haberet agmina, facilè hostes à fronte, à leva, dextraque posse tentari. Qui si paululum ordine recederent, quòd non pari arte distincta essent agmina, facilè profligari posse. Nec consilium fefellit. Quippe ubi tot simul locis factus est impetus, necesse fuit, hostem uno cornu protensum ad omnem simul partem resistere, & alios aliò converti, nullo nutu, nullo duce. Contra Brachianæ turmæ, singulæ quæque suum ducem sequi, suum ordinem servare edoctæ, facillimè omnem in partem convertebantur.

Igitur Brachius signis hostium promotis, Tartaliæ cum eodem equitatu præcepit, ut obliquo itinere Pergulensem infestis peteret telis. Deinde qua parte vexilla erant promota, centum lectissimos dimittit equites. Iisque ostendit à latere vexilla aggredienda esse, & aut quantis possent viribus, consternenda humi, aut quominus ultra deferri possent, esse retardanda. Tum à tergo quinquaginta equites idem agmen adorti. Sed hi tantam hostium multitudinem defatigare magìs quàm vincere poterant. Ciccholinus, qui signariis præerat, pungentem magìs quàm prementem militem facilè à signis repellebat. Tamen tanta paucorum erat, & tam ad velocitatem ordinata celeritas, ut hinc alii repugnarent, inde alii, qua minimè hostis rebatur, incurrerent. Itaque Ciccholinus paucis tuendi vexilli negotio dato, ceteros, qua hostis premebat, capessere bellum jubet. Sed nullo conversi ordine, quum nunc hinc pugnarent, nunc illò occurrerent, sibi ipsis erat impedimento. Brachiani milites paulatim, ut erant admoniti, pugnando, cædendoque procul à signis hostem retrahere conabantur. Pari arte Tartalia Angelum adortus non multum procul inde dimicabat. Brachius fessis ad dolia reductis integros submittebat. Sic compoti, ac refecti statim & milites & equi ad prœlium, majoribus redibant viribus. Victoriam hæc una res peperit. Quippe multitudinem etiam sinè certo ordine, varioque bello intentam pauci dissipare non poterant; & undique in frontem adversis hostium telis, jam uno tutiùs agminis orbe resistebant. Nonnumquam facto impetu exiguæ turmæ, quasi dimota hostium mole excutiebantur, & gradum ultra quàm opus esset, referre cogebantur. Sed Sole jam ad medium diem ardentissimo calore exæstuante, hostes paulò ante facto itinere defessi, nec pulverem, nec sitim pati poterant. Tum radii medium obtinentes cœlum, ipsam quoque succenderant terram. Inde densissimi extorti vapores, caligine atque æstu cuncta compleverant. Hostium crebri inter arma & laboriosi halitus sentiebantur; nec respirare, nec galeam sinè periculo lassare poterant. Ora, oculi, supercilia, ferventi consperssa pulvere, tum membra largo atque urenti sudore perfusa liquebant. Nec minor equorum lassitudo, quorum non modò lassæ cadentes linguæ, exertaque ora videbantur, sed diffluente irrigati spuma, ne stimulis quidem perciti, ipso in prœlio medio conatu deficiebant. Contra Brachianis equis, ac militibus comparata, quæ sitim ardoremque levarent, aqua, vinum, acetum vires mirificè confirmabant, quibus ad dolia properantibus parati, qui pocula suggererent pedites. Nec opus erat equo descendere; simul equi dolio, simul milites peditum manu compoti, pugnam ardentiùs instaurabant. Ergo hostes siti, pulvere, sole, labore, tot simul malis circumventi, languidiùs plerique pugnare, alii ad Tiberim recurvo tractu deflectere cœperunt. Brachius ubi videt exinanitam signorum aciem, & milites lassatis ordinibus palantes ad Tiberis ripam deferri, conversus ad Malatestam, quem exulibus præesse dicebamus; *Victoria*, inquit, *nostra est: fac quantum maximum potes impetum in signariam aciem. Consterne ad terram, & perturba inimica signa. Ite nunc exules: virtute vestra finite bellum*. Qui dicto audientes, subito velut turbine fessam jam & deficientem aciem petivere tanto cursu, ut densissimo, quà procederent, excitato pulvere, nihil oculis cerni posset. Hostes jampridem defecti viribus, nec perstringere gladios, nec habenis moderari poterant. Ictus tamen jam sinè sensu crebros excipiebant, & quos antea sua multitudo à fuga detinuerat, nunc majore recentium hostium invasi numero impetum sustinere nequiverunt. Vexilla strata humi, lacerataque. Fusis ac fugatis Brachius expeditiore manu à fronte occurrit. Cherubino ad Tartaliæ agmen confirmandum, augendumque dimisso, præcepit, ut Angelo profligato, Caroli paulò recentiorem alam diffunderet. Ipse fugientes capi, ligari, trahi pecorum more jubet. Inter hæc Angelus quum ægrè uni Tar-

Tartaliæ restitisset, Cherubini adventu terga quameffusissimè convertit in fugam. Omni exercitu contra Carolum immisso, Brachius primus stationes irrupit. Ferunt Carolum diu pugnæ eventum securum exspectasse; cui quum esset sæpe nuntiatum, carpi paulatim exercitum, atque omnia exhausta viribus agmina, malè rem gerere, nihil credidisse, sed veluti media, in pace nobilium more commessantem, vix dato equitandi spatio circumventum esse. Fusus, fugatusque millies à peditibus, quos transitus dixeram occupasse, capiebatur. Omnium longè miserrimum erat, duos tresve captivos à singulo quoque victore ligatos, veluti greges agi. Maximè omnium Nicolai Picinini, tunc gregarii militis, memoriâ meâ summi ducis virtus eo prœlio laudata est. Capta fuere equitum circiter tria millia, pedites, equitesque ducenti desiderati. Equorum ingens facta strages. Ciccholinus quoque fortissimè pro patria & salute dimicans capitur. Duoque Caroli nepotes, multique ductores agminum capti, atque in vincula conjecti sunt. Septingenti custodiæ traditi feruntur, ceteri militari more dimissi. Angelus Pergulensis ex tanto exercitu cum quadringentis equitibus, testis, tantæ calamitatis, evasit. Carolus ad Brachium perductus non minùs victorem clementem, quàm hostem ferocem est expertus. Primum equo descendere atque arma deponere jussum, ipse detecto capite, quod est honoris & ob-

A servantiæ signum, humanissimis cœpit consolari verbis; monere, ut eos fortunæ ludos æquo ferret animo; hac demum varietate constare bella, ut nunc victores, nunc victi sint, qui manus conserunt; nec quicquam magìs esse mutabile, ideoque ancipitem vocari fortunam belli. Non tam illi dolendum esse, quòd victus esset, quàm lætandum, quòd ab amicissimo hoste victus. Cogitaret tot acerbos casus violentæ mortis. Quid si fata semel à se uno vinci statuissent? Ceterùm cum aliis victorem fore. Non illum turpi fuga interceptum, sed gloriosissima belli acie superatum esse. Heic animi magnitudinem præstari oportere. Res secundas

B facilè pati omnes, adversas sustinere magni animi opus esse. Virtutem nulla re magìs declarari, quàm adversâ fortunâ. Multa in hunc modum quum essent dicta, ferunt ad levandum animi mœrorem, sæpe dominum appellasse; illum in calamitate non oblitum, fortunæ suæ irato similem dixisse: *Immo verò tu, qui vicisti, dominus*. Omni profligato exercitu Brachius parvum equum afferri, atque eum ascendere Carolum jubet. Captivos omnes, qui erant redimendi, primùm Torsianum, mox Fractulam deducendos, ac militibus diligentissimè observandos dedit. Carolum non modò in vincula non conjiciendum, sed in summo habendum honore. Et ne quid nobilitate sua indignum pati posset, prægustationes omnium rerum faciendas custodibus jussit.

LIBER

LIBER QUARTUS.

A HAc calamitate accepta Perusinos tam subitus pavor, trepidatioque tanta invasit, ut primùm varii luctus in Civitate audirentur. Mox compressis vocibus luctu obscurius silentium tota Urbe secutum; nemo forum adire, nec alter alterum intueri audere. Defuncti jam externis malis domi pessima quæque metuebant. Affore jamjam inimicum victorem existimare, & ut quisque sibi maximè conscius erat, ita in se crudelissimè sæviturum. Occurrebant tot nefariæ illatæ cædes, omnes unâ horâ vindi- B candæ; & quicquid non modò facere hostis posset, sed etiam cogitare, crudelitatis facturum putabant. Hunc publicum mœrorem privatæ potentium lamentationes excipiebant; ultimum venisse sibi, familiæque suæ diem. Satiatum jam iri tam longam inimicorum rabiem, suo sanguine fœdandas, quas tamdiu tenuere, alienas domos; nunc demum cæsis parentibus, & propinquis: quo tardiùs eo acriùs hostem parentaturum, & ut vitæ parceret, ut nuda per inimicas manus elaberentur corpora, in exilio tamen miseris domi assuetis esse moriendum. Jam experturos, quàm misera fuisset inimicorum vita, dum exulassent. In tanta virorum acerbitate C mulierum obscurior erat facies. Aliæ squalidæ ac miserabiles in templa confugiebant. Aliæ domi tacitæ, mœstæque sese observerant. Quarum magìs ea res interesset, earum claustris resonantes audiebantur ululatus, se suosque atque vivos atque mortuos complorantium. In tanto publico luctu pauci fuere, qui maximis malis aliquid si non remedii, saltem consilii, quærerent. Universo Populo vocato in concionem, Decemviri commemoratis tot simul acceptis incommodis, defectione totius agri, calamitate tanti exercitus, & quod longè omnium molestissimum ferebant, capto Ciccholino, nulla jam ne spe D quidem auxilii proposita, hostis victoris tam latè auctis viribus, tamdem de tradenda Urbe agendum censuere; nec ullam conditionem recusandam, rati se tutiores hac via futuros ab exulum furore. Placuit primùm caduceatorem ad Brachium in castra mittere, qui legatis eundi potestatem impetraret. Sed ille in meritoriam divertens tabernam, &, ut est genus hominum, nimio potu confectus, intra vepres sese vino somnoque gravem dejecerat. Quo non redeunte, magìs dubitari cœptum est. Verebantur enim nihil hostem nisi Civium cladem petere, eamque ob rem caduceatorem aut vinciri, aut neca- E ri jussum existimabant. Quæ res magìs ac magìs perterruit animos. Sed iidem illi, quorum virtus in periculis non defecerat, Cinellum, quem Brachii consobrinum diximus, ad eum in castra mittendum decreverunt, solum esse ducentes, in quem ne hostis sæviret humanitate fortior necessitudo defenderet. Huic edicitur, omni nitatur ope; precibus efficere, quo legati tutò accedere ad Brachium possint, & dedendæ Urbis consilium aperiat. Hortetur quàm maximo possit studio, ne ultro delatum rejiciat imperium. Ille, ut erat imperatum, profectus in castra, perbenignèque acceptus, mandata exponit. Missum se non quidem pro legato, sed ut legatis tutè veniendi potestatem exoraret. Brachius, ut decebat, admiratus, caduceatorem perquirendum jubet; qui semisepultus vino compertus, nec ad se excusandum, nec ad responsum referendum exsolvere linguam poterat. *Hic*, inquit, *ad me vénit, & tabellas subsignavi, & salvum ac tutum adventum legatis renuntiari jussi.* Cognito errore Cinellus caduceatorem statim remittit; ipse paululum, ut fit, secedens: *Cras*, inquit, *legati ad te venient Primores Civitatis, & publico consensu omnium imperium deferent.* Qua re audita Brachius suspensus aliquamdiu, & attonito similis, hæsisse fertur. Excitatus deinde à Cinello, & quidnam tanta in re cogitaret, interrogatus: *Ego*, inquit, *hoc cogito, ætatem meam omnem ad hunc diem sinè labe esse transactam in maximis calamitatibus, nulla me suspicione criminis notatum, nullâ aspersum perfidiæ maculâ, nunc secundis rebus ad Patriæ occupationem invitor, & quem adversa olim non potuit, secunda nunc fortuna faciet me nocentem. Huc adde tot exules, quorum par conditio exilii fuit, dominum ad servitutem secuti videbuntur, non periculi socium ad libertatem. Quid aliud patriâ pulsos tot Cives putas, nisi quia privatam tyrannidem noluerunt ferre? Quo animo manifestam servitutem laturos existimas, qui occultam paucorum potentiam pati nequiverunt? Etsi magìs mea me gloria, quàm illorum impatientia movere debet. Nulla turpior cupiditas & sceleratior; quàm Patriæ, cui tu parêre debeas, imperium quærere. Et certè quantum ad libertatem spectat, pares sunt, quos eadem mœnia cingunt, quorum eadem sunt tecta atque sepulcra. An ego parentum umbris tam me superbè inculcabo, ut quem supplicem erant inspecturæ, Patriæ violatorem intueantur? Qui ne tyrannidem paterentur, liberi occidere, quàm vivere oppressi maluerunt. Qua mente prolem suam mortuis sibi, ne in libera quiescant* Patria, *servitutem afferre patientur? An hoc quoque non cogitem, violenta regna diuturna esse non posse? Et in Patria occupanda non modò injustam vim, sed nefariam impietatem esse subeundam.* Ad hæc Cinellus; *Quæ dixisti*, inquit, *omnia vera esse ne inficias quidem eo. Ceterùm tum maximè peccatur, quum superstitiosus peccandi timor officio obstat. Cogita quanta Civium strages futura sit inhibente nemine. Neque enim facilè sedatur ira, quam ulciscendi stimuli accenderunt. Et tu exules reducere cupis, & Cives recipere coguntur. Difficile dictu est, uno momento statim placatos esse, quos hinc metus suspectos; inde injuria iratos facit. Sæpe etiam fratres regnandi cupiditas armavit; & Regni est concertatio, de statu & Civitate contenditur; quo si odium capitale, si cædes parentum, fortunarum ereptiones, tot denique variæ injuriæ accedant, qui modus ferro esse potest? Nec semel tot mala perpetienda sunt. Ubi commodior erit occasio, continuæ cædes fient. Tantis simul periculis uno remedio obsisti potest. Neque enim hoc invadere Patriam est, sed conservare. Necesse est, publicam auctoritatem adhibere, quum privata resisti hominum furori non possit.*

possit. Nam quod ad exules pertinet, satis illi debere tibi fatebuntur, si se in Patriam reduxeris. A *Franget hoc beneficium quamvis elati animi pertinaciam. Nec turpe putabunt ei deferri imperium Civitatis, qui ut ipsi Cives essent, effecerit. Multos jam erraverunt annos: & nisi quam tu ostendisti, numquam ne spem quidem redeundi cognoverunt, non modò libertatis, sed etiam injuriarum obliti. Satis jam satis sua mala tam longa docuerunt, satius esse domi mediocri esse fortuna, quàm foris nullâ. Civitas nostra pati jam jugum imperii didicit. Majores tui Pontificibus paruere, & paulò ante Regem secuti, qui domi regnabant, servire potuerunt. Quanto pulcrius erit illum conservare Civitatem, qui in Civitate natus est.* B *Tum pudendum esset, si cadentem & sese cruentantem, Patriam, quam posses defendere, tueri nolles. Tum etiam pudendum, si ita Civibus imperares tuis, ut armares ad cladem. Sin scelera arceas, stragem innocentium fieri vetes, & tuam & alienam frenes iracundiam, si & Cives conserves, & exules restituas, hæc demum erit summa & præclara gloria, mancam jamdudum Civitatem, & membris dissectam unum in corpus redigendo. Hoc majorum umbræ, si quid tot nostra mala sentire potuerunt, lætabuntur, suam sobolem, quominus civili sanguine in sepulcris perfuderentur inhibuisse. Et pro qua ipsi periere, pacem Urbi atque otium peperisse. Quæ major impietas, quàm parvam notam,* C *si nota dicenda est, pro Patriæ salute recusare? pro qua multi subire mortem, & hostium proditores jure esse potuerunt. Vide ne dum manus imploranti opem tuæ Patriæ porrigere nolis, ruentem neglexisse videaris. Vim, injuriam, cladem, incendia, etiam qui nondum intraverunt, Urbi minantur, quos nondum oculis viderunt, animorum furore interemere. Quid facturos putas, ubi oculorum ardores inflatas tot injuriis mentes exsuscitaverint. Hæc tibi macula, quam diluere non possis vitanda est. Aut Civitatis imperium capiendum est tibi, aut ultimum Urbis excidium exspectandum. Uno beneficio exules dignitate sua recepta, & Cives retenta suis in sedibus conservari poterunt.* Vera hæc Brachio videbantur. D Itaque Civitatis periculo cognito communicaturum cum exulibus eam rem dixit, nec sinè eorum consensu imperium accepturum. Postero die Legati Perusinorum in castra venêre. Novem fuere Civitatis principes, plerique Brachio affinitate conjuncti. Hi petebant, ut Ciccholinum, quem in prœlio captum ostendimus, liberum sinè pretio dimitteret, atque ea conditione Civitatem in fidem potestatemque reciperet, orantes ne excidium tantæ Urbis ab exulum furore pateretur. Non omnino adversari Perusinæ rei, qui Civem clementissimum victorem esse voluisset. Proinde quos prœlio vicisset conservandos & in Civitate retinendos esse. E Pugnantes viribus domari, victos clementiâ conservari oportere. Ad hæc Brachius paucis respondit. Numquam eo se animo gessisse bellum, ut Patriæ jura nefario dominatu occuparet; nunc quando ita Civibus placitum esset, invitum tamen ad imperium respicere, libenterque si sibi permitteretur, id vel honoris vel oneris, repudiare. Proinde etiam atque etiam cogitarent, si quo pacto publicam tueri dignitatem sinè auctoritate sua possent; libentiùs se pariturum esse regnantibus in Patria, quàm regnaturum. De Ciccolino verò non sibi integrum esse quid deliberaret. Illum sub Tartalia esse captivum, se verò nihil victoribus derogaturum. Jus esse belli, ut qui prœlio essent capti, in eorum essent potestate, qui cepissent. Nec se impediturum quominus captivi redimerentur. Legati re non impetrata in sequentem diem redituri abierunt. Brachius exulibus in concionem vocatis rem omnem ut sese haberet manifestavit. Cives ultro obtulisse summam imperiumque Civitatis. Se ad deliberandum tempus postulasse, nec sibi esse cordi tantum oneris subire, nisi quòd ipsi censuissent. Non modò assensere exules, sed ultro rogare illum cœperunt, ut quorum dux in exilio fuisset, quosque ab exilio revocasset, eos in Civitate regere, conservareque vellet. Omnes illi etiam privatò fuisse perituros, non immemores tanti accepti beneficii. Adderet privatæ benivolentiæ publicam auctoritatem. Nam à quo meliùs regi, gubernarique posset, quàm qui ne in exilio quidem putasset deserendos. Qui quamquam meliore fuisset fortuna, numquam tamen pro communi illorum salute quievisset. Ferunt Ursum quemdam mediocris inter exules auctoritatis egressum concione dixisse, numquam se ut Civis Civibus imperaret permissurum: multos illi vetustate generis & majorum opibus, aut pares, aut non multo inferiores esse.

Qua voce ad Brachium per milites delata, quantâ numquam antea irâ percitum discedere pace infesta voluisse, Civitatemque in pristino statu Plebejorum relinquere; vix deinde ceterorum exulum precibus esse lenitum, illorum alios contendisse lacrymis, alios se ad pedes ejus provolvisse. Unam omnium fuisse vocem; mallet saluti multorum consulere, quàm unius temeritate tanto eos fraudare beneficio, totque susceptos belli labores, periculaque frustrari. Illum ipsum, qui adversaturum se erat minatus, non modò non summæ apud eos, sed vix etiam mediocris esse fortunæ; certè dementem & temerarium, qui quod ipse neque dare posset, neque eripere, id se concessurum esse jactasset. Proinde respiceret ceteros, quos non minus gratos in imperio experturus esset, quàm fideles in bello, atque in exilio fuisset expertus. Scire neminem mansuetiùs imperaturum, quàm qui suis se Civibus imperare meminisset. Ejus esse arbitrii, quid de exulibus statuere vellet. Reduceret, nec ne, omnes tamen quoad victuri essent, in ejus unius futuros potestate. Tam placida oratione sedatâ irâ Brachius cum paucis Optimatium tabernaculum ingressus, iterum tentandos illorum animos decrevit. Commemorare cœpit quoties hoc movisset bellum, quamdiu suis stipendiis exercitum aluisset; omnia ceterorum exulum magìs, quàm suâ causâ fecisse. Sibi fortunam rei militaris numquam fuisse defuturam, nec tamen eam ob rem tot à se haustos labores, ut Civitatem opprimeret: nihil magìs quàm Patriæ communem libertatem vindicare voluisse. Nunc ab inimicis ultro ad se imperii summam esse delatam. Scire quanta esset futura Optimatium auctoritas. In patria si reduxisset, nihil se inimicis confidere, quos non voluntas ad deferendum imperium, sed necessitas compulisset. Optimates futuros sibi vel custodes Civitatis, vel ereptores. Illis se fidem, jura,

A Magiſtratus ; illis corporis ſui cuſtodiam commiſſurum. Nec ignorare in ſua eſſe poteſtate, reducere exules velit, an in exilio dimittere; ſed tamdiu Plebejos in fide manſuros, donec aliquam nacti occaſionem excutere jugum poſſent. Igitur malle ſe liberos in Civitate reponere exules, quorum poſtea uti operâ poſſet, quàm invitis imperare. Utrum eſſet futurum in Optimatium arbitrio eſſe. Si ſe dominum velint appellare, intraturos ſuam domum, ſin moleſtè id ferant, nihilo ſecius Civitatem recuperaturos. Quod ad ſe pertineret gratius futurum, ſi ametur à liberis Civibus, quàm ſervientibus metuatur. Tum ſi Civitatem ſinè Nobilitatis conſenſu, B ne multos quidem dies retenturum, illis cuſtodibus perpetuò habiturum. Ad hæc Optimates reſpondere. Non adeò dementes, adeòque ingratos eſſe, ut non intelligerent, niſi ejus operâ eſſent reducti; omnes in exilio fuiſſe perituros. Vitam, ſanguinem, fortunas, omnia ejus pendere beneficio; nec multum intereſſe privata, an publica auctoritate imperaret, quibus pro tanto beneficio omnino eſſet imperaturus, niſi quòd Civitas futura ſit ejus auſpiciis, moderationeque tranquillior. Nimis durum videri, quem inimici domi regnantes Dominum appellent, eum amicos unà exulantes, ejuſque operâ liberatos, Civitatis Rectorem faſtidire. C Nihil hoc aliud eſſe, quàm inimicos ipſos odio & pertinacia præſtare, & illos amicos eſſe velle, ſe inimicos fieri. Capeſceret ergo ultro oblatum imperium; ſe quidem non modò non impedituros eſſe, ſed ſuis etiam, ſi ipſe nolit manibus atque humeris invitum ad Curiam & palatium collaturos. Hic dies prope totus ejuſmodi altercationibus conſumtus eſt. Poſtridie illi iidem Legati reverſi in caſtra, pleniora mandata retulerunt, nulla de captivis conditione interpoſita dedi Urbem; fœderaque & pactiones in ſequentem diem dici placuit. Collis eſt Urbi ad Occidentem adverſus (Montem Morcinum vocant) in cujus cacumine Templum prominet celeberrimum. D Hunc locum dicunt, ubi poſtero die de ſumma rerum paciſcantur. Brachius clara jam die cum parte copiarum ad eum locum contendit, occupatque monticulum. Legati ut erat conſtitutum, eòdem paulò poſt convenere. Compoſito ſtatim bello : ſublatiſque offenſionibus fœdera in hunc modum feriere. „ Populus Peruſinus Urbem, agrum, vias, templa, fontes, ſeipſum Brachio dedit. Illi Cives parento. Dominum bona fide appellanto. Ad eum de rebus Urbanis publicè referunto. Concilia cœtuſve, niſi quos ille juſſerit, ne faciunto. Qui non paruerit, rebellis eſto. Rebellem quivis impunè occidito. E Exules quique rediere, quique redituri ſunt, ſua tecta, fortunaſque adeunto nullus impedito. Ceterùm pax cum Cive eſto. Qui ſeditionem excitaſſit, mala cruce ſuſpenditor, aut ſecuri percutitor. Brachius publica Vectigalia, niſi quàm publicis impendiis ſuperfuerint in rem ſuam ne vertito. Urbanos Magiſtratus præter Quæſtorem, Prætoremque Populus legito, creatoque, & quem volet, cui volet, cooptato. Suffragia libera ſunto. Provocatio ad Brachium etiam rerum capitalium eſto. Si quis provocationi obſtiterit, fraudi eſto. Novas exactiones invito Populo ne cogito. Delectus in Urbe, niſi populus juſſerit, ne habeto. Decemviros ne contemnito. Majorum decreta ſervato. Civitatis inſtituta niſi quæ Populus abrogaſſit ipſe ne violato „. Conditionibus datis, acceptiſque Brachius in caſtra, Legati in Urbem revertuntur. Octavo poſt pugnam commiſſam die, Brachius ingreſſurus Urbem, polire milites arma, & in agmina quamornatiſſimè componi exercitum jubet. Magno ſtudio de ornatu exules contendebant, rati quo inſtructiores ornatioreſque Urbem introiſſent, eo plus auctoritatis in Civitate occupaturos eſſe. Militibus quoque par contentio; ne vel ornatu, vel ſtudio in ducem ſuperati viderentur exulum æmulatione adducti, arma per totam noctem polire, equorum jubas comere, ſeipſos novo cultu exornare. Ubi primùm illuxit dies, frequentes ad ducis tabernaculum convenere. Hìc nova exorta contentio duas circiter horas altercando conſumſit. Veterani exercitus milites proximum Duci quærebant locum. Contra exules magnum id futurum dedecus rati, propiores lateri hærere cupiebant. Illi ſæpe novis ruptas vulneribus cicatrices oſtendere, non frontem, non vultum, non aures integras dicere. Plerique pectora toties objecta hoſtibus ferroque trajecta denudare, nec quicquam tam glorioſum, quàm vulneribus vincere putabant. Exules alii Nobilitatem, Patriæ exſpectationem alii, nonnulli, qui bello interfuerant, & ipſi quoque ſua vulnera prætendebant. Certamen virtutis & ſuperbiæ videbatur exortum, alteris ſuâ gloriâ, alteris majorum ſplendore nitentibus. Brachius diu contentione agitata, placatis tamdem militum animis, exules eo die cenſuit honorandos, qui veluti novæ ſponſæ cum pompa, atque apparatu domi exſpectarentur. Igitur cedentibus magìs quàm conſentientibus militibus digniſſimum dedit exulum Primoribus locum. Delectaque ex omni exercitu promiſcuè manu, fortiſſimorum equitum, exulumque unum agmen effecit. Ceteram aciem ſuas in turmas diſtributam mirifico compoſuit ordine; ut quiſque equo, armis, præſentiâ ornatiſſimus erat, ita primum in turma collocaverat. Nec minore quamquam diverſo apparatu inſtructa Civitas erat. Quâ portâ ingreſſurum Urbem putabant, eam Cives purpureis tapetibus, & hinc atque hinc longè pendentibus auleis adornaverant. Via omnis viridibus inſperſa floribus, odores latè perfundere. Privatorum feneſtræ pannis, ut cujuſque erant fortunæ, pulcherrimis diſtinctæ, ornatæque patebant. Muliebria quoque monilia uſquequaque interlucentia, quæ Sole repercuſſa, crebris ſcintillulis tranſeuntium feriebant oculos. Bullæque & aurea balthea ad terram uſque tractu longiſſimo demiſſa fulgebant. Nec minor inter Cives ornandi, parandique contentio, quàm incedendi militibus fuit, ut quibus nihil magnificentius privatâ opulentiâ ducebatur. Nec ullum novo domino glorioſius jocundiuſque victoriæ ſignum oſtendi poſſe arbitrabantur, quàm privatas Civium opes nihil ejus imperium pertimeſcere. Vicit privata ſtudia publicus apparatus. Quippe forum, ne Solis æſtus ad ima penetraret, undique altè tegentia vela operiebant. Trapezitarum

...um mensæ aureis confertæ nummis. Mercatoresque vario genere longè latèque pendentium purpureorum mensas, tabulataque compleverant. Hæc omnia medio in foro eminens Palatium superabat. Illic Gallici tapetes fenestris longum exeuntes, illic aurea atque argentea vasa per scalarum gradus distincta, mirantium aciem perstringebant. Jam magna parte diei Urbanis, Militaribusque apparatibus consumtâ, Brachius composito velut ad prœlium agmine per superiorem portam, in qua nihil erat apparatus, Urbem ingreditur. Ejus rei causa non satis est comperta. Sunt qui putent nimium Populi concursum, & civiles insidias veritum. Alii expeditius iter, commodioremque prœliandi, si opus fuisset, locum esse delectum. Nonnulli, quod eam, qui incolerent, Urbis partem, suæ factionis prope universi habebantur. Ubi ad forum est perventum, tum verò vario genere tibiarum, tubarumque, & tympanorum personabant omnia. Milites partito in geminam aciem exercitu: utrumque fori aditum occupare contendunt. Ubi aliquot horis equestri certamine est prœliatum, Brachius antequam palatium imperii locum, sedemque conscenderet, Decemviros, ac ceteros Urbis Magistratus, & præterea populares jurejurando in fidem potestatemque adegit. Statim ejus nomine atque jussu circumlata præconia accepti imperii dedere signum. Postridie ejus diei profugos, rebelles, exules etiam, qui bello non interfuissent, quoscumque quavis causâ damnatos in exilium, quod humanitatis esse putavit, suo decreto censuit revocandos. Quibus pecuniâ mulctatis solvendo non erat. Eamque ob rem Civitate carerent absolvendos decrevit. Sed civilia dissidia radicitus exstirpare conanti necessarium videbatur, exulibus domos, agrosque restitui, quos post factam seditionem Plebei contra jus gentium nullo more, nulla lege occupassent. Sed quando nimis periculosum erat Optimatium licentiæ rem permittere, ne plus sibi quisque quàm sua essent, vindicaret, placuit omnia Populi decreta quatuor & viginti annos antea facta (tot enim Nobilitas exulaverat) nova auctoritate rescindi. Et quæ ante id tempus cujusque fuissent, integra Optimatibus cedere, reliqua Plebis esse. Ceterùm jure an injuria Nobilitas Plebis, Plebs Nobilitatis opes ante id tempus occupasset, constituit, qui servato more, institutisque majorum, de jure civili moderatissimè, justissimeq; disceptarent, quod suum esset, cuique tribuendo. Rapinæ, vis, injuriæ, ceteraque factionum mala cuncta sublata, gravissimi acerbissimique propositi cruciatus ultionibus Nobilitati est interdictum. Sed quod ipse novas expeditiones agitabat animo, nec bello desistere ullo modo statuebat, veritus ne se absente aliquid seditionis excitaretur, primum legem tulit de seditionibus coërcendis. Mox ad eradicandas simultates novem viros ex Plebe, totidemque ex Nobilitate delectos, Civitatis curæ custodiæque præfecit. Hac re Plebejorum animos mirificè sibi reconciliavit, ne Optimatibus quidem offensis omnium æquata dignitate Optimates, quibus insidentia adhuc animis exilia dulciora præsentia bona faciebant, contenti suâ fortunâ videbantur. Plebei bello superati dono datum putabant quicquid à victore, quum eripi belli jure potuisset, misericordia & liberalitate non esset ereptum. Victores ac victi æquabili moderatione habiti, parque omnium fortuna, nisi quòd alteri sua bona recepissent, alteri reddidissent aliena.

Iis majus atque ampliùs adjecit beneficium æs alienum superiore bello, quo Cives ad repellendum à se milites conduxerant, à potentioribus exactum inopiâ ærarii in publicum collatum pecuniâ suâ restituit, existimans ad quem Urbi vectigalia provenirent ejusdem esse, quicquid conflasset Civitas æris alieni persolvere. Nihil hac vel æquitate, vel liberalitate præclarius, ut quasi quod stipendium essent adversùs se emeriti conducti milites, id tunc dinumerare ipse præsentibus videretur. Totusque ad conciliandos sibi Civium animos intentus, publici parentis videbatur induisse personam. Verbis tamen quàm factis mitior & benignior, arte quadam efficere solitus, ne quem ab se nisi magna spe plenum dimitteret. Quod autem re præstare cuiquam noluisset, non se id nolle, verùm honestè non posse, atque ideo quod non posset, angi animo contendens, causam etiam quare non posset, afferebat, ut etiam in denegando gratiam inire, beneficusque esse videretur. Nec comitas deerat vel Civibus vel militibus nominatim appellandis. Illud maximè omnium memorabile, ne unum quidem habuisse in castris equitem, cujus nomen non teneret. Nullum peditem, & ne tyrunculum quidem, quem utro ab exercitu suo an hostium esset, non primo statim aspectu internosceret. Sæpe Legatorum nondum exposita prævenisse mandata. Sæpe hominum sermones in foro, aut in acie loquentium labiorum motu percepisse. Neminem umquam allocutum, quem longo post tempore multis intercurrentibus annis, ubi aut quid secum egisset negotii, non primo statim occursu reminisceretur. Hinc vana illa vulgi opinio dæmonem præsagum atque interpretem rerum futurarum cristallo inclusum habuisse, atque ejus monitu cuncta foris domique gessisse. Neque tamen Civilibus atque Urbanis rebus quàm bellicis & militaribus obscurior. Sed velut naturâ ad omnia natus atque instructus, cum Architectis de Architectura, de mercatura cum Mercatoribus disceptabat. Bello quidem nemo rapacior, pace verò justitiæ, & æquitatis observantior nemo. Familiarem & suæ factionis hominem furti compertum, Magistratu, quem fortè gerebat, perfunctum suspendi jussit, quum unumquemque pro dignitate complecteretur. Justitia tamen æquabili teneri omnes volebat, acerrimus defensor imbecillitatis, nullius tamen rei, quàm ædificandi studiosior. Sæpe inter militaria opera fertur de Urbanis ædificiis usque ad delicias cogitasse. Otiosis, & nihil agentibus infensus, Fori tritores appellabat. Sed eo componendis Urbanis intento, exulum, qui bello non interfuerant, auditâ victoriâ suorum ingens undique multitudo confluebat; qui partim diuturno exilio ad extremam redacti inopiam, atque ideo prædæ, rapinisque intenti, partim majorum titulis magis quàm virtute sua dari, omnes ambire clientelas cœperunt. Mobilem multitudinem blandè appellare, longo comitatu vulgi frequentiam cogere, privata insignia concedere, omni via, atque stu-

studio pollicere juventutem. Quæ res quum magnam inter Cives contentionem paritura videretur, omnibus, qui Nobilitate atque opibus pollerent, de cœtu, & frequentia contendentibus, coërcendam tam fœdam ambitionem visum est, & paucorum insolentiam elationemque nova lege retundendam. Vocato igitur in consilium Populo, gravi oratione, & qui ducerent, & qui sequerentur castigavit. Non placere sibi ait tot simul Reges uno in Regno exortos esse. Invitum se unum imperare Civitati, nec passurum opprimi à ceteris Patriam, quam ipse si per factiones liceret, mallet liberam venerari. Quid illi Plebeculam turbulento cœtu aliena celebrare tecta, privatasque Civium domos frequentare compellerent? Non ideo tot à se gesta bella, tantaque rerum adita discrimina, ut qui foris parêre consuevissent, domi suis Civibus imperitarent. Satis fuisse ope sua ab exilio esse revocatos. Hæc se illis exprobrare, qui Patriæ inviderent fortunæ, & felicitati suæ, cujus operâ & Cives suam Patriam, & Patria suos Cives recuperasset. Proinde essent sua quisque civili libertate contenti. Non prohibere, quem virtus cuique aut genus dedisset, locum eum honestè magnificèque obtineri: Nam alterum altero clariorem esse, & hominem homini, natura, moribus, dignitate præstare. Sed factiosos cœtus, & tumultuarios comitatus prohibere. In hos se capitali supplicio animadversurum. Dimissa concione caveri præconio jussit, ne quis privata Civium insignia aut domi, aut in veste haberet, neve catervatim noctu per Urbem incederetur, quietiorem futuram Civitatem arbitratus, si æmula Civium studia contentionesque submoverentur. Pauci qui dicto audientes non fuere, capti atque in vincula conjecti sunt. Nonnulli privato insigni distinctas gerentes vestes, ejus jussu à Prætore medio in foro spoliati, & nisi multorum Civium intercessisset gratia, capitis causam dicere coëgisset. Sed in tanta multitudine, totque Civium studiis magno opus erat præsidio, ne quid eo absente seditionis excitaretur. Jam enim novam expeditionem coquebat animo. Primùm igitur omnes vicorum, viarumque catenas rescindi, Civitatis quoque ligneas portas effringi jubet. Quod ea de causa fecit, ne si qua tumultuaria manus forum occupasset, subitus equitum accursus impediretur. Duas deinde arces, quæ sæpe à majoribus Populi impetu dejectæ finè custodibus erant, reficiendas quammunitissimè, structissimèque curavit; quæ fido imposito custodum præsidio, mirum in modum nefarios Civium conatus represserunt. Rebus Perusiæ compositis, decimo post receptam Urbem die, educto in novam expeditionem exercitu, in Asisiatum fines contendit. Hic Bastiam in primis finibus, non procul à Chiasio amne situm oppidum, acceptam in potestatem Guido Feltrano restituit. Sigillo, Spelloque receptis, quorum alterum in agro Perusino, alterum Fulginatibus finitimum Guidus superioribus bellis occupaverat. Hæc gerentem nova incessit cura Pauli Ursini persequendi. Sic injurias adversis in rebus perpessus, in secundis capere non potuit. Etsi nulla ira est vehementior, quàm ubi animum stimulat recordatio collati beneficii. Repe-

A tebat enim Paulum ad Roccham-Contratam suum oppidum confugisse, atque illic regiis obsessum copiis magno cum oppidanorum incommodo aliquot menses esse defensum. Postremò ne quid beneficio deesset non ante suum adventum atque ope obsidione esse liberatum. Mox deinde abrupisse tamen ab exercitu, & violata fide hostibus auxilium ferre voluisse. Haud dissimili fraude & se optimè meritum, & hostes fuisse deceptos: fidem atque amicitiam unâ perfidiâ atque scelere esse violatam; nunc suam & suorum, non jam hostium, sed Civium causam vindicandam esse. Paulus ad Collemfloridum (quod est Fulginatium oppidum) stativa habebat; qui oblitus quas intulisset injurias,

B nihil inimicum aut hostile metuebat. Brachius Tartaliam cum delecta manu ad eum interficiendum cohortesque diripiendas præmissum non multo subsequebatur intervallo. Qui ut erat imperatum, vagantem extra mœnia confodit. Ejus milites subito pavore attoniti recurrêre ad arma, factoque in Tartaliam è loco superiore impetu, nisi subsidiarium militem Brachius auxilio misisset, ingentem ea die stragem edidissent; sed coëunte multitudine eum habuit exitum pugna, ut capti hostes ad unum, atque rebus omnibus spoliati dimitterentur. Quæ res mirificè exercitum confirmavit, ingenti præda locu-

C pletato milite. Paulo interfecto, Tartalia ad occupanda ejus oppida cum suis copiis in agrum contendit Romanum. Interea ad Brachium Reatinorum venêre legati, qui sex millibus nummûm mulctati, quòd Brachianum militem occidendum curaverant, in fidem recepti sunt. Nam Reate quoque factionibus intestinis atrociùs quàm finitimæ Urbes agitatur. Veriti ergo, ne exules tanti Ducis auxilio Civitatem invadentes, adversæ factionis multitudinem excitarent, imperii summam ad Brachium detulere. Jam enim majores erant illius vires, quàm quibus resistere posse ne remoti quidem Populi

D crederentur. Per hos dies Narnienses & ipsi quoque seditiosi sponte deditionem fecere. Quorum exemplo finitimum oppidum (Sanctum Geminum vocant) legatos, qui imperata facturos, Prætoremque ejus accepturos dicerent, miserunt. Tanta facta regni accessione, majore Umbriæ parte subacta, in agrum Picenum cum exercitu proficiscitur, sperans id, quod futurum videbatur oppida Caroli Malatestæ, quem captivum in vinculis habebat, facilè in ejus deventura potestatem, præmissis qui ad deditionem solicitarent. Mons Bodii, Capazanum, Morum, Massatum, Majolata, & alia quædam exigua Castella non exspectata oppugnatione, portas

E adventanti duci aperuerunt. Idem factura cetera videbantur, ni Pandulfus Malatesta Caroli frater, & Martinus Faventinus, clari bello Duces, qui per id tempus Brixiæ stativa habebant, audita Brachii profectione, in Picenum venissent, qui ceteris nondum occupatis oppidis, firmissima disposuere præsidia. Fertur Brachius vel insitâ à natura prudentiâ, vel præsagio quodam divino scripsisse ad Martinum Faventinum hominem supra modum pecuniosum, admonuisseque, ut sibi caveret, ne ipse Carolum redimere suâ pecuniâ cogeretur. Illum verò aut dissimulasse, aut aliam in partem accepisse.

pisse. Nec multis post diebus ficta conjura-
tionis suspicione, à Pandulfo circumventum
atque interfectum. Brachius cognito hostium
adventu, ne frustra æstatem in his locis con-
sumeret, capto Saxoferrato, & Gualdo Nu-
cerino, Perusiam revertitur. Heic compe-
rit, Perusinos finitimis intulisse bellum, &
ejus nomine Castellum Plebis viginti millia
passuum procul ab Urbe, & huic finitimum
Castellum Novum ad defectionem compulis-
se. Nihil illi gratius esse potuisset. Jam non
militibus solum usurus bello videbatur, sed
Civium etiam sua sponte militantium dele-
ctum habiturus; & sæpe antea Perusinorum
virtutem superiore perspexerat bello, nunc
eos suo imperio accessionem sponte quærere,
id demum mirificè lætabatur. Quam ob rem
vocato in concionem Populo, gratias publi-
cè, privatimque egit. Iterumque pronuntia-
to militibus itinere, in Picenum revertitur.
Huc Legati Venetorum, qui Malatestis
favebant, ad Brachium venere, accepti ma-
gno honore, & exponere mandata jussi, pri-
mùm congratulari Venetos ejus victoriæ di-
xerunt, cujus etsi nulla adhuc exstarent in
eum Populum beneficia, tamen virtutem illis
& fortitudinem pergratam esse. Sperare pro
magnitudine gerendarum rerum, ejus se
operâ usuros, mutuaque intercessura officia.
Nam nec Venetos ingratos esse, nec Bra-
chium quicquam nisi summa cum fide gerere
solitum. Deinde quod reliquum ad præsen-
tem spectaret legationem, plurimum orare,
ut Carolum Malatestam optimè de Veneto-
rum Republica meritum, commendatum ha-
beret, & si quid apud eum tanti Populi va-
leret auctoritas sinè pretio liberaret. Ma-
gnum id futurum Venetis munus, nec ullam
gentem esse gratiorem, non bello solùm ce-
teras nationes, sed etiam liberalitate & be-
neficentia vincere. Quòd si nimio peterent
studio, non videri mirandum, qui amicos
suos deserere in calamitatibus impium, ne-
fariumque judicarent. Semper Venetis, quòd
modico dividerentur mari, amicitiam cum
Ariminensibus, societatemque stetisse. Tam
amplæ Legatorum postulationi Brachius pau-
cis respondit: Habere se Venetis ingentes
gratias, qui Legatos gratulatum ad se misis-
sent. Ceterùm quod ad Carolum pertineret,
invitum se contra illum cepisse arma, nec
movisse Ariminensibus bellum, sed ultro in-
vasum ac lacessitum. Nulla in re militaria
jura violasse; nihil illi secum fuisse negotii,
defendere se armis coactum esse. Fortunam,
quæ causæ plurimum favere solet, victori
affuisse. Caroli non minorem injuriâ, quam
intulisset, fuisse jacturam. Quippe se ad Pe-
nates suos redeuntem arcere voluisse. Nec
dubitare, si superior ille in acie cepisset,
fuisse sibi crudelissima morte pereundum.
Sæpe hostem, quum factis nequivisset, ver-
borum immanitate sævire auditum; se tamen
Diis gratias ingenio esse mitiore, nec quid
hostis in se voluerit, sed quod ipse in ho-
stem debeat cogitare. Numquam sibi cum
quoquam de sanguine, semper de gloria &
dignitate certatum. Illum victorem, vitâ se
fuisse mulctaturum: nunc quando Dii meliùs
huic bello consuluissent, pecuniâ mulctari
captivum Ducem; quem ipse si par pari re-
ferre pergeret, variis suppliciis, durissimis-
que tormentis excruciasset. Carolum quidem

A pecuniosum esse, & latos obtinere imperii
terminos; sibi verò omnia contra, pecunias
nullas, multum æris alieni. Nuper receptam
Civitatem diuturno exinanitam bello, non
stipendia, non vectigalia pendere. Hæc quo-
niam stipendiariis careat, aliunde quæren-
da esse, nec ulla re quæri honestiùs potuis-
se, quàm bello. Jam tunc maximis urgeri
difficultatibus, quum tot undique præsidia
disponenda essent, atque omnia mercede
conducenda. Igitur si centum millia num-
mûm persolveret, liberum abiturum, nec
molestè ferrent pecuniis mulctari eum, qui
si vicisset, sanguine se mulctasset. Legati,
B quorum princeps erat Belperus quidam, ve-
hementiùs instare, & minas precibus misce-
re cœperunt, vel quòd ita publicè haberent
in mandatis, vel ut id, quod magìs Brachius
est suspicatus, privatâ gratiâ, & intima cum
Carolo familiaritate conjuncti, omni ope
atque studio pro ejus salute niterentur. At
Brachius, quem, ut preces flectere non po-
terant, ita minæ acriùs incenderunt: *Quid
hoc*, inquit, *est mali, si juvare cupitis amicum,
quin illum pecuniâ vestrâ redimitis? Cur ab ejus
id postulatis hoste, quod vos amici præstare non
vultis? Centum millia nummûm belli jure mea
C sunt; ea vultis ut dono dem hosti meo; cur non
vos vestro potiùs amico? Re non verbis constat
amicitia. Nihil enim facilius quàm verbis juva-
re amicum. Nihil turpius, quàm quum re est
opus, verbis adesse. Quod mihi, quæso intermi-
namini? quos ego nec offendi umquam, nec quod
spero sum offensurus. Si vestro mari piratica
classe navigantem, si terrâ vexantem imperium
vestrum intercipietis, nihil equidem recusabo.
Heic si forte bellum inferetis, nec animus qui-
dem mihi deerit propulsandi. Quòd si defecero
viribus, aut aliunde petentur auxilia, aut illud
certè cogitabimus, nihil homini gloriosius; quàm
aut propulsare injurias, aut si hoc non possit mori
propulsantem. Utcumque futura sit res, hoc unum
D affirmare vobis possum; nemo Brachium verten-
tem terga, sed aut vincentem, aut bello morien-
tem intuebitur. Proinde facessite nunc qua huc
venistis via. Mihi certum est, quando minis res
agitur, tamdiu captivos habere in vinculis,
etiamsi perpetuò detinendi sint, donec qui redi-
mendi sunt, militari more redimantur.* Legati
minis abacti discesserunt. Hæc dum in Pi-
cenis agerentur, Perusini novas seditiones
excitavere, discessu Brachii licentiùs vagan-
te multitudine. Origo seditionis fuere Ple-
bejorum nocturni cœtus, qui diu oppressam
Optimatium potentiam tam subitò levatam
ægrè molestèque ferentes, quo pacto Urbe
eos depellerent, cogitare dicebantur. Sed
bis ea tentata seditio est. Primùm eorum,
E quos Brachius Civitatis curæ delegerat, au-
ctoritate sedata, mox Optimatibus arma ca-
pientibus, civili clade restincta, ex Plebejis
aliquot trucidati sunt, plerique Urbe agro-
que depulsi, reliqui tam inepti bello quàm
pacis cupidi propinquorum gratiâ incolumes
servati. Sic mutatâ fortunâ qui paulò ante
regnaverant in exilium dejecti, qui exula-
verant regno restituti, humanarum rerum
exempla præbuerunt. Opes exulum partim
direptæ, partim in publicum collatæ æra-
rium, & in civilium Magistratuum æra con-
stitutæ. Optimates post pulsam alterius fa-
ctionis multitudinem, rem omnem ad Bra-
chium, ut sese habuerat, per literas nuntia-
runt,

runt, inimicorum culpâ factum contendentes, nec se priores cepisse arma, sed ad capitis vitæque defensionem coactos. Caput autem ejus tumultus fuisse Raynerium. Brachii is erat avunculus. Qua re diligentiùs investigata, compertâque, restitui suas cuique opes, ceterùm auctores ipsos in exilio esse decrevit. Optimatibus admonitis, ut Civium saluti parceretur, & quanto minimus posset, exulum esset numerus, quietiores futuros ratus, qui remanerent, si hoc tam graviter punitæ seditionis exemplo admonerentur. Inter hæc Ariminenses magnis factis auctionibus, ingentique coacta pecunia Legatos ad Brachium de redimendis captivis simulque de facienda pace miserunt. Conditiones fuere, ut acceptis octoginta millibus nummûm, Carolum liberum sociumque factum dimitteret. Deerant ad constitutam summam viginti millia. Pro his aliquot dierum dilatio est concessa. Pace confecta Perusiam cum exercitu revertitur. Carolus Berardo Camerti tamdiu observandus traditus, quoad pecuniam persolvisset. Eâ partim persolutâ, partim Feltrano sponsore promissâ, intra paucos dies, quinto mense, postquam captus profligatusque fuerat, Ariminum ad suos revertitur. Brachius dato militibus stipendio, & quæ bello gerendo usui forent comparatis, proximam expeditionem pronuntiat. Mox omni exercitu ex hybernis deducto, iter primùm Tudertum ad componendas res urbanas, deinde Spoletanorum, Nursinorumque fines ingressus, agrum infesta populatione vastabat. Spoletani Nursinique facta inter se jampridem societate, Legatos de pace miserunt, veriti ne populato agro, statim obsidione intra mœnia compellerentur. Pax non ante data, quàm decem millia nummûm ad stipendium militi contulissent. Pecuniâ collatâ exercitum agro deduxit. Tota jam Umbria vectigalis facta in ejus devenerat potestatem.

Roma erat, quæ invictum animum ingenti cupiditate solicitum habebat. Hanc ubi subegisset, nihil imperio suo defuturum existimabat. Nec deerant, qui ad Urbem occupandam vocarent, conjurationeque facta deditionem facturos pollicerentur. Igitur cum omnibus copiis profectus in agrum Romanum, trans amnem Anienem non multum procul ab Urbe castris consedit. Romanis pauca admodum erant præsidia, & agri vastationem pati rem putabant indignissimam. Pontificis Legatus, qui Urbi præsidebat, ubi tam prope imminere hostem cognovit, etsi nihil dubitabat, quid illi animi foret ad imperium occupandum, metu tamen dissimulato ad ejus castra veluti ad amicum sociumque proficiscitur. Ejus adventum Brachius magnificè, ut par erat, excepit. Quærenti, quam ob causam Urbi admovisset exercitum, respondit, causam sibi eamdem, quam Pontificibus esse, imperandi gloriam. Nec tamen ideo Romam occupatum venisse, ut Pontificatu eriperet imperium, sed ut quamdiu Pontifex abesset Italiâ, vacuam præsidio, & multorum tyrannidi expositam custodiret. Legatus diu nequicquam dehortatus, Romam rediit, existimans paucorum consensu accitum hostem, nec ausum illum tam parva manu tantam aggredi Urbem fuisse. Vocatis ergo Civibus in concionem: *Bello*, inquit. *petimur, Romani. Adeò multos, qui paulò plus habeant potentiæ, vel infirmitas vestra, vel Urbis fatum invitat. Paulò ante perpessi Regem sumus. Nunc, si Diis placet, Tyrannum Roma patietur. Et tamen mœnibus atque armis septi, & Populi multitudine muniti sumus, quantâ, si animi non fluctuarent, hostis ne ultimos quidem fines hujus Urbis, ausus fuisset attingere. Nunc quando nec fortunâ vestrâ contenti estis, nec Fidei jacturam veremini, cogor non minùs à vobis hoc sanctissimum imperium, quàm ab hoste defendere. Majores vestri, qui ab Oriente ad Occasum extenderunt imperii fines, nulla virtute magìs, quàm fide atque integritate claruerunt. Vos nisi jampridem ab illis degenerastis, nihil magìs in contemtu habetis. Nec optimi Pontificis rem ago, qui etiamsi esset immanis, colendus tamen vobis pro fide, & gloria foret. Movet me vestræ ignominiæ labes, qui ubi hostem receperitis paucorum factione, quid nisi domini vestri desertores appellabimini? Potuit hoc in Rege honestiùs, & pro potentia, & pro dignitate tolerari. Et ubi semel delinquitur, fato magìs adscribitur, quàm voluntati. Sed à Pontificis fide deficere, parere Tyranno, quid hoc indignius Romano Populo? Et jam naturâ dicemini non fato toties peccare didicisse. Patiemini cruentum hostem contaminare hanc Terram? In qua tot monumenta Religionis, tot sanctissimi cineres, tot simulacra, templaque Deorum immortalium? Patiemini non hominum modò, sed etiam Deorum esse desertores? Quo animo feretis, tot delubra militum fieri stationes, ut quæ sanctissimo Religionis cultu celebrari solent, ea militari libidine polluantur? Exteræ gentes & nationes, quum vestram hanc Terram ingrediuntur, pura mente, suspensoque animo vix attrectare vel ipsos audent muros, vix premere pedibus divinum solum. Vos non premendam hanc Urbem, sed conculcandam, nec conculcandam solùm, sed coinquinandam, diripiendamque hostibus concedetis? Quid finitimi, quampulcrè perfidiam vestram objicent vobis? Etsi scio, non omnes tam corrupto esse animo, ut conjurationis auctores sequi possint, hos ego nunc admoneo, hos alloquor. Capite arma fideles Cives. Qui perfidi esse volent, eant ad hostem, vocent, introducant. Nec in hoc quidem perstabunt, paulò post ab illo quoque defecturi. Etsi scio proditiones gratas esse hominibus interdum, proditores tamen semper nefarios, detestabilesque judicari. Nec iis magìs confidit hostis; quàm nos, qui confidimus deceptos esse, reputabit.* Hac oratione partim restincta conjuratione, partim animis civium confirmatis defendere se armis decreverunt. Brachius quum oppugnare Urbem copiarum paucitate non posset, vexare agrum est aggressus. Continuos deinde complures dies latè factis excursionibus, Pontem Salarium, præsidiaria manu defensum, durissima oppugnatione adortus vi cepit; trajectoque in patentes campos exercitu ad portas usque Urbis magno cum impetu penetravit. Suburbanis ædificiis populatis, octingentos circiter Romanos ne ipsi quidem Romani captos fuisse negant. Hac tanta calamitate perculsi Cives, legatos, qui de pace agerent, ad Brachium in castra miserunt. Multæ proponebantur conditiones; nulla tamen præter Urbis deditionem recepta est. Cives habito inter se consilio, quum tantus ad portas instaret hostis, nec ulla spes esset auxilii, Urbis Rectorem appellatum intra mœnia cum exercitu receperunt, rati, si qua hesterni belli vis

vis incubuisset, præsidio tanti Ducis tutissimos esse futuros. Urbem ingredienti (ut sunt hominum magna novis in rebus studia) undique urbani apparatus in triumphi speciem præferebatur. Perventum jam videbatur ad imperii culmen. Sed adversùs tantam gloriam Dii atque homines statim insurrexere. Quippe quum alterum jam mensem Molem Adriani nequiquam oppugnasset, exercitum perniciosa invasit pestis, sive prœliis intentum militem solis æstus relaxaverat, sive densioris cœli infecerat perniciosa caligo. Corpora primùm occultus invadebat languor; mox paulatim deficientia pestilens sitis ardor exurebat. Hæc non aquâ, non liquore ullo extingui sedarique poterat. Plerique bibendo lassi deficiebant, paulòque post moriebantur. Brachius vix quarta parte copiarum incolumi, veritus ne Populus vel alieno hortatu, vel suo impulsu in ægrotum & pæne confectum exercitum concitaretur, Rugerium Perusinum, & Berardum Camertem, cum sexcentis equitibus, quos ad agrum Picenum præsidio reliquerat, Romam accivit. Rursusque frustra oppugnata Arce, quum novas copias idem ille morbus invasisset, simulque Neapolitanorum copiæ ad solvendam Arcis obsidionem adventare nuntiabantur, Româ discessit; commodiùs curatum iri militem arbitratus mutata cœli regione, palustrique & fluviali vitata caligine. Postquam Urbe discessum est, Romani septuagesimo die post deditam Urbem ad hostes defecere. Perusiam reversus Brachius exercitum ad hyberna dimisit. Ipse constituendæ Civitati, stabiliendoque imperio intentus, omnibus Oppidis atque Urbibus, quæ in sua essent potestate, annua tributa imperavit. Tudertini, Urbevetani, Narnienses, Interamnenses, Esini, Spellani, Cannarienses, Reatini, cæterique finitimi Populi, ut cuique magnæ erant opes, ita pretiosa Pallia (sic enim genus tributi vocant) pendere jussi sunt. Hæc res maximè omnium Perusinorum devinxit animos. Videbant Urbem paulò ante obsessam, ac pæne dirutam, optimis legibus, æquissimis institutis, confirmatam, & quod longè gloriosissimum putabant, caput imperii factam; finitimas autem Urbes, partim tributarias, partim vectigales esse. Pallia erant, quæ plus dignitatis afferre, magìsque imperio decori esse judicabant. Ea verò qua die Brachius Carolum profligaverat, quotannis convecta primùm universa in foro collocata. Mox ad Civitatis celeberrimum Fanum delata suspendebantur. Finitimi quoque Tyranni aureos cyathos, argenteaque vasa deferebant. Qua die hæc agebantur, quo Civitatem variâ afficeret lætitiâ, equestres in foro ludos faciendos curaverat. Maximè omnium. Ludos Perusinos, quibus jam puer sæpe interfuerat, spectare placuit. Sic enim patria appellant certamina. Res mira, & exercendi corporis atque animi perpetua, efficaxque materia. Omnis Civitas duas in partes divisa superiorem, inferioremque novi, & inusitati generis armis instruebatur; nonnulli tamen expeditiores, ac leviter armati, ut qui solâ galeâ, umboneque & ocreis durato atque incocto corio confectis, erant muniti. His pro clypeo erat læva involutum pallium, qui & conjiciendis, & excipiendis saxis apti Jactores vocabantur. Ii celebritate

A multum valentes aciem primam obtinebant. Bellum lapidibus inire jussi, Jactorum aciem, quos vocant Armatos, sequebantur. Horum armatura gravior, vel qua in bellis, & militia utimur. Primùm, ut inde ordiamur, inferiores pedes lineo triplicato panno, & cervino vellere distento, atque oppleto tegebantur. Inde ex eadem materia durissimo & duplici obducta corio, tibiarum munimenta ad poplitem usque surgebant. Superiora crura ferreis incincta coxalibus, ferreo quidem, sed purpurâ vestito, & corpus tegente thorace colligabantur. Sed ne quid lapidum colliderent ictus, stupeæ, bombicinæ veluti laminæ, lineo consutæ panniculo, sub thorace

B distensæ ventri, pectorique adæquabantur, quæ totos obeuntia humeros, ac terga, ad medios usque ulnarum lacertos, tamquam duæ manicæ descendebant. Collum inferioremque cervicem panno ac bombice densa involucra, & durato ingenti corio fulta muniebant. Supremum verticem ferrea tegebat galea. Huic quo lapidum latè volitantium casum cernere, quove hostem ferire possent, lata erant ab ore relicta foramina in rostri speciem excedente galea. Supra verticem tria involucra denso intexta filtro, & in pilei modum sese proferentia, purpureo, argentoque, ut cuique erant facultates, apice,

C conoque surgebant. Inde rursus vario pennarum colore distinctæ corollæ attollebantur. Hæc à tergo ad medios usque delapsa humeros purpurea excipiebat lacerna. Reliquum corpus ornatior vestis decorabat. Hi erant, quos Armatos vocabant. Dextrâ alligatum brachio scipionem, læva clypeum ferentes, excipiendis magis ictibus, sed tamen etiam incutiendis parati. Ergo ubi universus convenerat diversâ armaturâ Populus, quisque suam in partem secedebat, duæque Civium acies, duo prima fori occupabant ora. Medium quod erat spatium pugnæ relinquebatur. Primùm juvenes vivaci ac robusta ætate ad tertiam usque diei horam inibant pugnam.

D Mox soli pueri suis & ipsi contecti armis, duabus continuis horis inter se lapidibus decertabant. Quod reliquum erat diei, omnis generis ætates ad prœlium discursitabant. Primam aciem obtinebant leviter armati, jussi eminus in adversos saxa conjicere. Sic quum utrique semper instare, numquam fugere parati, propiùs rem gererent, gravis armaturæ, quos diximus, accurrebant. His turpissimum erat saxa conjicere, sed in mediam ruentes aciem clypeis, scipionibusque pugnabant. Nec tamen interea cessabant saxa. Videre erat pulcherrimum hos ferire, illos cadere, alios subniti clypeo, atque in adversarios toto sese corpore inferre, implicare,

E ac clypeo, ac scipione oculos, ora petere. Victoria erat medium occupasse forum, atque inde adversarios rejecisse. Omnium erat pulcherrimum, senes fenestris, ubi videndi studio consederant, desilientes aspicere, & toga, pallioque abjecto decurrentes ad opem fugientibus suis ferendam, sistendamque fugam. Nec ætatis aut reverentia, aut imbecillitate contineri poterant; tanta erat partium æmulatio. Sæpe duo millia Civium in foro hoc modo armati dimicabant. Nec umquam incruenta stetit res; nam quotannis deni, vicenique contriti, obrutique cadebant. Nec perpetuo & continenti certabatur anno.

Lu-

Ludorum initium jam inde à Calendis Martiis perfectos dumtaxat dies: nec ampliùs, quàm in duos, qui ſequebantur, celebrari menſes conſueverant. Nec cæſorum occaſione injuriæ, aut odia gignebantur. Vulgo periiſſe, & caſu putabant, qui periiſſent. Nec ante pugnâ deſiſtebatur, quàm alteri loco eſſent repulſi. Tum demum quovis uno vel puero pacem poſtulante prœlio excedebant. Conſtat omnium prædicatione, nihil umquam in Italia ſolitum geri ferociùs. Inde robur & animo & corpori, inde genti vim, & ſtrenuitatem, increviſſe putant. Brachiani milites ſæpe intermixti juventuti, ac pugnam ingreſſi, facilè à civibus vincebantur. Fertur Brachius, quum feneſtrâ, quæ fori imminebat, inſidenti nuntiaretur perniciosum eſſe ejus diei prœlium, multoſque pertinaciâ conteri, proinde dirimi pugnam juberet, ſpectaculo intentus reſpondiſſe: *Senogalliæ fieri me jubes Imperatorem*. Quod tunc dici conſuevit, quum imperanti nemo niſi ipſemet, qui imperat, paret.

Componendis per hunc modum rebus intento Brachio, unum Oppidum Saxumferratum detrectabat imperium, quod nullo eo anno collato tributo haud multo poſt, quum Brachius Tuderti moram traheret, rebellione facta defecerat. Arx tamen imminens oppido & ſitu egregiè munita fido tenebatur præſidio. Hac re nuntiata, Brachius repentè deducto ex hybernis exercitu, in Picenum contendit, occupataque munitiore Oppidi parte, forum excurrit. Auctores rebellionis, quia capere non potuit, direptis domibus maximò affecit incommodo. Mox compoſitis rebus Peruſiam reverſus exercitum ad ſtativa remiſit. Per hos dies nuntiatum eſt certiore nuntio, Odonem Columnam, cui poſtea cognomen Martino fuit, Civem Romanum Summum Pontificem declaratum. Ad hunc Peruſini ſtatim de conſtituendo imperio, & ſumma rerum Brachio permittenda miſêre legatos inſolito & numquam antea audito legandi more. Neque enim primores Urbis dumtaxat, verùm ſummi atque infimi & prope omnis ætas conſenſit; itumque eſt in ſententiam primùm pedibus, mox etiam clamore. Legationis principes fuere Berardus Camers & Matthæus Ubaldus, quorum operâ Brachius pro ſingulari induſtria rerum gerendarum plurimùm utebatur. Poſt hæc quod reliquum fuit hyemis in hybernis tranſactum. Æſtate adveniente Brachius eductis copiis ad Caſtellum Plebis paludes Cluſinas trajecit in Senenſium fines profectus. Cauſa trajiciendi fuit Citonienſium juvenum fuga, qui Citonii regnabat duos filios ad Brachium militatum miſſos nondum completo ſtipendio revocaverat; qui ut patri obtemperarent, injuſſu Ducis militiâ diſceſſere. Eo traducto exercitu Brachius primo impetu Oppidum, altero Arcem expugnavit. Senenſes quòd eorum agrum contingeret decem millibus nummûm Oppidum emerunt. Sic transfugæ perfidiæ pœnam dedere. Inter hæc Legati, quos ad Pontificem miſſos oſtenderam, poſt aliquot menſes re infecta redierunt, nec aliud quàm judicatum Brachium Religionis hoſtem devotumque retulerunt; quod ſeminarium futuræ contentionis fuiſſe putant. Brachius ſatìs jam auctis viribus, ut finitimos, quos nondum bello adierat, affinitate devinciret Odoni ex concubina nato Fulginatum Tyranni, filiam dedit uxorem. Stetit deinde Peruſinis ex ea re magna cum Fulginatibus amicitia. Poſt hæc Brachio ad Saxumferratum profecto, proxima Caſtella ſua ſponte venêre in poteſtatem. Sancti Severini magni Oppidi dominus, veritus ne bellum in ſe converteretur, miſit ſtatim de pace legatos, qui dicerent omnia quæcumque eſſent imperata facturum. Quibus diebus hæc in Piceno agerentur, Cherubinus parva manu miſſus, in fines Urbevetanorum oppida quædam in fidem poteſtatemque recepit. Per idem tempus Peruſiæ ingens orta peſtilentia Urbem non ſolùm militari præſidio, ſed fugientibus etiam per agrum Civibus ſpoliavit. Qua re audita, Senenſes, qui jampridem Brachio poſt captum Citonium maximè afficiebantur, centum equites, quadringentoſque pedites publico ære conductos ad Urbis cuſtodiam miſêre. Gratiorem fecit eam rem Ducis abſentia. Hoc tam liberale beneficium paulò poſt inita ſocietas excepit, & Senenſes, quorum permagnæ erant opes, ſponte ſua ſtipendiarii facti quotannis deinde conferenda militibus æra tribuerunt. Quæ liberalitas eo major eſt habita, quo ne remunerationem expetere, ſed ultro beneficium accumulare niſi ſunt. Secuta deinde non ſocietas ſolùm, ſed arctior quædam amicitia & Senenſium & Peruſinorum tutiorem habuit rem. Dum in agro Piceno moraretur Brachius, miſit, qui à Ludovico Firmano quatuor millia nummûm repeteret; quæ pecunia ex ſuperiore Piceno bello pro redemtis captivis debebatur. Ferunt Ludovicum hoc nuntio accepto reſpondiſſe, ſe dormire. Qua voce ad Brachium perlata: *Et ego*, inquit, *dormientem excitabo*. Pronuntiato in ſequentem diem militibus itinere, nondum orto Sole movit exercitum, miraque celeritate profectus in hoſtes Falleronum Ludovici oppidum ſubitò atque improvisò aggreditur. Heic trecenti equites loci præſidio impoſiti, quum extra portas temerè prœlium capeſſerent ad unum capiuntur. Facto mox celeriter in portas impetu, fruſtra repugnantibus oppidanis intra mœnia milites irruperunt, oppidumque diripuerunt. Hac re perculſus Ludovicus, cui Brachianorum virtus cognita jampridem fuerat, pecuniam miſit. Brachius ingenti ſimula â irâ, pecuniâ repudiatâ propius caſtra permovit, nec ante duplicatam bello diſceſſit. Octo millibus nummûm redemta pax eſt. Heic Brachius inquit: *Quia quod debebat non perſolvit, id perſolvere coactus eſt, quod non debebat*. His in Piceno geſtis, quaſi altero Orbe geſturus bellum, trajecto flumine Tiberi longis itineribus Mugnanum pervênit, quod oppidum ab Ulyſſe Urſino tenebatur, exercitu admoto. Veritus Ulyſſes, ne oppidum nullo præſidio munitum oppugnaret hoſtis, miſit qui bellum deprecarentur, ac ſeſe imperata facturum dicerent. Eo in fidem accepto in Senenſem contendit agrum, Cluſinaque trajecta palude haud procul inde ſurgentia Cocchi Salimeni Oppida oppugnare eſt aggreſſus. Cocchus cui longè plus pecuniarum quàm militum erat, Legatos cum quatuor millibus nummûm de pace miſit. Eâ impetratâ tutiorem deinde habuit agrum. Continuò Luceníes petiturus ſumma cum cele-

celeritate Senam prætergressus, in Florentinorum penetravit fines. Nec heic quidem demoratus, facto per Arnioram itinere, ubi flumen transivit, expeditam militum manum ad excurrendos Lucensium fines præmisit, ipse cum ceteris subsecutus copiis paululum substitit; mox in agmina disposito exercitu, parata, intentaque acie ad portas usque percurrit celeritate atque impetu quanto numquam antea delatus in hostes. Causa celeritatis fuit spes Lucensium Tyranni de improviso capiendi; quem fama erat insana extra Urbem moliri ædificia. Nec ullum præterire diem, quin ad visendam eam substructionem, incitandosque operarios, cum paucis exiret Urbem, magnamque diei partem operi inspiciendo consumeret. Alii non in suburbana ædificia, sed ad Castellum Pisanum proficisci solitum hortos ac pomœria pensilibus muris ædificare nuntiabant. Utcumque res esset, Brachius maturandum sibi, vincendamque celeritatem velocitate censebat. Quæ profectio tam præter Lucensium spem fuit, ut vix depopulatoribus visis tantum spatii tam subito Piceno, veluti pennis in intimam Etruriam crederent pervolatum. Simul qui excurrerant agrum, prædam agebant, simul ad portas ceteræ constiterunt copiæ. Tyrannus celeriter per adversam se recepit portam. Primùm agrestium, mox oppidanorum vocibus conclamatus, Brachius, ubi frustra petitum Tyrannum cognoscit, omnes simul copias quameffusissimè prædatûm dimittit. Lucenses quod subitis in rebus solet accidere, tanta invaserat trepidatio, ut obditis Civitatis portis, oppugnari se statim, aut obsideri dubitaverint. Quam ob rem factæ celeriter munitiones, propugnacula præsidiis completa, vigiles per stationes collocati, machinæ ad hostem arcendum in mœnia convectæ, fossæ circum urbem altissimo munitæ vallo. Hæc omnia Populi subita & incredibili celeritate confecta. Interea hostes latè populati omnia prædæ tantum coëgerunt, ut totius agri Lucensis pecore, agrestibusque correptis, vastata cuncta & in solitudinem redacta viderentur. Res improvisa prædam auxit oppidanis, quorum plerosque longa pax, & metenda, colligendaque seges in villas atque agros adduxerat, nihil hostile metuentibus. Tyrannus bellicis rebus insuetus, tanta suorum calamitate accepta misit, qui de pace conficienda, redimendaque præda, & captivis agerent, commodiùs arbitratus pecuniâ propellere ferocem hostem, quàm ultimum belli discrimen exspectare. Nec delectus tantos habere poterat, quibus bellicosissimum hostem reprimeret; cujus conatum atque vires nemo ante id tempus sinè suo magno incommodo contempsisset. Pax ita convenit, ut Tyrannus quinquaginta millia nummûm ad biduum persolveret, partim numeratâ pecuniâ, partim Florentinorum mensariorum sponsione promissa. Brachius restitutâ prædâ finibus agroque decederet. Facta cum Lucensibus pace, deductoque inde ut convenerat exercitu, Perusiam per Florentinorum agrum eadem qua profectus erat celeritate revertitur; nec ullâ commissâ morâ facto per Fulginatem itinere ad Nursiam obsidendam contendit. Jam ad portas pervenerant copiæ, quum Nursinorum legati de concordia oc-

A currentes, multis ultro citroque habitis, tamdem quatuordecim millibus nummûm bellum redemerunt, veriti ne nondum collectam messem hostis incenderet. Augustus enim erat mensis, & Nursini prope gelidissimos Italiæ montes habitant; quo fiebat, ut tardiùs exacta frumenta nondum meti atque excuti potuissent: Et jam autumnus altera non minor agricolarum imminens spes aderat. Motis inde castris profectus cum omnibus copiis in Picenum, Casteneam oppidum cinxit obsidione, nec multo post acri oppugnatione perrupit. Sed arce aliquamdiu frustra tentata oppidum incendio vastavit; qua in re plus indulsit iræ, quàm humanitati B consuleret. Inde Pergulam profectus, statim recepit in potestatem. Sed jam instante bruma tot undique exactis ad stipendium pecuniis militem ad hyemandum dimisit, ipse cum paucis ad Esim Urbem in hyberna concessit.

Hæc dum geruntur, Martinus, quem Pontificem declaratum ostendi, in Italiam reversus Florentiam venerat. Qua re cognita, Brachius semper antea secutus Pontificum amicitiam, Legatos ad eum quoque, qui opem ac fidem pollicerentur, misit. Romanum Imperium multis tempestatibus jactatum, ac prope demersum paulùm sub hoc Pontifice attolli cœperat, quæ res Brachium jam tum longo intervallo futura præcogitan- C tem magìs ad societatem impellebat. Legatis & gratiæ actæ, & spes fœderis injecta est; ceterùm nihil certi reportatum. Eam ob rem unum post mensem redire Florentiam jussi, tunc quoque infecta re, atque omni spe concordiæ sublata redierunt. Brachius ubi videt pertinaciâ laborare Pontificem, omni via congerendam pecuniam censuit, ut si quid belli exoriretur, stipendium non deesset ad militem conducendum. Mittuntur igitur ad Guidonem Feltranum, qui duodecim millia nummûm reliqua ex sponsione repeterent. Illo verba magìs quàm pecunias reddente, post crebros missos repetitores, bello jus D suum statuit prosequendum. Eductis ex hybernis copiis in fines Asisiatum, quæ illius erant imperii, castra movit. Malatesta Balionio ad Urbem occupandam præmisso, direpto Feltranorum præsidio, Urbe est potitus. Arces duæ arduo in colle sitæ capi statim non potuerunt. Sed ne tempus vana oppugnatione consumeret, modico ad Urbis custodiam relicto præsidio Eugubium cum cetero exercitu proficiscitur. Quod iter eo maturiùs fuit, quòd prodendi oppidi spem quidam ex oppidanis fecerant. Rugerius Perusinus cum aliquot equitum turmis præmissus, ingressus oppidum, magna vi, atque impetu oppidanorum repulsus ad subvenientem exercitum refugit. E Brachius ubi videt proditores, neque ad signum, neque ad diem apparuisse in suburbia, quadrato delatus agmine, leve cum præsidiariis, qui Urbi à Feltranis erant impositi, prœlium commisit. Sed Urbe montuosâ atque asperâ situ, & hostium munitâ præsidio desperatâ, populatus agrum ad Gualdum oppidum reduxit exercitum. Motis inde castris quarta die, postquam Asisium est reversus minorem arcem à custodibus traditam recepit. Decimoque inde die majorem & ipsi quoque sua sponte aperuere custodes. Asisio subacto Legati Florentinorum ad Brachium venerunt, qui no-

mine quidem à Populo Florentino, re autem à Pontifice missi agere de pace cœperunt. Brachius ad eam conficiendam suos & ipse Legatos Florentiam misit. Interea confecta in hybernis hyeme circiter Calendas Martias stipendium dare militibus cœpit. Tantum enim superiore anno pecuniarum coëgerat, ut nihil novis auctionibus opus esset. Milites, quo Civitas belli commoda sentiret, ex stativis Perusiam convocati. Heic equos, heic arma coëmere jussi sunt. Omnibus celeriter comparatis, in castra copias eduxit equitum duo millia, peditum ingentem numerum. His viribus atque hoc belli apparatu ad obsidendam Urbem Spoletum, caput nunc Umbriæ, proficiscitur. Spoletani aliquot exulibus, qui sub Brachio militaverant, receptis in Urbem, uno omnium consensu deditionem fecerunt. Arx erat inexpugnabilis omnium non modò in Umbria, sed in cetera Italia situ, atque opera munitissima. Hæc arduo posita in saxo, ex altera parte Urbi supereminet, ex altera inviis altissimisque cincta præcipitiis finitimorum montium societate lato intervallo disjungitur. Tum ex arce ipsa pons ad montes pertinet crebris erectus fornicibus, ac tam altus, ut despicientium oculi exorta hebescant caligine. Extremo autem ponte, turris alta munitaque medio in monte prosurgit, unde quoties urbano tumultu impetus in arcem fiat, subsidium recipere custodes queant, & hostes munitum turri pontem occupare non possint. Porro naturæ munimentis etiam hominum accessit industria. Quippe arcem triplex latissimus præcingit murus, quam etiam sinè muro natura defenderet, tam lubrico undique & præcipiti lapsu, ut vel devoluta saxa arcere oppugnatores possint. Brachius capta exteriore turri, quum & pontem libero aditu occupare contenderet, ipse quoque instructus clypeo egregiè inter ceteros pugnam ciebat, & cautior futurus in prœlio, ne quis se Imperatorem appellaret inhibuerat. Pugnantem emissa ab arce sagitta infimo pede trajecit; quæ altè defixa humi, nec avelli pede, nec terra effodi poterat. Quòd ubi gregarius advertit miles, trabem fortè ad extruendam congeriem portans accurrit, Imperatoremque Brachium appellans nomine, tormento & ipse corripitur, vulnere haudquaquam feliciori. Quippe trajectum telum per mediam, ut erat extensa, palmam, & trabi, quam gestabat, infixum tenaci hærebat morsu, nec deponere trabem poterat miles, nec palmam inde sinè aliena ope divellere. Heic Brachius velut sui periculi oblitus: *bene*, inquit, *habes*, *quod me alieno tempore vocas Imperatorem*. Ægrèque hic terrâ, ille trabe diffixi risum ceteris, nec sinè suo dolore, præbuerunt. Brachius vanam oppugnationem ratus, ne temerè aggressum militem saxa colliderent, cingendam obsidione arcem claudendamque etiam à monte constituit. Sed res multo egebat peditatu. Nam equitum loci iniquitas vanam operam faciebat. Mittuntur ergo qui militem mercede conducerent, Perusiæque in primis peditum haberent delectus. Perusini sponte sua mille in castra venerunt, indubitatum bello robur præter domesticam, & insitam illi genti animorum magnitudinem rei militaris minimè imperiti. Hi post paucos dies obsidioni relicti, egregia belli egere facinora. Brachius quod dubitabat de Spoletanorum fide, undecim obsidibus imperatis, ac Perusiam missis extra Urbem cum equitatu processit. Causa procedendi fuit, quòd nuntiatum est, Sfortiam à Regina Neapolitanorum adversùs se missum magno cum exercitu adventare. Sed quoniam res admonuit pauca de Regina dicere aggrediar, quo magìs reliqua in aperto sint. Ladislaus Rex, quum duas uno tempore habuisset uxores, tamen sinè certis liberis, & legitima prole decesserat, factum profectò indignum tanto Regno, ceterum Regis illìus immanitate dignissimum. Huic mortuo Johanna soror successit imperio, non virtute aliqua, aut prudentia, sed præcipua Neapolitanorum in regiam stirpem fide. Hæc nihil mulierum naturâ indignum egisse in vita traditur. Nam & maritos alios purpureo laqueo suspendit, alios nudos è thoro extra fines Regni præcipitavit, & liberos, quos viris parere non poterat, per adoptionem nulla cum stabilitate suscepit. Quippe nunc primum Alphonsum Valentinorum, Siculorumque Regem, mox deinde Ludovicum, quem diximus, ex Gallorum gente adoptavit. Quæ res multorum malorum origo Neapolitanis fuit. Regina vel aliquo suorum hortatu, vel quod magìs putaverunt, à Pontifice solicitata, tria millia equitum Duce Sfortia mittere adversùs Brachium ferebatur. Qua re cognita Brachius Perusinis in obsidione arcis relictis, cum delectissimo equitatu, nullâ interpositâ morâ Tudertum proficiscitur. Huc profecto Sfortiæ literæ redduntur, quibus significabat nihil se contra eum moliturum. Tartaliam unum esse quem peteret. Brachius ut erat summi consilii, cognita fraude, ferè in hæc verba rescripsit ad Sfortiam: Sibi quidem, quem ille peteret, incertum esse, ceterum vel se, vel Tartaliam peteret: id contra se futurum. Neminem sibi Tartaliâ esse cariorem, privatam amicitiam publico etiam fœdere roboratam esse. Proinde sciret Brachium amicum illi esse non posse, cui Tartalia esset inimicus. Mittitque extemplo qui rem omnem Tartaliæ nuntiaret, simulque diem diceret, qua die Volsenum cum omni exercitu convenirent. Inter hæc Sfortia deductis è monte Rotundo copiis inter Viterbium & Montemflasconem castra collocaverat. Sed Brachio diutius in Tudertinorum finibus hærente Tartalia prior Volsenum, ut erat constitutum, pervenit. Quibus de rebus certior per speculatores factus, Brachius trajecto Tiberi eodem & ipse contendit. Junctis ad Volsuvium castris, missi exploratores, qui hostium iter exciperent, Sfortiam radices montis occupasse, paulatimque in cacumen evadere nuntiabant. Brachius maturandum sibi censuit, & supremum jugum magna cum celeritate occupandum. Monsflascus ingenti est altitudine, sed qua parte Viterbium despectat, à quo octo passuum distat millia, molli ac declivi lapsu in planiciem descendit. Qua verò in subterjacentem desinit lacum, à superiore clivo quinque passuum procul à Volsuvio prosurgit, tanto finitimis editior montibus, ut longo tractu terrarum, regionumque intervallo prospiciatur, nec tam altitudine quàm vini copia & præstantia notus. Hoc monte ab utroque Ducum ingenti cele-

celeritate occupato, quum Sfortia ad supremum cacumen, Brachius nondum ad mœnia Oppidi, quòd in cacumine situm est, pervenissent, modico spatio consederunt. Brachius accusata militum tarditate, exercitum ad planiciem, non satis tutum fore locum arbitratus, eduxit, non procul à radicibus montis: ratus (quod postea evenit) superiorem numero hostem aut descensurum ad prœlium, aut Viterbium per saltus rediturum. Igitur Tartaliâ ad se vocato, quid facto opus esset ostendit. Primum varii dimissi exploratores, qui totam noctem in speculis vigilarent; & quum movere hostis cœpisset, quamcelerrimè nuntiarent. Tartaliam deinde ad extremos saltus occupandos obliquo tramite cum duabus cohortibus proficisci jubet; ipse ad arma per speculatores citatus cum reliquis copiis ingressus silvas, paratâ intentâque acie equorum vestigia sequebatur. Jam Tartalia non procul à Viterbio hostem anteverterat, qui paululùm subsistens properantem Sfortiam, & quod accidit metuentem, tamdiu pugnando demoratur, donec à tergo urgentes Brachianæ cohortes adorirentur, quæ tanto impetu se in hostes intulerunt, ut dissipati subitò relictis omnibus impedimentis in fugam se converterent, & via partim angusta erat, partim recurva atque inflexa, ut non commodè prœliari milites possent. Tum si potuissent, subitus hostium, & improvisus impetus modicum consilium ingenti terrore discusserat. Duo millia & trecenti equites capiuntur. Sfortia prementi hosti plurimis acceptis vulneribus propinquitate Urbis evasit. Tartalia post victoriam non procul inde stativa posuit.

Brachius primùm Tudertum, mox Spoletum magna cum præda, nec minore gloria revertitur. Inter hæc Sfortia tam subita calamitate afflictus, belli reliquias cogere, & qui pugna evaserant ingenti, ut fama erat, Reginæ, ut res habebat, Pontificis stipendio confirmare cœpit. Tartalia quoque à Pontifice solicitatus magno accepto stipendio cum Sfortia conjunxit, quæ res haud multò post infeliciter vertit. Neque enim facilè nova atque incerta amicitia constare potest, ubi vetus & probata deseritur. Pontifex, cui jampridem invisa erat Brachii potentia, etsi agebatur de pace, omni tamen studio proximos cum Populos, tum Duces concitare conabatur, ut nondum confecta pace Brachium opprimeret. Sfortiam & Tartaliam junctos alterum alteri conciliaverat. Guidum Feltranum qui Urbinatibus, & Eugubinis imperabat, cum Perusinorum & Asisiatium exulum manu solicitabat ad bellum. Carrariæ Comitem magno cum exercitu mercede conduxerat. Angelum Pergulensem, quem Perusino bello victum profligatumque ostendi, & multos præterea militares Duces, cum duobus millibus equitum una in castra coëgerat. Undique hostiles apparatus nuntiabantur. Brachius veritus, ne tanta bellorum mole opprimeretur, antequam omnes hostium copiæ unum in locum convenirent, aut confligendum cum singulis, aut distinendas quoad posset existimavit. Igitur ipse cum parte copiarum profectus Asisium, ut Feltranis obsisteret, reliquum exercitum in obsidione arcis dimisit. Hostes interea de conjungendis exercitibus consilia inibant. Guido Feltranus, quòd de proditione Asisii per quemdam agebatur, Sfortiam & Tartaliam, ut Narem ac Tiberim trajicerent, crebris nuntiis hortabatur. Quòd eo faciebat consilio, ut Brachio ad arcendum illorum adventum converso, Asisium sinè præsidio relinqueretur. Brachius interceptis nuntiis cuncta hostium consilia præterquam prodendæ Urbis interceperat. Nec multis post diebus per exploratores cognoscit, Sfortiam confirmato leviter exercitu prædatum tendere in Perusinum agrum ad arva Clusina depopulanda, quo non solùm Perusini, sed finitimi quoque sua pecora compulerant. Jam Sfortia transmisso flumine Plana, leviter armatam manum ad excurrenda arva præmiserat. Ipse firmioribus cohortibus paululum subsistens, non multo intervallo sequebatur, sed veritus, ne quos Urbevetanorum præsidio Brachius imposuisset redeuntem cum præda invaderent, cautior, cunctatiorque procedebat. Ubi arvis appropinquavit exercitus quamlatissimè fusi ingentem prædam hominum pecorumque coëgerunt. Brachius de hostium profectione certior factus, celeriter cum quingentis equitibus ad transitum fluminis occupandum intercludendumque hostem, delatus, Sfortiam præverterat tanta velocitate, ut triginta passuum millibus una nocte confectis, vix trecenti cursum ejus æquare potuerint. Reliqui in itinere fessi defecerunt. Hoc in loco exspectato hostium reditu prædatorum inconditum agmen aggressus ingenti terrore perculit, paucisque captis equitibus præda omnis est erepta. Sed milite tam longo noctis itinere fatigato persequi latiùs hostem non potuit. Plurima bella consilio hic Dux nonnulla invicti militis virtute, cuncta tamen incredibili celeritate confecit, quem hostes tot millibus passuum procul dormire crediderant, à tergo atque à fronte priùs invadentem sensere, quàm quicquam de ejus motu vel suspicari potuissent. Præda his quorum erat restituta, collectisque quos in itinere fessos reliquerat, Asisium proxima nocte revertitur. Hic non ampliùs uno demoratus die, quo miles quietem caperet, in fines Eugubinorum acie infesta proficiscitur. Oppugnato Glomesio quum arcem capere non posset, oppidum direptum à militibus incendi jussit. Proximo deinde vastato agro exercitum cum præda reduxit. Inter hæc speculatores variò dimissi, Sfortiæ & Tartaliæ adventum referebant; jam Tiberim flumen trajecisse hostilem exercitum, jam pervenisse Narnium, & Capitonum oppidum in Narniensi cœpisse etiam transfugæ nuntiabant. Brachius ratus hostem ad solvendam Spoletanæ arcis obsidionem venire, Asisii modico præsidio relicto, dimissis, qui Feltranorum motus exciperent ad Sanctum Geminum non procul à Narnia movit castra invasurus hostem, si Narem amnem trajicere aggrederetur, simulque si quid Feltrani processissent, solita celeritate profligaret. Quod ut tutius facere posset, omnes fluminum ac montium aditus jussit occupari, interclusurus hostes, si ad defendendam arcem venire properassent. Feltranorum aliud erat consilium. Qui ubi videre relictum ab hoste Asisium, nec magno teneri præsidio, solicitare, qui prodere oppidum promiserat, cœperunt. Dicunt horam atque locum. Asisium arduo in colle

colle situm, Fanum ad radices habet pro mœnibus omnium, quæ in Italia sunt, operi & structurâ pulcherrimum. Heic angustum erat tenui muro obductum, & eam ob rem paucis ante id tempus observatum foramen. Qui proditionem agebat, Idibus Octobribus de prima vigilia venienti hosti locum aperuit. Et quia plures aditus angustiæ non capiebant, singulos ad se equites medio noctis silentio recipiebat. Jam in multas horas processerat res; nec recipiendi finis ante factus, quàm duo millia equitum, & mille ducentique pedites essent intromissi. Qui ubi superiorem Urbem, mediaque in Urbe forum occupavere, subito sublato clamore oppidanorum somno graves animos terruerunt; & qui Brachianæ factionis erant, eorum domus fortunæque direptæ sunt. Mox facto nequiquam in arces impetu, quum eas expugnare nequivissent, munita Urbis occupaverunt loca; nec cæde quidem aliquot oppidanorum abstinuere, nocte ut augente audaciam, sic furorem clademque tegente. Asisii defectione nuntiata, Brachius ingenti affectus est dolore, cum quòd Urbs erat finitima Perusinis, & assidui belli futura materia, tum quoniam plurimum ex ea re suæ detractum gloriæ judicabat. Sed ubi intellexit neutram arcem expugnare hostem potuisse, recuperandæ Urbis consilium requirebat. Cui rei nulla re magìs quàm celeritate opus esse arbitrabatur. Igitur sub occasum Solis cum mille equitibus Asisium versùs contendit. Vix mille processerat passus, quum statim præmittit qui quingentos pedites Perusiâ accirent. Item qui triginta imperatis obsidibus reliquas copias, quas obsidendæ Spoletanorum arci reliquerat, contraherent. Fulginatum præterea Tyranno literas dat, ut quadringentos pedites Spellum ad se mitteret. Ubi Spellum est festinatum, Perusini, quod longiùs aberant, ad diem non convenêre. Brachius tanto coacto peditatu, quod montuosum futurum erat prœlium, addito virtuti dolo, primùm Tudertinis recuperatum Asisium, profligatumque hostem nuntiavit, simulque jussit, ut luminaria primâ, ut fieri solet, nocte per mœnia, turresque disponerent. Quod ideo factum, ut Urbis desperata defensio, quamdiu Asisium oppugnaretur, venientem hostem retardaret. Nec consilium fefellit. Nam quum solicitati à Feltranis Sfortia & Tartalia trajecto Nare ad ferendum Asisiatibus auxilium venirent, prospectis in Tudertino luminaribus, quod erat victoriæ signum, tardum esse subsidium rati non procul à Narnia restitere. Brachius interea paucos ad minorem præmisit arcem, ferreos cancros, ingentemque vim malleorum comportare, & continentem arci murum, quantum duodeni simul equites intromitti possent, demoliri jussit. Misso deinde ad occupandum superiorem montem peditatu, ipse cum equite ante primam lucem ad minorem se ostendit arcem. Hostes etsi præter Civem numero præstabant, ferocitate tamen Brachianorum perculsi, quammaximis inter Urbem atque arcem munitionibus factis, fossas longissimè ductas, vallo aggereque munierunt. Huc quicquid usquam inventum est trabium, tabularumque congestum, multis in locis, ubi debilitas loci majorem exposcebat opem, ingenti saxo latè ac

A præaltè constructæ maceriæ. Brachius peditatu in aciem producto, equitatum omnem, qua muri erant dejecti, turmatim intromittit; dispositisque à latere sagittariis, qui oppugnantes eminus ferirent, signa in hostium munimenta jubet inferri. Sed quamvis magno facto impetu, nihil tamen in tanta congerie milites conficiebant. Et qui intra munitiones pugnabant numero ac virtute resistentes, ubi vis hastarum urgeret, infra trabes occulebant sese: alii modico intervallo remotiores eminus in hastatos conjiciebant tela. Quæ res oppugnationem durissimam faciebat. Brachius invidiâ tam subitæ defectionis incendebat militem. Feltrani B quod credebant Sfortiam ac Tartaliam insecutos hostem subsidio venturos, vana spe fortissimè impetum sustinebant. Brachius ubi videt frustra tentatas munitiones, directis in hostem sagittariis triginta fortissimos delegit equites, atque ita parva manu ingens orsus est bellum. Hæc simul agebat, simul aliquot pedites ad majorem arcem secundùm Urbis mœnia dimittit; qui prœlio intentum hostem supernè adorti munitionibus averterent. Interea qui munitiones tuebantur, & quos eminus tela conjicere dicebamus, acerrimè pugnantes à sagittariis confodiebantur. Tum Brachius propius signis inferri jussis; *Age, inquit, sequere me, miles*. Atque ita concitato C equo primus omnium perrupit in hostem: ceteri tanto virtutis exemplo, simul ne Imperatorem jam inter hostes summo cum periculo dimicantem desererent, uno globo conferti prosiliere intra munimenta, repenteque omnis est subsecutus exercitus, tanta vi animorum, ut nonnulli fossam transire nequeuntes, à ceteris equitibus contriti, conculcatique sint. Hostium milites tamdiu obstitere, donec interiora munimenta tutiore conficerentur loco. Sed hæc quoque superno adventu peditatus perfracta, rejectaque victori jam militi patuere. Oppidani conterriti suas quisque domos diversâ fugâ D repetebant; atque Urbis direptionem metuentes, pretiosissima quæque defossâ obruebant terrâ. Jam ægrè à militibus repugnabatur, quum diversæ factionis cives clypeis tecti succurrêre. Quæ res ut victoriam tardavit, ita majoris causa cædis fuit. Nusquam pugnatum est atrocius. Hostium fortissimus quisque trucidatus, nec quisquam nisi vulneratus referebat pedem. Civibus clypeatis Brachius, ne equos verutis aut hastis confoderent, Perusinum peditem ab obsidione revocatum opponit; qui recens atque integer magnam Civium edidit stragem. Ancipiti aliquamdiu pugna, tamen hostes plerique à sagittariis ac peditibus vulnerati deficiebant E magìs quàm cadebant. Equitatus angusto loco nihil egit aliud quàm quòd hosti paulatim cedenti, ne quando ultra procederet, resistebat. Quum pedites à fronte, dextra, læva continuò ultro inferentes signa dimicarent, jam ventum erat ad declivia Urbis. Heic primum hostes iniquitate loci rejecti manifestam cepere fugam. Pauci per adversam Urbis partem muro sese ejecere: portis evasere nonnulli; ceteri capti omnes. Cecidere in prœlio ducenti. Brachiani non multi desiderati. Ceterùm vulnerati complures. Inferiore deinde Urbis parte, cui hostes, quod alterius erant factionis, pepercerant, diri-

diripienda militibus data. Præter ignobilem multitudinem septingentos ex hostibus conjecit in vincula, eosque partim Perusiam, partim Tudertum observandos dimisit. Qui aliquot menses non publica solum ergastula, carceresque, sed privatas Civium domos complevere. Exules Perusinorum Perusiæ, Asisiatium Asisii capitali supplicio affecti. Qui Urbem hosti prodiderat, altissima turri præcipitatus. In ceteros minus sævitum.

Dum hæc ad Asisium geruntur, ducenti milites, qui arcem Spoletanam tuebantur, facta eruptione vacuam, & urbanis, & militaribus præsidiis invasere Urbem. Depulsi quos Brachius ab exilio revocaverat, ipsi tenuere imperium. Brachius post devictum Asisium in Tudertinum ad copias hosti objiciendas, transitumque in Etruriam atque Umbriam prohibendum concesserat. His diebus Betta uxor Perusiæ moritur. Hæc nobili Armannorum familiâ septem & viginti annos conjugio sterilis tamen sinè prole expleverat. Ejus funus magnificè celebratum. Sepulcrum genere & viro dignum erectum est. Denique humana atque divina persoluta omnia. Inter hæc Tartalia quanto ante id tempus amicus fidelior, tanto post violatam, aut certè desertam amicitiam hostis infensior, ut plerumque mortalium animos delicta sua exasperant, omni via tentare virtute, dolo, quo pacto Brachii & imperium offenderet & dignitatem. Hic ex Urbevetanis captivis quemdam solicitat, ut Urbem sibi proderet, totius Italiæ situ munitissimam. Multa atque ampla pollicitus, facilè hominem ad proditionem impellit. Dimissum ad suos hortatur, ut rem pulcherrimam quamoccultissimè posset maturaret. Sunt qui non captivum, sed alterius factionis hominem solicitatum velint. Quicumque is fuerit, constat de proditione agitatum. Conjuravere in eam rem ex Civibus nonnulli, quibus suæ fortunæ non satis placebant. Urbi autem Malatesta Balionius paucis cum equitibus præsidebat; qui ubi clam de proditoribus compertum habuit, excubiis ac vigiliis confirmatis, rem omnem dissimulatam ad Brachium detulit. Illi re cognita, non priùs de supplicio conjuratorum, quàm de hostis profligatione consilium occurrit. Summa igitur celeritate cum octingentis profectus equitibus noctu clam Urbem ingreditur; statimque Civitatis portis claudi jussis proditorem capiendum curat. Cui arctissimè catenis injectis, quanto in periculo sit, & quàm justè pereat, ostendit. Uno facinore recuperari posse, si ejus operâ Tartalia hostis interciperetur. Hac una re & famam & vitam recepturum; alioquin crudelissimo exemplo, & cruciatu periturum esse. Ille magnitudine periculi, simul quod videbat frustra jam moliturum reliqua, mittit qui Tartaliam ad Urbem occupandam advocaret, dicitque & diem & horam, qua hora Urbem esset ingrediendum. Adjecit vigilem se ea die ad Urbis stationes excubiturum, clavesque habiturum Civitatis; frustra deinde rem tentatum iri, si nunc tam opportunum prodendi tempus elaberetur. Tartalia motis à Monteflascone castris, magna spe potiundæ Civitatis elatus, quod sperabat primo tumultu alteram factionem ad arma concursuram, non cum omni exercitu, sed quo tectior esset res, cum trecentis delectis equitibus, tidemque peditibus ad Urbem contendit. Brachius intenta exspectabat acie. Jam ad portas pervenerant milites, quum crepitum armorum intra Urbem resonantium excipientes, veriti insidias, referre pedem cœperunt. Brachius dolo non procedente instructa ut erat acie, magna vi, & clamore erumpit in hostem, tamdiu persecutus fugientem, donec Tartalia ipse cum paucis Suganum confugeret; ceteri omnes caperentur. Mox Sugano oppugnato, suburbanisque direptis vicis. Qui cum Tartalia eo confugerant, equos ad unum amisere; ipsi ad interiora oppidi se receperunt. Sed quominus oppido potiretur Brachius, causa fuit paucitas peditatus, quum nec sagittarios quidem in subitam expeditionem adduxisset. Sunt qui affirment, Tartaliam è mœnibus appellasse Brachium, multisque in veterem amicitiam commemoratis, ut obsidione discederet, exorasse. Post Tartaliam profligatum Brachius sexaginta imperatis obsidibus primoribus Urbevetanorum Tudertum cum exercitu revertitur. Post paucos dies Matthæum Ubaldum Legatum ad Pontificem mittit, ut sæpe jam tentatum, pacem, societatemque postularet; nihil reliqui facturus, quominus Pontifici se conciliaret. Interea Perusiam cum omnibus copiis reversus, inferendum Eugubinis bellum constituit. Motis itaque Perusiâ castris, Serram Eugubinorum munitissimum oppidum oppugnandum contendit. Quod eo facilius futurum putavit, quoniam media hyeme nihil tale suspicari hostem existimabat. Oppidum magno militum impetu expugnatum, alii direptum tradunt, nonnulli duobus millibus nummûm ab hoste redemtum auctores sunt. Serrâ captâ Perusiam ad augendum exercitum, reparandamque expeditionem revertitur. Interea qui speculatum erant missi, omnes hostium reliquias ad Eugubium convenisse referebant. Iis etiam Perusinorum, atque Asisiatium exules conjunctos esse. Suspectiora hæc faciebant duo Duces, Angelus Pergulensis, & Guidus Feltranus, qui cum omnibus copiis, quæ ex superiore bello superfuerant, eodem convenerant. Huc accedebat ingens agrestium peditatus, ex proximis accitus oppidis, qui ad multa millia in armis esse, quotidieque magìs augeri ferebantur. Brachius certior rerum omnium per speculatores factus, Nonis Januariis in fines Eugubinorum, qui Apennini colunt radices, pervenit. Fuere in ejus exercitu equitum non ampliùs mille, peditum circiter duo millia, partim quos tyrones Civitate delegerat, partim qui erant veterani & belli variis periculis probati. Hac manu tripartita, tres simul Urbis portas est aggressus, tanto militum ardore, ut hostibus frustra repugnantibus refractis portis, multi capti direptique eodem undique impetu referantur. Sed Urbs edito in loco sita, suâ se naturâ situque defendit. Tum ingens hostium ac validum erat præsidium, ut facilè vel saxis propellere possent oppugnantem hostem. Illud fuit omnium longè maximum, totum triduum consedisse intra mœnia, & neque in superiorem evadere Urbem, neque suburbanis depelli ab hoste potuisse, nec tamen umquam interea nunc levi, nunc gravi prœlio cessatum. Tertia jam die nequicquam periculis consumtâ, Brachius ubi videt nihil se proficere adversùs

sùs hostem, desperata Urbis expugnatione, solvit obsidionem, suburbiis tamen lato igni vastatis. Miserrimum hostium oculis fuere spectaculum vicorum incendia; sed nec ad ea restinguenda ante hostis discessum descendere ausi sunt. Brachius quicquid prope fuit agri vastato ad Fractam revertit. Hic urgente adhuc hyeme equitatum ad hyberna, peditem ad suam quemque domum dimisit; ipse paulò post Perusiam hyemandi gratiâ concessit. Jam paululum hyemis restabat, quum Sfortia & Tartalia confirmato, quoad potuerant, exercitu, in fines Tudertinorum populatum venerunt. Pauca quædam, nec situ nec opera munita Castella ab his capta. Quæ res causa fuit expeditionis in Tudertinum maturandæ. Nec hostes quidem ejus adventum exspectavere, satìs rati, quòd imminentem Eugubio bello avertissent. Ergo modico castellis, quæ ceperant, relicto peditatu, ad sua statim hyberna, quæ erant Transtiberim, se contulerunt. Per hos dies quum Eugubini hostium absentiâ latius ac licentius vagarentur, Nicolaus Picininus, cujus paulatim augebatur virtus, parva manu eorum excurrit agrum, vastavitque. Ut sunt semper improvisa mala graviora, multum prædæ, multum captivorum actum est. Hoc primum ejus viri auspicium fuisse tradunt. Nam ante id tempus gregarius miles, nec nobilitate, nec potentia clarus, semper postea virtute & gloria insignis, ætate mea Ducum omnium in Italia præclarissimus; quos tanto post se reliquit intervallo, ut cùm multi variique Duces ex Brachii familia, veluti ex militiæ officina prodierint, hic unus Imperatoris sui & nomen & exercitum retinere ausus sit, fide nemini secundus. Qui & viventem Brachium numquam deseruit, & illo mortuo Brachianæ militiæ assertor esse ac dici voluit. Nec quicquam nunc in Italia Brachianorum nomine magnificentius. Quod alter majore imperio peperit, non minore fide educavit alter. Quibus diebus hæc in Eugubinis gesta sunt, Legati qui cum Pontifice de pace conficienda jamdiu egerant, Tudertum cum conditionibus redierunt. Brachius consilio Florentinorum, qui fœderis auctores fuerant, quo præsens pacem confirmaret, Florentiam proficiscendum constituit, commodius futurum arbitratus, & ad benivolentiam propensius, si ipse Pontificem adiisset, loco præsertim minimè suspecto, ubi si quid insidiarum in se strueretur, vindicem habiturus esset violatæ fidei Populum Florentinum. Sed quo famam sui nominis, & exspectationem hominum compleret, curandi erant novi ac magnificentissimi vestium comitum, equorum apparatus. Primum omnium familia cuncta pari vestitu est òrnata. Quadringenti præterea ex omni exercitu delecti milites, vestibus armisque conspicui. Duces, Præfecti, Centuriones argento aurove, ut cujusque erat dignitas, vestimenta, fræna, phaleras, vario labore texturâque distinxerant. Arma tam bene jussa expoliri, ut mirantium perstringerent aciem. His adjecti ex aliquot Populis, quibus imperabat, Perusini, Tudertinis, Urbevetanis, Narniensibus, Reatinis, Assisiatibus, aliquot instructissimè ornati Cives, turba quidem illa togatior, sed cultu & magnificentiâ tantâ in profectione haud contemnenda. Et ne quid deesset gloriæ, Fulginatium & Camertium Tyranni, pari hominum atque equorum ornatu accessere comites.

Rebus ita compositis Nono Calendas Martias ad iter se paraverunt. Quadringenti fuere equites, pedites haud ampliùs quadraginta. Ex his pars hastati, pars sagittarii, omnes utrumque Ducis claudebant latus, nec usquam itineris ab illo recedebant. Prima die ventum est ad Thrasimenum Perusini agri atque imperii terminum. Postridie Cortonensium ingressi agrum. Hic Florentini imperii est limes. Miro rerum òmnium apparatu accepti sunt. Quippe Florentini per omnia ditionis suæ loca dimiserant, qui transeuntibus non hæc usitata & vulgaria genera cibariorum, sed rarissima & deliciosissima quæque ministrarent. Nec ulla gens est accipiendis amicis, exhibendàque liberalitate magnificentior. Quatuor præterea nobiles domi Cives ad eum excipiendum præmissi continenti itinere comitati sunt. Ipse armatus tamen sinè galea procedebat. Pauci erant inermes, quos è Civitatibus ad honestandam profectionem delectos ostenderam; ceteri veluti ad bellum intenta pergebant acie. Tertius jam illuxerat dies, quum in agrum Florentinum trajecto flumine Arno est perventum. Heic magnificentiora videri cœpta; si quâ difficilius fuisset iter, limites jacebant æquati solo; saxa quædam malleis perrupta; quædam in dextram, aut lævam sevoluta expeditum reliquerant aditum. Modicis præterea intervallis frequentia exposita cibaria, crebrique per montem dispositi ignes aspiciebantur, ut quum equis descenderetur, simul cibo, potuque simul igni reficerent corpora. Ubi verò ad liberam devenere planiciem, tum ingens Civium obviam emissa multitudo, & Cardinalium familiæ universæ occurrerunt. Turbæ quoque puerorum, qui studio videndi multum erant progressi, latè compleverant vias. Horum altissimæ voces Brachium geminantes undique exaudiebantur. Nec grandiores se jam continere poterant Cives, quin pari studio adducti, Brachium & ipsi bis terque conclamarent. Paululum jam ab Urbe aberant, quum in proximam divertens casam positis armis ornatissimas induit vestes, turpe ratus, si tam amicam Civitatem hostili salutasset vultu. Purpureæ vestes auro atque argento distinctæ fulgebant. Puniceum involucrum, veluti globus in ambitum circumductus, supra verticem latius se proferebat. Nec equi cedebant ornamenta. Phaleræ aureis crispatæ bullis, longo tractu per dorsum, atque armos descendebant; aurea lora aureos quoque excipiebant frænos. Dum id moræ intercessisset, Populus frequens undique extra portam corruere, & quasi Deum aliquem videre. Nunc toties auditum nomen, nunc invicti Ducis fama, & gloria gestarum rerum occurrebat; & quem animis vix capiebant, eum oculis satìs intueri non poterant. Crescebat enim aspectandi studium imperatoria quadam & supra mortalem jocunda præsentia. Constat enim staturâ supra mediocrem fuisse, facie oblonga, sanguine quodam cum dignitate suffusa. Non nigris quidem oculis, sed tamen lætus, & nescio quid grave jucundeque spirantibus, membris ceteris, nisi quæ

quæ vulnerum deformassent cicatrices, mirificè cedentibus. Denique aspectu erat pro tempore festivo & gravi, semper tamen imperatorio, ut inimici confessi sint, quantavis in frequentia aut corona permixtum, stantem, sedentemve, ab ignotis unum ex omnibus pro imperatore dignosci primo aspectu potuisse. Ergo Florentinis non satìs erat vidisse semel: quacumque se latior aperiret via, prætereuntem antevertebant, iterumque aspecturi editos occupabant tumulos limitibus tamdiu confidentes, donec prætergressi ducis respicerent terga. Tum verò magno accelerabant gradu, quamdiu à fronte venientem rursus intuerentur. Nec turba magìs quàm clamor faventium, & Brachium iterum atque iterum reclamantium, augebatur. Portas ingredientem Principes omnium ordinum Cives, juventute & ipsi stipati recepere medium. Multi per angustos vicorum inflexus conculcati contritique ab equis, & quo magìs procedebatur, hoc magìs complebantur omnia, magìsque conclamantis plebis vocibus cuncta resonabant. Nec segnius mulieres patrio exornatæ more ad compita vicosque prodierant. Illum pueri, juvenes, senes, viri, mulieres intuebantur. Nemo umquam acceptus in ea Civitate magnificentius, nec tanto favore omnium Civium. Non illi externi externum Principem recipere, sed Florentinorum Regem venerari; nec majore observantia, quàm amore complecti videbantur. Hac pompa comitatuque, ad Pontificis atrium perventum est. Intromissum ad interiora penetralia, procumbentemque ad pedes, Pontifex perbenignè complexus excitavit, gratiasque egisse Deo optimo maximo dicitur, qui aliquando tantum sibi virum conciliasset. Brachius post Pontificis complexum primùm pedem, mox manum sacro more deosculatus, sua in superiores Pontifices beneficia commemoravit. Neminem pro illorum Imperio plura, majoraque gessisse. Redactam toties ac retentam in fide Bononiam; Ladislaum non Româ solùm, sed Etruria, sed Latio toto depulsum. Graves cum in Piceno, tum Umbria toleratas obsidiones. Deinde pauca de fortuna sua disseruit. Patriâ pulsum diu in exilio egisse ætatem, à Bonifacio deceptum, in fide tamen mansisse. Perusiam Urbem, in qua ipse natus, educatusque fuisset, non quidem Pontificibus, sed Regiis sociis communibus Etruriæ hostibus eripuisse. Sic Tudertinos à Rege, sic Asisiates à Feltranis deficere coactos in suam receptos esse potestatem. Quæ omnia etsi ad Pontificum jura pertinerent, ab hostium tamen manibus esse detracta. Quamdiu in Pontificum fuissent potestate nihil contra esse molitum. Eosdem se belli socios, quos Pontifices jussissent, eosdem amicos atque hostes habuisse. Quæ quanto majora essent, tanto se graviore dolore affectum, quod hostis esset judicatus, quod divinæ in eum imprecationes habitæ, & quicquid vix in sceleratissimum quemque fieri decuisset, congressu hominum, sermone, communione esse inhibitum. Postremò templis, aris, focis interdictum sibi esse. Numquam se nec læsisse, nec violasse Religionem Romanam, nec Deorum immortalium templa profanasse. Nihilo secius perinde quasi humana divinaque polluisset, funestassetque Religionis inimicum judicatum, devotumque fuisse. Quæ ut multo gravissima essent, ita se posthac quamæquissimo laturum animo, fretum conscientiâ rerum à se pro Ecclesia summa cum fide gestarum, modò operâ suâ Pontifex uteretur. Numquam pro sanctissima Religione defatigatum iri. Postremò orare Pontificem, ne graviora hæc putaret, quàm quæ ipse oblivisci posset. Si quid umquam fortiter pro superioribus Pontificibus ac fideliter gessisset, nunc multo fidelius gesturum omnia. Nullam injuriam acceptam tanti apud eum fore, ut à fide & opinione laudis deficeret. Bella non magìs virtute constare quàm fide. Se sic à puero institutum, eum virum esse præclarum, quem nullæ injuriæ, quamvis graves efficere possent injustum. Natum se sub Pontificum imperio; sub eodem & adolevisse, & patria extorrem actum. Pulsis Româ Pontificibus locum sibi in Etruria non fuisse. Illis receptis se quoque aliquid habuisse virium. Eamdem sibi quam illis allusisse fortunam. Nec nunc quidem alieno esse animo. Habere Diis gratias; opes, quam numquam antea majores, & eas ipsas non aliena ope, sed beneficio fortunæ, & virtute sua partas, has omnes Pontifici polliceri. Venturum in bellum cum exercitu, Romani juris oppida redacturum in potestatem, denique facturum omnia quæcumque pro re sua facere quisquam posset. Ad hæc Pontificis pauca fuere verba; se quidquid fecisset, coactum novitate imperii fecisse, nec magìs Brachium quàm ceteros, qui aliquid Romani juris arripuissent, hostem esse judicatum. Imprecationes verò, & divinas illas exsecrationes, incitamenta quædam fuisse terroris, nihil tamen periculi habuisse. Nec omnia, quæ ore coram proferuntur, nocendi animo proferri; ea jam expiata esse. Ceterùm tam liberales pollicitationes grato accipere animo. Jam nunc ejus consilio atque ope, bello paceque usurum.

Hæc ubi ultro citroque dicta, Brachius facta potestate abeundi ad refertum Populo undique, visendi studio confluente, vestibulum exit. Exceptus ab illis ipsis Civibus, quos unà comitatum profectos ostendi, Pontificis quoque stipatus familiâ, ad Arnum flumen, qui mediam secat Urbem, reductus est. Paratæ erant amplissimæ Civitatis domus. Comites, qui venerant suo quisque susceptus hospitio. Ipse in potentissimam egregio cultu exstructam deductus domum. Etsi sæpe aliàs audiverat, tum primum quanta esset ejus Urbis magnificentia, perspexit. Parietes erant Gallicis tapetibus contecti omnes, tum latissimi strati thori, vacuis sed auro purpuraque pictis in cubiculis eminebant. Vasa quoque in cœnaculo partim aurea, partim argentea longissimo ordine feriebant oculos. Huc publicæ, huc privatæ congestæ deliciæ. Tum epularum quicquid umquam mortalium gula potuit excogitare, aurata fercula, aurata condimenta. Nam vulgares succi, liquoresque sorduerant. Hæc omnia Regio cultu succincta, juventus honestabat. Nobilissimi Civitatis jussi mensas sternere, apparare, atque adesse discumbentibus, quamlectissimi ornatissimique convenerant. Tum civium, qui auctoritate & præsentia pollerent, duplex confectus ordo. Al-

teris

teris parandarum rerum datum negotium. Alteris comitandi Ducis imposita cura. Ludi quoque per singulos dies instituti celeberrimi. Ubi ne quid deesset Etruscæ opulentiæ, ne mulieres quidem virorum cultui, magnificentiæque cesserunt. Has aurea monilia, has ultimo Solis orbe petitæ gemmæ decorabant. Denique quidquid divitiarum in Civitate fuit publicè, privatimque ostentationi datum. Postero die in Curiam Florentinam ad Dominos salutandos accessit. Sic enim Decemviri, quos pænes imperium Civitatis situm est, appellantur, duorum mensium Magistratus. Heic multa benignè utrimque amicèque dicta. Brachius pro tanto honore, simulque pro conciliato sibi Pontifice gratias agere. Florentinus pristina ejus in se beneficia commemorare, uterque se devinctum facere. Quibus ex rebus ingens est conflata benivolentia, quum uterque sui beneficii oblitus, meminisset alieni. Hinc illud tacitum, & numquam postea violatum fœdus, perpetuaque cum Florentinis amicitia. Postridie ejus diei Pontificem iterum adivit, nec minore comitate acceptus, multa de pace, concordiaque, multa etiam de Pontificis statu disseruit. Sic totus in consultatione gerendarum rerum ille consumtus est dies. Inter hæc Florentini, qui mirificè jampridem Brachio favebant, Guidum Feltranum Florentiam acciverunt; quo duo vicini Duces paulò ante amicissimi reconciliarentur. Nec fuit difficile. Quippe Brachius commemoratis offensionibus, nec beneficia quidem suppressit. Sic novum odium veteri officio sopitum, & duo Duces precibus Populi Florentini, eâdem, qua priùs, amicitiâ devinciuntur. Hæc res non finitimos solùm, sed totam Etruriam in pace diu continuit. Nec fefellit Florentinos unâ operâ & patrium bellum sedatum iri, & utrumque Ducem devinctum, concordiæ auctoribus fore. Jam aliquot præterierant dies, quum Brachius, quoniam aliâ magnificentiâ uti alieno in Regno non poterat, equestres ludos celebrari instituit, apparatu quanto nec antea, nec postea quicquam est usus. Fuere in ludis milites galeati centum viginti. Cives etiam nonnulli, & quod ipsi mirantur, qui interfuere, unis in ludis, hastarum sex millia confracta. Multa Florentini priora audiverant, plura postea ejusmodi videre certamina, nullum tamen huic neque numero cursorum, neque apparatu, & pompa militari comparandum. Nec quicquam ludis ipsis, quàm tanti Ducis præsentia decori fuit. Ille militem instruebat, ille porrigebat hastam. Idem currentem & subsequebatur & incitabat. Quæ res adeò grata fuit populo Florentino, adeòque visa gloriosa, ut nihil in ore omnium aliud quàm unus Brachius versaretur. Illum interdiu per Urbem universi comitari, illum domi taciti ac ferè attoniti suspicere. Noctu carmina per Urbem ceteris ignominiosa, illi laudem dicentia canebantur. Primo noctis adventu pueri juvenes, & ipsæ ante sua limina mulieres, hæc ad lyram canebant: *Brachius invictus omnem debellat gentem. Martinus Papa non valet quadrantem*. Multis in locis hæc eadem parietibus inscripta; nec præconiis sæpe factis parebatur. Quod adeò Pontificis offendit animum, ut sæpe postea Florentinis quadrantem exprobraverit, capitaleque in eos conceperit odium. Jam vigesimus venerat dies, quum omnibus compositis rebus percutienda erant fœdera, nec deerat Sfortia, qui Pontifici acceptior omni studio ad pacem hortaretur; persuasitque, ut Brachium contra Bononienses, qui paulò ante rebellaverant cum exercitu mitteret. Hoc si faceret, Neapolitanum Regnum vacuum Rege, à mollissima invasum muliere, facilè in ejus venturum potestatem; cui rei nisi procul distineatur, Brachium impedimento fore. Nam Regni Optimates ægrè ferre mulieris imperium. Jam tantam ejus esse inconstantiam, ut duos Regni instituerit heredes, & quum prior displicuisset, alterum ad inferendum patriæ bellum armaverit. Iturum se cum exercitu ad Regnum occupandum; nec aliter fieri posse nisi Brachium stipendio astrictum, quàm posset, procul à Regno distraheret. Bononiense bellum diuturnum & periculosum fore. Hoc illum aut numquam aut ferò confecturum. His verbis persuasus Pontifex, nullam pacis conditionem repudiandam constituit, modò Brachius exercitum contra Bononienses trajiceret, ratus uno tempore duplici se victoria & Bononiensium & Regni potiturum. Fœdera in hunc modum percussa sunt: „ Brachius „ exercitum omnem in Galliam trajicito: „ bellum cum Bononiensibus gerito; Oppi„ da, quæ capientur, Pontificis sunto. Ante „ confectum bellum neque exercitum redu„ cito, neque ipse in Etruriam sinè exercitu „ redito. Pontifex equitatui, peditatuique „ stipendium præbeto. Perusini, Asisiates, „ Cannarienses, Spellani, Esini, Gualdenses, „ Tudertini, sub Brachiique, liberorumque, „ nepotumque imperio manento. Castellum „ Plebis, Montemalboddi, Rocchamcontra„ tam ipse, filiique, nepotesque in potestate „ habento. Quibus velint vendunto, lar„ giuntorve. Sed neque adversùs Romanum „ Imperium arma ipsi capiunto, nec hosti„ bus præbento auxilium. Vices Pontificum „ his in locis gerunto. Vitæ necisque in „ municipes potestatem habento. Qui non „ parebunt iis, etiamsi ad Pontifices perfu„ gerint, bellum, quantum velint, inferunto. „ Si Bononienses non subegerit, idque cul„ pâ non fiat, Pontificis fœdera rata ne sunto. „ Siquid ipseque, liberique molirentur con„ tra funesti, profanique hominum congres„ sus fugiunto. Templa ne intranto. Ignem „ & aquam ne inveniunto. Urbibus agrisque „ spoliantor.

LIBER QUINTUS.

Acto in eum modum fœdere, Brachius quo expeditionem maturaret, Perusiam ad conducendum militem, cohortesque ex hybernis deducendas revertitur, non minore à Florentinis dimissus honore, quàm acceptus. Ergo novo dinumerato stipendio, primùm confectam cum Pontifice & Feltrano pacem à Præcone declarari jussit; totoque animo intentus ad bellum, ad paucos dies profectionem militi pronuntiavit. His diebus Legati Ariminensium Perusiam venêre, petentes, ut natam ex concubina filiam Roberto Pandulfi Malatestæ filio desponderet. Quæ res hoc faciliùs est impetrata, quòd genus Malatestarum, in primis clarum, atque antiquum habebatur. Post hæc antequam in Galliam trajiceretur, pulcherrima cœpta ædificia, primùm testudinem pro foro quamlongissimè protendendam. Muros deinde Civitatis reficiendos curavit, & qua devexior est Urbs ad Orientem præcipitem lapsum, ut plerumque labes fierent altissimis erectis fornicibus æquavit; alterum nunc Urbis rerum venalium forum. Simul hæc curabantur, simul quæ ad novam profectionem expedirent, arma, equi, milites parabantur. Nec multis post diebus exercitus parte collecta, quo reliqui celeriùs sequerentur, octavo Calendas Majas vexilla ad arva Clusina jussit promoveri. Ipse biduum in Urbe componendis rebus, & Magistratibus creandis commoratus, tertio die eodem contendit. Hìc quoad omnes convenirent copiæ, exspectaturus, ac loci usurus commoditate. Quippe pabuli atque ligni mira feracitas. Dum ad Thrasimenum moram traheret, Nardum Vetulum veteranum quidem militem, sed tunc fugam ornare cupientem juvenis famulus accusavit, jussum ingredi tabernaculum, ac causam dicere, vultus sanguisque defecerat. Mox accito tortore, quum proposita novi exempli tormenta expavesceret: *Nihil*, inquit, *opus est quæstione, tuo accepto stipendio tamen ad Sfortiam properabam: cum quod ære premebar alieno & arma atque equos vendere durissimum erat mihi, tum quoniam & idipsum, quod acceperam à te stipendii consumseram, & ille duplicare promiserat. Unâ fugâ & æs alienum non reddere, & integram accipere mercedem poteram*. Hæc confessum proxima in arbore suspendi jussit, dataeque perfidiæ pœnæ, nimis duræ fortasse, sed nullum erat scelus, quod ille tam gravi puniendum supplicio putaret, semper aliàs transfugas & proditores, supra quàm sibi expedierat, exosus. Nonis Quintilibus quum undique conducti milites, unum in locum convenissent, lustrato exercitu, inventa sunt equitum arma ferentium duo millia calonum, peditumque ferè totidem. Ex his plerique erant sagittarii. Hac manu tantum gesturus bellum facto per Cortonensem agrum itinere ad Tyfernum Urbem, vel ut hodie vocant Castellum, pervênit. Heic per exploratores de Sfortiæ apparatu cognoscit, nec credidit quidem primo, sed in dies finè certa causa majores habiti delectus, rem verisimilem faciebant. Hac re diligentiùs explorata, quum omnia suspicionem augerent, mittuntur clam qui ad Reginam cuncta perferrent. Movebat eum partim mulieris imbecillitas, auxilio non tamen magìs quàm consilio digna, partim quòd verebatur, Pontificem occupato Regno, tanta imperii accessione facta, omne in se bellum conversurum. Sed Regina præter mulierum naturam nullo pacto, ut fidem adhiberet nuntio adduci potuit; verita ne fraude bellica decepta, Sfortia à se alienato, finè duce, finè armis, destituta invaderetur. Brachius ne quid ad Tyfernum traheret moræ, superato celeriter Apennini montis jugo, in hostium fines trajecit, ascito sibi Angelo Pergulensi, qui ejus adventum in itinere cum septingentis equitibus exspectaverat, à Legato Pontificis mercede conductus. Interea Bononienses tanto belli apparatu cognito, undique petiverant auxilia. Duces complures accitos in Galliam partem intra Urbem subduxerant, partem per oppida atque agrum dispartierant. Dènique tantum roboris collectum, ut non obsistere solùm hosti, sed vincere posse confiderent. Equitum habuere tria millia & quingentos, peditum incertum; sed tamen ingentem numerum, quos ex omni acciverant Gallia. Sed Duces erant varii, quorum neque animi ad bellum, neque auspicia conveniebant, Gabrinus Cremonensium Tyrannus, Albericus Novellus, Loisius Verme, Simon Canusinus, & alii permulti, quorum nec res gestæ, nec nomina ipsa erant contemnenda. Brachius primo statim ingressu castra posuit non ampliùs quàm quinque millia passuum procul ab Urbe. Quæ res ut magno Civibus terrori fuit, ita ducibus, qui militaris rei erant periti, spem fecit hostilis exercitus profligandi. At Brachius quo magìs irritarentur ad prœlium, simulque ut eorum tentarèt vires, ultro signa moveri ad Urbem jussit. Quum verò mille passus mœnibus appropinquasset, ceterum exercitum paratum, intentumque ad pugnam, in ponte, quem vocant Cruciatæ dimittit, admonitis Præfectis, ut non priùs inde moverent, neve pontem desererent, quàm ipse movendi signum fecisset. Ipse cum octoginta lectissimis equitibus, centumque pari robore peditibus ad Urbis usque vallum processit, ut & provocantium ad prœlium, & respondentium captarentur voces. Huic Loisius unus ex Ducibus, quem dixi, ea tempestate clari nominis, egressus Urbem cum trecentis occurrit equitibus, cœptaque levis est pugna. Brachius veritus, ne multitudine circumveniretur, misit qui signum daret, quo signo quindecim galeatos equites vocari jubebat, nec quicquam in illo Duce ordine & celeritate insignius fuisse constat. Qui ubi advenere, jussi exspectare pugnæ exitum, & si qui portis egrederentur observare, aliquamdiu prœlio abstinuerunt; sed nemine egrediente, pugnam & ipsi capescentes, conglomerati, recto per viam cursu dant sese in medium hostem. Horum tanta vis fuit, ut equo Loisius hastâ ictus excuteretur. Ejus milites perturbati, partim qui erant animo præ-

præsentiore, ut jacentem Ducem excitarent, equoque imponerent, acerrimè resistebant, partim moliebantur fugam, veriti ne omnis simul adventaret exercitus. Capti sunt ex hostium equis octoginta, triginta cæsi. Milites utrimque sex desiderati. Loisio fugiente, magna urbani præsidii egrediebatur manus; qui spectatâ ex mœnibus pugnâ, atque hostium spreta paucitate, fugientibus suis serò auxilium ferebant. Brachius parva quidem, sed pro loco atque numero insigni potitus victoriâ, ad castra rediit. Hæc ut prima pugna, ita fœlici auspicio gesta, nimis hostium depressit animos. Contra Brachiani ab re bene gesta belli avidiores facti, pars latè prædatum ire per hostium fines, pars si pari robore hostis ad prœlium exiret, paratique pro portis armati pugnam exspectare, interdum excursare ad Urbem & mœnibus hærentem hostem contumeliâ lacessere.

Bononienses metu belli primùm omnes vires in Urbem contraxerant; sed mox populatione agri permoti Ducum alios alio oppidorum præsidio dimiserant; qui etsi oppugnationes fieri prohibebant, liberum tamen prædatoribus relinquebant agrum. Nec totis uno in loco resistebatur viribus, nec collatis signis usquam dimicabatur. Jam milites latè circumvecti quotidianâ prædâ castra stationesque compleverant, nec parva & expedita peditum manu, sed gravi equitum mole fiebant excursiones, nullumque dabatur quieti tempus. Tum Bononienses haud multo graviùs ab hoste quàm, Urbanis atque oppidanis præsidiis urgeri, hostes foris, illi domi cuncta absumebant. Erant alendi equi, tecto recipiendi, sustentandique milites, nec quicquam magis quàm pudicitiæ periculum Civibus timebatur. Promiscuè Præfectos cum mulieribus, milites cum ancillis versari, tectorum cogebant angustiæ. Uno bello variæ erant obsidiones. Agrestes nisi agmine in campos pabulatum, lignatumque exire minimè audebant. Præsidia magis hostium fines furtim prædatum incurrere; quàm à præda hostem prohibere. Quæ res maturè conficiendo bello plurimum profuit. Oppidum erat Bononiensium Medicina, munitum opulentumque. Heic Cives initio belli, quadringentos equites præsidio locaverant, qui multitudine Ducum magis quàm peritiâ freti, sæpe & ipsi in proxima exibant Pontificis oppida, & quà hostis non immineret, licentiùs quàm opus erat, fusiùsque prædæ cupidi vagabantur. At Brachius & oppidi, & præsidii famâ pellectus, dum eò quasi exploratum octoginta cum equitibus proficiscitur, fortè in itinere frequentia equorum comperit vestigia, quæ Medicina egressos Oriolum versùs contendisse ostendebant. Hac re animadversa Brachius, quòd crebra erant, & recentia, *prædatum*, inquit, *hostes exiere: bono si Diis placet omine perreximus milites; quò dirigunt vestigia, prosequamur hostium incautam aciem*. Atque ita tritum equis ingressus iter multo spatio quadrato processerat agmine, quàcumque occurreret invasurus hostem. Aliquot passuum millia progressis, non procul ab Oriolo ingens prædatorum exauditur clamor, pecora, & captivos latè agentium. Oppidani, qui non erant capti, in tuta se receperant loca, nec alium populationis finem, quàm hostium discessum sperabant. Nec terruit Brachium multitudo. Quippe pedites erant quadringenti, equites trecenti, sed eorum ut est industria militaris, pars collectam agebant prædam, utilior numero quàm bello manus, pars armis atque equis magnificè fulta, subsidio parata præveniebat. Permittit equum in hostes Brachius, milites quoque concitant suos, & Ducem quanto possunt impetu subsequuntur. Atrox heic prœlium, nec prœlio remissior exoritur clamor. Hostes periti locorum repentè, ubi palustres trajecere fossas, ad vada substitere, atque omnes transitus celeriter occupavere, illinc prementem à tergo militem repulsuri. Fossæ erant perangustæ, ut nisi hostis à fronte repugnasset, facilè transilire militis potuissent. Jam & qui prædam agebant, ad ferendam suis opem recurrere ad fossam. Brachianis, dum pro vallo dimicarent, equi à pedite confodiebantur. Ita nec transilire poterant vallum, nec hostibus prædam relinquere statuebant. Exaudiunt interea oppidani clamorem, Brachii nomen, ut fit in prœlio, resonantem; subitaque spe elati, ut in certamen iretur, alter alterum hortabatur. Nec ira magis illati belli, quàm amissæ prædæ dolor animos incendebat. Corruunt undique ad Brachium agrestes, oppidanique, quibus confestim productis in aciem, & equiti admixtis quadripartito agmine tenditur in hostem. Quà fossæ transitus pateret, agrestes ostendunt. Equites auxilio peditum usi, pars lato campo circumvecti, fossam trajiciunt; pars intenti bello, dum hostis ad superiorem equitatum vado arcendum contendit, fossam & ipsi celeriter superant, prœlium æquo gesturi loco. Sed eorum impetum quum hostes sustinere non possent, fusi, fugatique non modò dimisere prædam, sed ipsi quoque in prædam cessere. Capti equites centum & octoginta, Duces octo. Præda oppidanis restituta. Nec quicquam mirabilius quàm à paucis victoribus tot captivos vinci, trahi, ligari potuisse. Singuli milites binos ternosve contrahebant. Hac victoria reversus in castra Brachius, utendum occasione ratus, omnem armari exercitum jubet, motisque celeriter ad Medicinam castris, perfractis aggeribus, & altissimâ, qua muniebatur, completâ fossâ, oppidum milite, scalis, machinis invadit. Oppidani superiore prœlio magna præsidii parte spoliati, portas victori aperuere, seque ejus permisere potestati. Nihil hac celeritate clarius Bononiensi bello. Hæc quum allata Bononiam essent, ingens trepidatio Civium animos invasit. Nec oppidum erat, in quo plus spei, præsidiique imposuissent. Brachius Medicinâ captâ propiùs ad Urbem movit castra graviore bello pressurus obsessum Civem, & milites tantum jam animorum conceperant, ut urbana præsidia non pluris facerent, quàm si armis atque equis illa caruissent. Tum quòd antea non erant ausi solo agmine incursiones facere, & veluti desertum ab hoste agrum, passim liberèque populari. Hostes non magis bellum, quàm fama urgebat, quàm subducta in Urbem præsidia majorem in dies acrioremque faciebat. Inter hæc secutæ aliquot dies continuæ pluviæ, plurimum difficultates importavere militi. Quippe solum naturâ cœnosum, ac palustre & lubricum, ubi pluvia quoque dissolvitur, nec equis quidem satis per-

pervium est. Sed media æstate ubi primùm cessavit tempestas, cœnum æstu, Soleque duratum facilem reddit incessum æquato solo. Interim obsessa Urbe parte copiarum ad occupandum omnem agrum, Castellaque dimissa, intra paucos dies omnia venêre in potestatem. Jam Urbs universis copiis, & quod ægriùs Civis ferebat, à suis etiam agrestibus obsidebatur. Nec deerant Urbana præsidia, quæ levia interdum prœlia committerent. Sed ab hoste frequenti victoria elato, sæpe intra munimenta repellebantur. Nonnumquam quum aliter effugere non possent, in suburbanas se præcipitabant fossas. Nec ullum ex tot bellis ab hoc Duce gestum feliciùs, nullum præter Pontificis spem celeriùs confectum, & in quo minus sanguinis perfusum sit. Bononienses amisso agro, quum nec auxilia commeatusque suppeterent, & fame gravi urgerentur, emittendos de pace Legatos decreverunt. Principes Civitatis erant Bentivoli, ut nunc publicè Pontificis hostes, ita olim Brachio privata amicitia & familiaritate conjuncti, à quibus leopardi insignibus donatum quidam auctores sunt. Eos Brachius per Legatos hortatur, ut suæ se fidei permittant, nihil injuriæ passuros esse. Igitur Antonius Bentivolus facta deditione Urbis, parvo comitatu ad Brachium in castra venit, paulò post ad Pontificem deductus honestatusque, semper postea in fide permansit. Brachius Bononiam reversus ad res urbanas componendas, simulque vectigalia diu intermissa exigenda, paulò post Perusiam redit. Hunc exitum habuit Bononiense bellum altero mense postquam geri cœptum est, Brachii ductu auspicioque confectum. Bononiâ subactâ quod reliquum erat æstatis Brachius dimisso exercitu urbanis ædificiis consumsit. Inter hæc Sfortia hortatu Pontificis cum omnibus copiis profectus, Neapolim ad Arcemnovam instructa contendit acie, jussâque ad fenestram vocari Reginâ: *Hactenus*, inquit, tum, *stipendium secutus sum, nec fide, nec vigilantia, tuendo imperio defui, quanta potui ope tutatus & Regnum & dignitatem tuam. Nunc tua tibi reddo signa felicia sanè ad hunc diem, & à me numquam in hoc Regno sinè victoria cum hoste collata. Nunc alius tibi quærendus dux. Stipendii quod acceperam id omne finitum perfectumque est. Ad hoc tempus rem tuam sic gessi, ut & mea fides, & Regni tui dignitas requirebat. Nihil est ampliùs, quod tibi à me meoque exercitu debeatur.* Ad hæc Regina tum demum sentiens vera Brachium monuisse, primùm dissimulatâ irâ, precibus retinere armatum Ducem conata, mox terrere minis cœpit. Postremò quum nec precibus nec minis proficeret, contumelia agere, & accusare violatam fidem. Nam ita repentè destitutam esse, quamquam finito stipendio, tamen proximum esse perfidiæ, tum in suo Regno aliena contra se invecta arma, & amicitiæ specie comparatum, paulò post hostem futurum exercitum. Hoc plusquam perfidum videbatur. Denique muliebri succensa ira, illum transfugam, illum proditorem appellare, concitareque Neapolitanos ad arma contra novum ac subitum hostem capienda. Sunt qui affirment Sfortiam Reginæ contumeliâ irritatum, sagittas in eam jussisse intendi, atque ita illam fenestrâ discessisse.

Quæ res magnarum rerum initium fuit. Neapolitani minus ægrè quàm decebat Reginæ injuriam tulisse videbantur. Vocati ad arma nec omnes, nec frequentes concurrerant, tanto postea suspectiores, quanto tunc vindicandi negligentiores habiti. Fama est Sfortiam facto per inermem Populum transitu consensu Civium Urbe egressum evasisse. Mota subitò diversa bella, Regni Proceres plerique ad Pontificem defecere. Regiæ quoque Urbes & cum his Apuli, Lucani, Calabri, Sannites, fecere rebellionem. Soli Neapolitani, Campani, Venafrani, & cum his pauca oppida in fide manserunt. De Reginæ rebus modò tam latè imperantis actum videbatur; nec prope erat unde auxilia peterentur, & undique astabant feroces ab nova rebellione hostes; nec imperium modò, sed spes quoque brevì defectura videbatur. Nam unde gentium imploraret opem? arma hostium undique circumsonabant. Optimates semper aliàs suis auxiliati Regibus Pontifici adhærebant. Reliqua Italia partim Romanis armis, partim Gallicis rebus, quos illa expulerat, favebat. Alphonsum Valentinorum ac Siculorum Regem, quem filium sibi adoptione fecerat, in Hispania morantem terræ, mariaque longo intervallo dividebant. Sicilia quamquam erat propior, nihil ejus Regis injussu parabat auxilii. Et qua pecunia in stipendium opus esset, ea exinanito ærario, vectigalibusque ad hostem translatis non exstabat. Tot circumventam malis etiam externæ opis desperatio subibat. Nam etsi primo statim belli initio, Legatos ad Alphonsum miserat, durum erat tam procul venientem exspectare Regem, cui nec naves essent nec milites parati. Sic antequam delectus militum, remigum, equorum haberentur, hostis omnia occupaturus imminebat. Inter hæc legati ab Hispania rediere, simulque Regis ad eam venêre Legati, monentes quando Rex non ita statim trajecturus in Italiam esset, nondum parata classe, nec equitatu, quo plurimum esset opus, conducto, interea contra Italica arma, Italicam opem implorandam. Et jam ad Brachium Regina sæpe antea respexerat. Tum verò hortatu Legatorum omni abjecta cunctatione, petendum ab eo auxilium constituit, rata id quod necessitas suadebat, resisti hostibus ab alio posse nemine. Hunc unum invictum bello Ducem famâ prædicari. Hunc Pontifici terrori esse. Tum quod magìs impellebat eumdem de Sfortiæ defectione primùm admonuisse; jam tum nisi esset ingrata, initium amicitiæ factum. Adjecere etiam Legati, Regem ipsum virtute fideque adductum, spem omnem in eo Duce recuperandi Regni posuisse. Mittuntur ergo ad Brachium à Regina Legati, & cum his qui à Rege venerant unà jussi proficisci. Brachius exercitu in Perusinum reducto, quod reliquum erat labentis autumni, militem in quiete habiturus credebatur; quum nec belli facies usquam appareret, & anni tempora paulò post adventu hyemis quietura à bello videbantur. Milites pars in Tudertinum ad hyberna, pars in Perusinum ad suas quisque stationes dimittuntur. Ipse cum paucis in Urbe Perusia submovendis Civium contentionibus, ædificiisque excitandis remansit. Sed Tudertini, quod à Sfortiæ ac Tartaliæ mi-

militibus, qui superiore anno pauca in eorum agro occupaverant castella, infestarentur, questum venere. Brachius in Tudertinum contendens, deducta ex hybernis parte copiarum circumsedit hostem, ac brevi delevit. Sed ubi ex militia & labore secutum est domesticum otium, cogitatio animum incessit ducendæ conjugis, & sobolis procreandæ desiderium, quod & Cives & amici omni suadebant studio. Quæritur digna tanto viro uxor, quumque multæ in mentes multorum occurrissent, Nicolam Berardi Camertis sororem desponderi placuit, ut tanta benivolentia duorum Principum sanguinis etiam conjunctione firmaretur. Nec res diutiùs est dilationi data. Idem mensis & desponsionem & nuptias vidit. Perusinorum apparatus ac pompæ magnificæ satìs fuere. Sponsa recenti matris morte lugubrior incessit. Tyranni Fulginatium, & Fabrianensium interfuere nuptiis, ornatu quanto numquam antea quisquam majore. Centum tota Urbe delectæ mulieres, sexagintaque ancillæ in comitatu. Camertes, Perusini, Fulginates, Fabrianenses, Tudertini, vestitu, ornatuque certabant. Sexaginta purpurati tubicines, totidemque pares tibiæ anteibant sponsam. In Urbe lautissimè usque ad delicias parata omnia. Nec magìs reliquo ornatu inter comites, quàm tripudiis, cantuque, & publicâ decretâ pompâ decertatum. Nuptiis patrio more celebratis, ne nimis uxorius censeretur in Tudertinum colligendi sui ab civilibus studiis gratiâ concesserat, quum horrendum & atrox nuntiatur facinus. Fulginei, & Nuceriæ regnabant tres fratres. Ex his unus quum sæpe Nuceriam pergeret, in arcem divertens fortè in custodis uxorem conjecit oculos. Nec multo post verba facta exceperunt. Custos dominum in adulterio deprehendit: dissimulat in tempus iram, & quo altior caderet vindicta tres simul fratres interficiendos cogitat. Quod ut efficere possit, Tyrannos, & cum his aliquot Cives venatum ad saltus Nucerinos invitat. Duo fratres Nuceriam magnâ canum turbâ contendunt. Tertium Trebulani (nam illis quoque imperitabant) ad feliciores ludos vocaverant fortè & Berardum Camertem, qui paucis ante diebus Fulgineum venerat, Nuceriam compellant. Quum vesperi ad Urbem atque insidias pervenissent adulter frater, & Berardus intra arcem recepti, diversis in cubiculis dormitum eunt. Custos primâ vigiliâ utrumque aggressus adulterum occidit. Camertem conjecit in vincula. Peracta cæde, alter frater, qui ad amicum nocte in Urbem diverterat, prima luce tamquam à fratre accitus in arcem eodem, quo ille telo interimitur. Fulginates qui unà venerant pari scelere & ipsi vinciuntur. Facinus in occulto erat. Interea tam nefandæ cædis auctor, quo Populum ad rebellionem excitaret, Primores Urbis ad concionem pro foribus vocatos hortatur, ut ad libertatem recuperandam arma caperent, simulque docet duos Tyrannos in vinculis teneri, eos se paulò post necaturum, non ausus quicquam de cæde fateri ante concitatum Populum. Cives contemta hominis temeritate, & perfidia, ne tantum facinus agitaret, neve à fide deficeret, admonebant; præsto fore tanti sceleris ultorem Nucerinum Populum, nec tam procul inde Fulginatium finis esse adventurum subsidio reliquum fratrem. Nunc locum esse pœnitentiæ intercessuros se pro venia si consilii tam temerarii pœniteret. Ille ubi videt frustra de rebellione tentatum, duos ex satellitibus emittit, qui nescio quam reliquam familiam extra Fulginatium, & Nucerinorum fines asportarent, veritus ne scelere patefacto Tyrannus sæviendi facultatem haberet. Illi tamen rei atrocitate permoti, primùm incerti, quid acturi essent, multis ultro citroque agitatis, tandem rem omnem deferre ad tertium fratrem decreverunt, tutiùs rati liberos Tyranni gratiam inire; quàm obsessos in arce omnium odia in se convertere, nec perfidiæ ullum esse discrimen. Quippe si conticuissent scelus, communem dominum, sin aperuissent custodis fidem esse violandam. Nondum à Trebula redierat. Eunt recta satellites ad Tyrannum, & rem omnem ut sese haberet patefaciunt. Duos fratres occisos, Berardum & Fulginates arctissimè devinctos esse. Ille celeriter Fulgineum sinè fræno, sinè sella reversus, Brachio tam nefariam cædem, & Berardi periculum nuntiavit, orans obtestansque, ut ad sceleris ultionem auxilio veniret. Brachius novitate exempli graviter commotus, simul quòd amici tam in gravi periculo deferendi non essent, militi, qui aderat, subitam edicit profectionem, reliquos è stationibus evocari, & se celeriter sequi jubet. Ipse non exspectato militum adventu cum paucis Nuceriam est profectus, missoque ad custodem caduceatore, percontari jubet, cujus hortatu, aut quanam causa tantum facinus admisisset. Ille nullius hortatu, sed suo impulsu fecisse respondit. Causam verò, si nulla subesset alia, satìs magnam esse, suorum quæsisse libertatem, & cum publicam omnium, tum privatam suam injuriam vindicasse. Brachius totum triduum in obsidione commoratus, dum reliquæ convenirent copiæ, omnia quæcumque ad oppugnationem usui viderentur futura, scalas, trabes, machinas comparaverat. Ornata erant varia oppugnationum instrumenta, ut si uno non proficeretur, multis simul diverso modo, diversis locis oppugnationem tentaret. Quarto die arcem undique simul adoritur. Admovit muro quæ paraverat. Prosiliunt intra primas munitiones milites: custodis parentem, & præterea novem & triginta satellites, qui pro mœnibus pugnabant subita vi corripiunt. Trahuntur in forum manus, pedesque revincti. Tyrannus fratrum interfectoribus prospectis, rabie magìs quàm ira concitatus, parentem ante oculos occisum canibus dispartit, satellites vario supplicio diversis in locis affici jubet. Quippe statim alii in crucem sublati, alii equis distracti periere; nonnulli subito ferro trucidati, plerique quatuor in partes secti, expositique per trivia, & suæ perfidiæ, & tyrannicæ crudelitatis fuere exemplum, oculosque inimici fœdissimo satiavere spectaculo. Sed interiorem arcis ambitum, quamquam defensoribus vacuum, altiores cingebant muri. Custos ubi dejectis propugnaculis suffodi ad radicem cuniculum, & turrim ferro excidi cognovit. Ut omni ex parte ultus moreretur, uxorem suspicientibus hostibus supremo turris fastigio præcipitavit. Dubium tamen ne in potestatem inimici

mici deveniret, an ut suæ tam graviter exceptæ libidinis pœnas lueret. Jam hostes cuniculo in turrim edito inferiorem superaverant testudinem; fratres supernè se acerrimè defendebant. Stricti erant in subeuntes gladii, nec comportata in eum usum deerant saxa. Illi parietes, illi tecta evulsa deiiciebant. Ingens militum sinè mercede discrimen segniores affecerat animos. Tum Brachius magna strue sarmentorum & stipularum comportari jussa, flamma atque fumo inferiora turris complet atque incendit; simul oculi caligine fumante defecerant, simul tabulata accepto conflagrabant igne. Hoc malo subactus custos, quum jam nec incoctos lapides vellere, nec hostem intueri posset, Brachii potestati se, arbitrioque permisit. Sic milites occupato cacumine jussu ducis custodem, fratremque, quod illi paulò ante in muliere docuerant, lapsu altissimo præcipitavere. In mortuos quoque à Tyranno sævitum. Sic crudele facinus nescio an crudeliùs punitum est.

Per hos ipsos dies Legati Reginæ, ac Regis, quos dicebam, ad Brachium venêre ostendentes, quanto in periculo res esset, nisi celeriter occurreretur, orantes superiori quo Reginam admonuisset, aliud majus adderet beneficium, ferretque perditis, ac prope afflictis rebus auxilium. Non ingratos Regem ac Reginam futuros. Stipendii nunc acciperet quantum opus esset ad exercitum Neapolim traducendum. Ubi eò ventum foret, pecuniarum satìs habiturum. Pretio preces adjecere. Misereretur imbecillæ, & nova fraude deceptæ mulieris. Non defuturum, si quid usquam esset justitiæ, causæ suæ Deum. Nec quicquam in bello magìs valere, quàm causam. Susciperet tam justum bellum, cui si etiam fortuna deforet, officium profectò, & humanitatis opinionem non defuturam. Regis Legati, ne quid ipsi negligentiùs agere viderentur, fortiùs locuti, maxima quæque pollicebantur. In primis amicitiam potentissimi Regis, cujus opes latè mari terraque paterent. Iret modò in Regnum, anteverteretque. Paulò post venturum auxiliarem Regem. Jam milites, classem, commeatus in parato esse. Nam quominus celeriùs in Italiam traiecisset, hyemis importunitatem fuisse impedimento. Regna atque imperia nulla re magìs quàm amicitiâ constare. Cogitaret quantum splendoris consecuturus esset; tanto in Regem collato beneficio, nullum esse mortalium eo gratiorem. Hoc beneficium eo futurum acceptius, quo minus ante id tempus intercessisset consuetudinis. Brachius quum altiora volutaret animo, non putabat committendum, ut Pontificis opes eò magnitudinis procederent, ut sibi foret aliquando à nimia illius potentia metuendum. Itaque Legatis respondit. Indignum se putare amicitiâ tanti Regis, sed ultro oblatam tanto gratiorem futuram, quanto minus speratam. Reginæ verò jampridem affuisse. Quamobrem hostium perfidiam quominus patefaceret, sustinere nequivisse. Ceterùm ad hanc tam subitam expeditionem opus esse multâ pecuniâ. Milites, quòd magnam partem æstatis in otio transegissent, equis, armisque deficere. Tum ad augendas copias novum militem conducendum. Ad hæc Legati respondere. Habere se in man-

A datis quod opus esset pecuniæ à Florentinis mercatoribus, quorum affines & cognati per eorum Urbes negotiarentur; peterent eos, aut pecunias, aut sponsiones daturos. Atque ita missis utrimque Florentiam, quibus hoc negotii datum est, ducentorum millium nummûm sponsiones acceptæ. Pauca etiam enumerata pecunia. Brachius duodecimo Calendas Apriles stipendio clam militibus dato, quicquid usquam in Etruria inventum est peditum equitumque conduxerat. Paucis post diebus imminente jam æstate exercitum in expeditionem eduxit. Primum fuit in Picenos iter. Carrariæ Comes, qui Esculanis imperitabat, vicinitate regni adductus cum ceB teris conjurasse, & occultè intulisse bellum Reginæ ferebatur. Hic ubi subitum tanti Ducis adventum intellexit, quum nec parem exercitum, nec tantum auctoritatis, gratiæque haberet, & Esculani factiones agitarent, Legatos ad eum misit, orans ne quid in se suosque fines hostile moliretur. Nihil secum inimicitiarum intercedere; à quo si qua in re Perusino bello fuisset offensus, id belli jure non animi malivolentia factum. Parendum iis fuisse à quibus militari more stipendium accepisset. Non subesse causam cur nunc tamdem bello peteretur. Non illum à se, non Reginam lacessitam; nec se quidem negare hostes commeatu frumentoque juvisse. C Verùm id libertatis suæ fuisse inditium, non illati belli. Si Reginæ milites frumentum aut commeatus petivissent, non fuisse illis ne nunc quidem esse negaturum. Neminem Brachio fideliorem futurum amicum, si bello abstineret. Brachius commodius ratus nihil moræ in Piceno committi, quominus maturè in intimos Regni fines contenderet, legatis respondit: Se quidem compertum habuisse de illato Reginæ bello. Ceterùm si filium obsidem dedisset, excessurum finibus, ac pro socio amicoque habiturum. Mittitur statim in castra filius, quem summo honore exceptum, Brachius cogendo agmini præposuit, non magìs obsidis fide, quàm militaris Præfecti virtute usurus. D Inde primum excussum bellum. Mox quanta potuit celeritate profectus in Sannium, frequentiorem invênit hostem. Sannites universi rebellaverant. Horum principes Laureti & Populi Comites conjuratione inter se facta, ad Castilionum oppidum omnes convenerant. Inde impedituri Brachii transitum omnibus occupatis itineribus, oppida, quâ foret in intimum Regnum aditus, validioribus munierant præsidiis, arbitrati (quod erat existimandum) si hostem vel paulò retardassent, difficiliora Reginæ futura omnia. Labi interea reliquam æstatem, & Sfortiam Reginæ cervicibus inhærentem excluso Campania Brachio ante E victam Neapolim repelli non posse. Nec Brachium hostium consilia latebant. Quocirca maturandum sibi magìs ac magìs intelligebat; etsi nihil hostile à tergo statuebat relinquendum. Igitur permotis ad Castilionum castris, veluti statim oppugnaturus, varia machinarum instrumenta præparabat. Nec oppidum erat naturâ satìs munitum. Comites novo & numquam antea viso apparatu conterriti, non exspectandam oppugnationem decreverunt, emissis qui dicerent imperata facturos. Paulò post in castra & ipsi exiere, receptique in potestatem, in pristinam

nam Reginæ fidem redierunt. Hos Brachius ad majorem ceteris incutiendum terrorem, simul quo plus esset auctoritatis, castra sequi jussos Ducum habuit numero. Deducto celeriter ex eorum finibus exercitu, ne quid socius ager caperet detrimenti, Placentum contendit Pelignorum oppidum. Heic tres hostium Centuriones præsidio erant impositi satis magno ad defensionem, nisi minus excussa ratione pavor animos invasisset. Circumsidebantur jam infesto exercitu, & quæ oppugnationi usui erant futura proximorum montium silvis comportabantur. Minæ quoque auxere formidinem. Quippe Ducis, nisi oppidum dederent, ultimum supplicium minitantis voces audiebantur. Igitur non exspectatâ pugnâ sese dedidere. Sic Placentum parato quidem, sed non tamen cœpto prœlio devictum est. Placentinis proximi erant Sulmonenses, qui & ipsi quoque secuti fortunam, paulò ante à Regina defecerant. Itur signis infestis ad populandum primùm agrum. Sulmo Pelignorum caput circumlabente clauditur flumine, sed nec tam alta aquæ profunditas, ut vel peditatu superari non possit. Sulmonenses conspectis cis flumen hostibus, veriti, ne subita oppugnatione victi, captique diriperentur, Legatos, qui bellum deprecarentur emisere, cum famâ invicti Ducis, tum subita Placentinorum defectione conterriti; nec jam ullas vires aut præsidia restitura existimabant. Jussi Magistratus Reginæ præsidiumque accipere, nullâ morâ imperata fecerunt. Sulmone subacto, Brachius ne quid celeritati suæ obstaret, simul ut jam sociorum consuleret fortunis, quammaturrimè copias inde deduxit, motisque ad Capijugum castris (quod oppidum Jacobus Caudola obtinebat, vir nobis pueris nobilitate & potentia clarus) quum oppidani omnem pacis conditionem trajecissent, magna vi militum expugnati, ut primi tentavere hostium impetum, ita primi sustinere non potuerunt. Omnia præter libera corpora mulierum puerorumque prædæ militibus data. Non procul inde magna hostium convenerat manus. Dux erat Jacobus Caudola, quem diximus, cujus imperium tunc quidem in Sannio, postea verò reliquo in Regno longè ac latè patuit. Hic omnium Reginæ infestissimus, Sannites partim compulerat bello, partim precibus ad rebellionem solicitaverat: qui audito adventu hostis, nihil magis veritus quàm celeritatem, quantum usquam inventum est copiarum comparaverat; egressusque per Furcas Pelignorum in aciem: ut à fronte cursum properantis retardaret, octo millibus passuum procul ab hoste consederat. Tenditur in eum infestis signis; qui & numero & animis militum impar, ubi videt hostem celeriùs, quàm fuerat opinio, prœlium paratum adventare in proxima refûgit castella. Partito deinde exercitu quàcumque penetraturus videbatur hostis firmissima objecit præsidia, maximè omnium Castellum Sangri valido peditatu equitatuque munierat. Oppidum est medio in transitu prosurgens situ egregiè munitum. Huc ubi ingentem equitatum missum Brachio per transfugas est nuntiatum, partem copiarum per latissimam ut in montibus dimittit planiciem; quinque millia enim passuum in longitudinem patens à mensura nomen accepit. Iis imperat, ut hostem ad bellum irritarent, ipse cum reliquis copiis modico intervallo suis auxilio est subsecutus. Hostibus deinde oppidum deserentibus, & per suprema juga montium ferarum more fugientibus, ad Castellum Sangri celeriter proficiscitur. Oppidani non exspectato impetu portas statim aperuerunt, & paulò ante deturbata Reginæ signa pro foro, atque mœnibus sustulerunt. Dum hæc à Brachio geruntur, Sfortia magnis coactis copiis Cantalupum ad arcendum Campaniâ hostem pervenerat. Huc cæteros Pontificis Duces, Præfectos, Centuriones, & quicquid objici hostibus posset, unum in locum convocaverat. Tot deinde simul Duces in agrum Suessanum inter paucos Italiæ fertilissimum contenderunt. Erant in hostium castris Jacobus Caudola, Fabricius Campanus, Michilettus, & Sfortia Cotignolani omnes, & tunc clari viri, & postea multo clarissimi Duces. Brachius quanto numero inferior erat, tanto militum animis & virtute præstabat; qui ubi de hostium discessu cognovit, motis à Sangro castris, factoque per agrum Venafranum itinere, ad Urbem Cales obsidendam profectus est. Cives postridie quàm obsessi sunt deditionem fecerunt. Inter hæc legati Campanorum ad Brachium venerunt, petentes ut Capuam ad delendas hostium reliquias proficisceretur. Non procul ab Urbe Capua Templum est celeberrimum, quod vicus frequens hominibus cingit, colitque. Supra templum ingens exsurgebat turris. Eum locum Sfortia paucis ante diebus, occupaverat, & quod ab Urbe non ampliùs quàm duo passuum distabat millia, duos Præfectos militares, & sub his trecentos lectissimos equites præsidio collocaverat. Hi noctes ac dies Campanorum infestabant agrum, Civesque intra Urbem magno cum detrimento detinebant. His de rebus quum Legati questum venissent, Brachius firmatis ad Cales rebus, caduceatorem Capuam præmittit, atque edici jubet, ne suis militibus qui paulò post erant transituri, neque publicè neque privatim quicquam cibi potusve daretur, neve hospitio susciperentur, nec à Cauponibus, Tabernariisve quicquam iis venderetur; eadem in castris à præcone militi sunt denuntiata. Quod eo fecit consilio, ne quid properaturum statim exercitum retardaret. Sequuntur quadrata agmina caduceatorem tanta celeritate, ut pari semper intervallo graviter armatæ cohortes unius inermis cursum adæquarent. Trajicitur ad Capuam Vulturnus amnis facto per mediam Urbem transitu. Sic paucis horis octoginta decursis stadiis ad vicum perventum est. Invaduntur terribili clamore imparati hostes nihil tale suspicati, subitòque ad unum capti spoliantur. Eunt deinceps oppugnatum turrim, eamque ex omni parte levis armaturæ milites adoriuntur; sed ingens altitudo vanum faciebat militum conatum. Ejus summum verticem tres hostium milites defendebant. Ex his fortè duo erant Perusini, quos Patria per factiones exulantes ea fortuna jactaverat. Hos Brachius hortatur, ut turrim ac seipsos dedant; promittit liberos, illæsosque futuros. Vana erant Ducis verba. Illi se nunc pro fide pugnare ajebant, nunc saxa in eos qui turri appropinquarent dejiciebant. Brachius vincendam dolo pertinaciam statuens, sagittarios post januam vi-

vicinæ domus collocat. Ipse domo egressus armatus captatum de industria sermonem trahit. Ex his duo colloquentes nihil veriti insidiarum plurimis uno momento clam sagittis trajecti sunt. Nec multo post clamant, ut conditione reciperentur. Sed irâ percitus Brachius, nisi ejus se arbitrio permittant, omnem conditionem repudiat.

Facta deditione Perusini quidem suspenduntur, reliquus autem est dimissus illæsus, sive quòd graviter erat vulneratus, sive quòd tanto sunt indigniores injuriæ judicandæ, quanto minus alienus est, qui committit. Non procul inde latissima & quadrata prominet turris (Herami vocant accolæ) vetustum opus, & ad mediam prope latitudinem lateritiâ massâ confectum. Quam hostes initio tot simul rebellionum, quum per fraudem occupassent, quòd opera erat munitissima, ut à paucis defendi posset, modicum præsidium imposuerant. Brachius solus profectus ad turrim, atque equo circumvectus, ubi omnibus diligenter exploratis, videt turrim humana vi nisi ad multum temporis expugnari non posse, & heic quoque militari usus est dolo. Primùm viginti pedites inter munitionem turris, & fructeta, quæ circa fossam exorta silvæ speciem præbent, occultari jubet. Duos deinde primæ lanuginis adolescentes, qui fugam simularent, paulò ante primam lucem emittit castris. Non procul à turri subterraneæ latent magnificè exstructæ testudines, opus vetustate antiquius; nam & simulacra veterum apparent Deorum, & vestigia speculis mirificè distinctis accipiunt diem. Quadrati operis tria latera aditu patent perangusto; exitus ad vetustissimum Campanorum vergit theatrum. Criptas vocant Campani, præclarum antiquitatis monumentum. Supra testudines quamlatissima strata est via. Inde fit, ut icta pedibus transeuntium terra latè sonet. Ea res arcis custodibus pro vigiliis erat. Quippe quum terræ velut clamantis sonitum audirent, excitati statim ad propugnacula decurrebant. Adolescentes ubi ad cavernas devenere, quò fugam magìs simularent, de industria terram altiùs, vehementiùsque feriebant. Expergefacti eo strepitu custodes, quinam essent transeuntes, percontari minarique cœperunt. Illi, ut erant edocti, fugere se è Brachii castris, & ad hostes Matalonium pergere quum respondissent, vestium involucra rejecta tergo fugam verisimilem faciebant. Orare deinde voce supplici cœperunt, ut quà esset iter ad Matalonium (illic enim erant hostium stationes) ostenderent. Custodes rati adolescentes furto quicquam, ut fit, abeuntes surripuisse, pars itineris longas ambages nectere, pars clam adversa turri scalis delapsi, faciunt in eos impetum. Illi fictis inter preces lacrymis, resistentes manibus elabi, nec tamen multum conabantur. Ecce qui frutectis insederant de improviso repentè adorti magno clamore stricto gladio circumsistunt homines, tribusque ex his captis, curritur confestim ad arcem, quam vacuam præsidii ac desertam existimabant. Tum qui tutelæ erant relicti, è turris fastigio saxa jacere, peditesque propellere cœperunt. Captivi revincti post terga manus ad Brachium deferuntur. Ille perduellionis agendum in eos, quod à Regina deficientes præter jus imperii rebellassent, & novo supplicio ad triremim mittendos quum decrevisset (quo supplicio nihil auditu est acerbius) ex his unus, quum sæpe antea durissimos eos labores, famem, sitim, algorem, sordes, verbera, & quod immanius est, incuratas ægritudines semivivas mortes in mare dejectas intellexisset, procumbens ad pedes, flebili voce per Deûm atque hominum fidem obtestabatur, ut quo vellet supplicii aut mortis afficeret genere, potius quàm ad triremem destinaret, ubi inter perpetuos labores deficienti esset moriendum. Quum parum proficere lacrymis, nec flectere Ducis sententiam videretur, prodere turrim si se dimitteret promittebat. Id perque Deos, perque homines juratus dimittitur. Nec fefellit: reversus ad turrim, quum evasisse vinculis simularet, receptus à custode proxima nocte immissum recepit in fastigium turris hostem. Dum hæc ad Capuam geruntur, Neapoli res in angusto erant. Hinc finitima & jam ante muros bella, hinc durior bello fames urgebat. Tum aliquot hostium triremes, ne quid in Urbem commeatus frumentique importaretur, liberè omnem maritimam oram excurrebant. Neapolitanorum fides, quòd adversùs Sfortiam non statim cepissent arma, plus suspicionis quàm periculi afferebat Reginæ; quæ tot circumventa malis, ubi advenientem Brachium, atque iter sibi quàcumque tenderet victoria facientem intellexit, deposito paululum metu, tamen solicita, ne quem tumultum fames excitaret, mittit qui Brachium cum omnibus copiis Neapolim advocarent, rata id, quod res fuit, ejus adventu hostes procul inde diffugituros, & totius agri vicos atque oppida reditura in fidem, frumentique quantum opus esset in Urbem convectura; simul quod per crebros nuntios afferebatur, Alphonsum Regem magna parata classe nihil aliud quàm priorem Brachii adventum exspectare: jam Hispaniâ solvisse, jam Siciliam, nec multo post Drepanum appulisse. Quæ res Brachio maturandæ profectionis causa fuit, ut venientem mari Regem terrestri præsidio exciperet. Motis igitur castris Marsanesium opulentissimum ac maximum agri Campani oppidum in ipso itinere adortus expugnavit, diripiendumque militibus concessit. Heic Trasaccus hostium centurio, dum acriter defenderet mœnia, pugnans occiditur. Postridie in fines Neapolitanorum profectus, omnem agrum biduo subegit, frumentumque imperavit. Positis deinde ad Fanum Divi Antonii castris, non ampliùs quàm duo millia passuum ab Urbe Regis adventum exspectabat. Interea Populus Neapolitanus frequens in castra videndi studio salutandique ut cuique erat dignitas confluere. Jam commeatus abundè Urbi, mari, terraque suppeditabant; nam hostium triremes metu regiæ classis in intimos se Cajetæ sinus receperunt, & agrestes carris ac jumentis farinam comportabant, statimque ad supplementum Urbanæ annonæ missæ in Siciliam duæ naves onerariæ. Jam Rex classe ad Prochitam delatus, triremem, quæ ejus adventum nuntiaret, Neapolim dimiserat. Sed quo paratior ingrederetur Urbem, ad Castellum Ovi cinctam undique mari arcem classem appellandam, atque inde terrestri acie adeundam Urbem statuebat. Hac re cognita Brachius eòdem

eòdem cum omnibus copiis proficiſcitur, & quo commodior ac magnificentior deſcenſus in terram foret, aſſeribus, trabibuſque proximis è locis comportari juſſis, quamlongiſſimum intra mare pontem ædificavit. Et qua fundum aſſeres non attingerent, aſſeribus ſubſtratæ naviculæ pontem & ipſæ faciebant tanta quidem altitudine, ut pons ſuprema navium adæquaret tabulata. Regia claſſis apparere jam in alto cœperat. Confluunt Neapolitani agmine ad occupandum pontem, quo ſuis ipſi manibus venientem exciperent novum Regem. At Brachius militem partim ſecundùm utraque pontis latera diſponit, partim extra pontis aditum in aciem quàm ſtructiſſimè producit. Ubi terræ appropinquavere navigia, ſimul clamor toto exoritur litore, tubarumque clangor latè circumſonat; ſimul æneæ bombardæ, quas longo ordine prima litoris ora intendi juſſerat, excutiuntur. Nec Regii milites defuere. Illi tubis, illi tympanis, & minoribus bombardis circumpatentia maria ingenti plauſu reſonare faciebant, & nauticum neſcio quid dulce tota complens litora omnium aures barbarica ſuavitate mulcebat. Regia navis, ne quid ſuſpicionis oſtenderetur, prima litori admota Regem intra pontem edidit. Heic incertum nimio pondere, an ædificantis inertiâ, duo ſimul aſſeres Regi ſub pedibus defecerunt. Sunt qui factum id per jocum putent, ſimulque ut diripiendæ regiæ navis occaſio militibus foret. Rex præcipiti lapſu inter aſſeres in ſubſtratam decidit quadriremem, multâque perfuſus ſentinâ, ſive illud omen, ſive jocus fuit in riſum non minorem ſibi quàm ceteris convertit. Qui qua die, qua hora hæc ſcribimus poſt octo & triginta, quàm hæc geſta ſunt, annos vitâ deceſſiſſe nuntiatur. Ingens Italiæ Regnique jactura, quæ parem ante hoc ſeculum neque potentiâ, neque moderatione habuit neminem. Pontem egreſſo pergit obviam Brachius, ut procumbens ad pedes regio more ſalutaret. Sed tanta fuit Regis in levando celeritas, ut porrectâ dexterâ, quem oſcularetur, lævâ procumbere incipientem excitaret, ſæpe & longum complecteretur excitatum. Sed quæ ſalutationes, qui mutui complexus, quæ & quàm amica interceſſerint verba, is demum poteſt cogitare, qui re diligentiùs mente agitata, hoc quoque conſiderabit, incognitum ante id tempus Regem, eumque potentiſſimum, & cum aliis multis, tum maximè Balearibus inſulis, & præterea Siciliæ, Corſicæ, Sardiniæ, Cataloniæ, Aragoniæ imperitantem, exigua, & certè terreſtribus prœliis inutili claſſe ad media hoſtium arma venientem aliena gente, diverſis moribus, variâ linguâ, ſolum inter inſtructam militum aciem ad hominem veniſſe, etſi genere nobilem, certè fortunâ novum, atque in ejus ſe manus poteſtatemque conjeciſſe; cujus fidem, etſi antea ſæpe audiverat, rarò tamen quiſquam tanta in re eſſet expertus. Denique ultimo facto periculo Italicæ fidei tot ſimul deſtituta Regna, & quod omni Regno clarius, libertatem, corpus, animam commiſiſſe. Quæ quanto erant majora, tanto perfidos quidem magìs incitare ad facinus, fideles verò caritatis atque officii admonere potuerunt. Poſt hæc univerſa claſſis duæ & viginti triremes, in quibus erant equitum duo, ſagittariorum totidem millia, quum aliquamdiu juſſu Regis mari ſubſtitiſſet, litori paulatim appropinquavit. Deſiliunt tamdem in arenas Regiæ cohortes, Italam gentem armatam armatæ ſalutantes. Nec arctior Imperatorum quàm militum fuit complexus, & ſunt Hiſpani ceteris nationibus naturâ blandiores. Placuit deinde Regi, ut unà Urbem neutro eorum antea viſam ingrederentur. Quod ubi Reginæ eſt nuntiatum, totam Urbem magnificè juſſit apparari quanto maximo poterat honore acceptura & Regem; quem filii loco habitura eſſet, & Brachium, cujus ope paulò ante amiſſum regium culmen recuperare ſperaret. Fit ergo quicquid undique excogitari potuit publici, privatique ornatus. Nec Civitas eſt toto terrarum orbe, quæ tantam hoc tempore nobilitatis & magnificentiæ habeat opinionem. Nec tamen famæ ipſa rerum facies cedit. Heic Urbis ædificia altiora quàm alibi turres, & ea ipſa plus ad oſtentationem quàm commoditatem erecta, foris ornatiora quàm intus. Heic prope cœlum tangentia complura templa. Heic regiæ ſex arces, quarum aliæ perpetuo clauduntur mari, aliæ muniuntur terrâ, quædam partim mari, partim terrâ cinguntur. Huc totidem accedunt ſedilia (ſic enim appellant Civium diurna receptacula) quæ mirificè inter ſe, ut nobilitate, ſic etiam opibus, magnificentiaque contendunt. Heic equeſtres ludi frequentiores quàm alibi convivia. Tum civilium rerum & muliebris mundi tanta luxuries, ut faſtidio jam ſint, etiam quæ pretioſæ judicantur. Nec uſquam tanta vaſtitas elatioque nobilitatis. Mercatores iis & opifices contemtui ſunt. Ceterùm ipſi etiam ſi domi pauperes, tamen otio dediti, cetera ſtudia præter militaria contemnunt, & quæcumque honeſtæ opes parant tamquam inimica nobilitati deteſtantur. Ergo Adventu Regis omnia publicè privatimque ſupra modum adornata, parata templa, expurgata fora, & quàcumque eſſent inceſſuri, auleis auro, purpurâque per pulpita diſtinctis interlucentia latè radiiabant. Omnem tamen ornatum ſuperaverant magnificentiùs exſtructa ſedilia. Heic mulieres cultu, præſentiâque Neapolitanæ, tripudiis, & cantu Regium & Brachianum nomen in cœlum tollere, laudes duorum Principum intermiſcere tranſeuntibus audiebantur. Rex quo tutior urbanis inſidiis foret, ad Caſtellum Novum munitiſſimam Italiæ arcem recipitur. Brachio privatæ quidem, ſed tamen ampliſſimæ Urbis ædes datæ.

Poſtridie ejus diei Regina Brachio ad ſe vocari juſſo, primùm gratias egit, quod hoſtilis perfidiæ admonuiſſet nullo adhuc fœdere conjunctus. Adjecit deinde ſerò quidem ſed tamen aliquando Deos ſibi, ſuoque Regno conſuluiſſe, quòd ejus amicitiam adepta eſſet. Jam tunc ejus fidei vitam, fortunaſque committere. Illum exercitus facere Imperatorem, illum Urbibus, oppidis, arcibuſque præficere. Pænes eumdem creandorum, abdicandorumque Magiſtratuum, & denique exigendorum vectigalium jus & poteſtatem fore. Sed quia hæc verecundiùs accipi quàm dari videbantur, ſtatim Brachium Fogiæ, quæ eſt Apulorum Civitas Comitem, & Capuæ Principem declaravit. Et ne quid regiæ poteſtatis deeſſet, perpetuum copiarum omnium

nium Imperatorem, Conneſtabulum illi vocant, & totius Regni gubernatorem deſignavit, idque poſtridie à Rege poſt cœnam in convivio confirmatum; qui aureo porrecto ſceptro: *Quod tibi*, inquit, *Regina, mihique benevertat, hunc ego Brachium meique tuique exercitus Imperatorem facio. Accipe tu hoc aureum ſceptrum dextra manu. In hoc ego tibi pariturum me quicquid bello juſſeris promitto juroque. Promittite vos qui me ſecuti eſtis, jurateque parituros*. Quum milites ac duces Hiſpani & Neapolitani in ſceptrum conjuraſſent, converſus ad unum Brachium, graviſſimis eum verbis ad Regni defenſionem eſt hortatus. Nec defuere ſummi Ducis laudes: *Ut*, inquit, *hoc te bello tam nefariè nobis illato præficeremus, non magìs tua virtus nos impulit quàm fides, altera quidem, ut poſſis tueri dignitatem noſtram, altera, ut velles, promittebant nobis. Quod reliquum erat, ne privato imperio rem gereres, fecimus regia ut eſſes poteſtate, & ubi ferro decernere ſederet animo, non magìs Regni noſtri, quàm tuæ gloriæ ſubires diſcrimen. Non te neceſſitas hujus belli ſuſcipiendi propter anguſtias rei familiaris, non domeſticæ calamitates perpulerunt: ſatis tibi, Diis gratias, cum rerum aliarum, tum maximè Imperii eſt; gloriæ quoque dicerem eſſe ſatis, niſi major foret: quàm ut nos ejus parte contenti mortales ſimus; & quam imperii tui termini non capiebant, aliò tu diffundendam exiſtimaſſes. Latiùs enim mortalium nomina quàm geſta pervagantur. Illa quidem cum periculo brevem ſibi gradum faciunt, hæc cum laude ſumma quamlatiſſimè proferuntur. Nec me imperandi cupiditas huc gentium pellexit. Stultum enim fuiſſet pro incerta ſpe certiſſimum deſerere patrium atque avitum Regnum; ſed quo Italiam fama nominis implerem mei. Nec dubito multo me pluribus hodie quàm heri eſſe notiorem. Sed hæc fama nominis ſi honeſta eſt, quo plus profertur, eo plus habet gloriæ; ſi turpis; nihil eſt quod non defœdet. Satius eſt ignotum intra veſtibulum latére, quàm cum ignominia per hominum ora, linguaſque verſari. Illum nemo accuſat; omnes hunc deteſtantur. Nec quicquam tam eſt glorioſum, quàm bella cum fide gerere. Contra nihil turpius, quàm ubi belli ac vitæ periculum ſubeas, gloriam, laudemque contemnere. Nec tamen idcirco hæc commemoro, ut ſuſpectior mihi ſit hodie tua fides, quàm heri fuit, quum relicta longo intervallo claſſe, ſolus atque inermis in tua caſtra deſiliebam. Sed alia quædam eſt ratio. Viciſti Etruriam, Bononienſes brevi ſubegiſti, fortiſſimum Regem pepuliſti Romæ. Nam ad nos quoque rerum à te geſtarum pervénit fama, & ſumus Reges etiam externorum curioſi. Nulla cum gente bellum habuiſti, quam non ſtatim ſuperaveris. Nec tamen major victoriarum tuarum, quàm fidei prædicatur gloria. Quo tibi hoc bello, ut & virtuti & fidei conſulas, vehementiùs eſt nitendum, ut nec fortunam fatigaſſe tuam videaris, nec minus integer, neſcio an etiam magìs aliena in re poſſis videri, quàm in tua. Totum hoc bellum cervicibus tuis conſtat. Si qua ex parte tanta moles excutietur, neſcio an propter hoc ipſum perfidum, certè quem ante invictum putabant, vinci te poſſe homines, judicabunt. Gloriaque illa tua priſtina multum intra opinionem recedet. Copiarum habebis quantum voles, Diis gratias, terra marique pollemus. Hoc unum vide, ne ſæpius confligendum putes quàm anceps illa & ſemper varia belli fortuna patiatur. Succumbit enim aliquando virtus, quæ nimis ſæpe cum temeritate in diſcrimen adducitur. Habes Duces. Habes Præfectos, quorum operâ in bello uti poſſis. Non ſemper ipſe te committas fortunæ, quum per alios obire pericula poſſis. Boni quidem Imperatores ſemper conſilio, nonnunquam etiam præſentiâ rem gerunt. Sæpe vel modico Imperatoris ictu cadit exercitus. Hæc etſi pro gloria non fugienda, non tamen ſæpius tentanda ſunt, quæ nulla re magìs quàm frequentiâ poſſunt mortalibus accidere, & temeritas eſt ſæpius quàm neceſſe ſit ſubire periculum. Tum nihil periculoſius, quàm nimis ſæpe vel ſecundam tentare fortunam. Proinde ita hæc velim accipias, ut belli dilationem non minus hoſtem, quàm noſipſos fatigaturam putes. Maturitate opus eſt nobis, non feſtinantiâ. Sic acerba decuſſa poma, ramum plerumque frangunt; matura ſponte ſua cadunt. Nec tamen pugnandi tibi, quoties velis, eripi libertatem cenſeas. Ego quoque ſi ire in bellum tecum unà jubeas, pugnantem ſequar, etiam in manifeſtum diſcrimen. Sed novi quanti ſint ardores animorum iis qui bella gerunt, quàm moleſtè occaſionem rei bene gerendæ ſoleant exſpectare, & pro victis habeant, quos pares eſſe cognoſcant. Ubi tamen fortunæ temeritas valet plurimum, nobis tum demum confligendum eſt, quum non ſperatum, ſed compertum de victoria erit. Quippe mora nobis ſalutaris, hoſti pernicioſa. Dedimus operam, ut quæcumque bello uſui futura ſunt, ſi terrâ nequeant, mari comportentur. Jam ante noſtram profectionem claſſem, quam potuimus, ſtructiſſimam comparavimus. Naves ſeptem onerarias, mirum niſi cras hoc in litore conſpiciemus, & tamen novas juſſimus ædificari. Milites Hiſpani, Valentini, Siculi, ſunt in parato omnes. Plus nobis erit copiarum quàm huic bello ſit opus, & quod hoſtibus contra eſt copia, nobis ex ipſa naſcetur mora. Cetera Regna, quibus imperamus, ipſi abundè commeatus, frumentum, ſagittas, equos ſubminiſtrabunt. Ceterùm hæc ſi tibi minus placuere, nihil erit impedimenti. Utere pace belloque arbitrio tuo, dum tamen ſcias me ſic locutum non magìs Regni mei, quàm tuæ & gloriæ & ſalutis habuiſſe rationem.* Ad hæc Brachius quod ſæpe aliàs audierat eum Regem magìs fatigandis hoſtibus, quàm opprimendis conficere bella, paucis in eam ſententiam reſpondit. Ut primùm gratias ageret, quòd tantum in ſe concepiſſet fidei, mox ad belli mentionem, pauca quidem, ſed non præter rem adjiceret. Scire ſe quibus artibus in Italia conſtarent bella. Nullam gentem conſultiùs ad aciem procedere. Quod ad ſalutem ſuam, tutelamque Regni pertineret; daturum operam, ut neque Regem delati imperii, neque ſe accepti pœniteret. Hæc quum eſſent dicta, Hiſpani equites Brachii ſermonem de Italicis bellis exceperunt, ſtatimque placida ac pulcra orta eſt, primùm inter milites, mox inter Regem Brachiumque concio, utriſque ſuum militandi morem præferentibus. Illi ſua prœlia in cœlum tollere, quod & pluribus copiis in bellum irent, & majores ederent cædes; tanto enim certare ſe impetu ajebant, & ferociâ animorum, ut pauci ex victis vivi in hoſtium venirent poteſtatem. Pleroſque in ipſo prœlio deſideratos mortiferum enſem exſpectare, quàm terga vertere conſueſſe. Nec quicquam eſſe ſpecioſius, quàm aut inſtantem vincere, aut occidere præclarè dimicantem. Sic vin-

ces-

centem à fortuna juvari, morientem à virtute non deseri. Eumdem esse Hispanorum quem Gallorum & Germanorum morem. Nec dubitari Gallos ac Germanos omnium esse gentium ferocissimos; eos tantis copiis moliri bella, aut plures uno prœlio cecidissent ætate illa, quàm ex nostris in aciem ullo umquam in bello processissent. Eòdem accedere veterem artem militandi. Quippe nullam gentem Romanis potentiorem fuisse; sed nec eorum quicquam magìs quàm ingentes bellorum strages commemorari. Sic illos vetustiores omnem juventutem in expeditionem emisisse. Tum si qui per ignaviam hostium manus victi effugissent, aut se vivos dedidissent, exauctoratos statim, & prope infames habitos esse; nunc aliâ viâ procedere Italica bella. Nam & ire paucos in pugnam, & eos ipsos languidè quidem frigidèque dimicare. Nam quo in prœlio decem umquam aut ad summum viginti ferro cecidisse, ubi non insidiis magìs quàm virtute esset pugnatum. Hæc non solùm à militibus jactabantur, sed ipse quoque assentiebatur Rex. Brachiani Duces, qui frequentes convenerant, & coronâ stipaverant disceptantes ipsi quoque vocem tollere, & sua jura defendere cœperunt. At Rex indicto manu silentio Brachium tamquam in jus vocatum causam dicere jubebat.

Ille semper aliàs benignus in suos, risu ad eos conversus: „ Et nos, inquit, quando „ Rex jubet, nostra tueamur, milites, jura: „ ne qui factis in acie me sæpe defendistis, ego „ verborum vos contentione non defendam? Conversus deinde ad Regem atque Hispanos: „ Ego primùm omnium, inquit, bella non „ numero bellantium, sed virtute constare „ arbitror. Nec quicquam tam impedire „ potest aciem, quàm imperita multitudo. „ Sed ea virtus non magìs corporis robori, „ quàm animi consilio est tribuenda. Vos „ otio nati, educati, assueti, magnâ turbâ „ completis castra, ignari tamen rei militaris, & animos ut decet præsentes pugnæ „ accommodatis. Ruitis in hostium gladios „ ferarum more, & vestro vos impressu magìs, quàm hostium ictu jugulatis. Sic furentem temeritatem pro virtute putatis „ extollendam. Accedunt pravæ opiniones „ vestræ, qui honestius, gloriosiusque ducitis, quum vincere non possitis, hostium „ oculos vestro cruore saturare, quàm evadere incolumes & meliori belli fortunæ „ reservare vosipsos. Editis magnas cædes, „ quia dum pudet fugere, gloriosam hosti „ vestro vobis ignominiosam mortem non „ perhorretis. Permagni refert parvo quis „ incommodo, an ingenti cum strage vincatur. Quo major est cædes victi exercitus, eo victoris gloria insignior. Ite, „ porrigite vos jugulandos hosti, quo plura „ victor referre possit opima spolia. Sic uno „ superati prœlio penitus bello excidistis. „ Sanè verò præclarè agitur cum Regibus „ vestris, cum Civitatibus ac liberis, si ubi „ paulùlum inclinavit acies, nihil nisi de „ subeunda morte, idest augenda calamitate „ vestra decorandâ hostium victoriâ cogitetis. Illic libertatem patriæ, illic Regum „ vestrorum Regna, Imperiaque præsidio „ vestro spolianda objicitis vincenti hosti. „ Quid secundâ agitis pugnâ? Quo pacto „ victoriæ moderamini? fugientem hostem „ non capitis, sed occiditis, sed avulsâ jugulatis galeâ; & quibus de fortunis, aut „ imperio bellum est, de vita & sanguine „ dimicatis. Nec magnitudo animi dicenda „ hæc est, sed immanitas crudelium barbarorum nominanda. Nam si de imperio est „ vobis contentio, cur eos occiditis, quibus „ victoria parta gloriosiùs imperare possetis? „ & qui fugiunt, jam tum victi parére incipiunt; quos quidem occidere nihil est aliud „ quàm belli fructus amittere. Vastare etiam „ conamini regiones non vincere; nam qui „ sic vincit, ut deleat, is declarat non se „ fortunâ suâ belli, sed hostium sanguine „ contentum esse. At aperto certatis bello, „ non insidiis circumvenitis hostem. Quis „ ignorat rem militarem industriâ atque arte „ plurimùm procedere. Sæpe dolus in bello „ pro virtute est, nullâ tamen perfidiâ militaria jura violando. Hæc vos aliena vobis & „ ignota despicitis; sed profectò non pulcrum est contemnere in nobis, quod ipsi „ præstare insita quadam tarditate nequeatis. „ Imus pauci in bellum, quia inutilem & „ insuetam pugnæ turbam ad cædem non „ educimus. Eunt in certamen non mollis „ & imperita ad subitum bellum delecta „ atque armata juventus, sed durata frigore „ ac Sole corpora, quibus ab ipsa jam inde „ infantia strata equorum pro thoris fuere; „ qui pulverem ac ventos pati, & famem, „ inediam, sitim, vigiliam, nullas delitias, „ immensos labores sustinere didicerunt. „ Qui inter medios hostium enses ac tela „ educati, vulnera contemnere, ictus incutere, incussos excipere atque evitare, hostium capita, pedes, latera pro loco, pro „ tempore ferire, servare ordines, dimicare „ ad prima signa, uno momento acie digredi ad hostem feriendum, statimque redire „ in ordinem; nutum Ducis aut diligenter „ exspectare, aut jam longo usu per seipsos „ callere, locum infernum, supernumque „ dignoscere, instare fugientibus, prementibus resistere, nec priusquam desperatâ „ victoriâ de fuga cogitare. Hi sunt ludi „ militum nostrorum, quos quia pauci frequentant, satius est paucitate docta, quàm „ multitudine imperita contendere. At pauci „ cadimus, quia durum est, quem spoliare „ fortunis volumus, eum privare spiritu & „ sanguine. Sic fratres cum fratribus, interdum liberi cum parentibus, non quidem „ de sanguine (quod esset immanissimum) „ sed de honore atque imperio certant. „ Captiva corpora, quæ redimi pecuniâ non „ possunt, armis spoliata dimittimus. Huc „ ratio accedit armorum. Undique enim „ duro tegimur ferro; nec sæpe altè descendunt, mortiferaque penetrant in corpus „ vulnera, ubi illisum ferrum ferro detunditur. Tum ratio nobis maturè confligendi, non furoris impetus moderatur. Audio „ Germanos istos, quos dicitis non ad prœlium, sed ad cædem furentes ruere, quod „ necesse est fieri, quum ars ignoratur bellandi, regiturque stulta temeritate ferocitas. Suis exciti Urbibus, enervata umbrâ „ & deliciis corpora, diutiùs Solem pati nequeunt; nec rem ordine aut arte, sed, ut „ vos dicitis, ferociâ, ut nos censemus, furore & insaniâ gerunt. Nam quid nobis „ ob-

„ objectatis antiquos? Istam ego antiquitatem non planè novi. Hoc scio, crescere cum ætatibus industriam, semperque novi aliquid addi vetustati. Rex interpellato sermone: „ Nimirum, inquit, si nos contemnimur, qui audeatis etiam vetustatem tamquam rudem & mancam accusare. Tum Brachius: „ Haud equidem hoc ausim. Quippe qui quanta fuerit illa, aut qualis, non viderim, sed quantum scriptorum industria fuit comprehendere, quamquam illi semper aliquid addunt rebus ornamenti, nihil adhuc video, cur quicquam vetustatis desideret ætas nostra. Nam imperia non hominum culpâ, sed temporum mutatione defecerunt. Plus veteres cogebant copiarum; primùm fuere illa secula hominum feraciora fortasse. Deinde non eorum, qui scirent industriâ ferre arma, sed qui ætate possent delectus habebantur. Nec eos usus, consuetudoque bellorum, sed subita & improvisa necessitas faciebat milites. Ex agro Imperatores, ex tonstrina milites ciebantur. Sed quid milites dicimus, quorum nonnulli semiermes, plerique sinè armis stipendia faciebant. Nos verò non vulgo delecti, sed militiæ nati, non præustis perticis & incocta pelle, sed durissimis ex calybe telis, ferreâ contecti massâ, bella gerimus. Quid illa tanta peditum multitudo? An parum inditio est nobis imperitam turbam equis pugnare nescivisse? Nam si qui erant equites (qui tamen paucissimi erant) quantum illi habebant roboris, quàm referta peditum agmina conterebant, & tamen solo impetu illi & ardore non arte, usuque bellabant. Confer cum temporibus tempora, cum militibus milites, cum machinis machinas, imperitos pedites, leves fundas illis comperies. Contra nobis callidissimam ac vaferrimam militandi disciplinam, exercitatissimos equites, & rumpentes cœlum, nedum muros, saxaque, bombardas. Age, deinde suspende in trutinam etiam Imperatores? Quanta vis, Dii boni, nostrorum Ducum! quanti cum infantia ebibiti labores! quàm nihil urbanum atque molle. Veteres non arte belli, sed vanæ plebis studio, non per gradus instructi, sed statim creati, non virtute, sed potentiâ, non quæstu & viribus, sed patriæ stipendio, & delectu fiebant Imperatores. Quorum etsi nonnulli rei militaris fuissent periti, milite tamen carendum erat intermittentibus bella, novique semper, atque ideo invalidi habendi delectus, novi exercitus comparandi. Tum ipsis quoque non perpetuo labore versatis, multum otii urbani capiendum. Quid tale in nobis? domi nascimur solum. Nam ad militiam statim educti, ad pectendos equos, non parentem, non ipsam agnoscimus matrem. Hyeme nudi ventos, frigoraque perpetimur. Præsepia nobis in deliciis sunt; æstate alieno usui factam, quam vix manibus levare possumus terrâ, galeam cervice perferimus. Pabulatum, etiamsi nobiles domi nati sumus, eundum est nobis, & ut pluviæ metentibus parcant, matutino perfusi rore madescimus. Ad stationes reversi, non molli cubiculo, non igni, tectoque fovemur, sed iisdem illis madentibus obstricti vestibus, præsepibus complendis, letamine abjiciundo, expoliendis armis, sellis ad Solem expandendis, totos dies tremendo, sudandoque obduramus corpora. Dormimus non quantum ætas & natura postulat, sed ad nutum vel stertentis militis excitati, ultimi somnum, primi vigilias capimus. Sæpe noctu, vel hinnitu equi, vel exiguo ventorum flatu ad explorandam cœli tempestatem tabernaculis, strepitu, clamoreque detrudimur. Tum fames nobis pro cibo est: hac alimur; hæc nobis familiaris est. Si semel contingat agrestium pomorum deliciosa saturitas, id demum est lautissimum convivium. Sed hæc pacis non minùs quàm belli rudimenta. Prœliis ineundis etsi ætati parcitur, proximè tamen accedit ad pugnam, sequi semper latera pugnantis militis, & hastam paratam non ita statim porrigere, sed diu ejus æquato cursu circumferre. Tum horrendum hoc quoque videre ictus, vulnera, minaces hastas, micantes, & in ora semper strictos gladios. Jam tum hæc perdiscimus contemnere. Nec enim terrorem afferunt, nisi quæ nova insuetaque sunt. Sic aves quum primò capies, fugaces ac timidæ; ubi diutiùs tenuisti manu, mirificè mansuescunt, & ad sibilum, quo priùs terrebantur, concinunt atque accursitant. Sic usu edocti sæpe præoccupamus ætatem, & immaturas adhuc bello conserimus manus, non tam jussu Ducum, quàm ardore quodam æmulandi. Jam tum supernè adoriri hostem, perturbare ordines, premere, instare, circumverti, ferire lævâ dextrâque perdiscimus. Tum gradum proferre, sustinere impetum, totaque mole corporis ad suffodiendos equos inclinari, & contactâ prope terrâ acriùs in hostium ora consurgere, circumvehi equo, & quasi trutinâ simul stimulis urgere, simul frenis moderari, atque omnem in partem veluti globo aut turbine circumflectere. Hæc edocti nostro militare incipimus stipendio, nullaque nobilitatis habita ratione, virtuti honor datur; & qui pugnando præstat, si cautè consultèque rem gerat, locum dignoscat, atque occupet æquiorem. Ordines eleganter constituat, aciem commodè instruat, pugnam non temerè aggrediatur; recipiat se militemque suum incolumem, primus in petendo hoste, ultimus prœlio excedendo. Hic alter est nostræ militiæ gradus. Tum militum præficitur agmini: hos Præfectos militares, hos agminum Duces appellamus. Horum quoque discrimina quædam sunt; alius & alium præstat; quo cujusque major est virtus, eo plus illi copiarum ac stipendii datur. Qui verò longè alios virtute, fide, animo antecedit, hunc milites, hunc Duces, Præfectique sequuntur. Hi sunt Imperatores nostri: hæc Italica Imperia. Nullum præclarius insigne quàm vulnerum adverso pectore multitudo, & deformata cicatricibus corpora. Quales multos memorare possem, qui nostra ætate fuere Imperatores, quos non favor plebis imperitæ, non Græca aut Romana facundia, non urbana æraria, sed una virtus in gerendis bellis ad eam sustulit dignitatem. Utinam illi veteres adesse possent, ut si

„ oratione non liceret, armis causam diceremus. Facerent credo in nos impetum collectæ subitam contentionem manus sinè armis, sinè equis, sinè disciplina militari. Ordines nostros confertos armis, & ferreis conglomeratos nexibus perturbarent. Tum etiam, si Diis placet, præustanos perticâ cominus, eminus fundâ propellerent. Ipsi quia solidè non durant, concavas hastas nostras exspectarent, & quibus ferreæ massæ nequeunt resistere, molliculæ pelles, æneæque loricæ restitissent. Subsidio venirent inermi pedites, & nostris intermixti equitibus ora nostra insueto manibus eorum mucrone jugularent. Dii boni! quos obtritus, quantas cædes, quamingentes strages ederemus. Cogitate, quæso, nunc ex hac Urbe, proximisque oppidis subitum acciri exercitum, creari nobilem domi, sed tamen novum imperatorem; quem civium gratia decernat; concurrere in castra omnem civilibus armis instructam juventutem. Contra hos meos opponite commilitones. Cogitate deinde, quæ illorum mentes, quantus pavor armorum aspectu, quanta ferratorum & circumvolitantium equorum occursu trepidatio. Tum qui ordo, immo verò quæ confusio pavidæ & sibi confusæ multitudinis. An illi diutiùs repugnarent? Resisterent, credo, vel tyronibus nostris, quorum ætas omnis militiæ est transacta; ne aciem quidem oculorum, nedum telorum impetum sustinerent. Multitudo inermis parata cædi, fugæ, pavori. Quid facturos fuisse putatis commilitones meos? quanta vi, quantis animis, quo ordine aggressuros imbellem multitudinem? quot inermium brachia, pedes, capita recisuros?

Hæc paulò ardentiùs, quo militibus morem gereret, locutum Rex ingenti amplexus est risu. Nec fateri dubitavit, ex his pleraque vera esse, maximè, quæ de creandis Imperatoribus essent dicta. Rugas contraxerant Hispani milites, & litem integram suscipere incipientibus silentium indixit Rex; confessus Italicos arte, ceteros numero præstare. Animorum primo ardore ferociores Hispanos, Gallosque, Italicos maturo consilio, non præcipiti ira dimicare. Ubi continuò est discessum, fama est multa simul de bello intimo secessu arcis consultasse. Rex omni ratione pacis bellique ad Brachium rejecta, primùm illi regia munera, purpuram atque aurum largitus. Mox omnes Centuriones, Præfectosque, ut cujusque decebat fortunam, equis atque armis donavit. Gregariis militibus congiarium datum, atque ita omnium inità gratià ad belli studia convertit animum. Habeo tamen auctores utrumque priùs cum suis quemque Præfectis militaribus Cumas concessisse, ad visendam totius Italiæ amœnissimam plagam, eosque partim terrâ fecisse iter, partim quà triremibus extrema maris ora delapsos simul deinde, quique mari, quique terrâ ierant, ad Bajas appulisse; totumque lustrasse Bajanum sinum, salutaribus tepentem aquis, otia Tyrrheni maris, & lætissima Myrthetis littora. Sic pellectos amœnitate loci, Lucrinum, atque Avernum, & opacissimis jacentem vallibus Acherontem, nec orienti, nec decidenti Soli pervium. Tum, ut vulgus credit, immane atque auro refertum Sibyllæ antrum, tam quidem vastum longumque, ut multos subire montes: proculque à conspectu recedere credatur, immensum cum labore periculum ingredi volentibus. Antri deinde ora prætergressos, lacunam quoque adivisse Sibyllæ, ingens & vetustum opus, & quod nomen indicat, admiratione dignissimum. Inde ad Puteolos conversos dejecta mari domorum ac turrium fundamenta, tot sulphureos per litus fontes, & prominens superata vetustate Theatrum: supra verò ardua fumum exhalantis Montis juga, nec obscura Miseni nomine. Denique omnem eum tractum longè latèque peragrasse. His lustratis locis terrâ Neapolim reversos effossum obscura caverna Pausilippum ingressos, Virgilii poëtæ sepulcrum mediâ imminens cavernâ, precatos veniam salutasse; nec quicquam tam gratum utrique jocundumque fuisse. Qua die hæc acta sunt, septem onerariæ naves, quas Rex subsecuturas dixerat, quum ad recipiendum in Sicilia frumentum restitissent, Neapolim secundis ventis appulerunt, partim frumento, partim equis & sagittariis oneratæ. Secuta est ingens annonæ vilitas. Jam duobus malis, bello atque fame liberati Neapolitani, & Brachii, & Regis beneficia sentire cœperant, liberiusque diu intermissos equestres ludos, aliaque festa patrio more celebrare. Brachius totus intentus ad bellum, quo expeditionem maturaret, multis verbis Reginam ac Regem ad mutuam benivolentiam & concordiam hortatus, copiis Urbe deductis ad priora castra concessit. Nec diu moratus, altero quàm profectus est die, Angarium oppidum, quod paulò ante ejus adventum rebellaverat, magno adortus impetu expugnavit, diripuitque. Motis celeriter castris Paganum infestis signis proficiscitur. Perterriti oppidani, deditione sub conditione facta, dejectisque hostium vexillis, regia signa receperunt. Dum hæc ad Campaniam geruntur, Tartalia cum octingentis equitibus auxilio missus à Pontifice cum Sfortia conjunxit. Occultè enim, quasi non ipse gerendi belli auctor esset, ante id tempus auxilia miserat; nunc cognito Regis adventu confirmandum exercitum, & peditatu, equitatuque augendum, ratus, manifestiùs omnia facere. Magnas undique belli vires moliri arbitratus, quod erat verisimile, plurimum posse ejus nomen ad Populos solicitandos, regias copias mari quàm terrâ meliores & equitatu minores futuras, vinci delerique facilè posse. Tum nihil Italicis Catalanorum nomine infestius, & Catalanos putari omnes, quicumque transmarinum Regem secuti in Italiam trajecissent, unicum esse obstaculum Brachii numquam antea victum, & supra mortale reputatum caput. Sperare tamen frequentibus prœliis inanem hominum opinionem posse adversis illius rebus evanescere, nec dubitari, si pari robore in discrimen esset eundum. Illum victorem fore, nec quicquam plus addere terroris militi quàm invicti Ducis famam. Sed auctis suorum viribus exercituque multiplicato, aut non commissurum illum pugnam existimabat, aut si committeret, equitatu defecturum, atque ita superatum iri, & partam longa felicitate gloriam, brevì rebus semel malè gestis deperituram. Utcunque procederet res, vel fugeret ille, vel pugnaret, superiorem.

rem se futurum. Consilia erant magìs otiosi Pontificis, & verti res magnas uno momento, uno astu nescientis quàm bellicosi Ducis. Ergo fiunt enixissimi bellici rerum omnium apparatus: stipendia largiùs quàm antea decreta; milites longiùs acciti. Quæ dum à Pontifice aguntur, Brachius ut, priusquam tot hostium adventarent copiæ, finitimos ad defectionem compelleret, Hispanos milites, Regiosque sagittarios cogit in castra, totis viribus occupaturus nondum firmatum præsidiis hostem. Producto igitur ad Castellum Maris media nocte exercitu, sopitas pro stationibus vigilias comperit. Admotis muro scalis complent mœnia, atque oppidum irrumpunt milites. Refractis portis ac cæsis vigilibus classicum canit tuba. Oppidani magno quoque militum clamore excitati somno, ubi hostem intra mœnia sensere, subito perculsi pavore latebras tacitâ fugâ quærere, pretiosa secum asportare, mulieres sarcinas efferre domo, & dum effugisse spes erat, in prædabundum hostem incidere. Diripiuntur oppidanorum bona; sed milites, pars domorum intima rimari penetralia, pars ad portum incurrere, & naviculis ac cymbis occupatis, natantia mari dolia, cadosque corripere, denique terrestri prœlio maritimam prædam agere. Quæ omnia Neapolim prima luce delata littora, portusque compleverant. Vinaria dolia, eaque omnia plena ad viginti millia fuisse tradunt. Auxere prædam etiam Salinæ. Sed Arx valido munita præsidio, quamquam multis diebus oppugnata, nullo tamen impetu capi potuit. Et res ad obsidionem redierat; quæ res causa hostibus fuit celeriùs ad solvendam obsidionem occurrendi. Constituunt hostes diem, qua die ad Sarnum flumen convenirent. Duodecim millia fuere equitum, peditumque tempestate illa satìs ingens exercitus, & qui non æquare hostem solùm, sed circumvenire etiam potuissent. Ejus rei per exploratores certior factus Brachius, veritus ne inter oppidi angustias opprimeretur, neve ripartito exercitu cum Arce, cum oppidanis, cum hoste simul committere prœlium cogeretur, deserendi oppidi, movendique propiùs ad hostem consilium cepit, faciliùs universis copiis, quàm partito milite aditurus pugnam. Ergo permotis ad Sarnum castris, ad alteram ripam non procul ab hoste consedit. Illi quoque adversæ appropinquavere ripæ. Nec jam duas acies aliud quàm fluminis alveus dirimebat. Positis hinc atque inde stationibus duo de viginti dies circa flumen, ut alter alteri obstaret, inhæserunt. Sed fluminis haud sanè ingens erat altitudo, frequentiaque patebant vada, quibus trajecti milites levia committebant prœlia, & Brachius de industria, ad extenuandum hostem moram trahebat. Inter hæc duo circiter millia Neapolitanorum, & cum his pauci sagittarii ad Brachium venerunt. Sed eum Rex per literas, quod compertum de hostium numero haberet, ne prœlium caperet, admonebat. Turpe videbatur Brachio, quicquid esset copiarum in Regno, frustra unum in locum convenisse. Tum milites auctis jam viribus, quamquam non pares hostibus prœlium postulabant. Dux ipse non adeò contemnens hostem, nihil existimabat committendum temerè, dissimulatoque consilio, ne quid metus subesse videretur, quominus signum militi daret, Regis literas causabatur; nec hostes magnificè prœliandi faciebant potestatem. Commeatus utrique, magìs tamen Brachio suppeditabant. Illis Acerræ, Nuceria, Aversa, Brachianis maritima ora frumentum suggerebat. Sic rerum copia dimicandi fecerat negligentiam. Brachius ubi videt hostem, quamquam majoribus copiis & minore commeatu, tamen castris se continere, non ausus, cum universis confligere alieno loco, aciem in dies latiùs proferebat, ut citeriorem in planiciem ad æquum compelleret locum, vel occasionem militi præberet leviter dimicandi; nihil missum faciens, quo aut universos ad iniquitatem loci, aut partem ad leve certamen eliceret. Nec hostes eam detrectabant pugnam, qui etsi multi Duces unius Brachii astu superabantur, omnia tamen patienda statuebant, ut aut conficerent fame multo opulentiorem hostem, aut ad alteram fluminis ripam belli cupidum provocarent. Constat nusquam Brachium, quantum hoc bello, hausisse laboris, continuos complures dies numquam exuisse arma: secutas etiam loricam situ laxatas vestes. Erat enim vigiliæ atque inediæ supra quàm humanum est patientissimus, laborum tamen multo patientior. Heic Centurionem manicatum exauctoravit. Militem tecto capite propter pluvias ordine abeuntem castris pellens, ejus insignia, quæ ille caligis gestabat, ademit, nec usquam exactiùs militarem disciplinam servari voluit. Qui ubi videt, nullo consilio impelli hostem, nec flumine decedere, quo tantam copiarum molem uno in loco se continentem dissiparet, militarem dolum excogitavit. Frequentibus enim leviter commissis prœliis, si quos Sfortiæ cepisset milites, eos in catenas conjectos, ad regiam classem trahendis remis destinabat. Quos autem ex Tartaliæ copiis, eos magnificè donatos cum armis atque equis, quæ belli jure amiserant, in hostium castra remittebat. Nec deerant blanda & superioris amicitiæ admonentia verba. Quæ quum sæpius egisset, gravis inter duos Duces est orta suspicio. Varia cœpta agitari consilia, nec alter alterum admittere; qui fuerant dimissi cum donis, rem magìs excitare, Brachium in cœlum tollere, succendereque alterius Ducis iracundiam. Jam totis dissidebatur castris, geminamque factam aciem, duo dirimentia valla muniebant, multoque negligentiùs, qua parte instabat hostis, quàm inter sese vigiliæ fieri cœptæ. Nec meliùs inter se milites conveniebant. Demum eò processit res, ut veriti ne tumultuariam seditionem concitantes callidus invaderet hostis, alius aliò moverit castra. Tartalia Aversam, Sfortia Nuceriam, nihil inter se amicè cogitantes, abiere. His rebus per speculatores cognitis, Brachius omni rejecta mora flumen trajecit, factoque per Aversanorum fines itinere, agro Atellano leviter populato, Capuam agmen perduxit. Tartaliæ transeuntem impedire cupienti, milites non paruerunt. Quippe educti in aciem pars simulatâ fugâ repetivere Urbem, pars metu validioris exercitus intra munitiones regressi, neque facere, neque exspectare impetum voluerunt.

LIBER SEXTUS.

PRofectus ad Capuam cum exercitu Brachius, partem copiarum ad arcendas Tartaliæ incursiones, atque Urbis præsidio reliquit. Ipse cum reliquis magna celeritate profectus in Marsos, in ipso itinere Minianum, & Sanctum Victorem, alterum vi captum diripuit, alterum sub conditione in potestatem recepit; celeriterque egressus Regni terminos, Pontificis, qui ad Marsos pertinebant, fines latè est populatus. Eadem celeritate conversus in agrum Vestinum, duo Pontificis oppida, Castellumnovum, & Sanctam Luciam primo statim congressu expugnavit, diripiendaque militi permisit. Ea res magnum Pontifici incusserat terrorem. Quocirca missi celeriter ad eum legati de oppidis repetendis. Nihil benignum audire. Responsum Brachii fuit, Pontificem verbis quidem pacem agere, ceterùm re ipsa bellum gerere asperrimum. Quum adversùm se Tartaliam auxiliatum hostibus misisset, tunc ruptum fœdus, violatam amicitiam esse. Quamobrem non solùm hæc se oppida non redditurum, sed bello quàcumque posset petiturum ejus imperium. Nec novo fœdere opus fore, quando priora soluta pace servata non essent. Capta nuper oppida belli jure sua facta. Ea si Pontifex redimere vellet, non pecuniâ futurum opus. Si Tyferno cessisset, idque pleno jure traderet in potestatem, capta nuper à se oppida recepturum. Nihil restitere Legati; sed re infecta, novis perlatis ad Pontificem mandatis, paucos post dies reverterunt, agentes si oppida restitueret, statimque excederet bello, Pontificem Tyferni cessurum jure. Ceterùm Brachius suis viribus jus sibi vindicaret. Nolle Pontificem Tyfernatibus vim facere. Hæc cum legatis pactus, Brachius conditione accepta, castella restituit, belloque statim excessit. Inter hæc Sfortia & Tartalia simulata magìs quàm facta reconciliatione, cum omnibus copiis, quæ jam morâ communitæ defecerant, in agrum Suessanum, ut inde, si opus foret, obsisterent hosti, movere castra. Qua re per speculatores cognita, Brachius longis factis itineribus altero die ad Lyrim amnem pervênit. Lyris ex Apennino defluens, modicus quidem primum, & vadis transiri facilis, sed mox paululum infra, magna vi fluminum augetur, & nusquam vadosus, alveo lato, profundoque ad Minturnas in mare delatus, pulcherrimam ac fertilissimam Italiæ oram interfluit. Ille Ausonios & Vestinos agros, ille Miricæ regna, & Minturnensium oram olim Italiæ celeberrimam plagam, nunc ipsis ignota accolis nomina. Ille Suessanum agrum aureis, ut poëtæ tradunt, arbustis consitum præterlabitur, felicis Campaniæ felicior terminus, & semper aliàs ejus regionis tutissimum munimentum. Brachius, ubi ad ripam fluminis pervênit, patentes Suessanorum campos, & passim errantes greges atque armenta conspicatus, vel magna in re tentaturus fortunam, vel quod magìs putant, prædæ cupiditate adductus, equitatum quà latior fluebat amnis natationi subjiciendum constituit. Nam latitudo alvei, & facies tranquilla fluminis, atque ad ripam vadosa, faciebant animos. Ergo præmittuntur inermes, ac nudi pauci, qui & majoribus veherentur equis, & natare ipsi didicissent ad transitum pertentandum. Militum oculi, ut quisque sui discriminis est solicitus, omnes in transeuntem exploratorem conjecti hærebant. Pergit primum cunctabundus eques; mox cum gloria primùm à se tentati periculi, tum spectantium militum clamore, atque hortatu impulsus. Jam ad medium processerat amnem, quum equi supremas jubas, mediumque jam equitem undæ superaverant. Erigit sese anterioribus pedibus equus, & ubi modico progressu nec sic quidem æquare altitudinem potest, pandit latè supra amnem corpus, ac sese aquis vehendum permittit. Nec deerat moderator, qui transversum ad alteram ripam ageret natantem equum. Sic ubi paululum est natatum, rursus fundum pedes attigerunt, sublatoque ut priùs collo modicum processerat spatii; quum jam toto eminente dorso, ad alteram fluminis ripam evasit. Continuò secuti quibus idem negotium datum erat, & ipsi quoque paululum natavere; mox superiorem inferioremque percontati amnem, eum locum commodiorem, quod non ampliùs quàm viginti pedes erat natandum retulerunt. Iidem armis onerati jussi eunt, redeuntque sæpe. Sequitur deinceps omnis equitatus, & quasi non solùm homines, sed flumina etiam superare didicissent, magno plausu hostilem ripam complevere. Nam illò quoque dux ipse inter primos evaserat, semper aliàs industriâ, nunc etiam fortunâ usus. Quippe quum neque ante id tempus umquam, neque postea, ne multo superiùs quidem, & ante magnorum fluminum congressus Lyrim quisquam vado trajecerit, inde Brachii Vadum appellatus memoriam tanti facinoris ipse testatur locus. Res dubium admiratione an stupore dignior ex duobus millibus equitum loricis, ocreis, thoracibus, tot ferreis laminis impeditorum ne unum quidem gurgites hausisse. Brachius relictis ad citeriorem ripam impedimentis, ratus id quod res erat, suum adventum non solùm incognitum Suessanis esse, sed etiam incredibilem visum iri, statim rates ex sicca materia confectas ad trajiciendos pedites ædificari jussit, qui è vestigio & ipsi undis perfusis trajecerunt. Flumine superato Brachius producit aciem; delecti leviter armati dividuntur in duo cornua, lævum, dextrumque; medium erat agmen gravioris armaturæ. Heic nulli intermixti pedites, sed omnes ad latera concedere, & quantum cursu possent durare, jussi sunt equitatum anteire. Signa mediam obtinebant aciem. Inter medium agmen & duo cornua multum intercedebat spatii, quo latiùs per campos extenderentur prædatores. Excurrendi ordo fuit, ut quamessusissimè popularentur agrum, & si qua hostium occurrisset manus, dextrum cornu ad lævum, lævum ad dextrum se reciperet. Sic fiebat, ut etiam itineris errore sublato à medio

dio signorum exciperentur agmine, nec potuit majore consilio geri res. Instructa per hunc modum acie funduntur in latissimos ac fertilissimos Suessanorum fines; eunt passim in prædam longæ pacis munera, greges, atque armenta, & veluti uno flatu ventorum, quicquid obvium est longè latèque corripitur. Rura illa, quæ anni dies æquavere numero, vi, clamore, ferro intermiscentur omnia. Subitum & insperatum malum multo plus incutiebat terroris, qui prædatum venissent, aut unde nescientibus, & pavor trepidis consilium excutiebat, ut pro monstro res esset. Attoniti vulgo agrestes sinè voce, sinè clamore pavidâ fugâ latebras quærere, cadere, capi, trahi, vinciri, fuitque res supra mortalium fidem. Quicquid intra Gaurum, & Massicum, Gallicanumque montes ab infero mari & flumine Lyri jacet agri, totum infesta populatione vexatum, atque direptum, quod necesse fuit evenire securis belli & nihil hostile metuentibus. Tum regionis egregiæ munitæ situ fore se tutos jam inde à belli initio crediderant. Quippe ad occidentem Solem flumine Lyri, numquam ut dixi aliàs vado trajecto, ad Meridiem infero mari clauduntur, quà verò in Orientem & Septemtrionem vergunt, altissimi ac prærupti surgunt montes, ut vix arctissimæ pateant transeuntibus angustiæ. Sed prædam ut Brachio insigniorem, ita miserabiliorem hosti, duo duces effecerunt. Nam ut huic pulcherrimum, ita indignissimum illis videre latè palantem, prædantemque hostem, audire captivorum miserabiles questus, & prædam quantam numquam illa vidit ætas ante oculos Ducum & Civium conspectum asportari, nec auxiliari fortunis suis miseros incolas audere. Prædæ magnitudinem incertam ipsa multitudine fuisse tradunt. Illud constat vendito pecore, captivisque redemtis quinquaginta nummos viritim in capita militum distributos. Tum Capuæ & Neapoli duplo minus diminutas macellariorum nundinas. Pars etiam mari ad Lucanos, Salentinosque transvecta.

Post hæc Brachius reducto per maris angustias, quas occupari jusserat, ad Capuam cum præda exercitu, ut jam suam Urbem, suos vectigales in victoria cognosceret. Primum frequentem Campanum Populum in concionem vocatum edocuit id, quod jampridem fama vulgaverat, datam sibi à Regina Campanorum Urbem, datas arces, agrum, fontes, vectigalia, quod quia molestè quosdam tulisse audiebat, orare Populum & primum quemque appellare, ne se indignum putarent, quem sua in Urbe regnare paterentur. Non se obscuro natum loco, sed vetustissimi generis splendorem, virtute, & imperio auctum, nec fuisse ausum hæc ita coram dicere, nisi sciret explorata esse omnia Campano Populo, Perusiam exemplo esse. Illam quanta esset intuentes imitarentur, nec ullum durius imperium, quàm ubi Civis Civi imperat; & tamen ultro sibi esse latam communem libertatem, ut quam illi publicis viribus tueri non possent, sua ipsa virtute auspicioque defenderet. Irent, mitterent qui Perusinam rem, quo in statu esset certam, exploratamque referrent. Scire se Capuam regiam quidem esse Urbem & regiæ stirpi parêre solitam, sed eos demum esse Reges qui & parerent Regna, & parta justè moderatèque regerent. Nec initio rerum alium alio nobiliorem fuisse. Virtute primùm factos non stirpe natos Reges. Non latêre Populum Campanum quàm gravi bello ante suum adventum premerentur, ad portas enim imminebat hostis: frustra tunc regiæ stirpis imploratam opem. Sua se manu auspicioque hostem delesse, & regiam Urbem non à Regibus quidem aditam esse, sed à se, qui Rex non fuisset, prope suburbano bello liberatam. Captas duas arces, quæ quantum molestiæ, quamve Urbis assiduè populationis, & tumultuariæ formidinis fuissent causa. Civitatum Reges esse, qui Civium capita, & fortunas defenderent, propulsarent injurias, propagarent imperii terminos; non qui vano nomine alienis fortunis abuterentur. Non fuisse hæc dicturum si quam illi regiam intuerentur sobolem bona spe plenam. Verùm non ita esse, non Regi, non Reginæ liberos exstare, quorum tutelâ conquieturi essent, & tamen sinè regia stirpe Campanam rem esse non posse. Quid putarent commodius futurum: eum facere Regem, cujus clara pacis, bellique facinora perspecta habeant: an accipere nihil præter vana nomina, afferentem. Tum Regum arbitrio fortasse, aut crudelem, aut quod fœdius est imperantibus ignavum accepturos, utrum accideret, aut Regi, aut finitimis contemtui futuros esse. Proinde uterentur occasione. Non modò nihil umquam subituros periculi suis auspiciis, sed finitimis latè imperaturos. Nihil magis flexit Campanorum superbiam, quàm invidia finitimorum. Tum recens erat memoria sublati belli, & vim cernebant paratam, nisi paruissent. Oritur clamor à plebe primùm dominum principemque salutante; mox Primores Civitatis, & Magistratus omnes ordine tribunal adeuntes jurejurando ipsi sese adegere perpetua fide mansuros. Deinde frequenti stipatus Populo ad inferiorem Arcem, quam Petræ vocant, ad ipsa Urbis inferiora mœnia concessit. Custos, cognito Reginæ signo, Arcem & munimenta tradidit. Fit jam ingens tota Urbe plausus. Arcis custodes multis simul excussis bombardis latè obtundebant mortalium aures. Huc Cives ordine eunt gratulatum, magnaque statim cœpta munerum concertatio, ut cujusque maximè erant opes, ita plurimum frumenti, aliarumque rerum largiri. Vincebatque ostentantium fortunas æmulatio. Nec ante inhibitam à Brachio largitionem finis muneribus factus. Tum inde variis ludis ille consumtus est dies. Postridie missis, qui superiorem repeterent arcem, duas pulcherrimas atque operæ munitissimas Italiæ turres, custos non ante traditurum respondit, quàm viginti millia nummûm, & præterea cunctam arcis munitionem diuturnæ custodiæ præmium recepisset. Mittuntur deinde statim primores Civitatis, qui precibus contenderent. Sed nec illorum quidem valuit auctoritas. Jam res ad apertam injuriam spectare & hostium numero esse cœperat custos. Pacano erat illi nomen; qui ingentes, furando, prædandoque in eam arcem convexerat opes. Sed ancipitem animum diversa agitabant mala. Duo liberi, præterea uxor, captivi à Sfortia in vinculis tenebantur, qui paucos ante dies non procul ab arce triplici simul erecta furca

ca horrendum & parenti & viro, nisi arcem traderet, spectaculum erat minatus filiorum, uxorisque suspendium. Vereri ne si nunc Brachio tradidisset, ira illum præcipitem egisset in suos. Tum cogitare cœpit regias opes ingentes esse; cernere paratam obsidionem, versatum iri ante oculos hominum violata jura. Inde pietas, hinc metus urgebat. Cessit tamdem parenti custos non veritus, dum impietatem effugeret, nescio an turpiorem subiret perfidiam, quam tamen multo fœdiorem pecuniarum insana cupiditas faciebat. Brachius etsi putabat vanam operam moliri, tamen cingendum jam hostem obsidione, omniaque tentanda decreverat. B Capuam Vulturnus amnis tribus prope circumfluit lateribus, ut multis in locis pro muro sit flumen. Nec aliter illud quàm ponte aut ratibus transmittitur. Porrò pontis extremum aditum duæ illæ munitissimæ excipiebant turres. Itaque transeuntibus angustum inter turres ipsas iter erat. Urbem ab arce intercurrens flumen dirimebat. Tum situm ipsum structuræ magnitudo exsuperat. Murus ad mediam usque molem circiter triginta in latitudinem continet pedes, totus quadrato confectus marmore, & lapides pro calce liquatum connectit plumbum, & nequid muralia pila officiant, neve bombardæ gravi ictu concutiant, altero facto ex cæmentis duplicantur continenti muro, qui sic C machinarum vim excipit, ut vix languido, ac levi adiri morsu, nedum latiùs perrumpi queat inter duas turres regium cubiculum. Quà iter erat supra caput altissima prominet testudine, marmoreis statuis vetustisque imaginibus distinctum, atque ornatum. Pons quoque ligneus suprema turrium fastigia committit. Huc accedunt circa utriusque turris ambitum in coronæ modum educta propugnacula, quanto munitiora potuit excogitare artificum industria. Brachius occupato primùm Urbis ponte, frequentem opponit à fronte sagittarium, qui propugnaculis averteret supernè resistentem hostem; etsi cognoscebat eam rem magis terrori quàm periculo hosti futuram. Pacanus adhuc inter pacis D belliqne consilium negligentiùs arcere transeuntem militem, & tamen saxa rara demittere, sperans mitigari oppugnantis Ducis iram, aut minus exasperari, si ipse militum cæde abstineret. Jam exercitus omnis ad alteram pervaserat Vulturni ripam, paulatimque cingere arcem cœperat; quum statim plurimi acciti fossores quàm latissimum producunt vallum, productum aggeribus trabibusque circumveniunt. Nec procul inde alteram latiùs deductam fossam præacutis & eam obstruunt sudibus. Fervet simul utrimque opus, nec cedit fossori miles. Dux ipse E partim excitandis, qui ducendæ præerant fossæ, partim comportandis ex Urbe trabibus intentus custodi manu voceque minatur. Hic primùm ille belli non creditum apparatum, & futuræ obsidionis inditia prospicere. Hic cognoscere hostem, & fortunæ suæ paulatim subdubitare. Quippe diuturnæ pacis otio demollitum animum subita belli terrebat facies, ut sæpe ignaviam animi vix ulli satis tuentur muri. Productæ jam erant circa turres geminæ fossæ, quarum medium quod erat relictum spatium, materiâ plurimâ completum, ne quà penetrare quisquam

A ab hoste, si auxiliatum venisset, in arcem posset, militum stationes occupaverant. Pacanus ubi videt omnia in arctius spectare, serò mutato consilio leniendi hostis totis viribus, militem arcere contendit. Ille tela, ille saxa in conferta conjiciens agmina proximum quemque fodiebat. Immensum apparebat futurum laborem, conatusque omnes incassum recisuros. Nec alia re vinci hostem quàm fame posse. Brachius plurimum ratus momenti habere terrorem, omnia majora, quàm opus esset, apparare stativa, tamquam illic transacturus hyemem pro vallo facere, denique omnia moliri, quæ pavidam moturæ mentem arbitraretur. Contra Pacanus quoque magnificè loqui, dissimulare jactantiam, premereque intimo corde metum, bombardas ad Urbem intendere, omni via conari hostem ab obsidione propellere. Quod tum demum facile putabat futurum, si nihil meticulosi percepisset statim inde discessurus hostis. Nec fefellisset consilium, nisi quæ plurimum bello potest, fortuna victori expugnationem desperanti aditum in arcem patefecisset: Faber erat Campanus grandi natu, longæ senectutis rarum exemplum, cum ætate, tum magis arte cognitus Duci. Hic se puero captas eas turres per cuniculum, & quo in loco, quantumque terræ suffossum esset, memoriâ tenebat. Unus erat aditus ad subterraneam lacunam, quò quum opus esset, aquam è flumine custodes arcis derivabant; cetera undique latissimus vallaverat murus. Quippe turrium eadem est infra terram altitudo, mirabile hac quoque parte & rarum opus. Brachius plurimis ædificatis ratibus, ligneum pontem ab Urbe ad radices turris pertinentem construi celeriter jubet. Propugnatores arcis è summo turrium fastigio saxa, telaque dejicientes rem difficillimam faciebant. Quicquid enim struebatur operis, id totum ingentibus perfractum saxis, demersumque flumen hauriebat. Nec sagittis arceri poterant propugnaculis, qui supernè lapides devolvebant. Ergo eriguntur statim supra opus convexa tabulata, frequenti subnixa trabe, quæ supernè cadentia saxa sic exciperent, ut veluti pluviæ tecto geminum in latus expuerentur. Ponte ad biduum confecto substruere cuniculum cœperunt. Molle atque aliàs effossum solum ligonibus egregiè quidem cedebat. Nec ampliùs una die ad os ipsum lacunæ à fossoribus est penetratum sed crebræ factæ labes cavernam impediebant. Fortè superiore nocte duos arce demissos utres plenos olei vigiliæ exceperant.

His ad Brachium delatis, ac coram diffui jussis, inventæ sunt densa ac tereti stipatæ cerâ præfecti literæ ad Suessanum Ducem. Petebat ut quamocissimæ quatuor sagittarios, & paulùm medicaminis ad se mitteret: illis supplendo arcis præsidio, hoc curandis vulneribus opus esse. Nisi mitterentur, magnum periculum impendere paucitate defensorum. Literas Pacani scripserat nepos, cujus ille operâ atque industriâ plurimum utebatur. Interim servatis in tempus literis Brachius enixissimè noctes diesque operi perficiendo imminebat. Quod ligonibus exedebatur, id tabulæ in testudinis modum æquatæ sustinebant. Ingens trepidatio custodem invaserat, quum tantum operis, tantum festinantiæ moliri hostem despiceret, & referiens aures fodien-

dientium ictus intra turrim convexa penetrabat. Quo enim plus cuniculo accedebatur, eo magis incussi terræ ictus ad testudinum interiora resonabant. Jam res apertè ad lacunæ fauces spectabat, quum ille non inops consilii recta fronte duas æneas bombardas directè ad fossores intentas opponit, ut duo inde simul excussi lapides magna strage quicquid obvium foret toto permearent, elidérentque cuniculo. Sed eadem heic illa, quæ ad Lyrim amnem fortuna non defuit, altior prodiit cuniculus, quàm quò directæ erant bombardæ. Pacanus ubi videt occupatum iri ab hoste inferiorem turrim, simul paucos opponit, qui hastis ac telis sustinerent impetum, simul magnam vim aquæ ad superiora comportari, & dolia ac cados, denique quicquid erat vasorum in turribus compleri jubet. Prosiliunt interea pauci milites, & fugâ subitâ evadentibus ad superiora custodibus vacuum ac desertum lacunæ fornicem occupant. Cuniculus assiduè magnam vim militum intra lacunæ vestibulum edebat. Eunt deinde magno conatu frequentes ad cocleam. Hæc marmoreis atque angustis intorta gradibus vix singulos, nec tamen hastatos admittebat. Gladiis peragenda res erat, & primus quisque miles à supernè repugnantibus fodiebatur. Tamdem in manifesta clade superat periculum virtus. Scandit Centurio primus duplici contectus armatura. Hunc cetera subsequitur cohors; deserunt & hunc quoque locum custodes, seque in alteram longè munitiorem celsioremque testudinem recipiunt. Diripit horrea & vinarias cellas miles, & tamquam victoriâ potitus, dum prædabundus turrium secreta rimatur: spatium tutoribus dat cuncta muniendi. Pacanus qua coclea defecerat submotis repentè scalis supernè lapides, telaque dejectat. Oritur prœlium cædi quàm pugnæ similius. Quippe alter incutiebat ictus, excipiebat alter, si propior accessisset, quum nec hastâ quidem testudinem miles adæquaret. Re ad Brachium perlata, siccam materiam, & quæ altè fumaret, comportari jubet, fumo enecturus, quem ferro domare non posset. Sed ea res longè plus suis difficultatis, quàm hostibus dedit clauso testudinis ore, ac flamma fumoque latè tenebrante. Quum subsistere milites intra completas caligine angustias non possent, fuligine obstricti fauces, incipiunt subitò referre pedem, eumque locum & ipsi deserunt. Brachius rejectis suis augendum in prope jam desperata oppugnatione terrorem, subitumque tolli clamorem militum jubet, expugnatas jam turres & partam victoriam clamitantium. Ad Pacanum quoque per ostii compagines paulum fumi penetraverat; qui quum augente suspicionem metu nihil de hostium recessu cognovisset, ac ingentem videret in castris versari lætitiam, veritus nequid novi infra testudinem moliminis fieret, subito est perculsus terrore, superatoque statim fastigio, quanta potest voce mitti sibi quempiam ad colloquium postulat. Cui Brachius quo magìs augeret terrorem, primùm quidem vetuit responderi. Mox illo altiùs tollente vocem, referri jussit, si quem vellet, emitteret arce, alioquin neminem ex suis missurum. Emittit Pacanus nepotem in castra, quem ubi procul venientem Brachius est conspicatus: *Quid sibi vult à me*, inquit, *magnus iste Pacanus tuus?* respondenti decem millia nummûm: *Plus*, inquit, *dimidio lucrati sumus*. Viginti millia enim poscebat. Sed modium frumenti & vini cadum arce vix efferet. Tabellis deinde porrectis, *& quid? has tu nosti, quas idem scripsisti literas?* neganti à se scriptas: *Abi*, inquit, *ad tutum hinc à me: defende si sapis arcem: ite, pergite rebelles esse. Idem te, quod patruum, supplicium manet. Vos quidem bombardâ me petere ausi estis. At ego jam nunc, quam vos violastis, fidem obtestor: non hinc ante aut deditam, aut expugnatam arcem moturum castra. Ultro si statim dediderîtis, licebit esse impunes; sin vi quod prope est repugnantes oppressero: singulis artus, singulis mœnibus nefariæ perfidiæ pendebunt exemplum.* Literas reddere volentem, tabernaculo irato similis depelli jubet. His omnibus ad Pacanum delatis ingentem pavorem, cum acriores solito minæ, tum exceptæ ab hoste literæ injecerunt. Quocirca rursus vocari è castris jubet, qui bona fide ad colloquium eat. Brachius aucto ut volebat metu, vocem è tabernaculo reddi jubet. Nihil ampliùs colloquio opus esse; statim si arcem aperiat, abiturum quidem impunem; nihil tamen præter cadum vini & frumenti modium detracturum. Dejicit statim scalas Pacanus, & quas multorum annorum prava cupiditas exaggeraverat, subitus pavor opes fortunasque destituit. Diu hærentibus obliquè oculis & æquantibus suspiria lacrymis tot malè quæsitas opes ad tam modicam sarcinam recidisse. Transit ludibrio conspectus per media castra duobus asellis comitatus, quem modò phalerati equi media Urbe magno plausu devehebant. Inventi sunt in arce duodecim nobilissimi Campanorum pueri, quos ille forma atque ætate pellectus, media in pace tamquam pro obsidibus corripuerat. Brachius receptis in potestatem turribus, Campanorum imperio liberè potitur. Hic ille Civitatem bonis legibus instituere, Urbem ædificiis publicis primùm, deinde privatis exornare, coctilibus laterculis forum ac vicos sternere, Campanum perhumanè, & comiter appellare. Denique brevì gaudere novo imperio Cives cœperunt. His rebus ad Capuam gestis nova accessit lætitia. Calendis Septembribus paulò ante occasum Solis filius Perusiæ ex fœmina nascitur. Huic Carolo datum nomen, quem nunc audio Venetorum exercitus Imperatorem, etsi non gloria atque imperio, spe tamen paternam magnitudinem adæquasse. Hoc accepto nuntio Brachius ludis equestribus magnificè publicè, privatimque in Urbe celebratis, in aciem cum omni exercitu proficiscitur. Hostes malè inter se reconciliati, insequi euntem, longo tamen interjecto spatio decreverant. Quippe nec copiis, quæ paulatim defecerant ad Regem, nec militum animis pares. Illos plerosque rebelles finitimis accitos oppidis additus imperitiæ terror agitabat. Paucos veteranos multis in locis malè gesta res pristinæ calamitatis admonebat, & sæpe adversa fortuna supprimit mortalium animos, tollitque secunda. Tum intestinum odium; æmuli Duces, discordes exercitus difficiliora cuncta faciebant; etiam in bona fortuna firmaque virtute, magna atque eminentia mala. Contra Brachii veterani omnes, & invicti milites solidum imperium quotidianæ victoriæ

riæ concors exercitus, & sola virtutis æmulatio, cuncta belli atque gloriæ præclara incitamenta. Tartalia post turrium defectionem ratus quod erat eventurum, omnem belli conatum adversùs finitimos Aversanos, Acerranosque futurum, celeriter motis Suessâ castris, Aversam anteverterat; ut saltem liberas hostium arceret populationes. Agrum Campanum, Aversanumque longa intersusa dirimunt stagna, sive sit illud stagnum, sive flumen fluenti stagno simillimum. Hæc multis procul inde fontibus exorta, uno demum excurrunt alveo, mediamque latè patentem planiciem lapsu quidem facili, sed ulnoso, cœnosoque impediunt; ut nisi paucis in locis transiri vel media æstate non possint. Et si qua rara pateant vada, ea tamen sunt perangusta, & altè erectis turribus ad prohibendas ultro citroque excursiones muniuntur. Sed hostes ut rebellione facta priores moverant arma, ita priùs eas turres, atque omnem paludis tractum occupavere. Quæ res ut Aversanos tutos ab hostili populatione præstabat, ita magnum Campanis afferebat incommodum. Agrum enim liberè populaturo hosti noctes diesque ingressus regressusque patebat. Nec vi præcinctæ stagno turres poterant capi.

Brachius unam aut alteram, quoniam vi non dabatur, dolo capiendam aggreditur. Adolescentem adhuc quidem ephœbum, sed animo quàm ætate fortiorem, muliebri ornat vestitu, ostenditque vincendos virtute annos, & pulcherrimum facinus, quod omnem ejus ætatem honestaret, audendum esse. Falcem deinde messoriam & panariam lævâ suspendit, abdito sub veste gladio, jubetque ut errabundus fugam ac metum simulet. Custos mulierem ratus meticulosam, & latebras circa turrim de industria quærentem, ad se vocat. Trepidabunda & fugienti similis orans, ut pudicitiæ suæ ab hostibus post terga prementibus consuleret, intra arcem recipitur. Evadit statim mascula fœmina per scalas in superiorem turrim, inde quem effugerat hostem prospectura. Ubi ad suprema ventum est propugnacula, subducit scalas; gladium quem sub veste reconderat, strictum depromit. Eum, qui pro statiuncula vigilabat, ferro, clamoreque adoritur, pavidum atque altero trajectum vulnere præcipitem, quâ scalarum erat lapsus, deturbat. Custodem deinde minis, saxisque perterritum, inferiore depellit testudine. Aperit ille, qua se demitteret, portam. Adolescens abjecta jampridem veste, depositis scalis, gladio stricto descendit. Jam tota castra turri admovebantur, quum ante signarii exeuntem ac fugientem incidere, cepereque hostem. Brachius occupato ponte quamdiu paludem miles trajiceret, ne quid hosti significaretur, teneri in vinculis custodem jussit. Stagno superato incautum invadit hostem: populatur agrum hostis bellique securum. Itur perpetuo impetu in suburbanas Aversanorum Villas; eòdem altero, eòdem tertio incurritur die. Tartalia magnificè aut intra Urbem continebat se, aut non procul à mœnibus occurrebat fusè palanti hosti. Ejus consilio cognito Brachius cum parte copiarum ante primam lucem profectus quingentis passibus procul ab Urbe insedit. Cetera acie latiùs excurrere agrum jussa, etsi contra hostis veniret, metum fugamque simulare, quo procul inde distractum, atque interclusum ipse aggrederetur. Nec cogitata fefellêre. Insequentem suos temerè, atque incautè Tartaliam ipse à tergo clamans, urgensque adoritur. Ille insidiis serò cognitis, equi laxatis habenis, dat se à læva præcipitem in fugam. Effugiunt unà pauci, qui cursum æquare potuerunt; cæteri deficientes opprimuntur. Capti equites galeati ducenti, nec hostes jam inde Urbem egredi ausi sunt. Tartalia profligato, castra ad Acerras oppugnandas permovit. Sed Urbs valido munita præsidio spem omnem expugnationis eripiebat. Cinguntur obsidione tamen Acerrani, & præterquam qui in castris erant, Neapoli quoque acciti fabri, architectique, qui comportatâ, unde proxima erat, materiâ varii generis, machinas extruxerunt. Longus deinde cœptus subrui cuniculus triginta dierum: laboriosum quidem illud, sed magni terroris opus, testudo numquam ante id tempus usitata muro quadrigis admovebatur. Quæ milite sagittisque completa, atque altissimis obtecta tabulatis paulò minus adæquabat mœnium propugnacula. Scalas quoque milites comparaverant. Acerranos multùm nova machina, magìs tamen ingens cuniculo effossa terra solicitabat, incertos quam intra mœnia, quove Urbis tractu cavernæ pertinerent. Nec pro mœnibus solùm stationes vigilare, sed noctes ac dies per omnes excubare domos, ne quò penetraret cuniculus, cogebantur. Jam quæ ad expugnationem usui erant futura, expedita, parataque omnia, & subterraneum opus de industria nondum apertum paulùm à cœlo recedebat, quum Acerrani veriti Urbis direptionem, non exspectato pugnæ discrimine præsidia & Urbem dedunt. Fuere in præsidiis Præfecti militares quatuor, totidemque Centuriones, satìs firma tuendæ Urbi manus, nisi Cives excutiente virtutem pavore trepidassent. Hæc dum ad Acerras geruntur, Brachio nuntiatum est Januam potentissimam mari ac terrâ Urbem à Duce Mediolanensium intestino bello esse subactam, percussaque inter Pontificem & Ducem fœdera. Nec dubitabat Ducem ad perniciem Florentinorum, Pontificem ad suam magna excitaturos bella. Per hos dies quum Acerrani obsiderentur, Sfortia profectus Aversam vel odio jampridem concepto, vel defectionis metu, Tartaliam nihil tale suspicantem in convivio captum securi indictâ causâ percussit. Odio id factum, an defectionis metu, nec fama novit, nisi quia præcipites agit invidia mortalium animos, & imperandi cupiditas æqualem aspernatur. Sunt enim, qui affirment Sfortiam ad lectissimas illius copias nimis avidos injecisse oculos, arbitratum id, quod minimè fuit futurum, illius milites Imperatore amisso, ejus ductu auspicioque militaturos. Sed dolore amissi Ducis accendente invidiam, quippe quem nullâ causâ cæsum asserebant, fortissimus quisque clam, apertève, quæ commodior dabatur occasio, ad Brachii castra fugiebant. Heic primùm non militum solùm, sed etiam popularium animi paulatim à Sfortia deficere, Pontificeque alienari cœperunt; ut solent scelera vix ipsis placere, qui committunt. Brachius post receptas Acerras veritus, ne quid Sfortia in proximos Campanos moliretur, Capuam revertitur, tur-

turpissimum factu ratus si in media victoria, & Principatus sui initio Campani direptionem agrorum, aut tale aliquid hostile paterentur. Sed tutam à bello Civitatem acerbior invaserat fames. Frumenti quicquid publici superfuerat ante adventum Regis Neapolim comportatum, privati, quod exstiterat, Cives superioribus stativis depromserant, & præterea bella partim exhauserant rem frumentariam, partim excoli agrum, & sementes fieri prohibuerant. Igitur ad alendum militem necesse erat aliumde frumentum comparare. Tractus maritimæ oræ, qua Vulturnus per loca vasta atque herbida defertur in Tyrrhenum mare, commodissimus primùm visus est ad marinos commeatus excipiendos; sed litus invium atque importuosum frustrari speculatores videbatur. Tum iter per Vulturnum amnem longum ac perdifficile obliquo atque adverso navigantibus flumine. Terrestre iter multo magìs periculosum. Quippe per medios ad Aversam hostes transitus erat faciendus. Sic quàcumque vel mari vel terra frumentatum pergerent, aut immensum laborem, aut magnum discrimen subituri videbantur. Res jam ad summam venerat necessitudinem. Miles fame gravi, Civis majore quàm ferri posset caritate premebatur. Brachius ut hac quoque parte juvaret Campanos, frumentatores cum majore parte exercitus ad commeatus supportandos Neapolim dimittit; ipse cum reliquis copiis intentus pugnæ, si quid accidisset, longa manu sequebatur. Sic instructus ad pugnam, ut si hostis occurrisset, composito esset agmine. Idem facit continuis pluribus diebus, facto semper per Aversanorum fines, atque ante ipsas portas itinere. Sed labori tam continuo subeundo durare equi non poterant, simulque universum fatigari exercitum uno commeatu oportebat. Mutat ergo consilium Brachius. Ducentos frumentatores inermes, sinè hasta, sinè sella dimittit, qui Neapoli frumentum equis advectarent. Duos deinde tubicines inter Aversanum, Neapolitanumque agrum, totidemque inter Campanum atque Aversanum, non procul à via regia in occulto locat, iisque imperat, ut si ad commeatus impediendos hostes exeant, ut putabat exituros, qua parte id fiat, repentè tubâ significent. Regi præterea scribit, ut suas & ipse copias in parato teneat, ut quum classicum cecinisset tuba, impetu magno concurrat ad hostium portas. Idem ipse fecit, instructa parataque acie. Quum non procul à finibus hostium consedisset, tubæ signum operiebatur, celeriter & ipse ad portas incursurus. Sic erat futurum, ut quàcumque hostis egressus Urbem invaderet jumenta, interclusus gemina acie, occupatisque ab hoste portis, receptu prohiberetur. Nec destituit fortuna consilium. Sfortia cognita per exploratores inermi paucitate, commeatum inter Capuam, atque Aversam est adortus existimans eo negligentiùs incautiùsque rediturum frumentatorem hostem, quo magìs Capuæ appropinquaret, & impedita gravi onere jumenta, spem subitæ prædæ faciebant. Tubicines cognito hostium egressu, atque militum audito clamore, quantum altissimum possunt edunt classicum; quod excipientes alteri tubicines, classicum & ipsi cecinere. Regiæ copiæ, quia remotiores fuere, tardiùs quidem, sed tamen magno ad Aversam cursu pervenerunt. Brachius instructa, ut erat, acie prodiit in apertos campos, & diripientem commeatus hostem concitatissimo invadit impetu, clamoreque perterret. Inconditi hostes & ad prædam capiendam dissipati nullo commisso prœlio in fugam sese quameffusissimè converterunt. Insequuntur animis pleni, ferocesque à præsente atque hortante Duce Brachiani. Diversa fuit trepidantium fuga; nam id quoque provisum est, ut inde impetus fieret, quà erant hostes ad suam Urbem cum præda reversuri. Sfortia fretus equi velocitate per media effugit agmina. Serò cognitum milites insecuti sunt, nec ante persequi destiterunt, quàm ille laxis habenis, excitatoque assiduis calcaribus equo, intra fossas Urbis præcipitem se conjecit. Capti sunt equites quadringenti. Quæ victoria finis tanti belli vehementer totius Regni proceres, Urbesque perterruit. Continuò proxima quæque oppida in fidem rediere.

Sfortia omni amisso exercitu, paucos post dies inermis haud ampliùs quindecim inermium militum comitatu ad Brachium in castra vênit. Brachius, quem belli jure ipsis in castris capere potuisset, perbenignè est complexus. Heic omnia belli jura repetita, atque in medium educta vetus amicitia facilè omnem contentionem sustulerunt. Sfortia quæ secundo bello Perusino gessisset commemoravit. His adjecit militarem disciplinam; non eosdem inimicos, quos hostes, facere. Nihil umquam se privatim contra ejus salutem, dignitatemque molitum. Si quid adversùs imperium gessisset, id belli jure gessisse. Nec se expurgatum offensiones belli apud hostem, sed ad amicum imploratum opem venisse. Fateri victum bello, quod alieno imperio susceptum, non ignavè ac temerè gessisset. Verùm alienatis oppidanorum animis, deficiente jampridem stipendio, Pontifice magnificentiùs verbis quàm re auxiliante, & hoste nihil intentatum dimittente, non mirum videri, si nunc tamdem victus bello destitisset. Orare, atque admonere, ut suæ dignitati consuleret. Nihil illi futurum commodi, si ipse exutus rebus omnibus atque extremâ inopiâ perditus jactaretur. Neutrum latêre, quid demum valeant bella; & otium ac pacem eos desiderare, quibus bella non placeant. Inde utrique pendere fortunam, inde adeptos dignitatem. Etsi illum majora fortunæ vela longiùs, feliciùsque provexissent, tamen nomen, dignitatem, imperium, omnia ad bellicam artem esse referenda. Nec fuisse illum tantas nunc habiturum copias, tam larga, tam peregrina, atque externa stipendia, nisi ipse prior hoc belli excitasset. Inde ali, sustentarique, quamvis magnos imperatores nec in pretio haberi militares Duces, ni sint, quibus resistere adversarique sit necesse. Acciperet se non in socium (id enim non audere postulare) neque in militem, siquidem non tantum potuisse fortunam, ut animum simul cum exercitu superiore calamitate delevisset, sed in pristinam benivolentiam, quam nullis violatis officiis, sed variis & ita ferentibus temporibus intermisissent. Non dubitare curæ illi futurum, si nullius rei, quàm veteris amicitiæ meminisset. Ad hæc Brachius omni comitate affatus, or-

ordine respondit: Non oblitum veteris beneficii. Nullas sibi neque secundas, neque adversis res tanti fuisse umquam, ut ejus in se merita excidissent memoriâ. Nihil intercessisse offensionis, quod si quid intercessisset, non magìs quid mali quisquam in se fecerit, quàm quid boni. Id demum esse cogitandum. Desineret bella commemorare, quæ tamen apud viros integros longè plus æmulationis haberent quàm invidiæ. Non mediocres habere gratias, quòd hostis nulla re præter privatam amicitiam fretus in sua castra inermis incomitatusque venisset. Hoc non hostilis animi fuisse indicium. Nam qui multum sibi de hostis benignitate persuaderet, eum ostendere non se hostem, sed socium esse voluisse. Utcumque se res haberet, polliceri operam suam non factis, non dictis defuturam. Nec quicquam amplius eo die est actum. Postridie Sfortia duobus comitatus liberis rursus ad colloquium revertitur. Heic primùm de reconciliando illo Reginæ agi cœptum. Et Brachium, ut quamprimum in Etruriam rediret, multa solicitabant. Amor patrius, quo nihil ad trahendos mortalium animos efficacius, revocatio Florentinorum, qui statim post factam inter Pontificem & Mediolanenses societatem, Legatos ad eum miserant, ut quammaturissimè posset in Etruriam cum exercitu reverteretur, ne quid repentè de improviso excitaretur belli. His igitur atque aliis de causis primùm omnium Sfortiam Reginæ per literas reconciliat, eique persuadet, nihil ejus Regno futurum commodius, quàm si belli causam Sfortiæ contentionem sustulisset. Motis deinde ad Matalonium castris, oppidum in fidem redegit. Sed oppidani Reginæ imperium jampridem aspernati Brachii signa sustulerunt ea conditione venientes in potestatem, ut illius jussis, non Reginæ parere cogerentur. Matalonium omnia, quæ rebellaverant, oppida secuta sunt. Undique delatæ ultro Civitatum claves. Proceres quoque post victum Sfortiam rebus suis consulere cœperunt, atque omnes Legatos, pars ad Reges, pars ad Brachium de pace miserunt. Hic finis fuit tanti belli, quod majore apparatu, quàm periculo gestum est, quippe numquam signis utrimque collatis est dimicatum. Oppida pauca vi expugnata. Nec defuit iis gerendis rebus illa ipsa toties jam auxiliata celeritas. Intra paucos enim menses peracta res est, ut suppressum statim exortum bellum magìs quàm gestum fuisse videatur. His rebus ad Matalonium gestis, Brachius relicto ad Capuam exercitu, Neapolim proficiscitur. Heic cum Regina egit, ut Sfortia primùm in amicitiam ac fidem reciperetur. Deinde quando se Florentini ad componendas Etruriæ res communeque tuendum imperium revocarent, ut exercitui quoque eumdem legionibusque præficeret. Durum id in primis Reginæ videbatur, ut serò mulieres injurias oblivisci solent, suntque ad vindictam quàm veniam promtiores. Persuasa deinde quampericulosum foret sinè exercitu teneri regnum, quantoque periculo suis haberi sinè Duce exercitum, tandem non tam assensa est quàm non denegavit. Regis quoque auctoritas intervenerat, periculum futurum magìs, quàm præsentem injuriam volventis animo. Fore enim videbat, ut virum consilio, manuque eximium, aut Ducem exercitus, aut si quid umquam res titubassent, hostem esset habiturus. Nec quisquam illo in Italia post unum Brachium militiâ clarior. Ergo receptus in fidem Sfortia, & sacramento adactus, regiis copiis præfectus est, eique ex fœdere est imperatum, ut neque Regno decederet injussu Regis, Reginæve, neque trans Aternum amnem (nunc Piscariam vocant) exercitum traduceret. Is terminus, is finis provinciæ suæ foret. Quippe extremos Sannitas, Aquilanos, Matercinos, omnemque montanæ regionis tractum ad Picenum usque Brachio dono dedisse Reges ferebantur. Sunt tamen qui non dono datam, sed præsidio obtinendam eam provinciam decretam affirment. Rebus sic compositis Brachius in Etruriam circiter Calendas Apriles cum exercitu rediit, ægrè ejus discessum Rege, Reginâque ferentibus. Rex instructa classe Cajetam usque abeuntem est comitatus. Exercitus profectus terrâ. Dux ipse mari cum Rege delatus ad agrum Minturnensem convenere. Heic expositum Rex amplexus, osculatusque, milites quoque certatim pro se quisque mansuetissimum valere jubent Regem. Inde toto itinere clamantes Etruriam victricia arma, victricia signa referebant. Comitati abeuntem ex Regno nobilissimi quique, sed ad multam congressos viam, suam quemque domum abire jubet. Ipse magnis & continuis factis itineribus per medios Sannitas in Picenum contendit. Ibi paucos dies ad exigenda tributa, quæ pendere quotannis Picentes consueverant, demoratus. Superat deinde magna cum celeritate Apenninum montem, factoque per Eugubinorum fines transitu Tifernum Urbem pervênit. Locatis non procul ab Urbe castris, per caduceatorem bellum Tifernatibus, nisi pareant, denuntiat. Ejus adventu magnus Civium injectus est terror, ut solent subita mala vel fortissimo cuique esse terrori. Augebant quoque trepidationem Tifernatium exules, quorum ingentem numerum hostium castra secutum audiebant. Præsidia comparaverant nulla. Pontificis opem, quòd Urbis jure cessisset, minimè implorandam existimabant. Si deditionem fecissent exules, diu secuti hostem, futuri Civitatis Principes videbantur. Si jure agenti restitissent, haud dubium putabant obsidione, fame, ferro ultima essa passuros. Tot circumventi difficultatibus, fecissent primo statim hostis adventu deditionem; sed domesticæ simultates, civiliaque etiam inter eos ipsos, qui domi regnabant, odia prohibebant, opprimebanturque utilia atque honesta consilia Civitatis intestino dissidio. Igitur veritum est, ne exules reducerentur. Deditionis consilium rejecere. Missi nihilo secius Legati, qui bonâ veniâ pacem postularent. Cæterùm de exulibus nullam acciperent conditionem. Brachius Legatis respondit, non aliter pacem dare se posse, quàm si ipsi sibi dederent Civitatem. Nullam facere injuriam, qui sua jura postularet. Hoc unum scirent, non se pro hostibus, qui deditionem impedirent, sed inimicis & quidem acerrimis habiturum. Non heic bello petere alienum imperium, sed jure suum vindicare. Cogitarent si à quoquàm ipsi agris, aut fortunis, quominus frui possent, impedirentur, quonam tandem animo

mo essent laturi. Multo sibi suas Urbes, quàm illis ipsorum agros esse cariores. Accepisse à majoribus illos miseros esse, qui nova parare nescirent. Illos omnium miserrimos, qui retinere parta non possent. Jampridem sibi eam Urbem stipendio & sanguine partam esse, non invicto bello correptam. Nunc si opus esset, bello acturum in Tifernates, qui mala fide possessa sua bona, suum imperium, ne nunc quidem restituerent, quum peteretur. De exulibus nulla facta mentio. Legati re infecta minis ac metu pleni discesserunt. Brachius ubi videt segniùs Civium rem procedere, nec minis impelli ad deditionem posse, priùs admovet castra; nec tamen agrum infestat. Ne tunc quidem agentibus de concordia Civibus, totius agri castella, etsi nihil hostile sentiebant, intra paucos dies à Civibus defecerunt; quatuor dumtaxat mansere in fide. Nec illa tamen hostiliter vexata metere, arare, pabulari, omnia denique mediæ pacis opera passim permittebantur.

Interea res urbanæ tumultuosiùs agitari cœptæ. Alii solvendam deditione obsidionem, alii frangendum, si possent, pecuniâ hostem in consilio disceptabant. Hæc potior fuit sententia. Missi iterum de pace legati, qui annuo tributo quinque millia nummûm, si hostis bello decederet, patereturque liberos esse Tifernates, pollicerentur. Legati pretio preces adjecerunt, orantes ne finitimam, & optimè de ejus majoribus meritam Civitatem perditum iret. Sineret liberam esse, quam nulla vis externa ante id tempus, neque pace neque bello subegisset. Commodiorem illi Tifernatium amicitiam, quàm servitutem futuram. Nec plus subacta Civitate, quàm liberis Civibus vectigalium percepturum. Vix quinque millia nummûm exigi vectigalibus posse, & tamen custodias arcis, munia Civium, Magistratus Urbis, non aliunde parandos esse. In maximis auctionibus vix summam eò demum accedere, ut ali res urbanæ cum dignitate possent. Omnia tamen citra servitutem passuros Cives. Hanc unam plus honoris habere, quàm ferre Tifernates queant. Aut mori ante communem servitutem, aut vivere publica in libertate statuisse, nec libertatem illis fide esse potiorem. Quæ promitterent, ritè purèque præstituros omnia. Uteretur amicis, quos servos sinè Urbis excidio habere non posset. Non latebat Brachium omni humana, divinaque ope destitutos obsidionem diutiùs pati non posse; non frumentum, non commeatus, non, quod omnium erat maximum, spem illis auxilii subesse. Itaque Legatis respondit: Nihil sibi Tifernatium pecuniâ opus esse, nec pro alienis fortunis umquam, semper tamen pro sua gloria atque imperio ad ultimos, ubi res tulisset, fortunæ se impetus objecisse. Nunc multo ardentiùs repetiturum suas, quàm ante cujusquam opes invasisset. Nec tam insignem contumeliam atque injuriam, ut ludibrio foret Tifernatibus esse passurum. Nam quid ludificarentur? quid, quando liberos fuisse Tifernates, aut cui Pontifici non servisse, domini illos non servitutem aspernari; magnam tamen esse temeritatem ac dementiam exasperare, quem jura atque arma essent factura dominum. Quo diutiùs hoc differrent

A bellum, eo se graviùs illis imperaturum. Nam quid fidem, aut amicitiam jactarent? Non posse amicos esse, qui de fortunis aperta vi magìs quàm manifesto jure contenderent. Si juri ac legibus arma cessissent, cur non nunc statim sibi fuisse parituros? Si armis agenda res foret, cur suum nunc tandem imperium recusarent? Amisso agro, destituti omni ope, qui Pontificibus solo metu, nullo bello paruissent. Cessisse sibi Pontificem suo jure: si ritè cessisset, quid ipsi impedimento essent? Cur injuriam facerent suas res vindicanti? Sin nihil Pontifici fuisset juris, non meliùs illum tenuisse imperium, quàm se invasurum. Nec turpe esse

B Tifernati Populo servire coactos bello, qui media in pace, omnique tranquilla Italia, servissent. Nam quæ ad vectigalia spectarent, curæ sibi fore, ne quid sibi Civitas caperet detrimenti. Non ideo se imperium quærere, ut alienas avidè extorqueret fortunas, quarum nihil indigeret, sed ut haberet in quos benignè largiretur suas. Irent bono felicique auspicio. Dederent sponte Civitatem, quam nisi nunc darent paulò post inviti coactique essent daturi. Et quod victoris ira suaderet, direptiones, incendia, & extrema quæque subituri. Inirent hanc gratiam, servarentque Civium opes, nec summa cum acerbitate in prædam & direp-

C tionem agi paterentur. Si pugnam exspectarent, nihil se Civitati consulturum esse. Omnia militi in prædam cessura. Si deditionem sinè prœlio fecissent, daturum operam, ut neque publicè, neque privatim sui quemque imperii pœniteret. Tifernates, quum duabus legationibus nihil profecissent, animos ad tolerandam obsidionem acriùs confirmavere, id solùm sperantes aliquos futuros motus in Italia, quibus averti hostis bello, atque obsidione excedere cogeretur. Spes erat magìs quàm consilium. Ergo Brachius cognitâ pertinaciâ castra propiùs locat munitque fossâ & vallo, ut planè ostenderet, non se inde nisi aut victum, aut capta

D Urbe posse divelli. Vigilibus castrorum imperat, ut egressum civem, si quis fortè egrediatur, intercipiant, habeantque in vinculis. Nam ante eum diem clementiùs cum Civibus agebatur, & egrediendi, & redeundi liberis. Interea vineta & oliveta circum Urbem igni ferroque vastare, Villas passim ac latè incidere, casas solo æquare, omnia denique licentiùs agere cœperat miles. Tum primùm Civibus bellum terrori esse, ut cuique sua incommoda Urbi erant propinquiora, ita dolor ex profecto incendio & desiderium crescere. Sed tanta erat animorum pertinacia, ut ultima experiri, quàm facere deditionem, decrevissent. Bra-

E chius etsi munitissimam videbat situ Urbem & expugnari perdifficilem, omnia tamen priùs tentanda, quàm inde discedendum statuebat. Tifernas præsidia largiùs disponere, mœnia, turres, propugnacula saxo, telisque complere; trepidare quidem animo, voce tamen hostem contemnere. Brachius ubi videt rem ad oppugnationem spectare, quòd opus foret majore peditatu, mittit qui Perusiæ delectus peditatum habendos, quique bombardas importandas curarent. Quinque millia peditum ex Urbe, agroque delecta. Horum pauci erant sagittarii. Major pars lori-

loricati, clypeatique dolabris, verutis, falcastrisque terribiles, & quæ præterea civiles fictiones varii generis, invexerant arma. Perusinorum adventu plus hostibus injectum terroris quàm Brachio spei additum. Illi numerum & virtutem expavescere. Brachius quo magìs Perusinorum insitum naturâ corpori animoque robur cognoscebat, hoc minus libenter periculis objiciendum putare totius Italiæ florem. Nec enim ulla gens Perusinis bellicis in rebus in Italia comparanda. Vix nati obequitant, cursitant, insiliunt, desiliuntque, & ætatem supra quàm dici potest, virtute antecedunt. Sæpe circa ephæbos singulari dimicant certamine, & domi educatos egisse forìs ætatem, & institutos militiæ putes. Horum tantum numerum privatæ inter se contentiones ardentiùs ad pugnam excitabant. Illi primis sibi cani signum, primi muros scandere, primam dare sibi aciem postulabant. Nec quisquam libentiùs otium & quietem agere, quàm illi prœlium adituri videbantur, ut suam quisque virtutem æmulatione ostentaret. Ea res Brachium veritum, ne illa virtutis æmulatio in periculosam temeritatem verteretur, aliquot dies ab oppugnatione continuit. Durissimum enim putabat ad tantum discrimen Cives devocasse. Ceterùm hæc eadem consilia potiundæ Urbis, & occupandi temporis cupiditas discutiebat. Itaque omni rejectâ cunctatione primùm testudinem, quanta summa potest, altitudine ædificatam, muris jubet admoveri. Eam complet munitis gravissimâ armaturâ veteranis. Porrò turri, quæ pro portis imminebat, duas opponit, intentatque bombardas; à lateribus frequentes collocat sagittarios. Perusinum peditatum aliquanto lassiùs circa hostium munitiones explicatum subrigere scalas jubet, ut si ad testudinem concurrissent propugnatores, tum demum ipsi vacuas mœnium stationes occuparent, evaderentque ad summa propugnacula. Urbem scalarum ordines præcinxerant. Aliquot enim continuos dies ad eas conficiendas consumserat pedes. Horrendam tot simul scalarum ficiem ubi conspicati sunt Tifernates in se atque in sua mœnia ordine adventantium trepidare, vociferari, & sese complangere haud aliter quàm capta Urbe cœperunt. Exaudiebantur lamentabiles Civium in castris voces. Nec quisquam de mœnibus defendendis, omnes de fuga & latebris cogitabant. Pauci erant Primores Civitatis, quorum operâ hostibus resistebatur. Hi ubi publicum pavorem, subitamque trepidationem sunt conspicati, veriti ne Urbe expugnata, direptaque in pœnam ipsi peterentur, neve si hostis non vicisset, tamen cædes Civium, quas prœlio fieri defensorum erat necesse, conflarent invidiam, nullo adhuc jacto telo clamant deditos esse. Jussi statim aperire portas, repentè aperiunt. Obsides imperati continuò Primores emittunt Civitatis. Hic finis fuit Tifernatici belli, quos non obsidio gravis, non vastata prædia movere poterant. Intentata oculis scalarum multitudo perterruit.

Brachius dimisso peditatu, rebusque ad Tifernum compositis paucos post dies & ipse Perusiam proficiscitur. Heic quàm umquam aliàs magnificentiùs exceptus à Civibus, publicè egit gratias, & pedites egregiè pro concione laudavit, non inficiatus illorum operâ conterritos esse Tifernates, nec aliter deditionem fuisse facturos. Interea publica ædificia pleraque omnia refecta. Suffossus ad Thrasimenum monticulus, unde educta in Perusinum agrum aqua latiùs increscere, & in Cortonensem latiùs fundi, atque expandi non posset. Opus huic seculo, etsi nulla alia re, certè magnitudine ipsa conspiciendum, octingentos passus in longitudinem productâ fossâ, quæ centum octoginta cubitorum continens altitudinem, perpetuo compacta muro alveus est hyberni fluminis. Nam æstate nec recipit Tharsimenus alienas aquas, nec refundit suas. Tunc verò continuis auctus pluviis latè occupaverat loca & finitimas litori villas passim obrutas ac mersas absconderat. Montes enim altissimi circum prominent, inde prærupti, siccique æstate torrentes hyeme ad convexa lacus ingenti fragore delabuntur. Nec ductus usquam patebat, unde defluens montium jugis aqua decurreret, sed quantum hybernis crevisset fluctibus, tantum æstivi Soles hauriebant. Interea quievisse paululum à continuis laboribus milites videbantur, quum Legati Regis Perusiam venêre, initia novarum rerum nuntiantes, statim post Brachii discessum magnos cœptos motus in Regno, quasdam Civitates maritimæ oræ crebra inter se consilia agitare. Proceres atque Optimates clam cœtus facere, occultè cogi exercitus, nec tamen apertè quemquam adhuc defecisse. Sfortiam captum à Regina, & durissima tortum quæstione, nihil tamen compertum fraudis. Eamque ob rem, illum Reginæ ac Regi non injuriâ esse suspectum, ut solent mortales, non facilè credere, quibus injuriam fecerunt; petere Regem ut aliquid Italici præsidii trajiceret in Regnum. Nam Valentinis, Catalanis, Hispanis, Italos naturâ infensos esse. Missi sunt equites quadringenti: haud sanè contemnendum primo in tumultu robur. Nicolaus Picininus præesse jussus quanta potuit celeritate Neapolim est profectus. Ejus adventu paululum sedata res est, non tam metu præsentis exercitus, quàm quod subsecuturum cum ceteris copiis Brachium frequens fama vulgaverat. Ad quem acciundum alteri missi à Rege legati. Campani Principatus insignia aureum torquem, auream coronam attulerunt. Coronatus est Idibus Februariis. Negotium tantæ rei honestandæ Fulginatium Tyranno legati dederunt. Erat enim is naturâ rerum omnium magnificus ostentator. Primum forum omne quamaltissimè pendentibus obtectum velis. Palatium deinde crispanti auro purpuraque latè stratum, & quà defecisset aurum, argentea excipiebant purpurata stramenta. Medio in palatio ebore atque auro distincta sella, eaque celsè conspicienda fulgebat: hinc atque inde dispari ornatu pressiora subsellia. Sellam Brachius conscenderat; prima subsellia legati, altera Magistratus Urbis; cetera promiscuè milites Civesque compleverant. Heic conversi ad Fulginatem Legati: *Fungere*, inquiunt, *regio munere Fulginas. Sic Rex, sic Regina jussit. Age collum torque, caput coronâ ubi cinxeris, Capuæ saluta Principem*. Ille insignibus gemina sublatis manu sellam subgressus: *Quod immortales*, inquit, *Dii bene vertant, Ego te primus hoc regio afficio munere. Primus*

col-

collum torque, caput coronâ præcingo; primus Capuæ Principem saluto. Tu fac, mei Regumque memineris, & felix esto. Eunt deinde salutatum Legati primùm, mox Civium, militumque multitudo magno plausu gratulantium. Salutatione peracta, unus ex legatis præsentiâ atque ætate venerandus, quum aliquamdiu pedibus stetisset, quid aurum, quid torques, & corona sibi vellent paucis disseruit. Reginam pro fide & virtute purum aureum torquem, pro adepto principatu coronam dono misisse. Magna ea die jacta fundamenta. Jam receptum in stirpem regiam: jam eo imperio potiturum, quo soli qui aut Reges, aut ex Regibus orti essent, potiri consuevissent. Hæc virtuti, hæc invictæ gloriæ data munera. Pergeret quod cœpisset iter. Magna à Diis immortalibus portendi Non occultè paratum ad regium fastigium aditum. Exspectatione opus esse non spe, modò Deorum abesset invidia. Certa esse quæ exspectarentur. Post hæc ludi equestres magnifico apparatu in foro celebrati. Nec defuere popularium laudes. Nova carmina plena regii splendoris foro, Urbeque tota jactantium. Per hos dies legati Florentinorum congratulatum venerunt. Creditur etiam actum de Italiæ rebus & Pontificis ac Mediolanensium fœdere. Nec multo post tertia Reginæ ac Regis Legatio supervênit ad accelerandam ejus profectionem multo intentior. Jam tum suborta erat inter Reges suspicio. Creditur Sfortiam non oblitum injuriæ, quum Regis se hortatu atque impulsu tortum existimaret Reginæ auribus illius odium instillasse, facilèque persuasam mulierem, ut est sexus ille ad credenda crimina, quàm investiganda propensior. Inde tumultus Neapoli concitari cœpti, dum pars Regi faventes molliculæ fœminæ fastidiunt imperium, pars muliebri libidine solutiores, novum, externumque Regem aspernantur. Per ipsum tempus Tudertini quum ab exulibus, qui Canale oppidum tenebant, continenter infestarentur, Brachium per literas oravere, ut assiduam belli materiam submoveret. Missa major pars copiarum, oppidum intra paucos dies expugnavit. Nec quicquam aliud gestum eo anno memorabile. Oppidum Nicolao Picinino, cui fratris filiam desponderat in dotem datum. Milites ad hyberna dimissi; estque deinde tranquilliùs hyematum. Circiter Calendas Martias Brachius, quemadmodum quotannis facere consueverat, semestre stipendium militibus distribuit, iisque imperat, ut Idibus Martiis Tudertum omnes instructi paratique conveniant. Interea Legatos ad Pontificem quid animi haberet, & hostis an socius futurus esset sciscitatum misit. Princeps Legationis Bindacejus Florentinus eloquentiâ & consilio clarus. Sed Pontifice magnis rebus intento & multa adversùs Florentinos coquente, Legati nihil præter mera verba retulerunt. Satis apparebat Pontificis & Mediolanensium fœdus ad Etruscum bellum spectare, utrimque enim arma ciebantur, nec Florentinos hostium consilia latebant, qui omni studio conati Brachium in Etruria remorari, ubi tendere illum ad reges, destinatumque bellum viderunt, aliunde copias sibi atque exercitum quæsiverunt. Ex Brachianis etiam militibus quadringenti equites eorum auxilio relicti. Per hos dies quidam de prodenda arce Spoletana ad Brachium detulerunt. Sed re per arbitrum patefacta conatus in cassum reciderunt. Idibus Martiis qua die jussi erant milites in Tudertinum convenire, Brachius exercitu in aciem educto, haud ampliùs quàm duo passuum millia processit, ibi militari more lustratis copiis equitum tria millia ducenti, peditum circiter mille comperti. Hac manu ad componendum regnum, reconciliandosque Reges proficiscens, ad paucos dies in fines Aquilanorum pervênit. Hanc enim illi provinciam Regina decreverat. Aquila magnitudine quidem una inter Italiæ Urbes, sed agrestibus quàm civibus longè frequentior, gelidissimis clauditur, & perpetua nive rigentibus montibus. Incolæ pascendo pecori, lanificiisque intenti, magnas opes ac pecunias congesserunt. Ceterùm asperi atque inculti, & cum suis nati montibus ut plurimum peculiaris industriæ; ita nihil civilis ornatus, urbanæque lautitiæ retinent, finitimis nulla re magis quàm multitudine formidandi. Agrum sibi peperere montuosum, & sex atque octoginta oppidis castellisque frequentem. Interea dum in Sannium Brachius proficiscitur, Regina, cui nihli præter instabilitatem erat stabile, Regi tendit insidias, dubium suasu Sfortiæ, an quo licentiùs concitate libidinis frena laxaret, quem quum excipere non posset Hispanum exercitum diripi à Sfortia, pellique Urbe militem jussit. Rex fortuna & Deorum, quorum erat observantissimus, auxilio fretus, per medias elapsus insidias, ad Castellum Novum maritimam arcem effugit, collectisque celeriter suis, ac majoribus accitis ex Sicilia copiis impetum in Urbem fecit. Major pars Civitatis direptui data. Mulieres contra jus belli, tamen citra libidinem abreptæ, atque in Hispaniam transvectæ. Regina cum paucis in montanam effugit arcem. Inde faces odii, inde futuri belli clades exorta. Oblita paulò ante recuperati Regni, & præteritæ calamitatis, Brachium hostem, Sfortiam exercitus Imperatorem declarat. Aquilani secuti Reginam, si aliter nequeant, bello arcere Brachium, instituunt, prohibito frumento, & commeatibus, denuntiant, ut agro finibusque decedat. Ille ubi audit hostem se declaratum præterito beneficio præsentem injuriam stimulante Regis quoque literis solicitatus, ferro sibi viam facit.

Hoc initium fuit Aquilani belli. Sunt tamen qui affirment ante petitum insidiis Regem Aquilanos solos ex ea provincia Brachii imperio parêre noluisse. Sic irâ percitum movisse adversùs eos bellum. Varios habeo auctores. Ceterùm res in se sit. Brachius fines Aquilanorum ingressus, Legationis munus obire per Sannium, & Pelignos cœpit citare in jus reos, mutare vigilias, coaptare novos Magistratus. Aquilani non modò dicto audientes non erant, sed transitum per fines facere, frumentum & commeatus exportari prohibebant. His de causis itum est hostili agmine in agrum Aquilanum primo impetu. Postea oppidum expugnatur; inde Ocrimum, inde Paganicum, Navellum, Largianum, inde finitima, quæ erant, castella cuncta vi, ferroque subacta. Quicquid prœlio tentatum, id omne virtute militum superatum, direptumque est. Nec ullo in bello

lo opulentior factus miles pecorum multitudine. Sed agri defectione magna jam obsessæ Urbis incommoda secuta, metus seditionum intestinarum, dolor succisarum arborum, sublata ab obsidione pascendi quod erat reliquum pecoris facultas; omnium maximè fames invictum naturâ malum urgebat. Hanc non patientiâ leniri, non animi magnitudine ferre diutiùs poterant. Huc accedebat metendi frumenti desperatio, & præsentem famem futuræ inopiæ metus asperabat; fecissentque deditionem Cives, nisi paucorum factiones prævaluissent, durissima quæque patienda, quàm deserendam Reginam existimantium. Brachius totis viribus ad firmandam Urbis obsidionem conversus, omnes aditus, ne quà supportari clam frumentum posset, intercludit. Stationes militum circa Urbem dispositæ, Civem egressu prohibebant, & ne quà erumpi in munitiones posset, geminâ fossâ valloque muniverat. Sic hostibus undique legione circumdatis, neque cœlo, neque terra auxilii spes erat; sed invidens magnitudini rerum gestarum quasi jam tum mutari cœpta fortuna solvendæ obsidionis viam aperuit. Fortè per hos dies Larigianum, quod oppidum initio belli captum in agro dicebamus, nulla vi aut metu ad hostes defecerat. Hæc res adeò Brachio est visa indigna, ut ad puniendum perfidiam soluta statim Urbis obsidione contenderet. Motis ad oppidum castris, continuis prœliis totum biduum frustra oppugnat. Oppidani subitò post cogitatam rebellionem; quicquid ad tuenda mœnia opus foret, tela, saxa, trabes intra oppidum comportaverant, & postquam adventare hostilem exercitum intellexere, præsidium ex finitimis acciverant, magno animo parati ad obsidionem ferendam. Situs quoque loci naturâ egregiè muniti tuebatur. Cincti durissima obsidione fortissimè se defendebant. Nec quicquam ardentiùs ad mœnium defensionem, quàm commissæ perfidiæ scelus accendebat; desperataque venia ex ignavissimo & timidissimo quoque strenuissimum atque audacissimum faciebat. Interim usi occasione Aquilani, quòd videbant hostem ad Urbis obsidionem reversurum, Civitatem frumento & commeatibus supplent. Mœnia, si qua facta labes esset, muro, turribus, propugnaculisque communiunt. Legatos, qui à Regina opem implorarent, dimittunt; exercitum & ipsi quoque pro tempore atque loco ad præsidium comparant. Denique quicquid præsens necessitas periculi exposcebat, diligentissimè executi, maximè omnium collectam ex suo, finitimorumque agro segetem intra Urbem supportant. Animos universi ad difficillima quæque confirmant. Non dies, non noctes à labore muniendæ Urbis cessatum. Oppugnatio interea procedebat; nec ante captum oppidum quàm pauci milites cuniculo intra mœnia subgressi refractis celeriter portis irrumpendi viam ceteris patefecerunt. Facta est cædes magna resistentium, & quasi mores jam cum felicitate mutare fortuna cœpisset, turpiter potiùs quàm crudeliter in omne genus virorum, mulierumque sævitum. Libera virorum corpora in prædam militi concessa. Mulieres fœminæ tenus recisa veste denudatæ, atque in Urbem compulsæ, turpissimum & hosti & Civi fuere spectaculum. Quippe semper aliàs diripiendis oppidis mulierum pudicitiæ atque honestati consuluerat. Centurionem vim puellæ innuptæ Acerris afferrentem ipse interemerat. Militem petulantiùs in mulierem Campanam invectum, cædi fustibus jusserat. Nunc velut cœptis mutari cum fortuna moribus, ne suæ quidem dignitatis & modestiæ habuit rationem. Hanc tam effrænem atque immoderatam belli rabiem, ne ipsi quidem milites probavere. Voces totis castris exaudiebantur, novam Ducis aut sævitiam, aut iram exsecrantium. Plerique diuturnam felicitatem accusantes, nimiam à secundis rebus insolentiam criminari. Nonnulli naturam illam contendere Ducis esse non iram. Quippe semper aliàs perfidiam ac fraudem perosum, ceteris in rebus humanum, clementemque fuisse. Hæc res non modò auxit Civium pertinaciam, sed ex hostibus non duris inimicos effecit acerrimos. Tum si qui erant in Civitate, quibus hostium partes non displicerent, ita omnium subitò conversi sunt animi, ut mori priùs, si res exigeret, quàm vel æquæ pacis inire consilia, nedum deditionis publicè conjurarent. Sic verba factis prosecuti, summâ Civitatis ac fortunæ paucis permissâ, taciti atque obstinati rerum eventum exspectabant. Nec Brachio nisi in fame, & lassitudine spes erat. Civitas maximè populosa edito sita monticulo, muro, fossa, vallo circumdata, non modò irritam oppugnationem, sed obsidionem militi gravem ac difficilem faciebat. Dum hæc ad Aquilam geruntur, Florentini commisso cum Mediolanensibus prœlio, acie sunt superati. Quæ res occasionem trajiciendi in Samnium exercitus Pontifici & Mediolanensibus præbuit. Illic enim caput totius belli stare videbatur, & ipsi paulò ante fœdus cum Regina percusserant. Florentini re malè gesta, nihilo seciùs instaurare bellum, repararéque exercitum adorti, magnis habitis delectibus, ad Brachium quoque auxilium petitum misêre. Illi durum quidem diminuere copias, multò tamen durius tam benemeritos socios deserere. Utrum faceret magno futurum periculo cognoscebat. Si Florentini adversâ pugnâ profligati hostibus non restitissent, facilè illos ad obsidionem solvendam in Samnium trajecturos. Sin exercitum ipse diminueret, vel oppidanos obsidionem eruptione soluturos. Reginæ quoque magnus apparatus nuntiabantur. Hæc cogitantem, Legatorum preces, ut auxilium afflictis Florentinorum rebus mitteret, perpulerunt. Missi sunt quadringenti alteri delecti equites, certissimum totius exercitus robur. Fertur eorum discessu milites deseri castra, nudarique stationes conclamasse. Dixisse verò Brachium, & quando se Florentinis gratias relaturum, si nunc non referret. Malle se bello quàm beneficio superari. Alterum fortunæ, alterum perfidiæ crimen esse. Diminuto igitur equitatu ad supplendas copias, peditatumque augendum misit, qui Perusiæ delectus haberent. Conscripta peditum quinque millia, intra paucos dies ad castra convenerunt. Nicolaus Picininus ad Aquilam revocatus exercitum aliquantum confirmavit. Undecimus venerat mensis; nulla tamen interea pacis habita mentio. Nec Civem gravis fames, nec hostes asperum, & insuetum cœlum, strictique glacie rigenti & continuo

tinuo gelu, atque nive campi deterrere potuerunt. Tantâ utrimque certabatur, & obsidentis, & obsessi pertinaciâ. Nec ulla regio in Italia brumali frigore horrentior, ut vulgo sit usurpatum: *Si hyeme ad Aquilam inferi non sint, nusquam esse*. Militum tentoria perpetua obruta nive stridebant; sæpeque ventorum procellâ evulsa suis sedibus tabernacula, quâ flatus corriperet, disjiciebantur. Multis remedia fuere ingenti trabe confecta tuguria. Silvarum namque ac nemorum nulla plaga feracior. Denique per omnia difficillima itum est. Nam & in castris quoque si non eadem quæ Civem, gravis tamen fames sentiebatur. Aquilani crebros nuntios significantes, quantis in rerum omnium difficultatibus, atque angustiis versarentur, ad Reginam emittebant, orantes ut undecimum jam obsessis mensem auxilium mitteret, nec vexari oppressum pro sua fide Populum diutiùs pateretur. Quæ natura sustinenda docuisset, direptiones agrorum, incendia villarum, defectiones vicorum, frigus, inopiam, egestatem, denique difficillima quæque fortissimè esse perpessos. Unam famem etiamsi ferre ipsi cupiant, naturâ tamen intolerabilem omnibus esse mortalibus. Jam eò ventum, ut insueta vel barbarorum cibis animalia pro deliciis haberentur. Quod exemplum daturam ceteris, si Aquilanos deseruisset, aut quos hostilem impetum repressuros, quos iter in intimum Regnum impedituros, si Aquilâ potiretur hostis? Quod si nihil tam spectata fides moveat, hoc illa cogitaret, qua die hosti ea Civitas cessisset, toto è vestigio Samnium defecturum; fauces atque aditus Regni liberè admissuros hostem: nec ulla claustra aut obstacula tam bellicosam, & ante eum diem invictam gentem esse retentura. Repeteret superiora bella: quam brevì amissum Regnum idem Dux, idem exercitus in fidem redire compulisset. Non segniorem nunc illum hostem futurum, quàm olim fuisset amicus; nec tardiùs ereptum ei Regnum, quàm paulò ante amissum recuperasset. Proinde uteretur fortunâ suâ, quæ hostilem furorem tot jam menses circa unam Urbem continuisset; nec dum inde victor erumperet, certam & imminentem Regno suo cladem exspectaret.

Regina interea precibus ac metu solicitata, simul Aquilanos ad tolerandam obsidionem non publicè solùm, sed etiam privatim confirmatis per literas Civium animis, hortabatur: Simul ad Pontificem & Mediolanensem Legatos ad auxilia petenda dimiserat. Et Sfortia quoque magno interea comparato exercitu, quum externam exspectare opem necessitudo minimè pateretur, jussus est, quibus posset, viribus in Samnium proficisci, aut ad removendum obsidione hostem, aut si id non posset, ut sociorum copias ad Aternum amnem positis castris operiretur; statimque ubi convenissent, universis viribus belli discrimen adirent. Qui ubi ad Aternum pervênit, inter flumen & mare cetero transmisso exercitu, ipse quoque trajecerat amnem. Sed ejus scutarium adolescentem, quamquam robusto invectum equo, quum paululum infra vadum declinasset, rapidus corripuit vortex. Huic opem laturus conclamat Sfortia, sed tardè accurrentibus aliis, ipse equum reflexit in vadum, ut resurgentem coma deprehenderet: Sed vel lubrico solo unà cum equo delapsus, vel præcipiti correptus amne, nusquam postea nec visus nec inventus est. Hunc fortissimo & bellicosissimo Duci fata dedere exitum. Milites amisso Duce, quum planctu atque ululatu litora complevissent, tamdem compresso gemitu, ac diu nequicquam de fortuna conquesti pedem retulerunt, non ausi hostium castris appropinquare. Tanti viri casus, nisi fortuna, quæ plurimum potest, aliud jam destinasset, flectere Aquilanos ad deditionem potuit. Sed cœcæ odio & desperatione hominum mentes, ipsos etiam ad mala clauserant oculos. Veluti callo duratis membris, vix ulli quamvis graves ictus, vulneraque sentiuntur. Igitur Cives ubi de interitu Sfortiæ, & exercitus discessu cognoverunt, parati, si opus foret, ad ultima subeunda, taciti vix jam aliunde opem exspectabant, & desperationem graviùs aucta fames urgebat. Tertiumdecimum obsessi mensem quicquid erat frumenti publicè privatimque totum ferè consumserant. Paululum, quod superfuerat, viritim dividi placuit: Subductis tamen cibariis iis, qui per ætatem arma ferre non possent, nam equis vesci jampridem cœperant, nec fœdis, & quæ natura aspernatur, animantibus abstinebant. Tamdem habita totius annonæ ratione, vix superesse quindecim dierum alimenta, etiam parcissimè distributa comperiunt. Tum durissimum videbatur imbecillem plebeculam Urbe depellere; multo tamen duriùs miseri & fame pereuntis vulgi mane vesperique audire querelas. Placuit conquisitoribus, & Præfectis annonæ hac de re publicè referre ad Populum, ut vel provideretur ante tempus, vel si id non posset, fortiùs quæ essent præcogitata perferrent. Civibus in consilium vocatis decernitur, ut iterum nuntius ad Reginam mitteretur, ut sciri posset, quid spei superesset miseræ Civitati, simulque ut significarent quantis in angustiis versarentur, & quamdiu perferre obsidionem possent. Ad Nonas Junias durare annonam. Si ad id tempus auxilium non mitteretur, Aquilanos non perfidiâ, sed ultima fame defecturos. Hoc accepto nuntio Regina omnem cunctationem rejiciendam existimans, mittit, qui à Pontifice & Mediolanense peterent auxilia; docerentque quanta celeritate opus esset, ne hostis opulentissima potiretur Urbe. Mittuntur undique auxiliares manus; & veluti ad communem hostem delendum omnis prope armatur Italia. Et tamen cunctis par unus fuisset, nisi vel nimiæ gloriæ cupiditas, vel quod magis putaverim, mutata fortuna consilium in temeritatem convertisset. Jam hostes superatis Furcis Pelignorum ingenti exercitu infestis signis adventabant. Dux copiarum atque Ducum Jacobus Caudola exercitui præerat. Hunc sequebantur & ipsi clari Duces Franciscus Sfortiæ filius, summæ spei adolescens, ac paterni ductor exercitus, Præterea Michilettus, & Laurentius Cotignolani, Nicolaus Tolentinas, & cum his multi agminum ductores, quorum nomina referre est supervacuum. Triplo major erat hostium equitatus, peditatus ferè par. Hac multitudine hostes haud ampliùs quàm passuum millibus quatuor procul à Brachii castris consederant, vim frumenti & commea-

tum exſpectantes; ſi ſupplere Urbem ſinè prœlio poſſent, nequaquam fortunâ tentaturi. Jam mille annonam vectantia jumenta convenerant. Brachius medius inter Urbem & hoſtem perſiſtere in obſidione, & ne frumentum importaretur, vi atque armis prohibere ſtatuebat. Montes quoque aſperi, ac prope invii duo caſtra dirimebant; quorum juga ſi ſuperare pergerent hoſtes, facilè opprimi tramite anguſto, ac præcipiti potuiſſent; & deſcenſus erat multo laxior atque præruptior. Hæc res aliquamdiu ſuſpenſum habuit hoſtem, adverſis ſeſe montium radicibus continentem. Interea Brachius omnia quæcumque ad conflictum neceſſaria viderentur, diligentiſſimè parat. Planicies erat paululum infra Urbem, quam mediam Victor modicus amnis interfluit. Hanc Brachius obruendam aquâ, ſtagnamdamque curaverat. Occluſo tria millia paſſuum infra eum locum multa obice atque aggere fluminis oſtio. Quam rem anguſtæ montium fauces, quas flumen perſtringit, haud ſanè difficilem faciebant. Id eo factum conſilio, ut fatigati, atque in acie obſiti hoſtium equi, pedes inde tollere nequeuntes, altoque impediti ſtagno, medio deficerent prœlio. Nam ſuorum equi multo erant robuſtiores, & quiete & pabulis futurum quoque putabant, ut aut incognitam loci faciem hoſtis exhorreret, aut imperitus locorum in ipſum fluminis concideret alveum. His peractis rebus hoſti diu citra montem hærenti, caduceatorem præmittit, qui tutum adventum ad planiciem uſque pronuntiaret. Si tranſire montem vellent, ac prœlium committere, nihil impedimenti, quoad omnes apertum in campum deſcendiſſent, accepturos. Scire ſe non committendi belli, ſed Urbis ſupplendæ causâ tantas copias advenraſſe. Scire etiam non ampliùs octo dierum alimenta Civibus exſtare. Illud exiſtimarent, non ſe tot menſium operam uno momento temporis importando frumento perditurum. Committendum eſſe prœlium, ſi opitulari obſeſſis vellent: non aliter quàm victoriâ frumentum immiſſuros. Proinde irent, quò neceſſitudo impelleret, & hoſtis benignitate æquiſſimum in locum deſcenderent, habere ſe compertum de eorum numero. Nec ignorare triplo majores copias in hoſtium caſtris eſſe. Confidere tamen militum invicto robore, utcumque futurum eſſet, non aliter inde quàm aut victum, aut victorem abiturum. Caduceatori reſponſum ab hoſtium Imperatore, tum demum venturos in prœlium, quum ſibi libuiſſet, nec alieno permiſſu, ſed arbitrio ſuo deſcenſuros in campum. Non eo eſſe animo, ut pugnam vellent detrectare. Ceterùm non eadem dicebat hoſtis, quæ ſentiebat. Bellum enim niſi coactis capere prohibitis omnis erat importandi frumenti cura. Hac re per tranſfugas cognita, Brachius ceteras montium fauces atque anguſtias occupaverat; ut hic unus relictus aditus in patentem campum, merſamque flumine planiciem hoſtes ederet. Quintus jam abierat dies, quum hoſtis omni alia interclusâ via ad ſupremum montis ſe jugum oſtendit; ratus, quod poſtea fuit, Brachium nimia magnitudine animi, quod erat per caduceatorem pollicitus, univerſas copias exſpectaturum, nec ante confligere cœpturum, quàm ſtructæ forent ad planiciem

A acies. Igitur paulatim turmæ per montis devia præmiſſæ, donec omnem exciperent equitatum, exſpectare ad radices jubentur. At Brachius, ubi deſcendere equitem videt, manu equos longo lapſu per præcipitia trahentem, peditatum omnem ad occupandas anguſtias mittit; juſſum ut deſcendentem hoſtem nihil impediret, nec niſi dato ſigno etiamſi profligatum ſe viderent, eo loco diſcederent, relinquenti locum capitis pœnâ propoſitâ. Jam aliquot hoſtium agmina ad infimas radices devenerant, ibique ſeſe componentia venientem paulatim militem excipiebant. Quod ubi videre Brachiani, ii præ-

B ſertim, quorum auctoritas plurimum poſſe debuerat, clamant, ut impetum in paucos faciant, antequam ceteræ copiæ convenirent, ſimulque pediti ſignum daretur, ut ſubter euntes ſupernè adorti vel ſaxis opprimerent; facilè hoc modo quot jam deſcendere cœpiſſent, profligatum iri contendentes: certamque illam, non fortuitam eſſe victoriam. Stultum eſſe, ubi ratio belli valeat, id in fortunæ temeritatem devocare. Sæpe clamaſſe hoc Ductores feruntur, tum maximè quum majorem hoſtilis exercitus partem deſcendiſſe, & reliquam per ipſa dorſa montium longo defluere ordine conſpicarentur, nihil magis quàm tantam multitudinem veriti. Brachius ſemper idem reſpondiſſe traditur,

C aut moriturum eo prœlio, aut hoſtes ad unum debellaturum. Credo trahentibus ad cladem fatis, qui ſemper aliàs ſuorum uſus conſilio, nec militum tentavit, aut incendit animos, nec in manifeſto diſcrimine conſulentium clamorem exaudivit, vel quod nimium virtute militum, & loci æquitate confideret, vel quod magis putant, ne quod per caduceatorem hoſti erat pollicitus (quamquam ille non accepiſſet conditionem) tamen aut fraude aut metu minus præſtitiſſe videretur. Jam hoſtes impedimenta, frumentumque præ ſe agentes, in planiciem omnes devenerant. Heic quadratis agminibus prohibituri, ſi diripere jumenta hoſtis vellet, aciem inſtruunt.

D Brachius quum tempus jam adeſſet, quo tot partas victorias, tamque latè propagatum imperium unius horæ momento & fortunæ permitteret, Nicolaum Picininum cum quatuor cohortibus, ne erumpere Civis poſſet, ante Urbis portas collocavit. Ipſe cum parte ceterarum copiarum progreſſum ad mediam planiciem hoſtem impetu magno adoritur. Hinc pugnæ initium fuit. Proſiliunt utrimque medium in campum. Permiſcenturque militibus milites, tela primùm haſtaſque vibrantes, mox gladio cominus gerentes rem. Hoſtium ſingula agmina trecentos, Brachiana ſexaginta equites continebant. Tamen ſic quoque agminum illi numero præſtabant.

E Accitum igitur alterum agmen hoſtis catervam latè fuſèque turbaverat; adeò pauci multos virtute ſuperaverant. Nec reliqua hoſtium acies pugnam detrectavit. Ruunt pari curſu in prœlium paratæ utrimque turmæ, clamore atque impetu quanto poſſunt majore. Sic aliquot horis atrociter eſt dimicatum, neutra inclinante acie. Tum Brachius ſignum dat ceteris cohortibus, ut quanto poſſent impetu, mediam in pugnam ſe conjicerent. Dant illi ſeſe in confertam aciem. Nec tulere impetum hoſtes, ſed perturbatis ordinibus ad radices montis, quà una patebat

bat via, fugientes se recipiebant. Instat à tergo Brachianus, urget, premitque hastâ fugientes. Ubi toto agmine ad radices est ventum, hostes quum nec fugere possent, nec in ordinem redire, densissimum in globum collecti ferientium ictus excipiebant. Ingens enim densata multitudo quoddam quasi robur, ac molem, qua se ipsa tueretur, effecerat, paucique conversi in frontem pro loci angustiis resistebant. Actum erat, si pedites prœlio intervenissent. Jam hastas confregerant Brachiani, & tamquam ad saxum ictus incussi, non sinè hostium magna strage militem fatigaverant. Inter hæc Michilettus unus ex Reginæ Ducibus, ubi videt spem fugæ sublatam, & hostilem peditatum montis jugo inhærere oppositis in frontem paucis delecti equitibus, reliquos hortatur, ut paulatim sese in ordines laxarent, crebrumque peditem, qui equorum ilia suffoderent, repugnantibus intermiscet. Inde futuræ cladis initium fuit. Undecies centena equorum tergora post conflictum Aquilam reportata traduntur. Tot simul suffossis equis quingentos delectos milites aliquanto circumvehi intervallo, & à latere impetere jubet hostium aciem. Eorum impetum ut exciperent Brachiani pauci se in frontem convertêre. Sic ancipiti prœlio, non tamen inferiores erant, nisi quòd equos passim hostilis pedes fodiebat. Inter hæc Nicolaus Piccininus, quem ad portas Urbis relictum dicebamus, cum his, quibus præerat, cohortibus magno cursu in confertissimos hostium perrumpens cuneos pervolavit. Incertum prædæ cupiditate victos hostes arbitratus, an ut fatigatis opem integri militis ferret. Hæc res ut hostem primùm conterruit, ita postea perniciosa Brachio fuit. Primus impetus ad repellendam, perturbandamque paulò ante recompositam aciem satis efficax, & fugam moliti hostes forent, si quà perfugium patuisset. Sed imminente hinc jugo, inde flumine, aut pugnare cum hoste à fronte, aut cadere imbelles oportebat. Nec Ducibus consilium deerat. Uno totius exercitus globo impetum urgentis excipientibus, hortantibusque ad suffodiendos equos peditem. Dum hæc in acie aguntur, Cives, qui jam ab initio pugnæ cuncti sese armaverant, ubi excessisse hostium præsidium, obstareque neminem vident, ingenti numero totis bipatentibus erumpunt portis. Nec viri modò sed fœminæ quoque hastis, dolabrisque armatæ, multitudinem terribilem faciebant. Sex millia fuisse traduntur, qui magno per colles veluti silvarum fragore delapsi omnia pulvere, clamoreque complebant. Inde aucti animis hostes, perterriti Brachiani; nec tunc quidem peditatus in prœlium à monte descendit. Retulit mihi Paggius, vir manu strenuus, nunc etiam ætate venerabilis, qui bello interfuit, & Ducis à latere numquam discessit, sæpe Brachium pediti signum, quia tubâ non poterat, manu, voceque dedisse. Sed clamore prœliantium, & in nubem exsurgente pulvere (neque enim stagno pugnabatur) pedites signum non percepisse, atque ita ut erat imperatum, numquam eo discessisse loco. Additque paulò ante quingentos ex iis, quum premi hostem è jugo despicerent, ad prædam desiluisse, direptisque extremis impedimentis, ne fraudi res foret, in montis se culmen ad exspectandum signum recepisse. Aquilanorum adventu ingens equorum facta cædes. Anceps erat malum si militem premerent. Civis à tergo stricto paratus mucrone, hastâque intentâ feriebat. Sin in Civem conversi militi dedissent terga, rediissent agmina universa in ordines, circumvenissentque fatigatos. Equi passim interea cadebant. Erat hoc virtutis contendentis cum fortuna spectaculum; paucos equites tot millibus hominum pares esse, atque in media ut erant pugna, locum sibi latè gladio facere. Nam hastas jampridem in fugientium confregerant terga. Dux ipse per mediam aciem, mediaque tela sublimis equo circumvectus, simul gladium stringere, simul voce manuque hortari, accendere & unumquemque nomine appellare cernebatur. Sed trahunt quemque sua fata, nec semper virtuti fortuna succumbit.

Ventum erat in confertissimum exercitus robur, in mediamque signorum aciem. Brachiana illata signa pervaserant, quum circumeuntem & hortantem suos (sunt etiam qui dicant milites cœptâ jam fugâ sistentem) gregarius miles medio gutture vulneravit; inde lata facta consternatio cæsum Imperatorem existimantium. Laxat totas habenas consternatus in fugam eques; fusi, dissipatique numquam antea victi Brachiani. Dux ipse cædendo, resistendoque multis confossus vulneribus, vivus quidem, sed non multo post à plagis moriturus capitur. Victor ex infima plebe miles ignotum ante id tempus caput ad hostium Imperatorem invectum, ut erat, equo deduxit. Ille vicissitudinem rerum humanarum contemplatus miseratione quadam, & lacrymis partam ex victoria lætitiam temperavit. Exemtum equo, & intra tabernaculum subductum, benignè aut non audientem, aut audire nolentem est affatus. Sed ne unum quidem elicere quisquam potuit verbum, vel quod altè descendentes mortiferæ plagæ vim omnem, sensumque exhauserant, vel ut quoniam fortuna victum corpus in potestatem hosti tradidisse, animum sibi invictum ipse retineret. Acciti undique medici, qui magnis propositis à victore præmiis, nihil intentatum dimiserunt. Sed destinatus ad mortem animus omnem medicamentorum opem respuebat. Quippe totum triduum sinè cibo, sinè potu, mutus quum egisset, incertum vulneribus, an inediâ, est extinctus, anno ætatis sexto & quinquagesimo, superstite adhuc matre. Nec quicquam hostis præter elingue corpus habuit in potestatem, & medici vivere posse prædixerant. Hic exitus fuit viri numquam nisi in morte superati. Nec tunc quidem ante victi quàm capti, nec ante capti quàm vulneribus multis confossi. Qua in re mutata jampridem fortuna plurimum obfuit; primùm quod magnam exercitus partem in auxilium Florentinorum iniquo suo tempore dimiserat. Deinde hostes capere singulos quum potuisset, universos expectans, peditatus operâ non est usus; qui si prœlio interfuissent, & dissipassent procul dubio fugatum hostem, nec resistendi compotem fecissent, & equos ipsi quoque hostium suffodissent. Postremò, quoniam qui præsidio ad reprimendam Civium eruptionem erant dimissi, injussu Ducis, aut spe prædæ, aut pugnæ errore loco abierunt. Sic fuit

fuit non solùm cum milite à fronte in castris, sed etiam cum urbanis præsidiis, civilique multitudine à tergo uno tempore dimicandum. Johannes Ursus sæpe postea fertur, se, quum hoc bellum gereretur, Prætorem in Piceno fuisse, venisseque Asculum stipatum frequenti Populum virum natu grandem, promissâ & canâ barbâ, Mathematicum, & præsagum rerum futurarum profitentem. Hunc à se rogatum, esset ne victor futurus Brachius Aquilano bello, si hostes ad proelium venissent, quæsisse ad cogitandum tempus. Postridie verò ad tribunal reversum respondisse: Si Dux ipse bello non interesset, victorem futurum Brachianum exercitum. Sin præsente Duce confligeretur, minari stellas superiorem hostem. Quæ res ut ante pugnam neglecta, ita postea eventu rei & omnium judicio est comprobata. Nisi enim prohibitus esset miles, descendentes in convallem hostes carptim profligasset, cepisset, usurusque in pugna fuisset etiam peditatu. Erat in hostium castris gregarius, & infimæ fortunæ miles, qui post factum Perusiæ tumultum, pulsosque seditionis auctores in exilium ultro cum Plebejis exierat. Hic se per somnium vidisse ajebat Brachium sublimi equo circumvectum magnam cædem hostium edere. Quum verò ad se interficiendum vibrasset ensem, repulisse statim, atque obliquo vulnere medio illum gutture trajecisse, paulòque post ad pedes jacuisse mortuum. Id se iterum, id tertiò videri vidisse. Auctor erat non satis certæ fidei. Ceterùm res ipsa somnum probavit. Quippe media in pugna hortantis, sistentisque militem voce cognita imminens jugulo, quum sequeretur, primus omnium mucrone primùm guttur, deinde cervicem exhausit. Tradunt legatos Perusinorum in castris, quum adessent, & hostium audirent adventum fando aliquid, ut assolet, quæsisse à Nicolao Picinino, quid ei futurum ex hoc bello videretur. Illum secum cogitabundum diu hæsisse; respondisse tandem, omnia sub fortuna esse, nec se diffidere de militum virtute, aut Ducis animo. Neque tam hostium terreri numero, quàm vereri, ne invida diuturnæ fœlicitati fata cursum ejus Imperatoris abrumpendum statuissent. Id se ex conjectura videri conjicere. Mutatos esse subitò Imperatoris mores; ex leni & comi durum ac morosum factum. Consilia veteranorum militum, quibus ante id tempus uti plurimum consuevisset, aut prorsus contemnere, aut rejicere salutaria, & deteriora perniciosioraque deligere. Paulò ante etiam in mulieres inauditum facinus citra belli jura & ejus consuetudinem esse sævitum. Fortunam primùm ingenia mortalium, deinde opes evertere consuesse. Utcumque res fuit, præcipuum tamen spectatæ, & numquam antea subactæ virtutis spectaculum. Pugnatum est atroci proelio septem continuis horis, & à duobus millibus duodecim millia ad montem usque fugata, rejectaque non modò cum virtute ab hoste, sed etiam cum fugæ desperatione pugnatum. Nec ante superatus miles, quàm vulneratus Imperator, & ad paucitatem equorum redactum certamen. Undecies enim centum, ut dicebamus, tergora equorum in Urbem relata. Illo mortuo totis castris secutum silentium, quasi plus esset in amisso doloris, quàm lætitiæ in capto. Ejus milites, qui aut bello superfuerant, aut ab hostibus erant dimissi, plerique facta potestate spirantem adhuc consolandi gratiâ adierunt. Remotisque arbitris, ut vocem tolleret, utque cibum caperet hortati, nihil profecerunt. Nec ullum in Ducem tantus militum amor. Illi tabernaculum hostis noctu mœsti ac taciti perlustrare, illi interdiu facta quoties vellent potestate frequentes ad lectum perstare, tangere, intueri, suspirare cernebantur. Et ubi tabernaculo excessissent, obvoluto capite plorantes, nulli non hostium lacrymas excutiebant. Duces omnes memores rerum humanarum, fortunam ut proelio benignam, ita exitu nimis malignam criminantes, morientem circumsteterunt. Primique è tebernaculo lacrymas ac voces tenere nequeuntes, ad militem exiere. Dum verò latè sese afflictantium voces ad cœlum jactari cœptæ, gemitu exululantium completa loca. Nec quisquam ex ejus exercitu eorum, qui aliquem ordinem aut dignitatem gessissent, qui non barbam, capillumque promiserint, vestesque prociderint; plerique tamquam ultima fortiti rerum humanarum, militiâ destiterunt. Perusinæ Civitatis imperium, Capuæ principatus, Urbes, & Oppida in potestatem recepta, & quibus liberè potiebatur, condito testamento, dum incolumis esset, ad Johannem Paulum, licèt adolescentem, Manfroni fratris sui grandioris natu filium jure hereditario sunt devoluta. Corpus jussu Pontificis Romam delatum. Sed paucis post annis Nicolaus Fortebrachius, quum Romam & ipse veluti devotam huic familiæ pulso inde Pontifice occupasset, colligenda patrui ossa, & Perusiam deportanda curavit. Perusini non immemores acceptorum beneficiorum exequiis Christiano more, publico luctu, funebrique pompa celebratis ultima Diis Manibus persolverunt. Ossa sublimi ac dignissimo Templi loco reposita suspiciuntur. Et ne quid latêre posteritatem posset, tumulo in summo Templi fastigio substructo signa militaria, & aurei torques circumpendentes, memoriam & Ducis, & Principis gratissima in Patria testantur.

F I N I S.

DE VITA
REBUSQUE GESTIS
SFORTIÆ BELLICOSISSIMI DUCIS,
AC INITIIS FILII EJUS
FRANCISCI SFORTIÆ VICECOMITIS,
MEDIOLANENSIUM DUCIS,
COMMENTARIUS
Ab Anno circiter MCCCLXIX. usque ad MCCCCXXIV.

AUCTORE

LEODRISIO CRIBELLO
PATRICIO MEDIOLANENSI,

Nunc primùm prodit

E MSto CODICE BIBLIOTHECÆ
CHRISTIANISSIMI REGIS.

IN VITAM SFORTIAE BELLICOSISSIMI DUCIS *PRAEFATIO* LUDOVICI ANTONII MURATORII.

QUos duces militari prudentia ac fortitudine claros ineunte Seculo XV. Italia aleret, Vita Brachii Perusini, tunc omnium celeberrimi, supra a me edita satis prodidit. Ibi saepe quoque mentio occurrit *Sfortiae*, Cotineolae in oppidulo Flaminiae nati, qui sibi tam grande nomen militari arte, rebusque gestis quaesivit, ut vix ulla sit eorum temporum Historia, quae non illius meminerit. Fortassis etiam ille admiratione dignior, quam Brachius, illius aemulus, quod ex humili fortuna, atque e Familia, quam nulla nobilitatis ornamenta commendabant, virtute sua ad invidendam potentiam, ac sublimia munera conscenderit. Brachio certe eo titulo felicior, quod post se filium longe majorem patre, & clariorem reliquerit, *Franciscum* videlicet *Sfortiam*, inclytum virum, cum praestantissimis Heroibus totius antiquitatis comparandum, qui sibi ac liberis suis dominationem insignis Ducatus Mediolanensis & Genuensis Urbis comparavit. Proinde optabam ego diligentem quempiam Scriptorem, qui literis consignasset ejusdem Sfortiae gesta, opportune in hanc meam Collectionem inferendum. Neque frustra optavi; ejusdem quippe argumenti Librum fortuna mihi obtulit, & quidem numquam antea editum, ac propterea gratiorem eruditis, ut spero, futurum. Ejus Auctor *Leodrisius* seu *Lodrisius Cribellus*, Patricius Mediolanensis, e vetustissima Familia progenitus, quae Anno 1185. Cathedrae Romanae Pontificem dedit Urbanum III. Florebat ille sub Francisco I. Sfortiae filio, ut diximus, Mediolanensium Duce, & circiter Annum 1460. haec memoriae prodebat, proximus videlicet temporibus, quibus Sfortia vixit, & cum viris versatus, qui diu sub eodem Sfortia meruerant.

Animo autem conceperat Cribellus longe majus Opus, hoc est contexere res gestas ipsius Francisci Sfortiae Ducis. Verum sive quod mors, aut alia caussa, ejus consilia in medio cursu interceperit, sive quod praecipua pars lucubrationis jamdiu perierit: quae ab eo scripta supersunt, ferme versantur in gestis Sfortiae usque ad illius mortem, & vix prima experimenta exhibent Francisci filii in proelio, in quo Brachius Perusinus fusus cecidit. Quamobrem ubi titulum suo Libro fecerat Cribellus *de Vita, rebusque gestis Francisci Sfortiae* &c. ego aequius scribendum censui *de rebus gestis Sfortiae*, ut titulo narratio ipsa respondeat, quae ab Anno circiter 1369. quo Sfortia natus est, perducitur usque ad Annum 1424. quo post Sfortiam Brachius idem occubuit. Sed & hanc ipsam partem Cribellianae Historiae Italia diu ignorasset, aut frustra desiderasset, nisi me ejus compotem fecisset diligentia doctissimi viri Dominici Vandellii, nunc publici in Academia Mutinensi Matheseos Professoris. Agebat ille Lutetiae Parisiorum, quum Opusculum delitescere animadvertit inter Codices MStos amplissimae Bibliothecae Christianissimi Regis. Illuc advectum e Ticinensi Urbe a Ludovico XII. Francorum Rege, postquam Ducatu Mediolanensi potitus fuit, notula haec in calce apposita satis indicat: *De Pavye au Roy Lovis XII.* Ut autem mira liberalitate ac humanitate praestat Gallica gens, praecipue quum de bonarum Literarum progressu agitur, ita Vandellio Opusculum hoc impetrare minime difficile fuit. Haec autem legens, mecum, ut spero fatebitur, non defuisse Cribello nostro Latinae Linguae non dicam peritiam, sed elegantiam, ejusque Commentarium non sine voluptate legi; ita ut is jure inter viros illustres Seculi illius Grammaticalis locum suum reposcere possit. Seculum quippe illud in Italia Grammaticis eximiis abundavit, iisque non mera Linguae Latinae cognitione imbutis, sed varia quoque Eruditione praeclaris, sed qui, ut est

praesertim id genus hominum mos, alter alteri aemulatione, invidia, ac odio, sint adversati. Et reapse inter Leodrisium Cribellium, & Franciscum Philelphum celebrem ob Graecas, Latinasque Literas virum, intercessit non levis simultas atque contentio, ut ex ipsius Philelphi Epistolis constat. Uterque tamen a Francisco Sfortia Duce magni factus est; namque uti jam animadvertit *Jovius* Lib. III. Elog. idem Franciscus *a Philelpho Poeta percelebri res suas bello paceque gestas perscribi, celebrarique jussit: sicuti etiam patris Vitam Leodrix Cribellus ejus jussu antea perscripserat.*

Neque supervacaneum fuerit monere Lectorem, alteram Sfortiae Vitam haberi, Anno 1526. Bononiae editam, cui hic titulus: *Marci Attenduli Cotignolani Sphortiae gestorum Liber Primus, e Vulgari in Latinum conversus, Petro Matthaeo Carranto interprete, ad Illustrifs. & Invictifs. Franciscum Sphortiam, Ducem Nonum Mediolani.* Si fides titulo, *Marcus Attendulus* illam literis consignavit, is nempe, qui natus a Jacobo Cotignolano, & Margarita sorore Sfortiae, grandis animi muliere, diu rebus gestis Sfortiae ipsius interfuit, & sub Francisco I. Sfortia Duce, illustribus est functus muneribus, cujus etiam non semel mentio in hac ipsa Cribelliana lucubratione occurrit. Sed vereor, ne Carrantus Attenduli nomen suae praetulerit Historiae, ut majorem narrationi fidem conciliaret, quandoquidem non uno in loco deprehendi, Cribellianam Vitam alteri huic Scriptori ante oculos fuisse, atque inde etiam subtractas in usum suum fuisse lacinias. Itaque ratus, Cribelli foetum, ad res Sfortiae dignoscendas satis esse futurum, ab inferenda in Collectionem istam altera Vita abstinui, cui videlicet novitatem eripuit antea procurata editio. Mihi autem videre videor tam in Cribelli, quam in Attenduli Commentariis enixum studium prodendi tantummodo, quidquid in Sfortia commendandum fuit; & reticendi, sive emolliendi, quidquid vitii inter ejus virtutes irrepsisse potuit. Qua in re Jovium pluris faciendum quis non judicet, quando is in ejusdem Sfortiae Vita naevos illius minime dissimulavit? Inter cetera non minus Cribellus quam Attendulus, Sfortiam sine dubitatione e nobili prosapia Attendulorum Cotiniolae prodiisse scribunt, quum tamen justa suspicandi caussa se offerat, post incrementa Sfortiae, ejusque filii Francisci, Mediolanensium Ducis, per anachronismum contributam fuisse nobilitatem illius avis atque majoribus.

Lectorem non pigebit accipere, quae praelaudatus Jovius hac de re, libere non minus quam caute ac modeste, scriptum reliquit Cap. II. *Non defuere*, ait, *qui dicerent, sed in gratiam Braccianae factionis, ut Sfortianis demum Principibus novitas generis objectaretur: Sfortiam paterno in agro ita operis praefuisse, ut & sua manu faciundo operi vomeres & ligones strenue tractaret: quod vel ob id invidiose confictum videtur, quoniam tredecim annorum puer in Boldrini castra concesserit, neque inde redierit, nisi equestris ordinis miles. Sed jucundo prorsus mendacio fabulae fidem fecit perennis fama, quae manavit ad posteros. Ferunt enim, quum agrum foderet, duro labore fatigatum ab ea indignitate operis, suspexisse in coelum, & de tota vitae fortuna vota suscepisse, ea sorte precatum Deum, ut vota bene verterent. Evibrasseque protinus ligonem in praealtam quercum, ut credi par est, antiquitus Marti consecratam, eo animi decreto, ut si decideret, eum aequissime ad perpetuum laborem esset resumturus; at si ramis haesisset, castra continuo sequeretur. Verum Marti ligonem fortuna appendit, ut fatis viam aperiret. Gloriabatur hac fabula Franciscus Pronepos, quod vel ob id Familiae nomen, nequaquam antiquae nobilitatis, sed spectatae virtutis auspicio niteretur: adeo ut quum mihi humaniter Arcem, ab excellenti munitione structuraque toto terrarum Orbe longe clarissimam, armamentariis patefactis, ostendi jussisset, conversus laeto ore: Et hanc, inquit, Paule Jovi, quam miraris, & hoc imperium, quo potimur, ab illo ligone habemus, quum felici nostra sorte in arborem a Proavo contortus, fatalique ramusculo suspensus minime decidisset: Unde & illud Pontani, in defunctos intemperanter genuinum dentem exercentis, quum dixit: Dux ab aratro Sfortia. Quasi non in summa gloria sit, aut certe dispudeat, C. Marii exemplo ex aratore Imperatorem evasisse.* Haec Jovius, neque aliter Leander Albertus in descriptione Italiae; quorum narrationi auctoritatem augebunt, quae Antonii Petri Ephemerides Romanae, in Parte II. Tomi III. hujus Collectionis mihi evulgandae, habent ad Annum 1412. *A dì 7. d'Agosto* (ita ille scribit) *fu depinto Sforza per comandamento del Papa per tutti li Ponti e Porte della Città di Roma, appiccato col piè destro a una forca, come traditore di Santa Chiesa; e nella man destra teneva una zappa, e nella sinistra un Epitafio, che così diceva: Io sono Sforza, Villano della Cotignola Traditore, che XII. tradimenti hajo fatto alla Chiesa contro lo mio onore, promissioni, capitoli, e patti, che hajo rotti.* Ita Historicus synchronus, & oculatus testis. Quare ex honesta quidem

dem Familia, neque fortunis destituta, Sfortiam progenitum credere juvat, e nobili autem non tam facile licet. *Leodrisii Cribelli* mentionem habes in Epistolis Philelphi, eumque etiam laudavit Aeneas Silvius, postea Pius II. ut alios omittam. Vide etiam, quae de illius scriptis commentatus est doctissimus vir Apostolus Zenus in Additam. ad Vossium de Historicis Latinis. Infra alterum ejusdem Leodrisii Opusculum dabo, nempe *de Expeditione ejusdem Pii II. in Turcas*; si tamen unus utriusque Libelli est Auctor. Hujus enim rei dubitationem, posteaquam haec scripseram, ingessit mihi Clariss. Saxius Ambrosianae Bibliothecae Praefectus literis ad me datis, quas uti huic argumento perquam utiles subjiciendas duxi.

DOCTISSIMO AC CELEBERRIMO VIRO

LUDOVICO ANTONIO MURATORIO

JOSEPH ANTONIUS SAXIUS

COLLEGIO AC BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ PRÆFECTUS
S. P. D.

„ EX Amicorum literis à te conscriptis percepi, in votis tuis esse, Vir Præclarissime, ut si quæ in evolvendis Ambrosianæ Bibliothecæ codicibus de *Leodrisio Cribello* oculis occurrissent, eadem ad plenius illustrandam tanti viri memoriam tabulis tuis adjicerem. Equidem vix mihi persuadere valui, quidquam emergere posse in superiorum temporum ac insignium virorum historiis, quod amplæ ac reconditæ eruditionis tuæ diligentiam effugerit. Attamen ne hoc summæ opinionis, quam de te profiteor, elogio modestiam tuam lædam, atque humanissimis desideriis tuis injurius fiam, nonnulla sparsim collecta, quæ adnotatione digna censui, hìc inserenda depromo. Et primò, quamvis citra dubitationem sit Auctorem hunc e nobilissima Mediolanensi familia fuisse progenitum, in incerto tamen latet, quis illi Pater contigerit, aut quibus functus muneribus in patria claruerit. Plures enim *Ludovicos*, seu *Leodrisios Cribellos*, fama & literis celebres eo Seculo Mediolani floruisse, ex genealogica hujus gentis serie, aliisque antiquis monumentis evincit Vir Clariss. D. Joannes Gaspar Beretta Monachus Casinensis, & publicus in Ticinensi Gymnasio Metaphysicæ Professor in celeberrimo opere, Historia videlicet literaria Mediolanensis Senatus, quam adhuc manu exaratam mihi percurrendam benignissimè indulsit. Plura etiam opuscula tum edita, tum manuscripta, *Leodrisii Cribelli* nomen præferunt, quæ cui ex hisce *Leodrisiis* adscribenda sint, hactenus ignoratur. Æneas Sylvius epistola 291. primi libri, editionis Basilejensis, missam sibi à Leodrisio Cribello *S. Jo: Chrysostomi Epistolam è græco in latinum translatam* testatur, eamque pluribus laudat. Academia Veneta in librorum Elencho, quos anno 1558. edendos proposuit, hos etiam enumerat, *Leodrisii Cribelli, De Expeditione Pii II. Pontificis adversus Turcas*. Item *in Decretalium primum & secundum explanationes*. Leodrisio quoque Cribello tribuitur *Orphæi Argonautica latio donata*, atque edita Venetiis ab Aldo seniore anno 1523. In *Italia sacra* Ughelli Tomo V. in Comensibus Episcopis legitur *Elegia Ludovici*, seu *Leodrisii Cribelli* in electione Lazari Scarampæ, anno 1461. ad Infulam Comensem promoti. Jacobus Picolomineus, appellatus Cardinalis Papiensis, Epistolam scribit ad Leodrisium Cribellum Mediolanensem, quæ secunda est inter ejusdem Epistolas anno 1506. Mediolani prælo vulgatas. In ea mentionem injicit de nonnullis ab eodem Leodrisio elaboratis operibus, ac plurimum commendat *Elegiam*, qua illi gratulatus fuerat acceptam anno 1461. Cardinalatus dignitatem, inquiens: *Habet splendorem in verbis, vim in sententiis, in ipso verò orationis contextu eam facilitatem omnium rerum, ut sæpe Pontifici dixerim, nullam Elegiam temporis nostri æquè mihi placere, ac tuam.* Inter Manuscriptos Codices Joviæ familiæ, quæ Patriciis Comensibus adscripta est, asservatur *Oratio Leodrisii Cribelli habita in Arce Moguntiæ* (idest *Modoëtiæ*) Illustrissimo Francisco Sfortiæ, Idibus Martiis, anno 1450. Ibidem namque constitit antequam Mediolanum ingrederetur, Urbis Principatum consecuturus, ut Jo: Simonetta lib. 21. prope finem


„ enar-

„ enarrat. Item *Series Triumphi Illustrissimi Francisci Sfortiæ Vicecomitis, Mediolani* „ *Ducis*, ab eodem Auctore conscripta. Demum Ambrosiana Bibliotheca alteram „ *Orationem Panegyricam habitam à Leodrisio Cribello in laudem Francisci Sfortiæ Me-* „ *diolani Ducis IV. 3. Kal. Martias anno* 1458. custodit sub lit. O. in 4. num. 57.

„ Non ignoro horum omnium Auctorem credi Leodrisium illum Cribellum, „ ad quem Franciscus Philelphus plures literas, typis jam editas, dedit. Nec sanè „ à vero abludit, nonnulla ex memoratis superius lucubrationibus ab illius calamo „ profluxisse. Siquidem græcam latinamque linguam, se Magistro, eundem didi- „ cisse Philelphus ipse gloriatur. Quin immo irarum occasio, quibus in Cribellum „ Philelphus exarsit, non alia fuit, quàm quod Leodrisius fervidam orationem acri „ stylo contextam in ipsum contorsisset, cui, ut pro animi sui impotentia, viru- „ lentam responsionem objiceret, Epistolam, quæ prima est libri vigesimi sexti, „ omni maledicentiæ ac dicteriorum cæno scatentem conscripsit. Nihilominus, si „ quid me sapere hac in re autumem, alteri Leodrisio Cribello tribuendam esse „ Sfortiæ Patris vitam, & habitas ad Franciscum filium Mediolani Ducem oratio- „ nes, seriemque triumphi arbitrarer. Ut in hanc sententiam discedam moveor „ Jovii auctoritate, qui jussu Francisci Principis conditam à Leodrisio Cribello hanc „ Patris vitam enunciat. Proinde censendus est Auctor ille tum morum honestate, „ tum doctrinæ præstantia, gratiam sibi Mediolanensis Ducis plurimum aucupasse. „ Discimus autem ex Æneæ Sylvii Epistolis, insignem hujus nominis virum, pro- „ bitate ac literis clarum, ea ætate in Aula Ducis Francisci splendidè commora- „ tum. In Epistola namque ad Leodrisium Cribellum data anno 1455. quæ jacet „ sub num. 230. libri primi edition. Basilejen. hæc scribit: *Nesciebamus ante hos* „ *dies ubi locorum esses, aut quæ te fortuna teneret. Nunc certiorati sumus & tuis scri-* „ *ptis, & Ducalis oratoris verbis, esse te optimo loco apud Illustris. & Magnanimum* „ *Ducem Mediolani, ab eoque diligi. Id est supra modum nobis gratissimum; Videmus* „ *enim tuæ virtuti, quam semper magni fecimus, suum locum esse tributum. Dignus est* „ *ille cui servias; nam cui hoc tempore honestius famuleris, quàm ei, qui totius Italiæ splen-* „ *dor esse, & decus singulare omnium judicio existimatur? Perge, oramus, & illi, ut tua* „ *probitas te hortatur, indefesse tuos præbe labores; neque enim sinet ille tuam jacere vir-* „ *tutem &c.* At Leodrisius Cribellus, ad quem enunciatam Epistolam Philelphus „ dirigit, non modo minimè memoratur nobili aliquo munere decoratus in Aula „ Ducis degisse, sed eidem exprobrat Philelphus, quod à mercenario famulatu Fran- „ cisci Landriani, Aloysii Crotti, Hybleti Flisci turpissimè semper expulsus fuerit; „ Insuper ea fæculentæ, depravatæque vitæ intemperantia per omnem ætatem „ conspurcatus asseritur, ut veluti putidum præclarissimæ familiæ monstrum de- „ prædicetur. Sanè etsi plurimum detrahi debeat à Philelphi maledictis, ob mor- „ dacissimi, ac penè dementis calami rabiem, livoremque quo, in illum invehitur, „ vix tamen credi potest tanta licentia debacchaturum eundem fuisse, ac Episto- „ lam memoratam, in plures paginas decurrentem, tot conviciis contumeliisque „ oneraturum anno 1465., quo datam eam legimus, si & Principi Francisco Sfor- „ tiæ adhuc viventi acceptum, & optime de illo meritum, ob descripta tum Pa- „ tris, tum Ducis ipsius præclara gesta hunc Leodrisium novisset. Itaque verosi- „ milius est scriptum hoc, quod in publicam lucem nunc primò emittis, fætum „ esse alterius Leodrisii Cribelli, qui anno 1463. e vivis excessit. Is autem facilli- „ mè esse potuit vir ille ejusdem nominis, cujus virtutem ac probitatem commen- „ davit Æneas Sylvius in Epistola superius relata, quemque in Aulam Francisci „ Sfortiæ receptum anno 1455. ad altiora promovendum sperabat; Siquidem Cl. „ Sitonus in Chron. Collegii Equitum Judicum & J. P. P. Mediolani num. 164. „ recenset ab anno 1444. usque ad annum 1463. Leodrisium Cribellum inter Ju- „ risperitos ejusdem Collegii, eumque tradit creatum fuisse *Commissarium generalem* „ *Magistratus salis*, quin etiam ad diversos Principes, summosque Pontifices Ora- „ torem missum; Laudatus verò Beretta Senatoria insuper dignitate auctum testa- „ tur. Quocirca vix dubium esse potest, quin eidem adjudicandus sit labor iste, „ cum ætas optimè congruat, gestaque amplissima munera dignum ostendant, cui à „ præstantissimo Principe Francisco Sfortia illustrandæ familiæ suæ provincia de- „ mandaretur. Haud ita sentiendum reor de altero Opusculo inscripto *De expedi-* „ *tione Pii II. adversus Turcas*, quem tu propediem edere meditaris; Cum enim „ expeditio illa suscepta sit anno 1464. quo etiam optimus ille Pontifex acerba „ morte sublatus fuit, dum Anconæ adventum Venetæ Classis præstolaretur, de-

„ scri-

„ scribi certè non potuit ab Auctore qui anno superiore fatis concesserat. Hujus „ igitur narrationem si Leodrisio Cribello Philelphi discipulo, quem Pio II. supervixisse, & quinquagesimum secundum ætatis annum tunc egisse constat ex ejusdem „ Philelphi Epistola data anno 1465., tribuere velis, neminem refragari meritò „ posse censerem. Hæc sunt quæ conjectando ad te scribere libuit, non tam obsequii gratia, quàm ut caliganti adhuc historiæ temporum remotorum fax aliqua „ accenderetur. Eruditionis tuæ erit uberiorem, ut soles, lucem affundere, dum „ me amori tuo enixius semper commendatum exoptans calamum depono. Vale.



LEODRISII CRIBELLI

DE VITA, REBUSQUE GESTIS SFORTIÆ BELLICOSISSIMI DUCIS, AC INITIIS FRANCISCI SFORTIÆ VICECOMITIS EJUS FILII, MEDIOLANENSIUM DUCIS ILLUSTRISSIMI

LIBER PRIMUS INCIPIT.

A SUſcepti operis magnitudinem cōſideranti mihi diverſas in partes animus rapitur. Cùm vitam & mores, & inclyta geſta Franciſci Sfortiæ Vicecomitis Mediolanenſium Ducis memoriæ mandare inſtituerim, periculum facturus in re ampliſſima, quantum gratiæ ſibi apud homines paratura ſit ingenii mei facultas, mediocri hactenus exercitatione, & longo in perlegendis Hiſtoriis labore adjuta, minimè ambigendum putavi, fore quoſdam, qui me temeritatis accuſent, quòd digniſſimam, quæ à graviſſimo, & præclaræ auctoritatis viro conſcribatur, Hiſtoriam unus ipſe uſurparim, homo exiguæ ſuppellectilis, & latentis famæ. Quos cùm haud contemnenda ratione duci intelligam, quicumque ii fuerint, malo mihi pacatos, quàm infenſiores dimittere. Etenim nihil impedio, quin doctiſſimo cuique, & ſuis fidenti viribus, liceat in hanc eamdem arenam procedere, ſuæ virtutis experimenta daturo, magnumque ex hoc tantæ rei tractatu propriæ gloriæ cumulum adjecturo. A qua re tantum abeſt à me, quemquam deterreri, ut illos potiùs reprehenſione dignos judicem, qui ætate noſtra, vel jam fato functi, vel adhuc ſuperſtites in pretio habiti viri, & in conſcribenda temporum noſtrorum Hiſtoria occupati, hujus tanti Principis præclara facinora negligentiùs

B pertractarint, vel crimine carere non poteſt ſub ſilentio prætererint. Quem unum maximè conſtat uſque in præſentem diem per tot bella, totque conſertas per omnem Italiam pugnas, Invicti nomen Ducis retinere, & minimè omnium fortunæ, aut præcipiti ſorti; ſed militari diſciplinæ, ſed rationi ipſi ſeſe committere. Claruit hac ætate Leonardus Aretinus homo diſertiſſimus, cujus opera circumferuntur. Is Florentiæ, quæ una Civitas eſt Latinæ altrix eruditionis, publico ſtipendio conductus, & ſummo habitus in ho-

honore, cùm hujusmodi provinciam suscepisset, seu quòd Florentinæ tantùm intentus gloriæ aliena sibi curæ esse nollet, seu quavis alia incertum ex causa, Historiam quidem præsentis ætatis, volumen ingens, sed de Principe nostro, cujus præcipuè intererat, elingue ferme conscripsit. Blondus Flavius Forliviensis, vir in scribendo æquè exercitatus ac doctus, tribus Decadibus suis jam magna ex parte editis, multa priscis ab inclinatione Romani Imperii contexta recentia felici stylo complexus est. Sed dum res tantas & tam varias persequitur, brevius multò, ac jejunius, quàm par erat, has easdem partes implevit. In Genua Civitate opibus virisque præpollenti, superioribus proximis annis Nicolaum Camulium, in præsentia verò Jacobum Bracellum, utrumque doctrinâ, & eloquentiâ insignem, magna laude, & Civium suorum gratiâ conscribendis Genuensium Annalibus intentos accepimus. Sed & Venetiæ Urbs opulentissima rerum suarum Scriptores habent, & Francisci Barbari, ac Leonardi Justiniani plurima hactenus egregiè scripta laudantur. Nam de Summo Pontifice Nicolao Quinto, quem nuper vidimus, deque Alphonso Taraconensium Rege, nihil dissimile dici potest. Allectis enim ad se per summa præmia & honores doctissimis viris, magnam famæ suæ ad posteros transituræ visi sunt habere rationem. Unus omnium Franciscus Philelphus, Poëta clarus, hujus tanti Principis, & Patriæ nostræ præsentem felicitatem, citatis ab Helycone Musis, recenti carmine celebrare exorsus est. Cujus etiam Principis accuratas laudationes clari plerique viri scripserunt, qui omnes Poetæ, Historiarumque Scriptores, si sibi ita persuasum habeant, nihil prætermitti ab se oportere, quod ætate nostra illustre per Italiam contigerit; & eas esse boni viri partes, quæ nullum fraudent laude sua, neque rerum gestarum veritatem supprimant, aut falsi quicquam admisceant, bene actum existimo, cum hujus Principis virtute & gloria, invenieturque hæc scripta nostra nihil ab eorum differre codicibus. Sin autem partes quasdam, quas cuique visum est, apprehendit, aut quod plerisque evenit, sua curantes, aliena posthabeant, erit profectò ab invidia procul meus hic labor omnis, qui rerum omnium veritatem exquisitissimâ diligentiâ persecutus, nonnisi quæ proposito operi conducant, ab certissimis auctoribus accepta, vel quorum fidem præsenti etiam mihi res ipsa fecerit, annotare constitui. Quo in opere si vel rei dignitati, vel multorum expectationi impar fuero (id quod ferme video fore) mihi tamen sum satisfacturus, indignum censenti, tam clarissimorum facinorum memoriam antiquari, fierique de tanto Principe tempestati nostræ negligentiæ turpe convitium. Itaque non tantùm ejus, qui perfecto opere futurus mihi sit apud omnes bonos gratiæ locus, spe recreor; sed interim cùm habeat in se emolumenti quiddam magnarum omnis pertractatio rerum, labor ipse perscrutandi, inveniendique, & conscribendi, quæ silentio tegere nefas est, me delectat. Placet in his, quicquid uberioris otii serenitas hæc pacis attulit, quæ nunc omnem tenet Italiam, consumere, jungentem noctes diebus, excitantemque ab ipsis incunabulis tantum Principem, ut in lucem editus sit, ut nutritus, & paternas artes cum lacte ipso imbutus, utque prima ætas ingentes variosque paternarum rerum eventus viderit; validior verò consiliis, certaminibus, victoriis, & trophæis insignis, & hæc maturior tandem in amplissimi principatus fastigio sit collocata. Jamque ipsa se se mihi offert, unde initium sumam nascentis imago Ducis, non sinè summa patriæ Insubriensis felicitate, per tot varias temporum vices, tot clarissimorum interitus Principum, Regnorum, Urbiumque vexationes, & clades, tanta denique bellorum discrimina, quæ proxima hæc vidit ætas, nunc amplissimi hujus Ducatus habenas dirigentis, & per tranquillitatem partæ in multos annos solidæ pacis, ante ora oculosque nostros obversantis. Et quoniam prima hujus ætas unà cum patris amplitudine & gloria incrementum cepit, non inconveniens erit paternæ primùm militiæ labores arduos, & varios casus, utque inclyti Principatus fundamenta jecerit, sensim percurrere, quoniam hæc eadem ab Principis nostri adolescentia sejungere vix possibile videtur.

Fuit igitur, ut altiùs repetamus, pater Jacobus Attendulus ex Cotignola nobili Flaminiæ oppido, belli pacisque artibus inter omnes, quos patrum nostrorum vidit ætas, princeps longè excellens. Cui claris parentibus nato, iisdemque locupletibus, cùm per otium vitam traducere liceret, tanta jam tum indoles in puero fuit, ut quietis impatiens animus, quem privata domus non capiebat, per arduum virtutis iter, sed maximè militari disciplina, in quam illum natura pronum vehementemque fecerat, magnitudine nominis sibi comparandi incensus, ageretur. Excitabant adolescentis alioquin per se sublimes spiritus, veluti urgentes quidam stimuli, celeberrima per Italiam nomina, Baldrini in primis Romanæ militiæ ducis, omnium ea ætate clarissimi, cujus visendi incredibili desiderio tenebatur. Tum Pedemontani Broliæ Asisii Principis, tum verò Johannis Auguth Anglici, ut fama est, Regio genere viri, qui paulò ante per multas victorias, & miranda facinora summam erant in re bellica auctoritatem, gloriamque consecuti. Et inter cetera Johannem Auguth virtutis suæ præmia Bagnacavallum, Cotignolamque per hæc ipsa tempora ab Gregorio ejus nominis Undecimo Romano Pontifice datam, suisque etiam opibus ornatam, possidebat. Dignum profectò pretium feliciter gestæ militiæ, qui ab extremo orbe veniens, rebellantem Ecclesiæ Romanæ universam Flaminiam cum parte Æmiliæ, quam regionem Italicè Romandiolam dicimus, expugnatis priùs Faventia, Cæsenaque restituerat. His accedebat amplitudo, & vicinus splendor Albrici, Johannisque Zagonariæ, Barbiani, Cunii, Lughique Comitum, quorum æmulationem acriùs ipsa vicinitas inflammabat. Magnas enim sub imperio suo copias sub divi Georgii nomine militantes, magnas opes habebant. Et Alberico etiam in magnum postea Comestabilem Regni Siciliæ creari contigit, quæ dignitas est post Regiam magna. Verùm quod eos immortali laude dignos facit, cùm per superiora tempora veluti sopitâ, enervatâque Italicorum virtute, quotiens bellandum erat, ad conducendum ex Germania, Galliave mercenarium mi-

militem concurreretur, Italici emolliti procul à militiæ muneribus essent: hi omnium primi, virtute sua, & gestorum magnitudine revocatam longo postliminio militaris gloriæ famam Italicis viris non restituerunt tantùm; sed potiores esse ceteris omnibus Italicos Duces, ac milites, experimento docuerunt, mansitque deinceps apud eorum posteros, veluti hereditario quodam jure, ea ipsa animorum vis, & exercitatio, quæ illis in supremum usque diem comes non defuerat. His igitur inhæsit potissimum Jacobus, nihil jam in ea ætate dubius, quam vitæ semitam ingrederetur, sed rei militaris studio flagrans sub his ducibus prima tyrocinii sui rudimenta deposuit. Nec mora, multis magnæ spei adolescentibus, quibus per id temporis familia florebat Attendula, ut vestigia sua sequerentur persuasit, Bosio artissimo sibi sanguinis gradu conjuncto, magnorum postea copiarum duci, & oppidorum Principi dehinc Laurentio, & Michaëli, mox Francisco fratri minori, cui ob præcipuam animi ferociam Beccaleto, quod Latinè audacem sonat, cognomen fuit. Fecerat ea vis animi fratrem gratiorem, futurumque, nisi juvenem immatura mors abstulisset, ut inter præstantissimos militares duces annumerandus esset. Laurentii autem, & Michaëlis celebris erit in sequentibus memoria.

Cùm autem super dividenda præda, ut plerumque fit, lite suborta commilitones quosdam acrioribus dictis, & minaci fronte Jacobus urgeret, & illi rem ad Albricum Comitem detulissent, instanti nihilo remissiori sermone Jacobo: *At te mihi etiam vim illaturum existimo*, inquit Albricus, *tanta utente ferocia. Tibi verò posthac Sfortiæ semper nomen erit*: quod à circumstantibus evestigio exceptum, deposito priori nomine, solum observatum est. Id verò Latinè exprimit violentum. Quamobrem cùm in plerisque jam nominibus Italicam, eamdemque Romanam ab Latino sermone Linguam admodum differre videamus, novaque hæc mihi interpretationis necessitas ingeratur; nec tantum in his, sed & in hujuscemodi deinceps aliis multis, quæ nulla fuit vetustissimo Auctoribus, Historiorumque Scriptoribus, ne quis hujus novitatis admiratione ductus imperitiæ Scriptorem damnet, statui hoc quicquid est varietatis ambiguitatisve, operis principio discutere; ita enim crimen cavebunt, quæ sequuntur, & quæ jam præcesserunt. Unum eumdemque loquendi tenorem hactenus Italicis omnibus fuisse, ex quo tempore Romanum longius serpere Imperium cœpit, nemini vel mediocriter docto ambiguum esse potest; nec erat, quod Grammaticè, materneve loquentem discriminaret, nisi quòd illis bona dictio, his incultior, vel minus emendatus sermo in usu fortassis erat. Argumento est, Latinos fuisse populos sive ab Latio post Saturni fugam, sive ab Latino eorum Rege ita denominatos; nam antea Aborigines appellabantur, in quorum sermonem se Roma recepit, quod esset in eorumdem finibus sita, non duplicem sortitos loquendi morem (nam summa hæc esset narrantis vanitas, & credentis stultitia) sed unus erat omnibus doctis indoctisque patrius sermo Latinus. Huic argumento cùm plurima adstipulentur, pauca è multis, sed quibus nemo sanæ mentis repugnet, commemorasse sufficiat. Natis pueris diligentem in eligendis tum nutricibus, tum ceteris etiam, quibuscum pueri versentur, qui rectè loquantur Latinè, curam haberi, Quintilianus jubet in Institutionum suarum Libris, ut ea Latina Lingua purè & eleganter simul cum lacte nutricis percipiatur. Cicero verò Libris suis de Oratore Crassum ita loquentem scribit: *Equidem cùm audio Socrum meam Læliam; facilius enim mulieris incorruptam antiquitatem servant, quod multorum sermonis expertes ea tenent semper, quæ didicerunt; sed eam sic audio, ut Plautum mihi aut Nævium videar audire*. Idem Opere in ipso de T. Flaminio loquens ita infit: *Existimabatur bene loqui Latinè, sed literas nesciebat; utrique verò communi sententia diffiniunt, omnem orationem nostram auribus multitudinis accommodandam esse*. Sed ut hæc prætereamus, quædam sunt, sive scommata, sive dicteria appellemus, ita Latinè prolata, cùm per æquivocationem vocabuli aliud innuere, aliud dicere videri volumus, ut impossibile, si sensum eumdem servare velis, mutare ditionem, sive in maternam hanc, qua vulgo utimur, sive quamvis aliam Linguam. Ejusmodi sunt illa Ciceronis cavillantis nunc in eum, qui ad Pompejum profugus, equum se apud Cæsarem præ festinatione reliquisse dicebat. Inquit enim: *melius de equo consuluisti*. Nunc in ementem Serviliam à Cæsare prædia pretio non congruenti. *Et ut sciatis*, ait ad circumstantes, *quanto vilius emit deductâ tertiâ*. Id autem erat filiæ nomen. *Equum* verò, & *deduci tertiam* variè intelligi licet. Et hæc quidem non ex concione loquens Cicerone, fortasse aliàs alio eum sermone usum fuisse, quis opinetur: quod ipsum omnino falsum arguitur. Sed nunc in castris inter milites, nunc in foro inter turbas, à quibus intelligi vellet, pronuntiabat; ut nemo dubitet, assiduam, perennemque illi, & Romanis omnibus Linguam fuisse Latinam. Quod si me quispiam roget, unde hæc ergo ad nos tanta defluxit loquendi varietas, respondebo intrepidè, ex ea, quæ totiens Italiam inundavit ab inclinatione Romani Imperii Barbarorum procella, nunc Gothis, nunc Erulis, Hunnis, Wandalis, Alanisque, & ad postremum Longobardis, unde huic Patriæ nomen mansit, Italiam peragrantibus, seque quod necesse fuit Italicis commiscentibus. Verùm hæc aliquanto longius quàm postulet Historiæ ratio. Sed mihi adversùs obtrectatorum aculeos Librum communienti, necessarium inprimis visum est, causam in medium afferre, quare totiens Italicè prolata vocabula in Latinum, à quo longè discrepent, sint convertenda, novo & inusitato ab illustribus illis antiquissimisque viris scribendi more.

Fuit igitur in iisdem castris & Albrici militia vir Perusinus genere nobilis, ceterum vehementis animi, & ingenii callidissimi Braccius Montonensis ex Forte-Brachiorum familia. Hic in Sfortia egregiam fortitudinem, & virtutes Principe dignas suspiciens, ejus amicitiam petiit, exceptusque est familiarissimè; fuitque ambobus per ea tempora commilitonibus vita communis, & contubernia non secus ac fraterno jure conjuncta. Cùmque sibi, & famulis suis saga gestanda communi dictarent consilio, placuit coloribus

A bus discrimen nullum facere. Sed ut tamen inter duos aliqua relinqueretur internotio, quadrati saguli parte superiore rubentem campum à dextris, variantes verò undarum fluctus niveos cœlestesque in arduum erectos à sinistris, ornamentum militiæ suæ Sfortia esse voluit. Hæc eadem in adversas partes à Braccio commutata sunt, ipsos etiam fluctus minus tumoris habentes sibi desumsit. Et profectò cùm plurimorum in re bellica excellentium virorum fœcunda esset domus Attendula, quos etiam nunc vel superstites esse, vel non degenerantes filios reliquisse videmus: unus tamen Sfortia princeps eam gentem magnitudine sua illustravit, & in B amplissimo potentatu collocatam stabilivit. Revocatus est autem Sfortia à re bellica in paternam domum ob subortam gravissimam dissensionem mulieris sponsæ causâ inter Attendulos, & Pasulinos, qui quia numero præstabant, ferociores videbantur. Eam enim genere & divitiis claram desponsatam Bartolo Sfortiæ fratri, Martinus Pasulinus vir inter suos potens, dum filio suo uxorem dare conatur, cœtu facto Bartolum vulneratum debilitat, duos verò Bosii interfecit fratres. Habitabat autem Granaroli, ubi Pasulini plurimum poterant, quod oppidum non amplius mille passibus Cotignolâ sejungitur. Ea igitur contentio cùm & longius traheretur, & atrocius exerceretur, multis utrinque con C fectis, & Pasulinis causa & virtute inferioribus nullus jam locus tutus esset; quin etiam mutato, qui pauci vitæ superfuerant, cognationis suæ nomine, in alienas domos patriâ extorres se recepissent, non aliter finem invenit, quàm per Sfortiæ clementiam. Ejus enim post aliquot annos fidei se se credens Martinus, adversæ factionis homo, & noxæ reus, & tantæ turbationis auctor, sibique uni ascribens quicquid criminis intercessisset, ad genua procubuit; & dum in se unum supplicia deprecatur, ut sibi, & ceteris victis parceretur, impetravit. Fuit ea Sfortiæ clementia vicinis omnibus perjucunda, tantas D dissensiones ali, tantumque humani sanguinis fundi ingemiscentibus. Ipsi verò Sfortiæ famam gloriamque ingentem apud eos comparavit, jam tum sibi natisque suis, præter ceteros omnes, quibus humanarum rerum potestas permissa est, clementiæ propriam laudem auspicanti. Absumto igitur per has seditiones domi biennio, dum tantis suorum periculis deesse nefas ducit, dehincque sumto secum Laurentio militiam repetit sub ductu Illustris Alberti Marchionis Estensis. Nec mora, sequuntur eorum vestigia Bosius, Michaëlque, ut antea, paulò tamen tardius domo profecti. Ibi rursum biennio expleto virtutis suæ experimenta dabant. Accepto dehinc ab E Marchione commeatu, bonâque ejus gratiâ, priores repetunt militiæ suæ duces Albricum, Johannemque Cunii Comites vere novo ineunte. Inter omnes autem, quos ea ætas strenuissimos in armis habuit, Sfortia, & Astorgius Vicecomes, & Tarantula, & Zaninus ex Lugo commilitones, consonis omnium præconiis extollebantur. Erat is annus Secundus super mille trecentos & nonaginta ab Salvatoris nostri Nativitate; quem nunc annorum cursum antiquatâ olympiadum supputatione universa retinet Occidentalis plaga, cum incredibili apparatu, & ingenti exercitu, qui supra octoginta millia equitum continere dicebatur, instructus Ludovicus Dux patriæ Andegaviensis (ea est Braccatæ hactenus, nunc Narbonensis Galliæ portio) genere Francorum Regio illustrissimus, ingressus Italiam, ut Siciliæ Regna sibi vendicaret, magnos motus concitaverat. Huic Principi tantæ expeditionis obeundæ præter multas alias præcipua causa fuerat adoptio in filium, Regnique successorem Johannæ Reginæ primæ, laudatissimi Regis Roberti & Durrachina familia filii filiæ. Quæ cùm viros quatuor habuisset, primum quidem Andream Hunnorum Regem turpi suspendio affectum, ob causam, ut fertur, non sanè idoneam, vitâ privavit, cujus indignissimam cædem penetrantes postea in eas oras Hunni, recenti verò vocabulo Hungari, bellicosissimi populi, duce Lodoisio Rege defuncti fratre, acerrimè ulti, edicto postea Romani Pontificis obedientes abierunt. Secundum deinde consanguineum suum pro viro habuit Ludovicum Regem, qui Tarentinus cognominatus, nimio coëundi usu mortis sibi causa fuisse narratur. Tertium verò Jacobum ex Taraconensium Procerum numero, jussum Regio nomine abstinere. Quartum sibi ipsa delegit Ottonem Ducem ex Bransuich inter Germanos nobilissimum. In hunc ergo, & Reginam pariter, Karolus, Regio & ipse Durrachinæ familiæ genere, cui cognomen Pacis ob quæsitam magno studio in Ecclesia Romana dissidenti pacem, obtigerat, comparatum multo Regni procerum favore, exercitum movet, ut quod ex patrui morte Regnum sibi deberetur, vendicaret. Cùmque jam Neapolitanæ Urbi immineret, egressus Otto magnas adversùs Karolum cohortes ducebat. Accidit autem, ut aliâ portâ Otto cum instructis copiis Urbe egrederetur; aliâ verò, quam patentem invenit Karolus, eodem momento in Urbem sit receptus. Itaque capta Urbe Otto cum omni exercitu suo profligatur, captusque, & ignito æneo vase cruciatus, oculis primùm, dehinc vitâ capitur. Regina verò territa ex Urbe fugiens ad implorandam Gallorum opem se convertit, & Ludovicum opibus pollentem Regni adoptione pellexit. Is ergo adveniens non contemnendam de se præbuerat opinionem, videbaturque multa præclara facturus, nisi Albrici Comitis militiam, auctore, ut ferunt, Sabaudiensi Comite sprevisset, & seu dolo, seu errore actus, relicto idoneo ac frequenti per Picenos itinere, steriles & difficiles Tuscos montes tenuisset. Ad extremum Regios ingressus fines, cùm ab Albrico magno Comestabile infestius premeretur, ferro, fame, & peste confectus, copiarum, nominisque sui jacturam tulit. Perlatus denique ad Biselli Urbem vitâ excessit, & in sacello intra Barensem arcem est sepulcro datus.

His ergo interea tantis excitus motibus Karolus Rex, dum sibi, & Regno cavet, Albricum Comitem cum copiis omnibus suis in tutelam Regni asciverat, belligerantium profectò per ea tempora supremum ducem, & alioquin Ludovico Andegavensi infensum jampridem hostem, eidemque in magnum Regni Comestabilem creato Regium cum sceptro vexillum miserat. Profectus ergo Albricus Comes Laurentium Attendulum secum

cum abduxerat. Ejus verò fratris filius Johannes Comes in Flaminia commoratus, Sfortiam apud se, cum eoque Bosium, Michaëlemque retinuerat. Cùmque apud eum res quietiores viderentur, Sfortia, & reliqui item, quibus nihil otio infestius erat, impetrato commeatu se ad Broliam conferunt, clarissimum & ipsum belli Ducem, tunc in Umbris militantem. Quibus novum se comitem addit Martinus Faventinus, vir omni bellica laude clarus. Ibi multis exactis mensibus cùm jam pactæ militiæ extrema adesset dies, Sfortia relictis apud Broliam ceteris, cum magnis conditionibus ab Perusinis invitaretur, inita societate cum Perino Terdonensi, impigro armorum ductore, & qui non minus astu quàm ferro contenderet, stipendia ab eisdem meret. Eos autem Lombardi belli terror urgebat, quod ab excellentissimo Mediolanensium primo Anguigero Duce Johanne Galeaz, Virtutum Comite (quæ est Gallica regio, dos illi uxoria) inferebatur, cujus tum tantæ opes erant, & tanta nominis magnitudo, ut & magnificentiâ uteretur pleraque regiâ, & famam suam extremis Orbis finibus terminaret. Ingenia certè clara, etiam à remotissimis partibus ad se vocans, per omnia liberalitatis munera summis opibus fovit, summis honoribus insignivit. Summa Perusinorum per id temporis apud Raspantes erat, quæ factio est in ea Urbe Nobilitati adversa, quos si quis Latinè appellare voluerit, Abradentes dicat. Ab iis igitur stipendia paciscuntur Sfortia, Perinusque, Lancearum centum: hi sunt trecenti equites, novissimo prorsus militandi, accipiendique stipendii instituto. Nam & in plerisque aliis, & in hoc maximè longè, varia est tempestatis nostræ equitum ab priscis illis, & armorum gestatio, & equitandi, belligerandique ratio. Quod si cui mirum fortasse videatur, diligentius antiquas Historias, sive apud Poëtas, sive apud Historicos velit considerare. Sin id gravius fuerit, animadvertat saltem sculptas in marmore antiquorum equitum pugnas, quarum copiam præbent Romanorum reliquiæ fragmentorum. Nam picturæ, lateritiive operis vestigia, in tanta vetustate vix supersunt. Videbit profectò equites illos armis instructos, & pugnam agentes, nullo tunc pedum sustentaculo fultos, quod nostris maximum est. Id nunc Staffas à stando vocant; nam in novo invento non est quod vel antiquum vocabulum quæras, vel ornatius imponere audeas. Neque illis in equum ascendere vel descendere, nisi saltu dabatur. Tum verò ephippia vix exstantia erant, quibus nunc in arduum erectis non parvo adjumento vallantur equites nostri. Præterea nusquam protensis affixisque thoraci contis concurrentes, nam neque hujusmodi tunc, sive contos, sive lanceas appelles, in usu erant, neque thoraci clavus ullus ad dirigendas lanceas fixus; sed equitabant solis innixi genibus, clypeis tecti lævas, dextras verò æquè omnes pilis ad emittendum idoneis instructi, nisi qui Parthico more sagittarii essent. Tum etiam sibi quisque eques sufficiebat, quippe quibus & hastæ leves, & galeæ, non ut nunc pondere graviores, erant. Hac verò ætate cuique thorace, lanceâque instructo ternos equos attribuimus. Sub Perusinis igitur in hunc modum Sfortia, Perinusque merebant, quorum tanta eo bello claruit virtus, ut viventi præsertim Sfortiæ solida propensiorque in supremum usque diem fuerit ejus factionis principum Perusinorum amicitia. Quamquam adversùs immensas Mediolanensium Ducis opes, & pervalidos exercitus, nulla Perusinis auxilia satis esse potuerint. Subacti enim cum multis aliis Italiæ populis servitium benignis conditionibus pertulerunt; Fuitque hic annus Quadringentesimus supra Millesimum.

Interim verò domesticus dolor Sfortiam invaserat. Cùm enim eam ferme omnem regionem pestifera lues depopularetur, profectus domo Bartolus frater natu major ad visendum Sfortiam venerat, cujus desiderium supra fraternam caritatem gloriæ magnitudo vehementius faciebat. Is igitur peste correptus, intra paucos dies sub fraternis oculis moritur. Nec multo post Beccaletus frater minor, cujus supra meminimus, militiam sequens, & fraternæ non impar fortitudini, eadem pernitie conficitur. Utrique igitur magno funere elati, cùm in Marzano nobili Perusino oppido reconditi essent, sacellum ibidem Sfortia construxit Christiano more in remedium animarum, solatiumque fraternæ pietatis. Capto Perusio, Sfortia, Perinusque, qui jam ante apud hostes etiam ipsos magnum fortitudinis suæ nomen assecuti erant, eadem stipendia lancearum centum ab Principe Mediolanensi communi jure suscipiunt, & ad firmandas conditiones Sfortia Mediolanum proficiscitur. Nota hæc tum primum & amica Sfortiano nomini Civitas esse cœpit. Exceptus est enim magnâ Principis, & civium benevolentiâ; & acceptâ pecuniâ, & Perino communicatâ, Ducalibus se se castris adjungunt. Ea tanta belli moles Bononiensibus primùm, dehinc Florentinis imminebat. Cùm fraterni juris Perinus immemor, cujus animus jampridem ambitione prava exæstuabat, & quòd majorem esse apud equites Sfortiæ auctoritatem molestissimè ferebat, novas fraudes in Sfortiam machinatus, credulas Principis aures hujusmodi insimulatione pertentat. *Suspectum*, inquit, *habendum Sfortiam, & maximè ab eo cavendum Guelfæ factionis homine, veteremque hostilem animum gerente, & in adversarias partes potiùs, quàm Ducales inclinato*. Itaque instructis magna arte sibi apud Ducem fautoribus, id quod maximè optaverat, Perinus efficit. Exauctorato enim Sfortia propter Guelfæ factionis insimulationem, jus trecentorum equitum apud eum solum fuit. Res admonet, non prætereundam originem esse pestilentium Gibellini, Guelfique nominum, quorum nunc tanta per omnes Italiæ Urbes observatio est, ut plurimos ad insaniam usque perducat. Ceterùm, si causam ipsam, & originem spectes, ridicula prorsus, & ludibrio digna. Et hæc profectò, quæ ab cœpto dicendi ordine paulùm abesse videntur, semel attigisse sufficiet. Hujus verò rei fides apud antiquissimum Annalium Codicem in Synodo Constantiensi repertum constabit. Per Innocentii Secundi Romani Pontificis tempora Rothgerius, & Willelmus fratres, Venetiæ in Galliis prisco nomine, nunc Normanniæ Duces illustres, domo profecti cum magnis copiis Siciliæ Regnum invaserunt

Anno uno de Mille Centum & Triginta ab Salvatoris Nativitate. Quos adversùm Romanus Pontifex humanam opem divinæ præferens, ut præpotens Regnum ditioni suæ vendicaret, ducto exercitu copioso aciem instruxit. Conserto autem prœlio, fusisque Pontificalibus copiis, ipse Innocentius vivens in hostium vênit potestatem. Nec aliter libertati restitutus est, quàm ubi peracto cum Normannis Ducibus fœdere, Siciliæ Regnum, quod antea Romani Imperii juris esset, in perpetuum feudum Rothgerio, heredibusque concessit. Eam rem Conradus Cæsar Suevius ejus nominis Tertius indignissimè ferre, nec dissimulare conceptum ultionis ardorem. Erat enim, præter alienati Siciliæ Regni jacturam, alioquin etiam Pontifici infensus, quòd eodem tempore in Romanum Regem discordi electione vocatum Lotharium Saxoniæ Ducem Innocentius Papa prætulerat. Non contemnendas igitur Conradi minas Pontifex ratus, astuto consilio, quo pacto implicatum eum vicino in Germania bello detineret, meditatur. Nec mora: conductum ingenti mercede Henricum cognomento Superbum Bavariæ Ducem (ea est Norici portio) Conrado bellum inferre jubet. Is verò propter exactam ætatem bello gerendo minimè idoneus, fratrem suum juniorem, acerrimi & bellicosi ingenii virum, cui nomen Welfo, copiis omnibus præficit. Cui Pontifex, Rothgeriusque Gallorum, Italorum, & Siculorum magnas auxilio vires dabant. At Conradus & ipse ævo maturus, totius belli curam Federico filio mandat, juveni impigro, & ingentis animi. Huic nutriri contigit in patria suæ ditionis, cui nomen Gibelingh, in qua carissimus omnibus erat. Ex ea igitur quantas potest copias parat, summoque pugnandi ardore adversùs Welfonem pergit. Conveniunt ad Cœnobium Ernsheim in Provincia Rhetiæ utrique exercitus, nec prœlio moram ullam faciunt juvenes, & audaces utrique duces; sed atroci pugna conserta, & multa edita clade, superior Federicus Welfonem cum omni exercitu fundit, fugatque. Instaurat rursus copias Welfo, seque infausto certamini offert juxta Villam, cui nomen Elenoffen haud longè Winspregh. In ea pugna Welfo cum maxima exercitus sui parte cæsus occubuit. Henrico verò superbo, familiæque suæ Bavariæ Ducatus aufertur. Fuerat autem clamor adhortantium se ad pugnam, ut fit militum, hinc hic Welfo, inde hic Gibelingh. Quamobrem cùm magna esset per Italiam hujus belli expectatio, eventus pugnæ, & exercituum vociferationes circumferebantur. Invaluitque exinde fama, eos omnes, qui Pontificis partes secuti essent, Welfos dici; qui verò Imperatorias, Gibellinos. Erat ea belli clades in Italiam penetratura, nisi saniori quàm ante usus consilio, Pontifex Sanctum Bernardum Clarevallensem Abbatem, cui opportunè tunc in terris esse contigit, ad conciliandum Conradi animum delegasset. Ea igitur reconciliatione in Spira Urbe facta, & sigillis Principum in Francfordia corroborata, Conradus cum Ludovico Francorum Rege copiis junctis, conatus omnes suos adversùs Turcos impios Christianæ Fidei hostes feliciter convertit. Pax, & solida deinceps in multos annos benivolentia Romano Pontifici, Regique mansit.

Subductus igitur per eam, quam diximus, Perini insimulationem Ducali militiæ Sfortia, ad Florentinorum inclytas opes se contulit, quos Etruriæ Principes tanti successus Ducis in armis esse cogebant. Huic igitur magnæ jam opinionis viro equites primùm centum & quinquaginta; mox finito semestri, virtutis admiratione ducti, trecentos attribuerunt. Fuitque hic Annus primus supra Millesimum & Quadringentesimum. Insignis profectò & novâ Florentinorum amicitiâ, & quòd suo tantum nomine his equestribus turmis præfuit, & quòd nascentis primogeniti sui Francisci lætitiam cœpit, cujus ditionis & gloriæ magnitudo, quæ crescentis postea illius annos comitata est, longior, illustriorque operis nostri facta est meta. Natus est autem in oppido Miniate, quod abest Florentiâ passuum millibus decem & octo, unde haud procul paternæ copiæ in stationibus erant, decimo Kalendas Sextiles die Saturni sub occasum Solis, quæ fuit Vigilia dicata Divis Jacobo & Christophoro; iis erat festus dies Lunæ, solari die intercedente. Cùm ergo amicos, & sibi auxiliares Florentinos, Bononiensesque, & Carrariensem Patavii Principem Franciscum, belli societas faceret, & ex adverso Veneti antiquo fœdere, & ad id tempus inviolato semper, & multorum insuper beneficiorum gratiâ Mediolanensi Duci amicissimi essent, ejusque partes sequerentur, datus est auxilio Sfortia Patavino Principi, bellum adversùs Venetos, & inimicitias acerrimas exercenti.

Per eos dies Robertus Bavariæ Dux Germanorum Principum electione Rex Romanorum creatus, quem novum Electum frequens turba vocabat; superatis alpibus Italiam cum magnis copiis ingreditur, amico non obscurè erga Florentinos, Patavinumque Principem animo, ceterum Anguigero Duci infenso. Huic ergo in Marchia Tarvisiana, quam antiqui modò Liburniæ, modò Venetiæ finibus concedebant, ad oppidum Montagnanæ obvius factus Sfortia, incredibili Cæsaris benivolentia excipitur; utque apud eum Regii affectus, ut ejus, cui præerat, militiæ Florentinæ memoriam collocaret, cùm antea malo tantummodo citonio Attendula familia insignita esset, ipse additâ Leonis aurei lævâ, id malum citonium gestantis, dextrâ desuper minaci extensâ, insignia eidem dono dedit, quibus deinceps universa Attendulorum cognatio, Sfortiani nominis, & Cæsareæ benevolentiæ memor, uteretur. Sed premente interim Bononienses acrius Johannis Galeaz exercitu, quibus victis non longa resistendi fiducia Florentinis superesse videbatur, ad ferendam Bononiensibus opem Sfortia revocatur. Et Urbi præpotenti, & magnos alenti spiritus, Johannes Bentivolius per id temporis libera potestate dominabatur, quem oppressa Civitatis libertate prævalida in ea Urbe Sectæ suæ factio in id fastigii erexerat. Universæ verò Florentinorum, & Johannis copiæ, quantas parare potuerant, ad oppidum Casalechium natura manuque munitum, secundo lapide Bononiæ proximum, quo tutiores essent, convenire jussæ. His omnibus Bernardonus Trinensis Pedemontanus, vir fortissimus, data generalis

ralis Capitanei dignitate, Præfectus erat. A Adversùs eas Ducalis exercitus, numerosissimis viris, armisque, & omni bellico apparatu instructissimus, ducebatur. Hæ tantæ copiæ, & Viperea signa Albricum Cunii Comitem, cujus virtutis amplitudinisque supra meminimus, Capitanei pariter generalis nomine prælatum, sequebantur. Hunc enim paulò antea Tricarici Comitis, qui postea etiam Dux Venusinus fuit, captivum redemtionisque suæ pretium novo supplicii genere, dum somno prohibetur, pacisci coactum, triginta millibus aureis Johannes Galeaz Princeps (tanta apud eum erat virtutis opinio) ideo persoluto hoc omni redemit auro, ut excellentem pararet exercitui suo ducem. Redemto verò totidem contulit aureorum millia in usum militarem, quamquam & clarissimi nominis Jacobus Vermes pro Ducali Locumtenente in ea castra missus, amplissima pollebat auctoritate. Ceterùm quantum in novissima ætatis nostræ dignitatum nomina incidi, diluenda est & hoc loco quorumdam superstitio, qui dum vetusta tantum dignitatum vocabula sequi contendunt, relictis novis, & maximè ad rem facientibus, ridiculas, & à proposito alienas clausulas contexunt. Nam ubi de militaribus Ducibus ætatis nostræ mentio habenda fuerit, quamvis exiguis copiis præsint, dum Capitanei, aut Comestabilis nomen refugiunt, eos nunc Imperatores, nunc Tribunos, vel Centuriones vocant. Illi iidem & reliquos Magistratus non nisi per Senatorum, aut Dictatorum nomina diffiniunt. Memini, à quodam, qui se sapientem dici vellet, ætatis nostræ Capitaneum ita inscribi Ducalem Imperatorem. Horum mihi vanitas magnopere ridenda videtur. Nam si diligenter illustrium illorum nominum, quæ Romana majestas suis imposuit Magistratibus vis & natura, & præscriptio, vel numeri militum, vel temporis, vel facultatis consideretur, invenientur profectò ea omnia cum his ætatis nostræ, seu militaribus, seu civilibus Magistratibus, aut nulla, aut minima ex parte convenire. Quamobrem quotiens inciderit, numquam refugero Conestabilem... Confanonerium, Capitaneum, Admiratum, Senescallum, Consiliarium, Locumtenentem, Comestabilemve, & hujusmodi aliis quempiam inscribere, quandoquidem rei, temporique maximè conducit, neque propositum dicendi modum à vero patitur deviare, secutus frequentem loquendi usum: quem tum nulla ratione, sed sola ipsa novitate quis arguat? Nam cùm eum optimum dicendi Magistrum affirmet Plinius, penes eumdem & arbitrium, vim, normamque loquendi esse testatur Flaccus noster.

Animosiores igitur, & frequentibus victoriis, & tanto belli apparatu, qui rem Ducalem gerebant, castra castris conferunt, & prælatis signis hostiles copias adoriuntur. Intentis ad pugnam, & tutanda castra omnibus, Angelus Lavellus cognomento Tartalia, quod Latinè balbutientem sonat, ex primis ducibus cohortium Florentinarum, commissum locum deserit, qui maximè hostibus objectus erat. Eum patentem conspicati hostes, tumultu ingenti, totisque viribus ingruunt. Illo impetu fusæ, ac dissipatæ Florentiæ, ac Johannis copiæ, Anguigero militi præda fuerunt. Nemo ferme non captivus fuit, seu dux, seu miles; pretiumque illi victoriæ mox Bononia accessit, Johanne Bentivolio per eum ingredientis agminis tumultum obtruncato. Incusante postmodum Sfortia, ut par erat, Tartaliam loci desertorem, & tantæ cladis auctorem vociferante, dum Reipublicæ Florentinæ studet, inextinguibile ejus in se odium concitavit, quod ille insequentibus annis per occasionem exercuit immoderatè. Fluctuantibus igitur animis eorum, qui Florentinis militabant, & ab hostibus capti, pedites inermesque relicti erant, quorum magnus erat numerus, Sfortia omnes cohortatus, ut bene de Florentinis sperarent, persuasit. Nec mora: ducem se præbuit pedes Florentiam repetendi, quem tantæ opinionis virum eo habitu sequi nemo sibi turpe duxit. Fuit ea res mirum in modum Florentinis gratissima, in extremo discrimine positis. Itaque ut grati eorum erga Sfortiam animi signa ostenderent, quingentis eum deinceps equitibus praeesse jusserunt; primusque omnium stipendio accepto non deesse Florentinis ad resistendum vel opes, vel fiduciam docuit. Quo tempore filiam suam Lysiam secundo suscepit. Sed laborantibus tanta sollicitudine Florentinis (vix enim diutius tanti, tamque vicini belli incendium toleraturi videbantur) saluti fuit interitus per eos dies Anguigeri Ducis, qui positus in tanto triumphorum, & secundissimarum rerum successu (nam & Pisas, & Perusiam, & Senam urbes in Tuscis, in Venetia verò Brixiam, Veronam, Tarvisium ditioni suæ subegerat, spemque certam Regii diadematis sibi proposuerat) solutus corpore est tertio Nonas Septembris Anno Secundo supra Millesimum & Quadringentesimum, in oppido Melegnano, ubi arcis & agri diversoria amœna habebat, & Mediolano passuum decem millibus abest. In urbem deinde relatus, ingenti urbis, & patriæ gemitu, Regio funere sepulcro traditur; certatimque ab doctissimis viris divinæ ejus optimi Principis laudes celebratæ. Eo vita functo, universæ ferme Civitates Anguigero parentes Duci, magnis motibus quatiuntur. Nam & superstites filii Johannes, & Philippus Maria, cujus deinde nomen paterno non inferius fuit, impuberes adhuc erant; & relicti pueris à Principe tutores, nec minus & militiæ plerique duces, parum fideliter rem gesserunt. Alius alia invadentes, omnia tumultibus, rapinis, cædibusque implent; & ad postremum eo res deducta est, ut Viperei Principatus, terrâ antea marique formidolosi, vix ullum vestigium relinqueretur, & ab internecione certè haud procul esse videretur. Quas tantas clades non ambigua fide Cometa ardens, & prodigia plurima sub ipso interitu Principis diu ac latè visa, terrorisque plena prædixerant.

Inopinatam igitur, incredibilemque ex ea morte respirationem nacti Florentini, jamque alienæ cladis spectatores facti, qui paulò ante rebus suis propemodum desperaverant, tempus adesse rati propagandi eorum Imperii, adversùs Pisanam Urbem eis vicinam bellum movet: quam Mediolanensi subditam Principi Gabriel unus ex natis testamento obsignatam acceperat. Ea Urbs in intimo Tyrrheni maris sinu condita, situ ipso, & nomine Græcos auctores sibi fuisse testatur. Pul-

Pulcherrima enim planitie circumsepta, superbaque mœnium magnitudine, & ornatu præterlabentis Arni fluenta illustrat, & Pisanæ vetustæ in Beotia Urbis secus Alpheum amnem sitæ Olympiacis agonibus famosissimam imaginem novat. Arnum verò in mare haud longius inde passuum millibus sex dilabentem ipsa loci æquitas triremibus, & majoribus etiam navigiis navigabilem facit. Proximas autem maris fauces qua fluvius ingreditur, tutissimus portus claudit, quem Pisanum dicunt. Incredibiles etiam ejus Urbis opes fuisse, & clarissima maritimo bello facinora indicant, & ipsius Urbis cognomen probat. Etenim Regina maris appellata est. Hanc ergo jam discordiis fluctuantem concitata adversùs Gabrielem rebellione, singularis occupandi ardor Florentinos invasit, non immemores, quantas per superiora tempora clades à Pisanis accepissent. Quantis ergo possunt copiis Urbem aggressi, quia expugnatio difficillima videbatur, terrâ marique obsidere pergunt. Terrestrium copiarum summa apud Comitem Bertoldum Ursinum erat; post eum omnium primi Sfortia, & Tartalia erant, sed infensis inter se animis ex ea, quam prædiximus, causa. Hos postea Laurentius Attendulus, præterea & Zininus Cribellus, & Thomas ex Tiferno, quæ nunc est Castella Civitas, roseas agentes turmas, ceteri deinceps plurimi ductores sequebantur. Sub idem ipsum tempus, quo tanta tunc Italicis clarissimis Urbibus procella augebatur, moto à Venetis bello adversùs Plaustriferum Principem Patavinum, Urbs inclyta, & Antenore conditore antiquissima, atroci & supra omnium fidem intoleranda obsidione premebatur. Sed hæc brevior fuit, namque anni finem vix excessit. Pisana quamvis in se nihil minus horroris haberet (tantæ Urbis opes erant, tantaque animorum obstinatio) in quartum usque annum est protracta. Plurima per eam expeditionem Sfortiæ Ducis vel fortiter gesta, vel acutè prævisa celebrabantur; unusque omnes diligentiâ anteibat: quæ res in bello non minores ipsa fortitudine effectus parit. Cùm interim Pisani supremis adnixi viribus, magna mercede venturas sibi auxilio militares copias parant, horum duces erant Angelus Pergulanus, & Gaspar Pazzius genere Senensis ex Broliæ comilitonibus, utrique viri fortes & bello clari. Illi cum magno equitatu profecti per maritima Senensium loca iter faciebant. Consilium erat, ut Castillionum Piscariæ, (id enim Oppidi vulgo nomen) quàm celerrimè peterent, quod in fide Pisanorum restabat, magno quidem sed miserabili exemplo, & quia commodissimum subinde fuisset, vallantem Pisas hostem ex improviso aggrederentur. Eorum motus à longe primus omnium Sfortia sensit. Nam cùm profusa in omnes liberalitate, & humanitate uteretur, plurimorum ex variis Urbibus animos, quod par fuit, intimâ sibi benevolentiâ devinxerat. Per eos vel inquirenti multa referebantur, vel aliud agenti nuntiabantur. Id compertum protinus aperit Bertoldo Comiti, unàque Ghino Cappono, & Bartholomæo Valorio, qui pro Republica Florentina legati in castris erant. In eo consilio postquam collaudata fuit Sfortiæ diligentia, & gratiæ actæ, unus insuper omnium maximè idoneus visus est, qui in eam expeditionem princeps adversùs venientem hostem mitteretur. Itaque è vestigio quia moræ periculum ingens erat, electis de universo exercitu per singulas cohortes equitibus, Tartaliensi tantum dimisso milite, Sfortia proficiscitur. Volaterram Urbem Florentinæ ditionis primo cursu attingit. Ibi superatis, qui in præsidio erant, peditibus in hostem properat; dumque noctem diei adjungit, non priùs destitit, quàm sexaginta passuum millia emensus est, transgressusque Castillionum quinto ab hostium castris milliario apud Suberetum loco opportuno, ne oppidani opem venientibus ferre, vel tumultum sentire possent, copias omnes in insidiis locat. Res omnis non minori felicitate confecta est, quàm fuerat astu provisa. Nam Pazzii, & Pergulani nihil hostile iis in locis metuentes, securumque ideo agentes agmen, permixti impedimentis equites in insidias deferuntur; ibi subita vi circumventi obruuntur, & quamvis plures à paucis tamen ad unum ferme omnes capiuntur. Fuerat egregium id per se facinus, & memorabile, sed immensa vis animi Sfortiæ majus aggreditur. Illico enim evocatos ad se viginti ex suis, quorum virtuti magìs fidebat, detracta captis hostibus saga induit, jubetque Castillionum properare, priusquam infelici pugnæ rumor ad oppidanos perveniat, quos in expectatione subsidiarii exercitus positos intellexerat; quid eos agere velit monet, & se in terga venturum certos facit. Illi ad oppidum properantius delati, Pazzii & Pergulani urbis nuntiant auxiliares omnes cohortes adesse; proinde quæ in usum exercitus sunt, pararent. Verisimilia nuntiantibus, & amicorum saga indutis, ab oppidanis creditur. Admittunturque in oppidum, ut fit, amicitiæ gratiâ. Illi ingressi, pulsis custodibus, portam confestim capiunt; suscitantibus subinde tumultum oppidanis Sfortia adest, ingressusque cum infesto equitatu oppidum diripit. Profectus inde Vadam, expugnavit, quod unicum jam in Volaterrano agro Pisanis oppidum fidem servabat. His ita gestis, certum est, quicquid opis, speive Pisanis supererat, corruisse, capto omni auxilio, direptoque oppido illo opibus virisque munito, unde unica afflictis auxilia (quantum obsidentes falli poterant) submittebantur. Itaque redeunte cum victricibus copiis ad exercitum Sfortiâ, captivorum numerum, prædamque direpti Castillioni ingentem ostentante, ubi ea res clausis innotuit, consternatio, subitusque pavor omnes oppressit. Cùmque jam nihil aliud superesse videretur, quàm ut extremo famis tabo confecti per summam desperationem absumerentur, coacti domitique longo malo Pisani ad septimum Idus Octobris diem Florentinis sese dedunt. Is fuit Annus Sextus supra Mille & Quadringentos: quo item anno Leone filio est auctus, nam biennio ante per obsidionis tempus Antoniam filiam susceperat. Itaque ut & felicis militiæ, & summæ fidei Sfortiæ memoriam sese ferre testarentur Florentini, quod ejus præcipuâ summâque operâ tantam sibi Urbem vendicassent, stipem ex publico annuam muneris nomine aureorum quingentorum Sfortiæ, quamdiu vivat, & quibusvis in locis, aut quocumque nomine militet, con-

constituunt, & insequentibus aliquot annis tradunt.

Subactis Pisis, Florentinisque per summam securitatem rerum potientibus, Lombardiæ Urbes per mortem Johannis Galeaz Principis, tamquam communi parente destitutæ, magnis ferme omnes externis intestinisque bellorum procellis lacerabantur. Sed inter ceteros ejus Principis Capitaneos, qui obnoxia liberis magni Johannis Galeaz arma per summam improbitatem adversùs eosdem converterant, privatæ ambitioni rebusque studentes novis, Otto Tertius vir impiger, & naturâ ferox, felicibus etiam ausis insolentior factus, quod pulsâ omni nobilitate Parmæ antiquissimæ Urbis, & patriæ suæ tyrannidem sibi vendicaverat, ipsum Nicolaum Marchionem Estensem Illustrem, cujus egregia virtus magnis in rebus bello, & pace claruit, bello lacessit, vicina ejus agro Parmensi oppida depopulatus. Ad propulsandam hanc infesti insolentiam hostis Nicolaus Marchio magnis conditionibus auxilio Sfortiam sibi vocat. Eumque concedentibus non gravatè Florentinis amico Principi, misso sceptro, & adscriptis ejus nomini equitibus septingentis, universi exercitus sui Capitaneum generalem creat. Productis igitur ex Etruria copiis, Sfortia ipse per mediam Florentinam invectus Urbem, sublato insignium suorum quadrato vexillo, pulcherrimas equitum cohortes ostendit. Eoque anno Johannes illi natus est filius. Profectus demum, præcedentem magnam sui adventus opinionem, ubi ad hostem ventum est, bellum acriter gerendo exsuperat. Senserat Otto movisse ex Etruria Sfortianas cohortes, jamque Apenninum transiisse. Itaque priusquam reliquo Marchionis exercitui jungi possint ab Regio movens properat, iter agentem Sfortiam, si possit, incautum intercipere, confisus simul equitum numero, quibus longè superior erat: nam supra quatuor equitum millia in armis habebat ex veterana Anguigeri Ducis militia. Verùm ne Sfortiano militi improvisus adveniret, Scultemna amnis, qui Mutinam præterlabitur prohibuit; per eos enim dies magnis imbribus auctus vado minimè permeabilis erat. Ab transitu igitur amnis prohibitus, quod unum supererat, Mutinam Urbem totis viribus eodem impetu aggreditur. Et fortè eâdem horâ deductis intra Urbem copiis Sfortia equites suos curare corpora jusserat. Cùm de repente audito apud portam tumultu hostili, suos omnes arma repetere jussos in agmen educit. Accensis utrimque animis ante portam primùm, dehinc longiùs provecti acerrimo marte in multas horas contendunt. Ipse denique Otto quamvis tumens & minax cum omnibus copiis ab Urbe repellitur. Receptis subinde Nicolai copiis Sfortia, relictâ post se Mutinâ Riberiam progreditur. Ibi rursus adversùs insultantem hostem in omnia bellicæ virtutis armorumque discrimina ventum est. Crebræ deinde multis locis per singulos dies pugnæ. Cùm fortè ab exploratoribus certior factus Sfortia, magnam circa Padanam Guastallæ oram agrestium, jumentorumque vim esse, fiduciâ Ottonis nihil hostile metuentium. Eo quàm potest confertissimum agmen agit, & ingenti protinus hominum, pecorumque captivorum numero suos omnes explet. Non latuit ea res Ottonem ferocissimum hostem, motisque raptim copiis omnibus abigenti prædam Sfortiæ se se infert (ei loco Regiolo nomen est) ubi cum magnis viribus decertaretur, adnixi summo conatu Sfortiani Ottonem ipsum inter primos pugnantem prosternunt. Jamque in humum dejectus pro captivo erat; sed facto ingenti supervenientium equitum suorum globo, & qui jam tolerari non posset, vi summa è Sfortianis manibus eripitur. Itaque à suis receptus, & multitudine abundans, recuperata prædæ magna parte, Michaëlem Attendulum præstantem in armis ductorem, & cum eo triginta equites pugnacissimos capit. Hosque contra ætatis nostræ militiæ fœdera duro inclusos Parmæ carcere, & ferreis oneratos vinculis, ab Sfortia primùm abducere, & in suam traducere militiam tentat. Renuentes pari constantia omnes durius tractat. Et quod ejus sævitiæ conveniebat, crudelissimo supplicii genere vexat. Nudatos enim per singulas noctes aspera hyeme gelidâ aquâ omnes perfundit; cùmque id agi tota hyeme jussisset (nam mense Novembri capti, quatuor in eum modum menses agere, ita ut jam pro mortuis haberentur) illi non absque divino miraculo adjuti, effractoque cujusdam Furlani adminiculo, longo opere, & exiguo lucernæ ferro, carcere, effugiunt. Nudi ut erant, trajecto Parma fluvio ad oppidum Filinum Parmensis agri perveniunt. Aderat tum fortè ibi Jacobus Rubeus Lunensis Pontifex, apud quem ex paterna hereditate ejus oppidi summa erat. Is sævitiam tyranni formidans, cùm nec hospites miseratione motus prodere vellet, postquam unde vestirentur providisset, relicto eis oppido, inde discessit. Fortè in diversas ab eo itinere partes Otto cum copiis ea die profectus erat. Ubi igitur Parmam rediit, & fugisse captivos, seque Felinum recepisse intellexit, furibundus eo confestim castra movet. Id verò discedens Episcopus oppidum Michaëli, ceterisque commilitonibus suis tutandum reliquerat. Dumque ejus oppugnationem Otto aggreditur, ab Sfortiano milite in pede vulneratus retro se se ferre, & Filini oppugnationem relinquere est coactus. Illi postea longo circuitu per Placentinos, Mantuanosque facto Mutinam tandem ad Sfortiam sunt reversi.

Majoribus igitur quàm antea odiis, & majori sævitia bellum utrinque geri cœptum. Quamobrem deterritus ea belli asperitate Otto, quod jam cum viris negotium sibi esse cerneret, & qui priùs aliena impetebat, nunc suis defendendis vix idoneus videbatur, depositâ armorum fiduciâ ad fallacias se convertit, quas illi violentiæ suæ addere frequens mos erat. Pacis ergo conditiones vehementer cupere se simulat, sperans ea fraude vel incautum Nicolaum intercipere, vel gravatum persolvendi stipendii onere Sfortiam ab se remissurum; & ipse alia interim adversùs Ligurum Principes machinatus erat; mox nudatum tam forti præsidio Marchionem invasurus. Hac fallaci elatus fiducia Nicolaum in colloquium vocat; copiam sui quo facilius fallat, solito aliquanto liberiorem facit. Ac prima quidem vocatione Nicolaus, ut paratas compertasque caveret insidias ab Augustino Ottonis nuntio monitus, colloquio abstinuit. Iterum vocatus non nisi tuto

sibi

sibi cum crudelissimo hoste agendum statuit. Ceterùm inter has machinationes ab Sfortianis militibus interceptus Otto, haud longè à Riberia oppido quinto Kalendas Junii Michaëlis Attenduli viri fortissimi, cujus antea meminimus, manu conficitur. Ex iis verò, qui Ottonem comitabantur, Guido Torellus, Antoniuccius Aquilanus, & plerique item alii militares ductores fama clari, capiuntur; nec multo post volente Sfortia libertati restituuntur. Sublato ex humanis eo pestifero Tyranno, non tantùm Nicolaus Marchio, sed & universa Lombardiæ ora magnum ex inde laborum levamen sentire cœpit. Itaque Sfortia motis ad urbem Regium castris eam urbem nullo negotio in nomen Marchionis recepit. Inde Parmam profectus, nihilo minoribus, quàm antea umquam certaminibus contendit. Collecti enim universi Ottonis milites sub Nicolai Guerrerii (id Latinè bellicosum sonat) ejus filii ductu intra Parmæ Civitatulam, ne novitatem vocabuli respuamus, eam seque diu tutantur. Sed dedentibus se se tamdem Parmensibus Sfortiæ fidei, Civitatula ipsa evestigio expugnatur. Nicolai Guerrerii milites capti maxima ex parte diripiuntur. Itur inde ad Burgum Sancti Domnini omni conatu. Id rursus oppidum reliquiæ Ottonis collectæ extremis viribus tutabantur. Inde progressus Sfortia Castrumnovum vicinum oppidum omni bellico instrumento admoto summa tamdem virtute expugnat. Quamobrem exterriti, qui intra Burgi mœnia se se tutabantur, cùm spes auxilii nulla superesset, infensis omnibus propter paternam sævitiam Nicolao vicinis, uno omnes consensu Sfortiam sibi ducem, patronumque vocant. Ejus fidei oppidum & se se mox tradunt. Ipsi ab Sfortia non minus gratis animis in militiæ partem recipiuntur. Ex illo apud Nicolaum Marchionem res mirum in modum auctæ; tutæ etiam, & tranquillæ fuerunt. Bellum omne hoc intra biennium est absumtum, quod Octavum, Nonumque Annos supra Mille & Quadringentos in se habet. Itaque pro tam felici militia sua in Sfortiam gratitudinis Nicolaus argumenta locaturus, Monticulum nobile Parmensis agri oppidum, & insignitum insuper adamante vexillum, ut à fortissimo duce confectum id bellum testaretur, dono dedit. Eo deinceps vexillo ad primum addito, Sfortia, liberique ejus bellis omnibus usi sunt gloriosissimè.

Peracto in hunc modum adversùs Ottonem bello, liberatisque ejus tyrannide populis, Urbibusque clarissimis; honestatus insignibus donis Sfortia, & magnis auctus copiis, quæ suum tantummodo imperium servarent, sua signa sequerentur, sollicitos Romani Pontificis Gregorii Duodecimi tunc in Etrusca Urbe Luca commorantis, & Ludovici Secundi Regis premente Ladislao Rege animos, in se unum convertit. Is Ludovicus, postquam rebellantium in se Regni Procerum favore adjuto Ladislao, universo Regno, quod plerosque annos possederat, cedere compulsus fuisset; repetita inprimis expeditione, magnos conatus, subministrante vires Pontifice, comparaverat. At non contentus interea pulso Ludovico Neapolitani Regni possessione, Ladislaus vir indomiti immoderatique animi Romanam etiam Urbem præter Adriani molem occupaverat, ceterisque insuper per Etruriam, Umbros, Picenosque oppidis & Urbibus, imminebat. Eos vel vi, vel dolo, vel quibuscumque demum artibus Regiæ potestati subdere fixum in animo habebat. Ab eo proposito nulla eum Religionis Christianæ reverentia, nulla summi Pontificis majestas, nullus Dei metus revocabat. Huic ergo tanto potentissimi Regis furori ut supremos conatus suos opponerent, hinc Gregorium Pontificem liberandæ Urbis Romæ curam stimulabat, inde Ludovicum Regem recuperandi Regni spes incendebat. Tutis igitur jam & tranquillis recenti victoria apud Nicolaum Marchionem rebus, communi consilio conductum Ecclesiastico, Regioque, & Florentino stipendio Sfortiam cum omni ejus militia (is fuit numerus Sfortianorum equitum duorum millium & quadringentorum, & peditum item sexcentorum) ei bello præficiunt. Ad eas vires Braccium item Montonensem, Paulum Ursinum, & plerosque famæ inferioris adjiciunt, equitum peditumque ductores. Sfortia verò cum iis, quas dixi, equitum ac peditum copiis Apenninum prætervectus, & per Florentiam rursus invectus Urbem, multo quàm antea majori militiæ suæ splendore instructissimas cohortes amantissimæ sui nominis Urbi visendam præbet. Inde continuato itinere reliquis castris adjungitur. Quibus copiis freti Rex, & Apostolicus Legatus, Romam versùs iter faciunt, militiis, & magnis antea tumultibus agitatam, & tunc miserabili oppressam calamitate. Cujus tanti mali non ipsi tantùm Romanæ Urbi, sed & magnæ parti Tusciæ, Picenis, Umbris, & Latinis causa fuit dejecta & prostrata omnis Apostolicæ Sedis auctoritas ob inveteratum in Ecclesia Dei Schisma, cui vel temporis diuturnitate, vel populorum consternatione, per aliud nullum ab tradita hominibus Christianæ veritatis luce Occidentalis plaga sustinuit. Quamobrem altiùs repetentes, de eo pauca tantummodo proposito operi conducenda perstringere conabor.

Transierat in Italiam Gregorius XI. Summus Pontifex relictis Galliis, apud quas possessa semel jam per annos antea LXX. Papalis dignitas, nulli nisi Gallico quasi per manus tradebatur. Is dum Romæ versatur, cui de Summi Pontificatus dignitate nihil præter inane nomen reliquum erat, morte præventus est mense Martio Anno Septuagesimo Septimo supra mille & trecentos ab Salvatoris adventu. Eo ergo Romæ defuncto, reducendi tum primum tam longo postliminio in Italiam Papatus spes affulsit. Subeunt ex more Conclave, qui aderant omnes Ecclesiæ Romanæ Cardinales, creandi novi Pontificis gratiâ. Eos, qui Italici generis erant, singulos universos Conclave ingredientes Romanus populus magnis precibus obtestatus erat, ut Summum Pontificem, & si non Romanum, at Italum saltem, Ecclesiæ Dei darent, quandoquidem Romanus Pontifex appellatur. Illi communibus votis Ticinum Perignanum Barensem Archiepiscopum creatum Pontificem Urbani Sexti appellatione pronuntiant, virum integerrimum, & Papatu dignum, & cui denique nihil aliud, quàm nimius justitiæ cultus inter corruptissimos hominum mores obsuerit. Is enim Apostoli-

cæ

ea Sedi præfectus, dum ab infami vivendi licentia Prælatos, Clerumque omnem ad mores revocare nititur, Cardinalium in primis ceterorumque, qui Romanam Curiam tamquam voluptatum omnium altricem, purpuratæ, ut inquit Hieronymus, Meretricis coloni, sequuntur, animos ab se abalienavit. Dehinc Reginam Johannam, eam, quæ Prima fuit, muliebri licentia, non sanè à quoquam bono comprobanda, Siciliæ Regnum administrantem, quod jure Feudi Romana sibi Ecclesia vendicat, severius carpens, non difficulter in odium sui accendit. Sexto igitur jam ejus Pontificatus mense Gallici generis Cardinales omnes, clam Pontificem deserentes, Fundos Hernicam Urbem Româ fugientes petunt. Inde plurimo astu, & vana spe captos quosdam Italicos Cardinales pelliciunt. Ibi Urbanum Pontificem tamquam sola Romani populi impressione creatum Papam insimulantes (quanta est sanæ mentis oblivio!) in novi Pontificis electionem aspirant. Haud diu morati Robertum Gebennensem, Clementem ejus nomini Septimum, Pontificem ex corpore suo creant. Ei subinde post aliquot annos defuncto, Petrum à Luna Taraconensem sub nomine Benedicti sufficiunt. Huic Galliæ omnes, & Hispaniarum portio obedientes erant. Ceteræ omnes nationes cum Regibus, Principibusque suis, qui Christianam Religionem colunt, Urbanum ejusque successores sunt venerati. At Benedictum in Paniscula citerioris Hispaniæ Oppido commorantem, cui novissima ætas pro Taraconensi Hispania Aragoniæ nomen dedit, diuturnior vita in suo Pontificatu Pisano, Constantiensique Synodis superstitem fecit. Urbani successores properata per singulos morte frequentiores fuerunt. Eo enim Romæ intra paucos annos moriente suffectus est ei Perettus ex Tomacellis genere Neapolitanus, nomine imposito Bonifacii Noni. Hoc subinde vita functo Anno Tertio supra mille & quadringentos, in Romanum Pontificem erigitur Cosmas Sulmonensis sub titulo Innocentii ejus nominis Septimi; cujus fratris filius Ludovicus Melioratus edita insigni Romanorum Civium cæde, permagnas in eum turbationes, & Pontifici pio vehementes animi molestias excitavit. Eo rursus non ultra biennium vitæ metas extendente, in Papatus fastigium collocatur Angelus Cardinalis Constantinopolitanus natione Venetus ex familia Corraria pro Gregorio Duodecimo. Hic priusquam Papatui præficeretur, communi cum reliquis omnibus, qui Conclave ingressi fuerant, Cardinalibus jurejurando voverat, se quanto posset conatu unionem Ecclesiæ quæsiturum; cessurum etiam, ubi ea res posceret, è tanto fastigio, in quod non alia lege se conscendisse fateretur. Hac eadem, & voti & jusjurandi obligatione Petrus à Luna cum ceteris transalpinis Cardinalibus se nexuerat. Itaque dum tanti abolendi Schismatis ab omni Christiano Orbe rei citantur, Saona Urbs Ligustico in Litore non ignobilis, haud magno sanè intervallo Italiæ Gallorumque fines discriminans, celebrandæ Synodo pari omnium consensu deligitur. Eam verò nullus Pontificum attigit, magnum se quoddam fecisse uterque ratus, ne speciosa concordiæ nomina, & jusjurandi religionem contemsisse viderentur, dum hic Lucam, ille Massiliam vetustissimam Urbem à Phocensibus conditam usque proficiscuntur. Adeundæ verò in Saona Synodi primas uterque partes pro magno dedecore & scelere refugiebat. Re itaque magnis motibus, & expectatione ingenti, sed nullo cum effectu animos omnium in multos menses fatigante, cùm ab suis uterque Præsul magnis execrationibus damnaretur, in proximam Pisanam Urbem, annuentibus Florentinis, qui eam sibi priore anno vendicaverant, Cardinales conveniunt. Cogitur Synodus magna Patrum, sollicitudine. Citati Gregorius, & Benedictus, primùm contumaciæ, dehinc hæresis damnati, Papatu abdicantur. Ex iis, qui aderant, Pontificibus Petrus Cretensis, Mediolanensis Archiepiscopus, vir & sanctitatis opinione, & gloria clarus, ex Divi Francisci habitu Summus Pontifex Alexander Quintus declaratur. Interim Gregorius à Karolo Malatesta magnæ fiduciæ Principe susceptus, & Benedictus ab Ferdinando Taraconensium Rege in Paniscullum admissus, nihilo secius quàm antea, si non pro Summis Pontificibus, at saltem pro Pontificum simulacris se gerebant. Et quasi parva fuisset in Ecclesia Dei unius jactura Schismatis, duo suscitantur, & pro duobus Pontificibus, jam tres adorabantur. Moriente verò interim decimum intra mensem Alexandro, Baldassar Cossa Neapolitanus Diaconus Cardinalis accepto Johannis Vigesimi tertii nomine, Bononiæ vacanti Sedi præficitur, donec præcipuâ Sigismundi Cæsaris operâ, cui ut prolabenti in omnem contemtum Apostolicæ Sedi consuleret, grave non fuit Reges omnes, & Principes illustres domi convenire (negotium profectò Romano Principe dignum) eorum omnium animis in salutarem sententiam adductis, in Constantia Germana Urbe Oecumenica Synodus indicitur. Ibi Johannes Pontifex inani retinendæ dignitatis spe deceptus, & Sigismundus Imperator cum inaudito hactenus ex omni occidua plaga Episcoporum numero, & Cardinalibus ferè omnibus, conveniunt, ingentique totius Orbis assensu Gregorius per Karulum procuratorem Papatu se abdicat. Johannes etiam cogitur. Benedictus solitâ pertinaciâ contumax anathema factus, publicis damnatur execrationibus. Coëuntibus denique in unum concordiæ & unitatis desiderium omnibus, Oddo Romanus ex familia Columnensi Diaconus Cardinalis, quem spectata probitas gratum omnibus faciebat, Oecumenicus, Orthodoxusque Christiani nominis Summus Pontifex Martinus Quintus declaratur, Anno denique Decimo septimo supra Mille & Quadringentos; Ex quo verò Schismati detestando locus fuerat, Quadragesimo.

Eo habenas regente, insperata quiete, & incredibili felicitate parta, Romanæ thronus Ecclesiæ apud universas nationes in multos annos debitam sibi peperit venerationem. Verùm interea lacrymabile, dolendumque fuerit percensere direptiones Ecclesiarum, Urbium vastationes, morumque per summam lasciviam corruptelas, quas cum ceteræ nationes, tum præsertim miseranda Italia per tot abominandi Schismatis annos vidit. Deterriti enim Urbani exemplo ceteri, qui secuti sunt Pontifices, neque vitiis obviam ire, neque ruentis Ecclesiæ remedia intra cogi-

cogitationes suas admittere sustinebant. Nulli Civitati quies dabatur, nulli Templo honos habebatur. Cùmque defecissent cetera ferme omnia ab Romanæ Sedis cultu oppida, Romæ etiam per Innocentii tempora tumultuatum est. Succedente Gregorio non quietem vehementes illæ agitationes; sed incrementum acceperunt. Paulus Ursinus & armatorum equitum copiâ, & factionis suæ viribus plurimum poterat, & ut à nemine prohiberi posset, Zicolinum Michilotum, equestres ductu suo agentem turmas, socium sibi asciverat. Itaque viribus armisque fretus omnia quatiebat; ejus amicitiam si Romam sibi salvam vellent Pontifices, ingenti pretio emere cogebantur. Si quis adversùs eum omnia sibi armis arrogantem se se ferre ausus esset, cruentas illico pœnas dabat. Denique infensum sibi Mostardam, fortissimum in armis ductorem, impotenti arrogantia ante ipsius Summi Pontificis oculos manu sua trucidare non expavit; & quod eas temporum conditiones maximè gravat, impunè fecit. Fuerat hæc speculatus Ladislaus Neapolitanus Rex ingentis animi, & Karoli Regis filius, magnisque rerum elatus successibus. Nam cùm pater suus Karolus Rex, eo adhuc admodum parvulo cum sorore Johanna Neapoli relicto, ad accipienda Hungariæ Regna se contulisset, ibique inter bibendum conjuratione Procerum necatus esset, nactus eam occasionem Ludovicus Rex Secundus cum exercitu Neapolitani Regni fines ingressus fuerat, & præter Cajetam nobilem de nutricis Eneæ nomine in Campano litore Urbem, in qua Ladislaus, Sororque magna Civium fide servabatur, plerosque annos cuncta tenuerat. At Ladislaus cùm adolevisset, erectus primum consilio & opera Albrici Comitis, cujus ante meminimus, dehinc rebellantium in Ludovicum Procerum favore adjutus, eo totis Regni finibus pulso, paterna Regna recepit, & jam secundis rebus (qui mos est humanarum mentium) insolentior factus, de invadenda Urbe Roma cogitavit. Qua spe, cupiditateque per eas rerum turbationes incensus, instructa equitum sex millia ad Urbem mittit: iis proditione quorumdam portæ patuerunt. Ceterùm urgente Paulo, omnique Ursinorum factione, quia ferme per eos dies cum Pontifice Gregorio conveniebat, repelluntur, magnoque amissorum equitum detrimento fugantur. Securior ex ea re factus Pontifex, commendata Paulo Urbe Roma, & Narnia insuper in Umbris in pretium bene gestæ rei datâ, Lucam, ut diximus, simulato concordiæ studio se se confert. Sed mutatâ interim sententiâ, advenienti ex composito Ladislao Regi Romam Urbem, & se se Paulus tradit, & ab eo magnis augetur militiæ conditionibus. Verùm ne turpiter fecisse videretur, coactum se ad id summis difficultatibus, non absque Pontificis insimulatione, missis per Italiam literis, significavit. At non multos post menses, seu solita levitate præceps, seu quod potentiam suam in ea Urbe Regi suspectam videret, idem cum Tuscanellæ in hibernis esset, mutato consilio ab Ladislao defecit; & in Pontificis, ac Ludovici Regis partes se se transtulit. Quæ quidem cœpto operi nostro partim necessaria, partim non aliena carptim attigisse satis fuerit.

A Motis igitur ex Etruria castris, quibus Baldassar Cossa Diaconus adhuc Cardinalis, qui priore anno Bononiæ Legatus præfuerat, tunc etiam à Pontifice missus pro Apostolico Legato, præsidebat, Romam, ut diximus, versùs sub autumni finem iter faciunt. Adriani Moles, quam recentior ætas Castrum Sancti Angeli vocat, virtute Victutii Vitellensis, aureati equitis, præfecti fidissimi à Pontificis fide per tanta temporum rerumque discrimina, nec defecerat antea, nec postea defecit umquam. Itaque per eam in Vaticanum iter patuit: ea est Urbis portio cis Tiberim posita, cui nunc Burgo Sancti Petri nomen est. Ibi multos immorati dies, cùm B Romana Urbs valido Ladislai præsidio teneretur, & intercisi pontes transitum Tiberis prohiberent, postquam omnia expertis expugnatio non succedit, motis inde castris militem in hiberna traducere statuunt. Sed cùm omnia circa Romam in Ladislai ditione essent, ea non nisi bello parta dabantur. Octo igitur passuum millibus profecti adversùs Tiberis cursum ad locum, cui Montirotundo nomen est, fluvium vado magna exercitus pars in Sabinos trajiciunt. Inde Sfortia in Tudertinum delatus agrum, cùm pleraque oppida pugnando cepisset, suos ibi milites in hibernis collocavit. Sed ubi primum per veris clementiam castra movere licuit, Ro- C mam Urbem, dedentibus se se Romanis, pulsoque inde Ladislai præsidio, in Pontificis fidem recipiunt. Post hæc igitur successu rerum animos faciente, misso seorsum Braccio cum suis copiis adversùs Perusinos, qui & ipsi Ladislai ditionis facti erant, ipse Rex Ludovicus minacia his reliquis ducibus castra longius profert, & venientem obvium Ladislaum Regem, ingentibus pariter instructum copiis, petit, de summa Regni decertaturus. Iter erat per Volscos vetusto vocabulo, nunc Campaniæ Romæ populos, cùm castrametati sub oppidum Rocchæ Siccæ, Ladislao propinquiores fiunt. Ibi, ut fit, in tanto belli discrimine, periculo pro- D ximi alii alia sentire. Paulus à conferenda pugna abstinendum censebat, & alia ratione bellum gerendum. Ejus sententiam plurimi ductores sequebantur ancipiti metu deterriti. At Sfortia oblatam bene gerendæ rei occasionem nullo pacto prætermitti oportere censebat. *Et quando*, inquit, *aliàs meliori spe pugnaturi sumus, si coactis hoc loco copiis omnibus animo fracti, pugnandi præsentem copiam refugiamus, retro pedem ferentes, viliores que deinceps nobis militum animos, & apud elatos hostes ignaviæ nomen paraturi; nec ullam hinc nisi fugæ similem profectionem habituri?* His animis, vocibusque à Rege, cujus ani- E mum fluctuantem videbat, extorsit ut in hostes iretur. Volente igitur Rege, nec detrectante populo, summa omnis explicandi in ordines exercitus, & conferendæ pugnæ uni Sfortiæ demandatur. Itaque postera die ejus diei, quæ fuit septima Kalendas Junii Anni Decimi supra Mille & Quadringentos, Deo propitio productis in ordinem equitibus, aliquandiu adversùm Liris amnis, quem Italica Lingua Garilianum vocat, fluenta profecti, vado tamdem sub Ciperano Oppido invento, omnes trajiciunt. De pugna conferenda ita inter eos conventum, ut Sfortia omnium primus cum ordinibus suis à fronte

te hostem invaderet. Rex cum valida equitum manu signa tueretur, novissimumque agmen clauderet. At Paulus longiore à dextris circuitu facto, ipsum Ladislaum, quæ præsidio reliquisset, & Regia signa improvisus adoriretur; reliqui ordines in mediam aciem collocati, & peditum alæ in duo cornua, quæ latera equitum tegerent, diverso ab antiquis more distributæ. At ex altera parte Ladislaus suos cohortatus; ubi omnes in pugnam ardentes videt, magnâ vincendi fiduciâ ductus, ordines explicaverat. Erat enim & equitum numero, & armorum splendore, omnique apparatu superior, nec parum in virtute ducum suorum bellica laude insignium spei collocaverat. Eorum præcipui fuere Betus Liparensis Classi præfectus, Comes Carrariensis, Bracca Viterbiensis Policastri Comes, quæ nunc Civitas est, unà cum Angelo Simoneta Cive clarissimo, Cola Comes Campobassi, Comes Oliveti, Zaninus, Extrica, Malacarne Lomellinus, & Daniel ex Castello, singuli oppidorum Principes, & magni equitatus duces. Itaque Ladislaus ratus id quod sæpe evenire compertum est, victoriam magna ex parte de primo congressu pendere, robur omne sui exercitus in fronte disposuerat. Id confertissimi equitatus agmen erat; valido peditatu hinc atque hinc communitus Rex ipse sub signis in novissimo agmine, quod reliquis præsidio esset, constiterat. Et cùm jam planities aperta instructas utrinque acies haberet; ferunt Ladislaum de ancipiti pugnæ eventu sollicitum, delectos equites septem militaribus aureis insignibus ornasse, omnes pari ferme, quo ipse tegebatur, paludamento conspicuos. In iis Johannes, Aluisiusque Carazoli præcipui fuere, quorum Johannes in sequentibus frequentem sibi memoriam vendicat. Idque eis demandasse, ut quotiens quis eorum in pugnam rueret, pro Rege à suis acclamaretur, qua exultatione inflammatus exercitus omnis ardentius in hostem ferrum distringeret, & se pariter eo vaframento ab hostibus ignorari cupiebat. Postquam ex sententia instructam aciem propinquo intra teli jactum in adversos hostes loco Sfortia productam videt, tubâ signò dato in hostes irruit. Idem adversa Legio facit. Fuitque incredibilis concurrentium inter se equitum, & ferientium hastarum fragor. Ibi periculosissimas sibi quasque partes Sfortia recipiens, summâ fiduciâ, summo impetu manus conserit. Vehebatur autem sonipede insigni, cui ob dexteritatem, & nimias vires Cervo nomen erat, quem dum inter primos assiduus versatur pugnatores, strenuissimi militis, & egregii ducis munera simul obeundo, maximè conspicuum hostibus fecit. Continuato in multas horas cruento certamine, cùm jam Sfortiæ impetum Ladislai acies ferre non posset, Paulus tamdem cum equitatu suo à latere improvisus adveniens, in ipsum Ladislaum, & Regia signa impetum facit, eumque jam trepidantem protinus in fugam vertit, & fugientem effusissimo cursu diu insequitur. Reliquus omnis exercitus Sfortiano militi præda fuit. Proceres, ducesque ferè omnes capti, direpta castra, & præda ingens, supra victorum spem, ex locupletissimis hostibus omnique rerum copia affluentibus, abjecta.

Itaque acerrimi tamdem prœlii, profligato cum omnibus copiis Ladislao, victoria quidem penes Regem Ludovicum fuit; ceterùm suscepti fortiter periculi, nec minus feliciter consertæ pugnæ, gloria omnis uni Sfortiæ conceditur. Is rem Ecclesiasticam tutatum esse, is Regiam ampliasse magnitudine animi sui, consonis omnium testimoniis ferebatur. Ipse Rex Ladislaus, variantibus postea, ut fit, rebus, cùm de ea dimicatione sermo incidisset, ad Sfortiam conversus, inquit. *At tu cum equo illo tuo meas copias apud Rocham Siccam profligasti.* Quæ ut Sfortiæ gloriam cum magna Principum gratia conciliabant, ita Pauli, quorumdamque commilitonum ducum, æmulatione prava offensi animi, livore odioque iniquo exæstuabant. Nec destitit exinde Paulus, quibuscumque artibus posset, Sfortiam insectari, & quacumque injuria molestus esse. Ex iis verò purpuratis, qui se pugnæ immiserunt, Liparensis, & Campobassi, Olivetique Comites Sfortiæ fuere captivi. Post profligatas effusissima fuga Ladislai copias fuerat animus Sfortiæ (in quam sententiam Rex Ludovicus vehementer ferebatur) totis habenis cœptam victoriam prosequi, & per eamdem, quæ instabat, noctem Sancti Germani Oppidum, in quod se Ladislaus receperat, cum omnibus copiis petere: Quæ res apud territos populos maximos effectus paritura erat. Verùm detractante Paulo, ceterisque recusantibus, cùm satis eo die actum clamitarent, postera die cum spoliis hostium citra Lirim amnem, quamvis invito Rege, revertuntur. Ladislaus ergo Sonipedis cursu infelici pugnæ subtractus, qui mos est fortissimorum ducum, non tantùm ex ea jactura animo fractus est, quàm ad præcavendum deinceps astutior factus. Itaque redactis iis omnibus, quæ superfuerant, copiis intra Sanctum Germanum, cessantibus in multos dies Andegavensibus, fractas cohortes summa celeritate reficit, jussis omnibus omnium bello idoneis equis ex qualibet Urbe & Oppido ad se deduci, & militibus distribui. Cavit insuper summâ curâ tutelæ Oppidorum, quæ periculo proxima viderentur, præsidio in quodque militibus distributis. Apud Ludovicum non sanè pari diligentia res gerebantur, quibus ex causis, instante etiam hyeme, parta victoria, (quod plerumque evenit) non magno fuit Oppidorum additamento. Is igitur vehementi indignatione permotus ob segnem suorum in persequenda victoria operam; fremente insuper Anglico bello, post aliquot menses Campaniâ, Italiâque excedens, in Gallias est reversus, quem discedentem Sfortia Senam usque inclytam Urbem est comitatus. Ejus verò comitis militiæ duces & cohortes Romanus Pontifex per hyemem, quæ secuta est, prout Ecclesiasticæ rei conducebat, variis locis in hiberna dimisit. Sfortiam ipsum cum omni Legione sua tutandæ Umbriæ, quam recentiori vocabulo Ducatum Spoletanum dicimus, præfecit. Ibi per asperrimam hyemem dum militaria munera exercet Bosius, ingenti frigoris vi correptus, intra paucos dies occubuit. Ejus mortem Sfortia, & quòd se arctissimo sanguinis gradu contingebat, & quòd egregia virtute sua militibus carissimus habebatur, maximè indoluit. Quamobrem

quod unum restabat, defuncto fraternam pietatem exhibuit. Elatum enim insigni funere, Marzanum deferri, & communi cum fratribus sepulcro ibi paucos ante annos in Sacello, ut prædiximus, exstructo tradi jussit. Ceterùm eodem ipso anno Alexandri filii nativitate lætatus est.

Celebrata inter hæc in Pisana Urbe Synodus Gregorium, quantum in se fuit, Papatu amoverat. Cùmque suffectus Alexander Quintus, ut ante meminimus, intra decimum mensem vitâ excessisset, in ejus locum Baldassar Cossa pro Johanne Vigesimo tertio Papales mitras Bononiæ induit, cui magna jampridem amicitia & familiaritate Sfortia junctus erat. Ejus igitur Pontificali adscriptus militiæ, Romam primùm vadentem cum exercitu comitatus est; dehinc cùm per annum ferme ei militasset, subtracto in multos menses pacto stipendio, gravi Pontifex erga Sfortiam debito ære tenebatur. Ea erat summa aureorum septem & decem millium. Deficiente igitur ob multas difficultates pecunia, qua commodissimum potuit, Sfortiam lenire meditatus est. Adhibito ergo Nicolai Marchionis propensiore studio, Cotignolam Patriam terram nobilis Feudi dignitate possidendam ei posterisque suis debiti stipendii loco tradit, ejusque oppidi Comites eosdem creat Anno Undecimo supra Mille & Quadringentos. Quod quia Sfortiæ honorificum contigit, ut patriæ suæ à Summo Pontifice Princeps institueretur, & id ratum per tantas postea rerum novitates solidâ Marchionis benevolentiâ & fide in præsentem usque diem fuerit: res visa est hoc loco minimè prætermittenda. Sed collati hujus in Sfortiam à Summo Pontifice Cotignolæ patriæ principatus gaudium haud diu solidum esse finit suscepta incredibilis ex incendio clades. Excitatus enim per opacam noctem (incertum quo auctore) ignis sexto Kalendas Martias, quæ Divi Mathiæ Apostoli Vigiliæ dicata erat, uno pæne eodemque momento ut in domos sævire conspectus est, dum ad ferenda sibi mutua auxilia consternati homines concurrunt, oppidum omne in cineres vertit. Ab ea tam rapida vi Basilica tantummodo ejus loci, & Sfortiæ, Laurentiique domus, quia seorsum positæ, validioribus etiam muris cinctæ, & altioribus tectis superexstabant, immunes fuerunt. Accidisse id felici quadam sorte (quod res docuit) crediderim, ut ex eo incendio incrementum sumeret Cotignola, exemplo Romanæ Urbis à Gallis incensæ. Audita enim ea miserabili clade, Sfortia, qua erat eximiâ in patriam indigenasque loci omnes caritate, tamquam ad se unum ea calamitas pertineret, communem se hominum locique parentem gessit. Impertito enim singulis in annuum usum annonæ subsidio, & pecuniis quantas quisque in ædificium vellet accommodatis, donatis insuper lateritiis tegulis, cùm ad liberalitatis famam, non tantum ejus loci incolæ, sed & ceteri plerique convenirent, id egit, ut Cotignola dimidio quàm ante fuerat major, & adversùs incendia ædificiorum soliditate tutior admirabili celeritate eodem ipso Anno restitueretur.

Excreverant interea Pauli Ursini acerrima in Sfortiam odia, & mixtæ conviciis frequentes injuriæ, quæ inferentis, accipientisque animos jampridem alienatos sibi infensiores facerent. Nam præter receptum semel propter crescentes Sfortiæ titulos mente livorem, quo Paulus veluti furore quodam agitabatur, non minores insuper ei stimulos adjiciebat effrena vehementis animi ambitio, qua Romanæ Urbis Principatum sibi pollicebatur. Simul & apud Pontificem solus omnia posse volebat, quos tum immoderatos cogitatus solus omnium Sfortia impediebat. Par equitum peditumque numero sua signa sequentium, bellica verò gloria longè superior. Verùm intra Romanum solum Ursinorum præpotens factio Paulum ferociorem faciebat. Itaque cùm multos jam ex Sfortianis equitibus seduxisset, frustraque sæpius ea de re questus apud Pontificem Sfortia esset, Pauli in Urbe vires formidantem, imminenti periculo se subtrahit, coactis in Algido monte copiis, communito ibi Columnæ deserto loco; & cùm jam pacta ejus stipendii suprema adesset dies, solicitus ea de re Pontifex, Sancti Angeli Cardinalem ad eum mittit. Is magno à Sfortia honore exceptus, cùm in ejus manus stipendii pecuniam se attulisse diceret: tum graviter de Pauli injuriis questus primùm Sfortia, interrogat, num emeriti stipendii sui rationem habendam Pontifex statuisset. Huic respondens Cardinalis: *Quæ tibi*, inquit, *à Pontifice debentur gestæ summa fide militiæ pretia, ea tibi rata manent, persolventurque à Pontifice, ubi secundiores rerum successus Deus præstiterit. Nunc hoc quidquid est auri in nova militiæ fœdera, utque recenti jurejurando adstrictus, Pontificis dignitatem amplitudinemque tuearis, ad te fero*. Ea ubi intellexit Sfortia, quamquam & commilitonum vocibus incitabatur, & emeriti jure stipendii id omne auri pondus retineri à se posse intelligeret, pudoris tamen, & Pontifici debitæ reverentiæ maximè memor, in hunc modum respondit: *Si stipendiorum, quæ me fidei compertæ commendatione celebrem Romano Pontifici fecisse testaris, vel gratia, vel memoria ulla apud Pontificem esset, æquum fuerat, eum frequentes, quibus ab Paulo Ursino lacessitus sum, injurias avertisse; neque aut illum totiens insultantem, aut me frustra reclamantem sustinere. Quod dum patientius fero, vulgo segnis, desesque accusor. Neque desunt, qui me palàm exitium, summo etiam cum ludibrio, manere dicant, si qua vel Pontificis jussio, vel rerum necessitas, (quod evenire necesse est) in Urbem ad Apostolicos pedes detulerit, quo Mostarda ante Pontificis oculos furentis manu Pauli interemtus est; quandoquidem ejus temeritatem Pontifex, quamvis summa in dignitate, sibi ferendam constituit. Verùm de illo hactenus. Si quando viribus suis, non insidiis fretus, manum conferre ausus fuerit, nos ipsi ferro judice decernemus. Nunc quantum ad Pontificem attinet, quando nec tutelæ meæ adversùs Pauli insidias consulit, nec meritorum stipendiorum curam ullam in præsentia gerit, tu allatos hos aureos, quamvis mihi debeantur, ad eum referes, utque alio milite rebus suis prospiciat, renuntiabis. Nam me jam pactis fœderibus hoc tempore liberum assiduæ commilitonum meorum voces, & non contemnenda exemplo aliorum pericula, ut alia ratione meis rebus consulam, cogunt*. His auditis cùm nihil haberet Cardinalis, quò tam justas Sfortiæ querelas refellere posset, cum omni eo, quod attulerat, auro incolumis ad Pontificem redit. Sfortia

missis

missis ad Regem Ladislaum nuntiis, quem rebellione Romanæ Urbis irritatum, Paulcque infensum noverat, magno assensu, & communi desiderio, quas quæsierat à Rege militiæ conditiones capit. Ex convento igitur Michaël Attendulus cum ea, cui præerat, equitum centuria ad Regem præmittitur, fidem facturus conventa rata fore. Pecuniæ Regiæ conducto nuper militi distribuuntur. Nec mora: tanto tam fortissimarum accessu copiarum Rex animosior factus, quam diu mente conceperat, Romæ oppugnationem aggreditur. Et per Latium Ostiam versùs iter facienti obvius Sfortia pulcherrimam legionem ostentat; seque per summam alacritatem castris Regiis infert. Profectus cum omnibus copiis Ladislaus adverso Tiberis cursu contra Romam castrametabatur. Ceterùm eam expeditionem soborta in exercitu intolerabilis fames, rerumque omnium penuria, ex anni malignitate, & obsessorum astu, irritam fecit. Itaque re infecta motis castris Rex omnes copias in hiberna dimittit. Perusinæ Urbis tutelâ, cui Rex magìs metuebat, Sfortiæ demandatâ, ipse Rex Neapolim regressus, ubi compositos in hibernis milites cognoscit, Sfortiam ad se accersit; venientem, ut par erat, magno honore excepit; cumque eo per universam hyemem apud se in consiliis omnibus habito, de summa gerendi belli deliberat. Fuitque hic Annus Duodecimus, quo natus est Sfortiæ Bosius filius.

Cùm interea orto sermone de Sfortiæ liberis, qui Ferrariæ, quam Forum Alieni hactenus appellatam testatur Bocaccius, communi cura, cultuque cum Marchionis filiis educabantur, Sfortia, quanta esset in primogenito suo Francisco indoles & virtutis imago, prædicare cœpit. Eo præconio Rex delectatus puerum, qui tunc duodecimum ætatis annum ageret, perduci ad se jubet. Is ergo nullâ morâ accersitus, & in conspectum Regis adductus, expectationem, quam de eo Pater præbuerat, longè antecessit. Jamtum enim in puero, cujus alioquin optima corporis habitudo, & pulcherrima lineamenta omnium oculos in se converterant, mirabilis ingenii vigor, & animi dignitas nihil humile, nihil non altum meditantis eminebat. Itaque Rex, ut hoc Patris gaudium comulatius faceret, Franciscum Tricarico donatum, munita in Apennini jugis Urbe, ejusdem Comitem creat. Et quia puer eam dignitatem affecutus erat, Conticellus in multos annos est appellatus. Ipsum verò Sfortiam parentem, in quo Rex augendi potentatus sui jam spes omnes collocasset, majori munificentia aggreditur. Donatis enim Senesio, Calciano, Salandria, Grassano, Cracco, & Caranosa oppidis, unum inter Regni proceres facit. Constitutis omnibus ex sententia Regis, cùm in primis opprimi oportere Paulum Rex censuisset, ubi Februario mense asperitas hyemis desiit, Sfortia Perusium properat; pecunias Regias abundè suis omnibus impartit. Locupletatos confestim in armis esse jubet; dehinc motis castris Picenum agrum ingreditur, quem nostra ætas Marchiam Anconitanam vocat. Eam omnem oram Paulus pro arbitrio administrabat. Itaque versutum ferocemque hostem magno consilio, nec minori fiducia aggressus Sfortia, omnibus locis pellit subtrahentem se pugnæ; nec ullo in loco resistere ausum cùm acrius insequeretur, tamdem intra Arcem Contractam fugientem claudit, artissimaque obsidione circumducta, in eam jam desperationem adduxerat, ut nec in ea diutiùs consistendi propter rerum inopiam, nec inde evadendi ratio ulla videretur. At Ladislaus, ubi obsideri Paulum intellexit, reliquas copias omnes suas, quas eo consilio paratas in armis habebat, sublatis signis propere movet. Romam Urbem, cui nemo unquam diu feliciter bellum intulit, quantis potest conatibus petit. Eam trepidantem eodem, quo aggressus fuerat, impetu, perfractis noctu muris, fugatoque inde Johanne Pontifice, ditioni suæ restituit.

Durabat interea nihilominus Pauli obsidio, cùm Rex habendi ejus cupidior, ex iis, quas habebat, copiis Malatestam Cæsenatem, & Comitem Carrariensem, bellicosos duces, maturandæ obsidionis causâ ad Sfortiam mittit. At posteaquam illi designato cuique loco in partem obsidentium recepti sunt, Paulus nocturnâ fugâ (quod antea vix possibile videbatur) oppido evadit, Urbini inde, quod petierat, receptus: quæ Civitas inter Picenum & Flaminiam Apennini jugis imposita est. Ibi primùm rebus suis fidere cœpit. Gravis suspicio homines tenuit, annuente Cæsenate eum inde subtractum: quam opinionem, quæ de proximo secuta fuit, oppidanorum deditio confirmavit. Se se enim mox Cæsenatis fidei permiserunt, ut quasi deditâ operâ id factum fuisse videretur. His ita gestis Ladislaus relicto Romæ, qui vices Regias ageret, Peretto Iporegiensi Pedemontano Trojæ Comite, in Regnum redit, ingentia in sequentem annum facinora moliturus. Interea Sfortiam, & Carrariensem Comitem Perusino agro insidere jubet, quem Braccius Regi hostis pro Pontifice, & Republica Florentina ex Marzano propinquo oppido bello infestabat. His interea successibus Rex elatus non jam Siciliæ Regno ingentes spiritus continebat. Instituerat quaquaversum Urbes, oppidaque sceptro suo adjicere. Sed ante omnes in occupandam Bononiensem Urbem totis sensibus ferebatur: ea rebus, quas animo habebat, gerendis maximè idonea visa est. Et quantum eam viris opibusque potentem noverat, maximos ad eam subigendam conatus parat. Primùm omnium consilio suasuque Sfortiæ permotus, qui se in id vadem dabat, Nicolaum Marchionem Estensem exercitus sui in eam expeditionem Capitaneum generalem declarat. Ei Regium vexillum, sceptrumque, & triginta insuper aureorum millia in stipendii usum mittit. Præmiserat item Cæsenam ipsum Malatestam cum cohortibus suis, & Michaëlem Attendulum cum magno equitum numero Faventiæ hiemare jusserat. Ab Mediolanensi item Principe auxiliares copias habiturus ferebatur. Ipse cum Sfortia, & reliquo omni exercitu, ubi per veris clementiam licuisset, in eam expeditionem profecturus, qui erat annus Tertius decimus additus Mille & Quadringentis. Hæc tanto molimine, tanto sumtu comparata, inexpectata rerum novitas primum, ac subinde Regis interitus perturbavit, ut intelligant homines, nihil certum sibi in rebus humanis pol-

polliceri posse. Nam quæcumque homines cupiunt, moliuntur, ea tum solo Dei nutu reguntur omnia, & Flacco teste, cùm totum fecisse putes, latet anguis in herba. Cùm essent in id bellum intenti Cæsenas, Michaëlque, qui omnium Bononiæ proximi hyemaverant, jamque idoneum rebus gerendis tempus instare videretur, priusquam ceteri conveniant, coactis viribus circumjacentem Butrio, ac Ricardinæ depopulati oram, mox in omnem Bononiensem agrum irrumpunt, ingentem exinde hominum pecorumque, & omnifariam rerum abigunt prædam. Cùm ex insperato rumor increbuit, Marchionem (incertum qua causa) se Regiæ militiæ subtraxisse. Remiserat enim Regi Neapolim usque, quæ acceperat, sceptrum, vexillumque supremi Capitaneatus insignia, pecunias verò sibi retinuerat. Hujus rei famâ perculsi primò, mox etiam certiores facti Regii milites, ubi eo se auxilio, quod in horas expectabatur, desertos vident, raptim hostili solo excedunt. Et quia properantibus conferto agmine mancipia impedimento erant, jumenta passim per vias sternunt, iracundiores facti, quod tantæ prædæ usu spoliarentur. Cùmque in abeuntium terga tumultus quaquaversum excitarentur, ubi Imolam est perventum, cui Forum Cornelii apud priscos nomen fuit, conglobatas ibi hostiles turmas offendunt. In ipsas, quas declinare negabatur, acerrimo marte congrediuntur; nec aliter cuiquam, quàm districto pugnanti gladio, transitus est permissus. Prætergressi denique summa vi in Cæsenatem, Faventinumque agros tutis locis se recipiunt. Ad Regem interea Marchionis pervenerat nuntius, creditaque Generalis Capitaneatus insignia restituerat. At Rex quamquam Marchionem gravissimis incusaret dictis, amissæ tamen pecuniæ, raptæque è manibus, ut sibi videbatur, Bononiensis Urbis jacturam in præsentia dissimulat. Et quod magnanimum decuit Regem tantas expeditiones obeuntem, eorum, à quibus se destitutum videt, supplementa modis omnibus meditatur. Eaque causa fuit, ut Paulus ab æstuante inter eas curas Ladislao, deposito hostili animo, Regiis copiis adscriberetur, quibus ille summis difficultatibus circumseptus, postquam ab ea, quam diximus, obsidione evaserat, non difficulter accessit, simul sperans, ubi vires suas Regiâ pecuniâ refecisset, novandarum rerum copiam non defuturam.

Rex igitur æstatis initio Romam prætergressus in Umbros ducit. Ad eum Sfortia, motis ex Perusino agro copiis, & ceteri undique omnes conveniunt; relictaque in præsens Bononiensi expeditione, Fulgineum aggreditur, quod à Ptolomæo Forum Flaminii appellatum invenio. Ea Civitas est pulcherrima in planitie amœnissimo loco sita, ceterum fossâ, fortibusque muris septa. Eamque haud longo spatio imposita collibus circumstant præcipua Umbriæ oppida Asisium, Spoletum, Monsfalcus, Trevium. Itaque Ugolinus Trincius, apud quem Principatus ejus Urbis erat, advenientis Regis (neque enim obscurus erat) jampridem terrore excitus, ab sociis ejus belli Florentinis auxilia in tantum Regem valida depoposcerat. Ab iis Laurentius Attendulus, dux bello clarus, ei tum Reipublicæ militans, cum valida equitum ac peditum manu, qui Urbem tutaretur, missus erat. Et quo constantius Ugolinus in Florentinorum societate se contineret, rejecta omni, quæ ab Ladislao offerretur, pactione, mille aureis per singulos dies ejus obsidionis tolerantiam fertur pepegisse. Rex igitur, ubi fortissimo duce, & reliquis copiis munitam Urbem videt, ejus expugnationem desperans, motis castris Tudertum petit. Ea quoque Urbs præsidio Braccii, cui summa hostilium copiarum commissa erat, tenebatur. Fisus autem & ducum suorum fortitudine, & exercitus numero Rex, ejus Urbis obsidionem primò, dehinc etiam oppugnationem aggreditur. Acerrima verò per singulos dies, admotis ad Urbem castris, prœlia conserebantur. At Sfortia, quamquam primo, quo Regem adierat, congressu mutatam Marchionis mentem questus, incredibilem, quem ex ea re ceperat, dolorem expressisset; seque, Dei & hominum fidem testatus, deceptum dolens excusaret; Rexque, qui inconcussam hominis fidem nosset, bono animo esse juberet: ingenti tamen in dies magìs mœrore conficiebatur. Nam præterquam conciliatam ejus suasu & opera Marchionis militiam malè cessisse, tantamque præsumtam animo Regis in Bononienses expeditionem ob eam causam corruisse videbat; cùm præterea violatam ejus Principis famam, cui uni maximè favebat, molestissimè ferret, angebatur etiam insanabili cura, quod reus esset restituendorum Regi triginta millium aureorum, pro quibus ad Marchionem mittendis vadem se interposuerat. Animadvertere hoc loco licuit quàm fixas altasque in animo Regis fixisset radices comperta Sfortiæ virtus, & infracta fides. Deprehenderat, Sfortiam hac sollicitudine laborare. Itaque velut in partem ejus molestiæ ipse veniret, accersitum ad se, amicisque solatum verbis, eo vadis nexu solvit, retenta sibi nihilominus in Marchionem actione, in quem, si diutiùs vixisset, vindicaturus videbatur. Et quo solidum hoc in Sfortia beneficium esset, publicis literarum documentis eam Regiam liberalitatem per tabelliones adesse jussos mandat. Inter hæc dum Tudertum Regiis stipatur castris, singuli Primores Regiarum copiarum duces, quo celerius hostem conficerent, in singulos ex ordine dies adversùs inclusum hostem congrediebantur. Accidit autem, ut qua die Paulus Ursinus manum cum hoste conseruerat, vehementius à Braccio premeretur, nec jam procul esset, quin summo dedecori jacturam suam admisceret. Eum ergo extremo laborantem discrimine conspicatus Sfortia, quamquam non dissimulanter acerrimas in se inimicitias gerentem, non distulit quin collato raptim auxilio ex tanto periculo eriperet, & incolumem cum suis omnibus in castra perduceret, nullam deinde ab eo deberi privato sibi gratiam postulans; propterea quod Regii exercitus detrimento prospexisset, jussis interim publico, cui æquè omnes deberent, commodo, privatis cedere inimicitiis. At Rex ubi virtute clausorum militum longius obsidionem trahi, seque expugnandi spe destitui videt, callido usus consilio, aliâ viâ rem aggreditur. Summotis ab oppido castris Perusium se cum omnibus copiis confert: ibi per aliquot moratus dies pacem

pacem cum Florentinis, cujus per eos dies tractatus secretior fuerat, transigit. Nam priore anno Cortonam eisdem Urbem, & raptas à Beto Liparensi Florentinas cum mercibus quadriremes, octoginta millibus aureis vendidisse memoratur. Eâ publicè celebratâ vacuum ex conditionibus pacis Florentino milite Tudertum, cujus operâ in id tempus defensum fuerat, confestim viribus coactis repetit, ejusque oppugnationem adoritur. Interim autem dum Perusii moratur, non levibus argumentis dubiam fidem, suspectissimumque ingenium Pauli nova meditantis, Rex sibi duxerat. Eo igitur gravi metu ut se quàm primum liberaret, dato Sfortiæ negotio, ut castris præesset, videretque, ne quid Ursinæ cohortes detrimenti caperent, ipse accersitum ad se in Urbem Paulum in vincula conjicit, movensque exinde castra sub fida militum custodia duci jubet. Haud multo post castrametantem in Tudertinos Regem gravissimus, & ut apparuit exitialis languor invadit. Eo ingravescente cum castris decedere cogeretur, rerum omnium summam Sfortiæ mandat. Ipse Romam perlatus, & navigio impositus, Tiberino amne, dehinc Tyrrheno litore Neapolim defertur. Ibi misso in carcerem Paulo, cùm nihil proficerent adhibita ægrotanti Regi remedia, Octavo Idus Augusti vitâ deseritur, magno luctu à Neapolitanis, Regnicolisque deploratus, qui fuit Annus Quartusdecimus supra Mille & Quadringentos. Laboravit quidem per eos dies infamia, quasi sublato per venenum Rege, cujus rei non levia exstitisse dicuntur argumenta. Is Regio elatus funere extra Neapolitana mœnia sepultus est in Sacello, quod ipse construxerat, magnis ornato muneribus intra templum Divi Johannis, quod appellatur ad Carbonariam, & à religiosis Sancti Augustini Fratribus celebratum. Cùmque virilem ex se stirpem Rex nullam reliquisset, Regni jura insigniaque in Sororem ejus Johannam conferuntur. Ei tum viduæ à defuncto ejus viro Austriæ Duce, quæ est superior Norici portio, Ducis Austriæ cognomen erat.

At Tudertini magnis interim difficultatibus pressi, ubi Regem è castris abiisse conspexerant, cùm offensum acrius Regium animum in se irritasse admodum vererentur, tentavere sæpius Sfortiæ potestati se committere, sed ea conditione, ne in Regis manus traderentur. Verùm eas conditiones, ausosque fidem suam pertentare oppidanos, detestatus Sfortia, ab se repulit, non sibi, sed Regi, eam expeditionem sese agere dictitans; proinde si salvi esse velint, Regiam fidem complecterentur, de cujus clementia ut bene sperarent, sequestrem se fore pollicitus est. Cùm interea adveniens inexpectatus intempestivusque de morte Regis nuntius, & obsessis animos extulit, & obsidentes magno mœrore involvit. Defuncto Ladislao, qui Regum mortes sequi solent, novi bellorum motus magnam Italiæ partem invaserunt. Ipse Sfortia, quamquam amisso amantissimo sui Rege, ingenti dolore tenebatur, coactus tamen suis rebus consulere, Foschinum Attendulum ex sorore sua natum, cui uni ex militaribus ductoribus suis maximè ob egregiam fortitudinem, cognationemque fidebat, è vestigio mittit ad Johannem Carazolum, cujus paulò ante meminimus, qui tum Viceregis titulo iis oppidis præfectus erat, quæ Rex Ladislaus ab Comite Nicolao Ursino Bertoldi Comitis filio in ea Tusciæ parte, cui nunc Patrimonio Divi Petri nomen est, usurpata, sibi jampridem vendicaverat, capto etiam Adroandino ejus admodum parvulo nato: eademque postea in pretium pacti cum Sfortia stipendii chirographo ad id facto obsignaverat. Foschinus ergo Præfectus datâ Regiâ tesserâ, eamque recognoscente Carazolo, ab eo confestim recipit Planum Castignarium, Pennam, Martamque, non admodum vetusti nominis oppida. Urbevetulam verò per occasionem interpositæ ab Carazolo moræ, dum mille & quingentos aureos, quos sibi deberi affirmabat, exposcit, exigitque, Senenses, antiquitate & potentia inclyti, misso per eas rerum turbationes præsidio, facilè occupaverunt. Sfortia interea, soluta Tuderti obsidione, cum omnibus, quas in fidem Regiam retinere potuit copiis, Urbeveteri, & plerisque aliis oppidis præsidio imposito, Romam properavit eo consilio, ut tumultuantem Urbem, jamque Regiæ ditioni rebellem factam, Reginæ restitueret, cui militarem operam suam non secus ac Ladislao viventi fratri debere se arbitrabatur. Ingressus Urbem, & præcipuos in ea Reginalium partium fautores nactus Columnenses, Sabellosque, & qui ejus factionis erant, Ursinos rebellionis auctores Urbe pellere aggreditur. Illi interim quàm maximos potuerant armatorum cœtus ad se traxerant: Quamobrem acerrimo intra mediam ipsam Urbem marte contenditur. Quæ tam pertinax contentio toto triduo continuata, neutris sibi cedentibus, hos atque illos fatigavit. Eam tantam animorum obstinationem contemplanti Sfortiæ visum est, non nisi cruentam admodum, difficillimamque ejus certaminis victoriam fore, nec nisi ingenti imposito præsidio retineri posse Romanam Urbem. Itaque factiones inter se componere maximè studuit. Jamque Urbe sedata Viterbum, circumque ea loca copias suas reduxit, ubi paucos immoratus dies, præter ea, quæ jam pridem in iis oris possederat, Montisjovis, Montisteneri, Ripæ, Bagnavignoni, & Clusii, cui Camera Solis apud priscos nomen fuit, loca dedentia se se ejus nomini & virtuti, hæc oppida recipit, Montaltum in Tusco litore vetustum oppidum, Gravicæ ab antiquis appellatum, præterea & recentioris vocabuli Caninium, Abbatiam Pontis, Griptas, Gradolum, Arcem Rebeseni, Ortam, Bassanellum, Arcem Vezzii, Castilionum, Montalfinium, Lubrianum, Sanctum Severum, Cellas, Aquapendentem, Silvenam, & Porcenum, quod Regis Porsenæ Regiam fuisse plerique fabulantur. Horum auctus dedentium se se oppidorum possessione Sfortia per ea tempora, quibus Romana res fluctuabat, Reginam officii, honorisque exhibendi gratiâ Neapoli, petere instituit. Sed priusquam Tuscis finibus excederet, suorum oppidorum saluti per absentiam suam maximè consulendum ratus, Clusum, Bagnavignonum, Ripam, Montem-tenerum, & Montemjovis, imposito eis Berardo Camertinate præfecto, Senensium, in quorum confinibus posita sunt, fidei ac tutelæ permittit, fretus plu-

plurimum eorum amicitiæ, quòd triennio ante cùm Ladislao Regi hostis esset, & à classe Regia Talamon, nobilis Senensium in Tusco litore Civitas, occupata esset, ejusque arx ægrè defenderetur, rogatus à Senensibus opem ferre, Bosium, Michaëlemque cum valida equitum ac peditum manu ex hibernis movere jusserat, & acerrimâ cruentâque confertâ pugnâ pulsis hostibus, recuperatam Urbem Senensium ditioni restituerat. Montalti verò, & reliquorum oppidorum omnium tutelam & administrationem distribuit fortissimis belli ductoribus, sibique sanguinis gradu proximis, Michaëli, Foschinoque Attendulis, Sancto-parenti Petracino. Profectus igitur sub Autumni finem, electos habuit ducentos equites itineris comites. Cùm esset à Regina eo, quo Principem, & Regiæ militiæ supremum decuit ducem, exceptus desiderio, & studio singulari, non ficto questu fraternum in primis casum indoluit, subinde collata in eam tanti Regni fræna, & paterna sceptra, quæ sola superesset Durachinæ Regiæ propago stirpis, congratulatus est. Suam operam omnem, suas militares copias in quæcumque negotia indiceret, quæcumque pericula mitteret, præsto esse significavit. Nihil se denique amplius cupere, quàm ut iisdem armis, iisdem viribus, quibus Ladislai fratris amplitudini studuerat, ipsius quoque Regiam ditionem tutaretur, & quæ defecerant oppida manu sua restituerentur. Ejus hominis constantiam famæ convenientem demirata Regina cùm gratias egisset, virtutemque collaudasset, nihilo inferiore loco futurum apud se dixit, quàm apud Regem fuisset. Proinde ingentia, quæ solitus esset, belli facinora mente conciperet, quibus se Regnumque suum, studentibus quibusdam rebus novis, turbatum componeret, & compositum stabiliret; ac merita tanti laboris, tamque felicis futuræ militiæ præmia à se expectaret. Eâ perceptâ Reginæ voluntate Sfortia lætior factus Neapoli immorabatur, super Regni, Reginæque commodis consilia versans. Sed quantum livoris, fallaciæque superba Regum tecta contineant, illi in primis maximè norunt, qui experimento didicerunt.

Inter eos, qui Reginæ assistebant unus omnes gratiâ & auctoritate longè anteibat Pandulfellus Alopus, eques Neapolitanus, genere clarus, sed formâ clarior. Eum cùm antea multos annos Regina in deliciis habuisset, viduata tamdem viro, & fratre orbata, creatum Comitem Camerarium (quæ dignitas inter primas ejus Regni numeratur) in artiorem, quam muliebris pudicitiæ ratio postulet, familiaritatem admiserat, non absque gravi læsi pudoris infamia. Illius denique arbitrio tanti Regni habenas, illius nutui præter Regium nomen, cuncta indulserat. Is Sfortiæ amplitudinem gloriamque molestè ferens, tantamque excelsi animi vim reformidans, ubi insuper cumulatiore in dies apud Reginam gratiâ illum crescere videt, non distulit impotenti livore actus juvenis, quin circumventum insidiis Sfortiam, ejusque primogenitum Franciscum capi, & in vincula duci juberet. Id factum, quamquam Reginæ displicuisset, ita tamen, velut præcisa sibi libertate, animo fixum habebat, nihil non ratum habere eorum, quæ Pandulfello collibuissent, ut & ab ipsa probatum fuerit. Pervenit ejus audacis facinoris fama celerrimo cursu non in Sfortiæ tantum castra, sed Florentiam usque, intra quintum diem in aures Laurentii Attenduli, qui tum fortè pacta cum Florentinis stipendia emeritus erat. Is præter tantam rei indignitatem, quam omnes execrabantur; consanguinei insuper sui clarissimi Principis jacturâ permotus, auxilio perculsis ejus rebus, priusquam in majus discrimen adduceretur, esse statuit. Itaque impetrato à Florentinis commeatu, è vestigio profectus, communicatoque cum Michaële, Foschino, & Sancto-parente consilio, Sfortianas omnes cohortes apud Clusium, & cetera ejus ditionis proxima oppida contrahit, hortatus bono animo esse, & quia hyems instabat, ibi se continere, donec quid de communi eorum duce Regina statueret, exploratum haberent. Confirmatos universorum animos ad servandam Sfortiæ fidem, supra quam cuique credibile videretur, invenit. Fuitque illud memoriâ dignum, vel miraculi potiùs loco, ut posito eorum in vinculis duce, in quibus ad quartum usque mensem sub extremi casus expectatione laboravit (tantum suis omnibus Sfortia carus erat) neque ab eo deficeret ullum ex tot oppidis nuper in ditionem redactis, nec quisquam è tanto equitum ac peditum numero aut fugam, aut rem novam ullam meditaretur, præter unum Armelerium Esculanum peditum prælaturâ, & magnis à Sfortia oneratum beneficiis, qui Urbemveterem cum præsidio tuebatur. Ceterùm assiduo aleæ æstu ad nuditatem usque impos sui sæpius factus, oppidum, seque Braccio Montonensi tradit. Is autem postea assuetis vitiis instans dignum factis suis exitum invenit. Adscriptus enim post aliquot annos militiæ Johannis Vitellensis Alexandrini Patriarchæ, qui pro Romano Pontifice Castris Urbibusque Legatus præerat, capite sceleribus obrutam vitam exegit. Inter hæc Pandulfellus ubi contra spem suam nullo tumultu sollicitari Sfortianos ductores militesve sensit, quin potius & eos, & reliqua oppida omnia constantissimè in fide manere, nihil insuper ex iis, quæ temerè præsumserat, contra se admissum, aut non laudabiliter à Sfortia factum inveniens, pravi consilii pœnitere cœpit. Itaque mutato proposito liberare è carcere Sfortiam, & peringentia deinceps beneficia, & quàm maximè posset solido amicitiæ fœdere offensum ejus lenire animum, sibique adjungere cogitavit: id non absurdè convenire utrique ratus, ubi & qui domi Regias opes administraret, & qui foris exercitui præesset, consentanea sibi invicem & amica sentirent. Hæc cogitata Pandulfellus cùm ad Reginam detulisset, gratius multo accepta sunt, quàm quæ priùs fuerant de Sfortiæ captivitate nuntiata. Sed quamvis communi consilio restituendum bellicis rebus Sfortiam, extollendumque statuerint, placuit tamen, priusquam carcere eximeretur, in reconciliatâ recens amicitiâ fidei obsides capere. Itaque enumerato stipendio Sfortia in triremem Reginalem impositus, Montaltum usque ditionis suæ oppidum advehitur. Indeque datis, qui ad Reginam deducerentur, liberis suis, & Michaële insuper, ac Marco Attendulis, ipse libertati pristinæ, ac dignitati,

tati, & suis per summum desiderium restitutus est.

Fortè per eos dies renuntiata Reginæ fuerat Aquilæ Furconensium rebellio. Ea Civitas est proxima Pelignis vetusto vocabulo, novissimo verò in ipsis Aprutii confinibus, qui Picenum agrum disterminant, Apenini jugis imposita, pollens opibus, situque loci valida, ceterùm quæ magnos spiritus alit, & novarum rerum studiosos. In ea Urbis rebellione, qui Reginales partes sequebantur, intra arcem se receperant. His ergo adversùs reliquam Urbem se tutantibus, statuit Regina auxilio Sfortiam mittere jam inde magnarum ab eo gerendarum rerum initium auspicata. Acceptas igitur à Regina pecunias Sfortia, quibus expectata in multos menses stipendia militibus suis persolveret, abundè omnibus impertit. Fuit enim vir omnium maximè ab avaritia liber, & qui majorem in erogando ære, quàm ceteri in contrahendo, caperet voluptatem. Cùmque omnes prope equis armisque instructos esse jussisset, ubi signa sustulit, equitum Sfortianorum quatuor millia & quingentos, insuper pedites supra mille in ordines explicat. In ea castra quicquid in Italia roboris esset, confluxisse videbatur: ita ductores, militesque omnes animis pleni erant. His instructus copiis Junio mense Anno Quinto decimo supra Mille & Quadringentos iter ad Aquilam facit, eo animo ut obsessis primùm, qui in arce erant, opem ferret, componendi postea Urbis status curam habiturus. Sed ut res opinione celerius conficeretur, audacia præceps oppidanorum fecit. Freti enim armatorum, qui intra Urbem essent, multitudine, sub ductu Antoniuccii, & Jacobi Aquilanorum, appropinquantem mœnibus Sfortiam magno tumultu extra portas adoriuntur. Quos ille in pugnam ruentes gratis oculis fertur inspexisse. Itaque circumducta parumper acie concurrere suos omnes in oppidanos jubet. Illi primo congressu fusi, fugatique, & magna ex parte capti in hostium potestatem veniunt: paucis intra urbem refugiendi facultas fuit. Eodem vestigio admissus intra Arcem Sfortia venientes ad se supplices, qui fugæ superfuerant, Urbemque totam recepit; dimissos insuper sinè pretio omnes, qui capti eo ipso die fuerant, cœnæ adhibuit, ita ut non facilè discernas, utrum magìs unâ horâ gestum in Sfortia mireris, an quod vicit, an quod pepercit. Compositis per eum modum in Reginæ jura Aquilæ rebus, deductoque in Campaniam exercitu, ad oppidum progreditur, quod in partes cesserat Christophori Cajetani Fundorum Comitis, unius ex iis Proceribus, qui post Ladislai obitum Reginæ rebellaverant, eodem marte Suessæ Ducis quaquaversum oppida involvens. Itaque ubi eorum fines ingressus Sfortia belli, quod gerebat, asperitatem ostentare cœpit, vi ac terrore perculsos pacem petere, & Reginæ fidem implorare coëgit.

Post eos obedientes Reginæ factos restabat Capua. Ea Julii Cæsaris, & Fabricii fratrum arbitrio regebatur, quam contra Sfortia castrametatus totis viribus premit. Itaque fracti animis Julius Cæsar, & Fabricius sinè spe auxilii extremo circumventi discrimine, ipsi quoque se se & Urbem Reginæ dedunt. His tantis rebus felicissimè intra paucos menses gestis, cuncti jam undique vel vi subacti, vel metu deterriti, quantum se se Neapolitani Regni fines extendunt, Reginæ parebant; ab seditionibus rebusque novis jam sibi quisquam temperabat. Sfortiæ verò quantum ea res gloriam accumulaverat, ita inextinguibile odium intra eorum pectora, qui Reginæ colla flectere coacti erant, reliquit. Itaque compositis rebus Sfortia, comitantibus Laurentio, Foschino, Sancto-parente, & Girardo Gratiano Cotignolensi, in armis strenuissimo, ceterisque exercitus sui primoribus, Neapolim ad Reginam pergunt. Ea advenientes triumphales viros, sed in primis Sfortiam ipsum Ducem, summâ lætitiâ, summâ gratiâ excepit. Cùmque acceptos antea dimisisset obsides, imitata etiam fratris exemplum, benemerentem de se Sfortiam majoribus titulis ornat, & multorum accessione oppidorum extollit. Creatum enim in magnum Regni Siculi Comestabilem, confirmatisque oppidis septem, quæ ab Ladislao fratre priùs acceperat, nova insuper oppidorum donatione extollit. Quorum præcipua fuerunt Titus, Petrafixa, Satrianum, Miglonica, & Pessizzum.

Nacta verò quietem quaqua versum Regina, suadentes novas nuptias Proceres suos audit, cùm alius alium Principem, ut quemque amicitia, vel præmiorum, aut ineundæ novæ gratiæ spes illexerat, summis, ut fit in contrahendis matrimoniis, laudibus efferret. Illa verò futuræ sortis inscia, non gravatè in sententiam traducitur, extingui hoc pacto famam, quam de se laborare sensferat, posse rata. Sinistro igitur judicio, & infaustis auspiciis ex omni propterea numero attingentem se affinitate, quamvis non proxima, Jacobum Borbonensem stirpe Francorum Regia Principem, Marchiæ Comitem delegit. Ceterùm priusquam ea res rata fieret, nova, & insueta hactenus cum eodem matrimonii fœdera firmat. Contentum generali Regni Vicariatu, & Tarenti, quæ est opulentissima, & omnium prima in Calabris Civitas, & Lacedæmoniis auctoribus famosa, titulo Principatus donatum, deposita prorsus Regii nominis spe, virum eum suum fore paciscitur; Regii sceptri jus, ita ut erat, apud solam Reginam, quamdiu viveret, esset. Ille conditionibus acquiescit. Et tum in Reginæ ditionem Tarentum cesserat, captâ per muliebrem licentiam, & in carcerem conjectâ Mariâ, quæ Ladislao Regi secundo viro uxor fuerat, cum Johanne Antonio Ursino Tarenti Principe, & Gabriele fratre ejusdem, liberis ex primo viro susceptis. Sed idem ille cœcus regnandi sinè socio ardor, qui Reginæ mentem invaserat, Comitis pariter Jacobi, & naturâ suâ, & multorum adhortationibus irritati, animum præcipitem egit. Missi enim clanculum ab singulis Regni Proceribus nuntii, quos levitas potiùs quædam, quàm accepta ulla ab Regina injuria sollicitaverat, miro ad invadendum Regnum ardore inflammaverat. Venientem igitur, relictis Galliis, Comitem Jacobum, quæ missæ obviam à Regina triremes fuerant, Manfredoniæ nobilissimæ in Appulis Urbis secundùm Adriacum litus, ut Regina jusserat, exponunt. Id verò recens Urbi vocabulum Manfredus Rex ibi re bene gestâ, factâ insuper

super ornamentorum accessione, imposuit, & ex suo nomine Manfredoniam dixit: quamquam non desint, qui decepti locorum vicinitate alii Sipontum, alii Arpen Diomedeam Urbem eam existiment; haud enim longo spatio utriusque vestigia ruinosa inde sejunguntur. Præmiserat illuc Regina honoris gratia, qui virum suum primo adventu exciperent, delectissimos ex omni numero Principes Perettum Iporegiensem magnum Senescallum & Trojæ Comitem, Sfortiam magnum Comestabilem, Julium Cæsarem Zocolinum Perusinum, & plerosque insuper alios, quibus omnibus dum mitterentur, ne aliter quàm Marchiæ Comitem & Tarenti Principem eum venerantes appellarent, graviter interdixerat. At postquam in conspectu Marchiæ Comitis ventum est, unus ex omnibus Sfortia intra Reginæ edictum se continuit; ceteri omnes animo jampridem ab Regina & Sfortia abalienati, tempusque adesse rati, quo conceptas iras ulciscerentur, inter se conjuraverant, spretoque Reginæ imperio Comitem Jacobum Regio honore, Regio nomine venerantur. Hinc ergo prima ingentium malorum series in Sfortiam exardescere visa. Offensas eo primo congressu Comitis aures conjurati adeunt. Ibi veris falsa miscendo, convenisse inter se Sfortiam, Pandulfellumque, & in eorum potestatem Reginam, Regnumque, & omnem Reginalem aulam cessisse dicunt; obsessæ ab eisdem Reginæ nihil ampliùs quàm inane nomen relictum esse; omnia domi, forisque duorum arbitrio agi; ceteros omnes Regni Principes, Nobilesque misera premi servitute; nec sperandam aliam ab ipso Rege conditionem, ubi Neapolim perductus sit, si duo superstites fuerint; verùm eo etiam miseriorem, quo durius est, virum, quàm fœminam, injurias pati, quamvis utroque infra Regium dedecus oppresso. Proinde si Regis animum attulisset, Regnum ejus nomini jam devotum capesceret; in id ipsos operam viresque suas omnes polliceri. Sciret autem, illud impossibile esse, nisi Sfortia, Pandulfelloque priùs oppressis. Nam sublatis eis, de Regina liberam ei facultatem fore. Descenderant hæc in intimum Borbonensis pectus, nihil eos, nisi suâ causâ loqui meditantis. Itaque in eam sententiam præcipites eunt omnes, opprimi præsentem Sfortiam quàm primum oportere, magnam jam exinde negotii partem confectam; nec difficile fore, ubi Neapolim pervenissent, eodem astu Pandulfellum conficere. Placuerat ceteris omnibus, ut eo in oppido statim Sfortia conficeretur. At Perettus Trojæ Comes, in cujus potestate Manfredonia erat, quamvis unus esset ex conjuratis, seu periculi deterritus magnitudine, quæ si malè cessisset, non dubium sibi exitium paraturus erat, seu quod tantæ rei infamiam in se unum convertere nollet, molesti quicquam intra ditionis suæ terminos in Sfortiam agi non sustinuit. Re igitur quàm maximè poterant dissimulata, ex itinere inopinantem, incautumque invadere instituunt. Moto inde agmine Fogiam primùm, deinde Trojam prætergressi, Casalalborum petunt. Beneventum inde petentibus, cui vetusto Samnitum Oppido Maleventum vetustius nomen fuit, juxta Padullam Caloris amnis transeundum erat. In ejus transitu Sfortiam commodiùs quàm ullo alio in loco intercipi posse meditantur; solliciti simul ejus maturandi facinoris causâ, propterea quod si Neapolim usque incolumis Sfortia pervenisset, pericolosissimum eis id consilium fuisse animadvertebant. Turbatiùs quàm antea quædam agi Sfortia deprehendit, namquæque nullo suo consilio gerebantur; & suspicio primùm, dehinc indignatio animum subit. Itaque succensus irâ, & jam minaci fronte terribilis, suos omnes quos secum in id iter duxerat sub quadratum vexillum cogit, seque sequi jubet. Eo cœtu facto vicinum jam amnem primus omnium transit, & in adversa, ut erat torvis oculis incensus, ripa, donec ad unum omnes transirent, constitit. Id conspicati, qui Sfortiæ cædem Borbonensi polliciti erant, terrore perculsi, taciti omnes prætergrediuntur; nullus gravioris facti, dictive suspicionem dedit. Inde ergo in varias cogitationes dum Sfortia fluctuat, nec de tam gravi facinore certi quicquam interea colligit, profectos Beneventum sequitur. Ibi ejus cohortes in hibernis erant, quòd ut adversi quicquam eo in loco minus suspicaretur, faciebat. Borbonensis in Arcem hujus Urbis conscenderat, cùmque ad eum sub specie officii ceteri omnes Proceres convenissent, quos conceptum mente facinus sollicitabat, Sfortia qui ex animo suo alios metiendo tantum facinus in se agi sibi persuadere non poterat, ad Regem & ipse in Arcem pergit. Circumstant eum è vestigio conjurati omnes ante Comitis oculos. Ibi ex composito Julius Cæsar indignissimis, spurcissimisque opprobriis Sfortiam adortus, proditionis etiam insimulat. Facto conviciis fine, num respondere liceret, Sfortia Comitem rogat. Data facultate, singula primùm flagitiosè ab Julio dicta confutat, & gravissimis verbis castigat; ubi de insimulata proditione mentio fuit, mentiri eum magna voce, sed majori animo testatus est; & qui mos est militarium virorum, ubi asperior contentio subit, duellum exposcentium, direptum capiti tegmen terræ illidit. Ab Julio idem cùm fieret, Sfortia Julii pileum è terris manu præhendit. Verùm ab ea duelli assertione abstinuit se Julius, nec Sfortiæ pileum attrectare sustinuit. Tumultu nihilominus excrescente, interim Trojæ Comes, Zocolinusque, & plerique alii quasi jurgia averterent, Sfortiam utroque latere apprehendunt; deductum sub ea spe in cubiculum proximum captivum faciunt. Fuerat pari forma ab reliquis distractus Julius. Verùm dimissus illico, & minacior factus, in conspectu Comitis prodit. Ibi conjuratis omnibus nullo jam periculo frementibus, discurritur tota Urbe, diripitur in primis Sfortiæ domus tumultu rapido, inde in Sfortianos milites omnes pari furore bacchantur. Sfortiæ filii omnes cum Foschino, & Dominico Bossii primariis viris ad Comitem ducti, in vincula traduntur. Solus ex omnibus Sanctoparens acutiore quadam suspicione instantem ruinam præsenserat. Itaque ad primum surgentis tumultus impetum cum suis oppido evadit, seque ad Laurentianas cohortes, Titi & Petrafixæ agentes (nam is tum fortè Nolam concesserat) tanti nuntius mali recipit: ceteri omnes conjuratis præda fuere.

Ea re animosior jam factus Borbonensis, sti-

stipante ingenti conjuratorum caterva Neapolim se se infert. Ibi paratas in usum lætitiæ nuptias in mœrorem & sanguinem vertit. Capta enim custodum proditione Arce nova, factam sui juris Reginam extemplo omni Regia administratione, sed & libertate insuper privat. Vixque tamdem umbratili relicto conjugii nomine, multis oneratam probris, sub custodia esse jubet. Pandulfellum captum magno ludibrio capite obtruncat, & insepultum plerosque dies jacere jussit. Ipse Comes Siculi Regni Rex acclamatur. Captivi deinde in artiores custodias distributi. Sfortia verò in Arcem Ovi deductus, dum concessa ejus ditioni oppida exposcuntur acerbissimis cruciatibus & barbarica feritate torquetur. Fuerat consilium, ut è vestigio necaretur. Sed territi sunt agnatorum ducum potentiâ, quos tanti Principis tam indignam mortem vendicaturos constabat, cùm præcipuè carissimum esse militibus suis omnibus Sfortiam singulari exemplo superiore anno compertum fuisset. Mutatæ igitur in hunc modum, seu potiùs deformatæ Regiæ Aulæ, parva conjuratos voluptas tenuit. Rex siquidem rerum potitus omnia pro arbitrio agere. Soli ferme Gallici generis homines in consilia admittebantur. Illi Regiæ potestatis participes facti, Urbibus, Oppidisque donati, supremos sibi quosque Magistratus vendicabant. His quicquid libuisset, ab Rege permittebatur. Italici invisi, suspectique habebantur. Ceterùm Rex novus quo duriores oppressæ Reginæ partes faceret, Paulum Ursinum in id tempus in vinculis habitum, parique modo Tarentinum Principem cum fratre, & communi parente, libertati donat. Is postea Paulus insequenti anno, Braccio, Tartaliæque belli jure socius factus, eorumdem operâ in manus Ludovici Columnæ viri bellicosi, sed adversæ factionis, traditur, & in Colleflorido Apenninigero Oppido ab eodem obtruncatur. Neapoli igitur per eos dies novi Regis Perettus Trojæ Comes morte præventus, lætitiam duxit perpetrati in Sfortiam facinoris mense breviorem. At ex altera parte Laurentius infesto de captivitate Sfortiæ nuntio accepto, repente suos omnes cum Sanctoparente cogit, jussosque impedimenta omnia dimittere apud Nolanum Comitem, cujus amicitiæ maximè fidebat, Titum, & Petrafixam viciniora hostibus loca perducit; inde assiduis excursionibus circumquaque omnia quatiebat. Michaël item junctis equitibus suis, & iis omnibus, qui è Benevento spoliati ad eum se receperant, cum Michilino Ravignano & Tricarico Oppido magno belli turbine ad ipsas usque Neapolitanæ Urbis portas cuncta perturbat. Is Michilinus præstantissimam mulierem Margaritam Sfortiæ sororem, jamque ex Jacobo Attendulo priore viro Foschini, Marcique clarissimæ virtutis juvenum, quorum antea sæpe meminimus, matrem secundo conjugio sortitus erat. Quibus difficultatibus circumventus Rex Julium, Fabriciumque fratres, & quoscumque alios potuit, militiæ suæ ductores cum omnibus copiis ad vertēdos assiduos Sfortianorum insultus Tricarico opponit. Cùmque ea res tantis molestiis implicito universo Regno feram opem allatura videretur, delectos ex omni procerum numero Antonellum Podricum, Rubeum Cajetanum, Angelumque Avilianum Arcis novæ Præfectum, primores Cives Neapolitanos, in castra ad Julium mittit, dato negotio, ut de pacis conditionibus cum Michaële, & Michelino tractarent. Illi impetratâ ab iis profectionis tutelâ, intra Tricaricum se recipiunt, & de pace sermonem conferunt. Advenisse hos præclaros Cives ab Rege missos narratur magnanimæ Margaritæ. Illa quum ob fraternam calamitatem assiduo dolore cruciaretur, nulla insuper alia re, quàm solo sexu à fortissimo fratre differre testata, fidelissimos ad se famulos, & milites quosdam Sfortianos accersit. Ipsa etiam supra muliebres vires loricam induta, telo manus armat, & se sequi eos jubet. Fertur rapido gressu mulier in eam domum, ubi ii Cives de pace Michaëlem, Michelinumque pertentabant. Ibi ad hos conversa, *& quid*, inquit, *manifesti hostes in oppidum meæ ditionis injussu meo ausi estis introire? Non heic Michaël, Michelinusque dominatur, sed hæc, quam videtis, mulier, in cujus jura Tricaricum cessit, & à qua si quid velitis, deposcendum à vobis fuit. Meæ igitur potestatis, jure belli facti, vel fratrem meum mihi restituetis, vel extremas dabitis vitæ pœnas.* His minaci vultu, & quantum sexus dabat, tremenda voce prolatis, Cives illos è vestigio capi, & nemine contradicere turbatissimæ mulieri auso, in vincula duci jubet. Quod factum plurimi censent laboranti in extremo discrimine Sfortiæ magnam salutis causam fuisse. Hæc ubi ad Regem perlata sunt, majoribus quàm antea curis sollicitum agunt. Videbat, ob Sfortianorum excursiones, validasque vires, nullam Regni partem bello vacuam esse; se verò in id fastigii recens locatum. Reginâ insuper offensâ, non satìs spei, consilii, opisve habere, quibus extinguere tantum incendium posset, seque imminentibus periculis liberare. Postremò Civium illorum, quorum magna esset in Urbe auctoritas, saluti prospicere cogebatur. His anxius curis nuntios jam ad Laurentium, Michaëlem, Michilinumque, adhibito etiam Margaritæ consensu, mittit, data ab his omnibus publica fide. Haud multis igitur absumtis diebus, quæsitæ pacis conditiones peraguntur, quarum summa hæc fuit. Rex dimissurum se captivos omnes recepit, præter Sfortiam, & primogenitum ejus Franciscum, quem maximè decebat ea etiam ætate paternæ captivitatis unicum solatium relinqui; sed ea deinceps conditione, ut nihil molesti utrique fieret, & vagari permissi laxiore tantùm custodia in Arce nova servarentur. Laurentius noningentorum equitum dux in Regiam militiam assumeretur. Ipsi Fuschino, Dominico, Sanctoparenti, Michilinoque, & Margaritæ conjugibus, intra Regni fines tutò esse liceret. Oppida omnia, quæ in Sfortiæ ditione cesserant, Regi resignarentur. Michaël cum reliquis omnibus Sfortiæ liberis libertati redditis, suoque omni equitatu Regni finibus liberè abire permitterentur. Hæc ita ut firmata erant, utrinque absolvuntur. Nec nisi humanam post hæc captivitatem Sfortia sensit.

Non prætermittenda hoc loco videtur res memorabilis, qua liberatio Sfortiæ divinitus eidem prænuntiata est. Quiescenti Divi Leonardi effigies apparuit, quo conspecto cùm tre-

A trepidare cœpisset Sfortia, *num tu me cognoscis*, ille inquit, *Leonardum? Ego, ut te consoler, huc missus sum, tibique nuntiem, eo die, qui mihi à multis festus agitur, libertatem pristinam recuperaturum* (is est octavo Idus Novembris.) *Tu igitur, ut ejus rei memoriam non tantùm tibi serves, sed & reliquis ostendas, ei puero, qui primus posthac tibi nascetur, Leonardo nomen impones. Erit autem filius tuus gloriâ, & auctoritate omnium in Italia maximus, nomen, famamque in immensum prorogaturus, pro quo tanto tui, & posteritatis tuæ beneficio immortales omnipotenti Deo gratias debes.* Hæc cùm dixisset, è conspectu abiit. Sfortia eodem, quo præmonstratum erat, die, B libertati, & dignitati insuper pristinæ, quod posteriora docebunt, restitutus est. Cùmque natum subinde filium Leonardum appellasset, in eo valde deceptus est, quia prænuntiata illustria illa, quæ ab Divo Leonardo dicta fuerant, quoad vixit infans, de eo semper æstimavit. Verùm is intra paucos annos morte præventus admonuit, eam magnitudinem divinitus prolatam alii filio portendi. Quod nunc in Francisco excellentissimo Principe factum divino Oraculo fidem facit.

Laurentius igitur cum ceteris, quos memoravimus, Regiâ deinceps militiâ feliciter usus est, & post resignata Regi Sfortiana oppida Michaël cum Leone, Johanne, & C Alexandro Sfortiæ liberis, suis equitum turmis Regno discedens, ad ea primum Patrimonii loca, quæ Sfortiæ parebant, se contulit; dehinc ubi iis pro ratione rerum satis providisset, Sfortiæ imperium secutus, icto fœdere ad Braccium Montonensem se recepit, cujus, ut antea meminimus, veteris Sfortiæ commilitonis solida in eum diem per eas temporum conditiones firmi juris amicitia erga Sfortiam & Sfortianos permanserat. Ab eo Michaël cum equitibus quadringentis, & ducentis peditibus, in militiæ jura est receptus. Sfortianorum item oppidorum tutela ab Braccio ex fœdere suscepta. Verùm ut continuata rerum series D videatur, altius aliquanto de Braccio repetemus.

Eo omni tempore, quo Ladislaus Rex Johanni Romano Pontifici infestus, Ecclesiasticæ Ditionis Urbibus bellum intulit, hic pro Pontifice, & Florentinis, qui connexi erant adversùs Regem, semper militavit, non absque magno sui nominis potentatusque additamento. Post Ladislai verò mortem Pontifex ea sollicitudine liberatus, & cum ceteris quietem agens, Constantiensem Synodum petere instituit. Citabatur enim ad eam ingenti Ecclesiasticorum Prælatorum frequentiâ, & universi occidui Orbis consensu celebratam magnis vocibus non tantùm E Religiosorum, sed & Imperatoris, & Christianorum omnium Regum, & Principum, inveteratum detestabile schisma abolere cupientium. Cùmque aliorum duorum, qui summi Pontificatus simulacra præseferrent, aperta in Synodum contumacia damnaretur, ablata erat ei spes fucata quædam retinendæ dignitatis. Priùs igitur quàm Italia excedat, Bononiæ Urbis quàm maximè potest tutelæ & securitati consulit. Ea enim ad Pontificatum aspiranti sedes & receptaculum fuerat. Itaque Urbanæ administrationi Antonium Episcopum Senensem, qui postea Cardinalis factus est, Legatum Apostolicum præficit. Adversùs autem tumultus quoslibet, sive exteros, sive civiles (qui mos est illi Urbi frequens) Braccium cum valido cohortium omnium suarum præsidio, cumque amplissima facultate in Bononiensi agro locat. Vir alioquin callidissimi ingenii, eo in tanto negotio ovilia sua lupo commendavit. Ubi enim à Synodalibus partibus coactum eum Papatui cedere, novumque Pontificem in ejus, ceterorumque locum suffectum iri velox fama Italiam implevit, Braccius universa Bononiensis agri oppida invadit. Iis celeriter, obviam nullo eunte, in potestatem redactis, Urbem ipsam territare cœpit. Postremò conditionibus res transfigitur. Acceptisque à Bononiensi Magistratu sex & nonaginta millibus aureis, abire pactus, oppida cuncta restituit. Hoc igitur tanto auri pondere locuples factus conceptam diu mente Perusinæ Urbis patriæ suæ tyrannidem per eas temporum occasiones sibi vindicare instituit, Romanam deinceps Urbem tumultuantem invasurus: quæ si prosperè cessissent, Regia insuper Neapolitani Regni sceptra præsumebat. Instruit igitur exercitum numerosiorem, militemque suum per omnem rapiendi licentiam ditat. Abeunti æstatis medio iter erat per Forolivienfem agrum, ejus oppidi Cives rebus novis, quæ in Bononiensi agro fiebant, perculsi ad Braccium venientes, rerum suarum quietem exoraverant, dataque fide publica, & communitis ad id literis, salvi esse jubentur. Ceterùm ea securitas pessimo exemplo labefactata est. Facta enim Solari die in eos incautos, & nihil tale opinantes, excursione, ingentem omnifariam rerum prædam coëgit, nulliusque subinde rei restitutione facta, castra movens, quæcumque abigi potuerunt, abduxit, seque in Perusinum agrum convertit. Adscriptum igitur militiæ suæ Michaëlem præsidio Esii & Arcis Contractæ, ceterorumque oppidorum, quæ in Picenis possederat, adversùs continuas hostium excursiones præfecit. Quam ille susceptam provinciam ita magna virtute administravit, ut non tantùm quæ accepisset, Bracciana tutaretur oppida, sed multorum insuper accessionem vendicaret. In eo secundo rerum cursu difficillimum nihilominus Braccio videbatur tantas, quas animo versabat, rerum molitiones ad arbitrium suum dirigere, nisi Tartaliam Lavellensem, cujus antea Florentino bello meminimus, in militiæ suæ partes traduceret. Is pariter à Pontifice Romanæ Urbi & Campaniæ, quæ tempestatis nostræ vocabulo hoc insignita, antiquissimos populos Latinos, Volscos, & Æquos in se habet, & Beati Petri Patrimonio, quæ non exigua Tusciæ secus Tiberina fluenta, & Ciminium saltum portio est, præsidio idem rector, & custos, velut ursa agnis, relictus erat. Hujus ergo animum cùm pertentasset, magnis impulsum pollicitationibus iis omnibus, quibus Tartalia voluit, conditionibus stipendio suo adscribit, inter quas præcipuum hoc fuit, ut quæcumque oppida intra Patrimonii fines Sfortia possideret, Tartaliæ in ditionem suam, vel vi, vel quibuscumque artibus, vendicare liceret. Fuitque tanta in Braccio pudoris oblivio, ut antiquæ fraternæ cum Sfortia amicitiæ rejectâ omni curâ, posthabitâque recentium Michaëlis bene-

nemeritorum memoriâ, tam turpi fœdere, amicum fallere sustinuerit, & ea omnia oppida, quæ suo etiam favore in adversis Sfortiæ rebus tuta fuerant, Tartaliæ diripienda permiserit. Profectò animus cœca dominandi libidine præceps actus, neque Deum, neque homines recto judicio examinat. Adjicit his non levius flagitium; nam cùm sciret, Michaëlem in iisdem cum Tartalia castris esse non posse, nec ejus fidei, quem tam indignè læserit, ampliùs credendum putat, exauctoratum ab se facit.

Ad eas conducti in nova stipendia Tartaliæ conditiones ubi primùm rescire id potuit Michaël, & se insuper eâ militiâ exauctoratum videt, inter dolorem & indignationem æstuabat. Firmato dein animo Braccium adit; erat, ut quandoquidem Tartaliam ad se traducere in animo habeat, ne tutelam Sfortianorum oppidorum pro jure fraternæ amicitiæ spernat; sumat ea in se, nec ab hoste diripi patiatur; id Sfortiæ in eum fidem promereri. Ad ea Braccius paucis respondit, coactum se per occasionem magnæ gerendæ rei, quam prætermittere nefas esset, quibus Tartalia voluisset conditionibus acquiescere. Eorum igitur, quæ jam rata fecisset, nihil se mutare posse. Ceterùm si properaret, posse eum ferendo Sfortianis oppidis auxilio Tartaliam prævenire, magnâ & in hoc fallaciâ usus, ut & ipsum Michaëlem cum cohorte sua hosti diripiendum objiceret. Compertum enim habebat, jam ea loca imminentis Tartaliæ metu, insidiisque alienata esse. Ea spe destitutus Michaël Braccium hoc denique rogat, & per amicos deinceps oratum facit, ut debitam ei præstitæ militiæ stipem solveret. Id cùm frustra esset, & ipse ad ferendam suis opem maturans, magna impertiendæ militibus suis pecuniæ necessitate premeretur, cùm vel exiguam debiti stipendii portionem surdas rogaret aures, voti non tantum irritus fuit; sed excedere etiam castris omni Bracciana ditione jubetur. Donec ea indignitate permotus Nicolaus Piccininus, vir animo, & virtute ingens, qui inter primos Braccianos ductores erat, & magnâ insuper Michaëli benevolentiâ & familiaritate devinctus, locatis fœnori pignoribus, quadringentis eum aureis juvit, & abeuntem multa passuum millia comitatus est. Progressus in Patrimonium Michaël, ubi Aquapendente receptus est, confestim equites peditesque suos in singula Sfortiana oppida, qui præsidio essent, dispertit. Nec verò aliter ac Braccius meditatus fuerat, res evenit. Irruentis enim cum magnis viribus Tartaliæ nullo loco impetus sustinetur; dedentibusque se se ubique oppidanis, Michaëlis milites duplicato malo diripiuntur. Capti autem, stimulante odio, indigna in vincula conjiciuntur, nullo postmodum in multos menses militiæ fœdere liberati. Sola ex omnibus Porceni, & Aquæpendentis oppida, ad quæ se Michaël contulerat, in fide manserunt. Ibi se se posthac tutus in annum usque sequentem continuit. Constat, eam rem dissolutis tum primum tam solidis amicitiæ nexibus, quæ inter Sfortiam, Bracciumque intercesserant, causam perennibus discordiis præbuisse, quæ Italiam omnem magnis postea bellorum motibus perturbaverunt.

Verùm & sub ipsos dies Senenses, conspectâ Sfortianarum rerum procellâ, Clusium, & reliqua quatuor, quæ ante memoravimus, oppida eorum tutelæ ab Sfortia credita, in propriam ditionem redegerunt. Braccius igitur recepto ad se cum copiis Tartalia, Perusium versùs castra movet. Ejus autem adventu permota Raspantium adversa Perusinorum factio, Karolum Malatestam, Principem ceteris omnibus virtutibus clarum, sed qui hostes contemnendo nimium sibi fideret, & Zoccolinum, & plerosque insuper ductores alios cum magnis copiis auxilio sibi præparaverant. In eos obvios Braccius fertur, & confertâ acri pugnâ tamdem superat, feriente præsertim Tartaliâ ex insidiis deserta Karoli ab militibus signa, qui fervorem meridiani æstu hi antes (nam Julio mense res gerebatur) turmatim in proximum amnem aquatum ibant. Profligato omni exercitu, ipsi duces in Braccii potestatem veniunt. Zoccolinus intra carcerem non absque vis illatæ suspicione vitâ functus est. Karolus ad extremum sexaginta millibus aureis libertatem suam redimere est coactus. Cùmque ejus redemtionis, ne ab hoste dimitteretur, Martinus Faventinus, dux bello egregius, ab Pandulfo missus, callido vaframento insimulatus esset (nam tabellas fœderum, quæ obsignatæ ab eo viderentur, Braccius Karolo ostentaret) causa ejus subinde cruentæ necis Arimini fuisse narratur. Profectus post eam victoriam Braccius optata tamdem Perusinæ perculsæ Urbis tyrannide potitur. Nec multo post perducta per id temporis velut ad internecionem Summorum Pontificum auctoritate, Romam Urbem, dedentibus se se Romanis, occupat. Cùmque in ceteris omnibus dominum se se ageret, hoc unum gratiæ petentibus Romanis dedit, quod se non ampliùs quàm almæ Urbis Defensorem literis inscripsit, & se appellari jussit. Interea igitur dum hæc à Braccio geruntur, eo biennio, quod Sextum, & Septimum decimum annos supra Mille, & Quadringentos in se habuit, novos & inexpectatos Regis Jacobi casus, magna rerum novitas secuta erat. Ea ex hujusmodi re initium cepisse videtur. Julius Cæsar Capuanus, is quem inter conjuratos maximè insidiatum fuisse Sfortiæ, Regiumque nomen Regi Jacobo asseruisse memoravimus; tœdio & indignatione affectus, quòd se contra spem longo post Gallicos homines loco apud Regem esse videret, ut erat animi potens, Reginam secretò adit. Namque inter fidos connumerabatur, id ei licebat. Ibi multa per summam loquendi libertatem in Regem, Gallosque omnes, invectus, operam suam, si Regina velit, ad opprimendum Regem, eamque Regiæ potestati restituendam pollicetur. Illa ut erat callidissimi ingenii mulier, seu quòd parum Julio crederet, seu quòd veteris injuriæ vulnus altius animo impressisset, adversantis primò speciem præbuit, subinde suam suorumque calamitatem magno questu deploravit. Producto ad extremum sermone, redire Julium in octavum diem jubet. Dimisso in hunc modum Julio, qui se maximè omnium Reginæ gratum facere arbitrabatur: ea vocato in secretum Rege vehementer suspirans, expressisque lacrymis, ut erat ad omnia simulanda aptissima: Non deesse inquit, qui quieti suæ invideant, qua una re ejus beneficio par-

partâ, feliciſſimâ vitâ frueretur. Pertentari ſe de ſummo adversùs eum ſcelere à Julio Cæſare, cujus memoriam non ſinè magno horrore teneret. Et ut ea, quæ etiam cogitatu nefanda ſunt, prætereat, maximi ſupplicii loco fuiſſe tot convicia in ejus Majeſtatem Proceresque ſuos prolata auribus percepiſſe. Rogare eum, ut à ſe tam infandum hominis monſtrum averteret. Cujus rei fidem, ſi velit, præſenti ipſi facturam ſe pollicetur. Rex ingenti, ut par erat, hominis admiratione ductus, collaudata Reginæ fide, experimentum rei quamprimum capere flagrat. Illa locato intra cubiculum in inſidiis Rege cortinis tecto, cum iis, quos ſecum armatos habere voluerat, venientem ad ſe Julium ſtatuto die, quo ſecretius loqui videretur, intra cubiculum ducit. Ibi longas in ejus ſermonem cogitationes adhibuiſſe ſe ſimulans, rogat eum, ut quo, quæque modo fieri conveniant, latiùs explicet, ne tantam rem imprudentes aggrederentur. Ille gaudio exultans, deterioribus quàm antea maledictis Regem, Galloſque omnes onerat, ſuperbiam, ingluviem, ſocordiam objectat. De Regis ſubinde cæde quam cogitaverat narrare incipit. Cùm interim furibundus Rex ex inſidiis proſilit, eodem impetu ceteri armati Julium circumſtantes capiunt. Et ne in re tam planè comperta Rex in Julium injuſtè animadvertiſſe videretur, eumdem ad Prætorem Urbanum in jus duci jubet. Julius ab eo quæſtioni ſubjectus, capite demum obtruncatur. Ita nullo Sfortiæ labore de hoſte ab hoſtibus ultio ſumta eſt. Fidem ex ea re jam non parvam apud Regem ſibi Regina fecerat, & quòd quietis avida, & quòd Regis amantiſſima videbatur. Paulo igitur jam liberiore cuſtodia permittente Rege tenebatur.

Cùm erecti in ſpem per eam occaſionem bene gerendæ rei Ottinus Carazolus Princeps, & Anichinus Moriminus, utrique magnæ auctoritatis in Neapolitana Urbe viri, Reginæ comperta fide ſtudioſiſſimi, adverſi inſuper Gallico Regi, eâdem ferme qua Julius causâ, ſed eventu longè diſpari rem tantis dignam viris magno conſilio adoriuntur. Inſtruunt in Neapolitano Theatro convivium ſolenne. Ad id cùm pleroſque Gallos Proceres invitaſſent, à Rege magnis precibus contendunt, ut Reginali præſentia id convivium exornari pateretur. Rex quamquam haud læto, ut ferunt, animo, ne tamen de Regina quid gravius ſentire videretur, tantis viris quod petebant indulſit. Celebratur id convivium ingenti pompa, & animorum alacritate, & Ottinus, Anichinuſque animis aucti, quæ deſtinaverant interea inſtruunt. Peracto convivio cùm ſe in Arcem novam ad Regem redire velle Regina diceret, prohibent; & *alia tibi, quam hactenus*, inquiunt *conditione Rex videndus eſt*. In Capuanam igitur arcem extemplo occupatam ingenti hominum frequentia comitantur. Ibi dimiſſis circa eam, quos expedire viſum eſt, armatis, magno tumultu Urbem repetunt, eam communi jam Gallorum odio æſtuantem ad arma incitant; Reginæ felicia, Regi verò infeſta ſuclamantes. Rex Gallique omnes eo tumultu trepidi in Arcem novam confugiunt; reperti intra Urbem, aut fugantur paſſim, aut diripiuntur. Itaque Ottinus, Anichinuſque cœtu facto in Regem, Arcemque ipſam inſultum faciunt, & circumpoſitis armorum cuſtodiis, ne quis ad eum penetrare, aut exinde exire poſſet, obſidione claudunt. Rex ubi ſe tanto circumventum infortunio, & ab infenſa ſibi univerſa Urbe obſtinatis animis jam pleroſque dies obſeſſum premi vidit, cùm ſe inſuper nullo adversùs ejuſmodi procellas, quas animo metiri debuerat, extrinſeco auxilio communiſſet, coactus ad pacis conditiones decurrit. Fuerunt hæc autem nihilo priori ſimiles. Nam primis capitibus cautum eſt, ut ipſe Marchiæ Comes, depoſito omni Regio nomine, ſola Tarentini Principis appellatione contentus, veluti primis fœderibus conventum erat, quadraginta tantùm ex omni Gallorum ſuorum numero apud ſe haberet; ceteri omnes Gallici generis Apuliæ Regno confeſtim excederent. Sfortia verò omni carcere ſolutus in Magnum Comeſtabilem reſtitueretur. Fuitque is finis Regiæ poteſtatis Jacobi die primo, poſtquam annum in eo expleviſſet.

His itaque decretis conventa utrinque peraguntur. Regina Regni habenas iis conditionibus, & civium ſuorum favore ſortita, deſtitutum jam multitudine Gallorum Comitem Jacobum ad arbitrium ſuum componit, & quamvis vagandi poteſtas permitteretur, non ulterius tamen progredi, quàm dati ab Regina comites, iidemque cuſtodes, paterentur, licebat. Sfortiæ communem captivitatis caſum commiſerata, ejuſque virtutis & ingentium benemeritorum memor, in eorum oppidorum locum, quæ ab Ladislao fratre, & ſe, donata Comes Jacobus abſtuliſſet, Franciſcum ejus primogenitum omnis paternæ comitem ſortis, pro ademto Tricarico, Adriani, Foliani, Geneſtæ, & Caſalalboris Comitem creat. Ipſum Sfortiam his oppidis donat Appice, Urſara, Troja, Biccari, Baronia Montis Corvini, Sancto Bartholomæo in Gualdo, Caſtellucio, Precina, Leſina, cum omni ejus Lacu, Serra Capriola, & Ferentino. Ad novam reſtituti dignitati ſuæ Sfortiæ famam accurrunt veterani milites undique dextram ejus prehendentes, redditam virtuti felicitatem gratulantur. Spes tamdem ipſa maximorum facinorum affulſiſſe viſa. Pervenerat ad Reginam ingratus interea nuntius oppreſſæ à Braccio Romanæ Urbis, cùm illa extinguendi ejus tanti incendii in ſe ruentis, priuſquam coaleſceret, magno animo conſilium capit. Rata inſuper id quod erat, ſi Braccium Roma pepuliſſet, præter partam rebus ſuis ſecuritatem, poſſe immortali ſibi beneficio devincire novum Pontificem, quem Oecumenica, quam diximus, Synodus Conſtantienſis, poſt abdicatos Papatu Johannem, Gregorium, & Benedictum viventes, unum, qui univerſo Orbi præeſſet, creatura ferebatur. Quinetiam ingreſſum Urbis facilem, ſi ad eum locum pervenire quoquo pacto Reginales copiæ poſſent, Moles Adriani pollicebatur (eam noſtra ætate diximus Caſtrum Sancti Angeli vocari) quod unum capta Urbe adversùs omnes hoſtiles impetus virtute fidiſſimi præſidis tutum, Romano Pontifici fidem ſervabat. His cauſis animos facientibus Sfortiam Magnum Comeſtabilem ſuum, ſupremumque exercitus ſui ducem univerſis Regni copiis ſuffultum, in eam expeditionem pro-

proficisci jubet. Jussis cum eo se se jungere Jacobo Candola, Christophoro Cajetano, Francisco Ursino, Comite Carrariensi, & Comite Montis Terisii, & plerisque majoribus aliis militarium ordinum ductoribus. Laurentium verò Attendulum cum suis copiis sibi, Regnoque præsidio esse jubet. Instructis celeriter ab Sfortia copiis, quas omnes in agrum Stellatum, cui nunc Mazono roseo vulgatum nomen est, convenire jusserat, Deo fautore castra inde sub initium Madii mensis feliciter movet. Priùs tamen quàm Campaniæ veteris, recenti verò vocabulo Terræ-Laboris finibus excederet, requirenti Leoneto Sancto-Severinati, Principi illustri, Lysiam carissimam filiam, formâ moribusque insignem, despondit. Ea insequenti subinde anno nuptui data est, præter multa aureorum millia Serram, Contronem, & Pitiglonem, non ignobilia in Salernitano Principatu oppida, dotis nomine de patre accipiens, nec multo post tempore virum, seque, nobilissimo partu parentes fecit Roberti, strenuissimi, & famâ inclyti armorum Ducis, cujus celebre erit inter sequentia nomen. Continuatis itineribus Sfortia cum omnibus, quas contraxerat copiis Romam versùs iter faciebat. Ceterùm ex iis militaribus Ducibus, qui se Sfortiæ jungere ab Regina jussi erant, Comes Carrariensis, Jacobus Candola, & Montis Terisii Comes nondum convenerant. Quamobrem frequentibus ab Sfortia literis, nuntiisque accersebantur. Ubi igitur ad oppidum Frusinate (recens verò Frusinonis est) proventum, medio ampliùs inter Romam, Neapolimque itinere, præter eam, quam tardantibus iis molestiam ceperat, Sfortia certior fit, Candolam, & Terisianum Comitem cum Braccio conjurasse, seque ideo apud Casamalæ Abbatiam, quæ non longiùs abesset inde duodecim millibus passuum, communisse cum omnibus eorum turmis, in quibus frequentes erant veterani milites, quos secundæ captivitatis clades ab Sfortia devios in varia distraxerat, ut cùm trajecisse Sfortiam cum exercitu Molaram audissent, iter agentem ipsi à tergo adorirentur. At à fronte Braccius Româ egressus per summam audaciam invaderet: ita perturbati medii dissiparentur. Rem ipsam certissimis Auctoribus, signisque deprehensam Sfortia illico Reginæ significat. Ea quid adversùs eos defectores statueret, è vestigio rescribit, & per fidissimos insuper ad Sfortiam nuntios ingeminat. Tentaverat autem interim Sfortia quibuscumque precibus potuerat Candolam, Terisianumque, aut eorum alterum saltem in colloquium educere, sperans reduci adhuc in saniorem partem eorum mentes posse. Atque ubi minus eos sibi credere videt, filium suum Comitem Franciscum, cumque eo Marcum Attendulum obsidum loco tenendos ad eosdem mittit, donec communicato sermone redisset is eorum, qui colloquendi facultatem præbuisset. Angebatur enim vehementer animó Sfortia, & nisi compositis cum Candola rebus, nullo pacto progrediendum ulterius existimabat. Vicit enim eos Sfortianæ liberalitatis pudor, qui jam famæ jacturam fecissent. Quamobrem receptos obsides retinere non sustinentes, remittendos eos, eundumque unà cum iis alter eorum censet. Itaque Montis Terisii Comes, ingenio & loquendi fiduciâ fretus, reducens obsides, relictoque apud Abbatiam & copias Candolâ, ad Sfortiam utrumque purgaturus proficiscitur. Deesse, inquit, Candolæ, & sibi, plurimos adhuc commilitones, quorum adventum in singulas horas præstolarentur; nec tota adhuc accepisse se pacta ab Regina stipendia; quædam insuper in eam diem, quamvis maturantibus impedimento fuisse, quibus se se tamdem expedissent; id maximè curantes, ut instructi rebus omnibus pleno cohortium numero Reginæ signa sequerentur, utilitate operæ tarditatem eam pensaturi; proinde ne cunctaretur Sfortia ulterius progredi; nam priusquam Molaram attingat, iisdem castris se se jungentes inspecturum. Hæc ubi dixit, seorsum à Sfortia responsum expectare jubetur. Interea convocatis ad se Proceribus Ductoribusque omnibus, qui in exercitu erant, deprehensa à se Candolæ, & Terisiani consilia operit, & accepta recens in eos Reginæ jussa palàm facit. Illi universi imminenti periculo, & rei, quam certis oculis intuerentur, indignitate permoti, Reginæ parendum esse, & ulciscendum illico in nefarios defectores conclamant. Eorum secundo clamore accepto, Sfortia universos in armis propere esse jubet, & se sequi, gloriosius dictitans ad hostem ire, quàm advenientem præstolari. Interea ad Terisianum Comitem allocutus Sfortia, sibique Reginæ jussis necessariò obtemperandum esse affirmans, Petro Mediolanensi, Comestabili fido, in custodia habendum tradit. Ipse convulsa raptim signa, & præcedere jussa, paucis adhuc sequentibus comitatur. Ea festinatione vadentem in hostes Petrusjampaulus Ursinus, Andreas Seranus, Nannes Spinelli, ceterique ejus militiæ ductores, quinto jam ferme Milliario cursu assecuti: *ut quid*, inquiunt, *inermatos hostes tanto impetu raperis, ducum fortissimè, non expectatis his, quæ te sequuntur, cohortibus? Cùm præsertim te non lateat, esse in hostium numero plurimos abs te militaribus artibus institutos, magnamque in re bellica opinionem consecutos.* Ad quos subridens Sfortia non plura inquit, quàm *ad Tironem Candolam hostium ducem proficiscimur: Proinde sequimini me fortibus animis, omnes prædam de hoste potiùs, quàm vulnera reportaturi.* Imposuerat Candola suas, & Terisianas cohortes armatas tumulo Clivi Abbatiæ se continentis, in quibus supra mille & ducentos equites annumerabantur, inde in hostes descensurus, quos tumultuarios advenisse audiverat. Verùm ubi Sfortiana signa, & sequentem ordinibus suis exercitum vidit, revocato è colle milite pedem retrahit, seque in munitum secus Abbatiam locum recipit. Is profundâ fossâ, & rivo præaltis ripis arduo vallabatur, nec ampliùs quàm uno ex loco aditum præbens. Sfortia illico in eumdem Collem copias suas omnes locat, quas quia diurno æstu laborantes vidit (nam perurente Sole armati iter egerant, & jam diei extremum adventabat) curare illico sua & equorum corpora jubet; refectos paulùm, & arma repetere jussos, propere in hostes ducit. Eo congressu locum illum, quo uno aditus dabatur, pulsis acri pugna hostibus, Sfortiani milites tenent; inde summa vi congressi omnes irrumpunt; cùmque se intra Abbatiam muro undique cinctam Candola cum suis recepisset, artissima

ma per noctem obsidione circumsistunt. Dimissis dein ad eos nonullis ex iis, qui captivi fuerant, & à Sfortia benignè habiti, ejus fidem implorandam jam plerique censebant. Itaque sub auroram Candola vi & terrore perculsus cum omnibus suis, & Terisianis turmis in Sfortiæ potestatem vénit. In ea pugna præter ceteros Bartolaccius genere Bononiensis, ex Candolanis animo viribusque insignis, est desideratus. Postero die Sfortia Candolam, & Terisianum Comitem Marco Attendulo, intimæ consanguinitatis viro, deducendos Salvaterram Christophori Cajetani amici Principis oppidum, ubi in custodia essent, tradit. Reliquos omnes milites libertati donatos, & ut bene sperarent cohortatos, armis etiam, equisque omnibus restitui jussis, non difficilè in Reginæ partes trahit, & novo sacramento addictos exercitui conscribit.

Compositis in hunc modum rebus proxima, quæ sequuta est, luce motis castris Marinum versùs progreditur, cùm Carrariensis Comes, qui se nondum iis castris conjunxerat, suarum rerum securitati maximè consultum cupiens, nova affinitatis & amicitiæ fœdera ab Sfortia deposcit. Cujus hominis auctoritati obsecutus Sfortia Antoniam laudatissimis moribus filiam Ardizoni ejus nato cum magna dote sponsam locat. Eo igitur sanguinis nexu fidentior factus Carrariensis se suasque cohortes omnes Reginalibus castris infert. Præter eas & Johannes Antonius Comes Tagliacocius Ursinus, & plerique insuper alii Romani Proceres Braccio infensi, se se Sfortiæ jungunt. Quibus copiis auctus delectissimorum equitum jam supra quinque millia, peditum verò ad duomillia in armis habebat. Cum iis ad oppidum Marinum profectus, haud ampliùs decem passuum millibus Roma distans, ibi castra firmat, inde crebris excursionibus Romæ suburbana quatit, sperans eo tumultu irritatum Braccium acie decertaturum. Quod cùm minus procederet, structa acie ad ipsos usque muros intra pomœria sublata signa ostendit, liberamque pugnandi copiam facit. Id repetitum à Sfortia sæpius cùm frustra esset, continente se intra Urbem Braccio, alia si possit ratione illicere Braccium in pugnam tentat. Mittit fidissimum è suis tubicinem, cui Siciliano cognomen erat, audacis linguæ, duosque alios comitantes, qui cruentam chirothecam sanguinolentæ suffixam hastæ ad Braccium ferant. Id signum variato parumper ab vetustissimis more deposci pugnam significat. Nuntiare insuper jubet, nullo partium commodo vexari Romam Urbem tam diu intestino & externo malo. Si virtuti suæ fideret Braccius, si militum robori, si denique non per omne nefas tantæ Urbis tyrannidem se invasisse præsumeret, prodiret in aciem, à se, suisque ferro judice vim propulsaret, vel melioribus cedendum alioquin sciret. Tubicines Urbem ingressi, nullo Braccianorum militum clamore excipiuntur. Ab ipso tyranno iniquis etiam inspecti oculis, nullo responso dato, in vincula duci jubentur. At Sfortia, ubi neque redire tubicines, nec responsum à Braccio ullum referri videt, non difficulter id quod erat evenisse ratus, diverso consilio belli gerendi cogitationes animo versat. Itaque communicato cum Primoribus, qui in

A exercitu erant, consilio, trajiciendum sibi cum omni exercitu Tiberinum amnem statuit, periculum inde facturus, vel decernendi cum Braccio tota acie, si obvius fieret, vel in ipsam Urbem, dato per portam Adrianæ molis aditu, irrumpendi. Ea re ab omnibus approbata præmittit illico, qui deductis scaffis, lintribusque, cetera etiam struendo ligneo ponti necessaria ad ipsas Tiberini alvei fauces præpararent. Ipse motis castris Lavinium prætergressus, vetustissimam Æneæ coloniam, Ostiam petit. Subsedit aliquandiu ad Portignanum, dum hæc apparantur, ut fesso ad hæc exercitui quietis aliquid spatium daret.

B Sed in tantam incidit commeatus penuriam per infestum etiam Quintilis mensis ardorem, ut per eos continuos septem dies, quibus Marino discedens Tiberim trajecit, universus exercitus nullo panis usu, solo decocto tritico, pomis, uvisque acerbis sustentaretur. Nihilo tamen segniores fieri milites accepta semel animo victoria patiebatur. Itaque ubi Ostiam ventum est, facta per expletum tumultuario ex naviculis pontem, asseribus desuper contignatis, transeundi facilitate, ad unum omnes trajiciunt. Ibi Sfortia quanta esset animi magnitudine non obscuris ambiguisve signis ostendit. E vestigio enim rescindi, disjicique pontem jubet, ne

C quis nisi partâ victoriâ reditum sibi polliceretur. Quod factum quamquam omnes mirarentur, fortitudinemque animi in cœlum ferrent, fuere tamen de exercitu multi, qui Sfortiam adeuntes, quærerent ab eo, num cujusquam sibi per eas vias amicitiam conciliasset, unde rescisso ponte, sejuncto ab reliqua omni humana ope exercitu, alimenta subministrarentur. Ad eos ingenti quo erat animo conversus Sfortia: *Instruxi*, inquit, *vobis amicum, à quo falli umquam dubitetis, telorum aciem, & ensium vestrorum acumen. An in iis parum fiduciæ reponitis, quæ me duce feliciter per tot annos, per omniaque bella tractastis? Hinc vobis alimenta petenda sunt, hinc justissima de præteritis & tergiversantibus hostibus*

D *præda exigenda? An vos fortè parum movet clarissimum facinus Horatii Coclitis, conversi in furentes hostes, pontemque super hoc ipso flumine post terga sua rescindi imperantis? Cujus virtutem, gloriamque cùm vos maximè imitari deceat, videte tamen quanto meliore conditione vobis agatur. Solus ille adversùs multa hostium millia se erexit. Vos tam numero, quàm virtute hostibus superiores estis. Ille victoria exultantibus hostibus se opponere ausus est. Vos trepidantes invaditis. Illi ut salvus esse posset, armato in Tiberim desiliendum, tranandumque fuit. Vobis cùm hostes pepuleritis, patens in Urbem per Adrianam molem iter datur. Postremò ille præter gloriam nihil ampliùs de hoste reportavit;*

E *vos gloriæ juncta opima ditabunt de hostibus spolia, quæ vos expectant. Præsumendus est igitur animo vobis triumphalis reditus ante Reginæ oculos, non eâ qua progressi estis viâ, sed per mediam ipsam Romam Urbem, quæ vos crastino die victores liberatoresque suos sublatis ad Cœlum palmis est celebratura.*

His dictis ubi in spem erectos suorum animos vidit, destinaverat eodem quo Tiberim trajecerat gressu, emensis iis quatuordecim, quæ intersunt, millibus passuum Romam ipsam petere; sed adversantibus ductorum suorum sententiis medio itinere castra lo-

locat, qua porrecto ad dexteram rivo Insulæ formam Tiberis facit. Ibi fugâ concitus cervus per noctem quiescentis Sfortiæ tentorium subintrat, ad cujus tumultum excitus Sfortia è vestigio prehensum manu ipse sua interficit. Ea res totis divulgata castris præsumtam jam animis victoriæ spem mirum in modum confirmavit. Præcipiti decursa nocte, rubente vix dum ad auroram cœlo copias omnes certis ordinibus structas, ardentibus in pugnam animis, Romam petere jubet. At Braccius ubi appropinquare mœnibus hostem sensit (jam enim de rescisso ponte, deque invadendi fiducia audiverat) magna trepidus formidine fluctuabat. Nec enim aut vehementi hosti aperto se se marte opponere sustinebat, nec Romano populo, si se circumveniri pateretur, satìs credebat, propterea quod incerta & instabilia esse sciret vulgi studia, quæ ut vincentibus favent, ita victis adversantur; & ab eventu, judicantium animos in neutram partem fidos esse. Itaque magna impedimentorum parte relicta turbato agmine Romam deserit, & quà nemo eum profecturum existimaverat, pontem Milvium transgreditur, eumque ne hostes ab Urbe venientes se sequi possent, diversissima ratione rescindi statim jubet. Eodem enim fluminis latere venientes Sfortianos tortuosus amnis, & invia juga, nisi longo circumductos itinere, ad pontem illuc accedere prohibebant. Ipse Braccius eo cursu Saviglianum, dehinc Narniam, subinde Perusium petit. Tartalia intra Tuscanellam se recepit. Exposuerat sub ipsa Vaticani mœnia cohortes suas Sfortia prœlio instructas, cùm primùm nullum sibi obvium fieri mirari cœpit. Dehinc fugere Braccium nuntiatur. Patenti igitur porta, quæ moli Adriani subest, infesta infert signa, & continentì ponte copias traducens Urbem ingreditur, eamque omnem excurrens, nullo contradicere auso, Reginalis ditionis facit. Mittit subinde delectas cohortes, quæ fugientem Braccium cursu assequerentur. Illæ verò multis direptis sarcinis, ubi ad pontem rescissum veniunt, negato transitu rediere. Recuperata per hunc modum Urbe Jacobum Uselanum summæ venerationis, & auctoritatis Romanum Cardinalem, qui ab Pontifice Johanne ad Synodum proficiscente Legatus in Urbe relictus fuerat, eamque ob rem Braccio adversus, capta Urbe in Adriani molem confugerat, dura obsidione & longo metu liberatum dignitati suæ restituit. E contra Petrum ex Stefanacciis, civem Romanum, Sancti Angeli Cardinalem, qui sinè magistratu Romam profectus, & Ecclesiasticæ ditioni rebellis factus, præcipuus auctor fuerat Braccii in Urbem introducendi, in eamdem Molem in custodia habendum mittit. Ibi ille tœdio indignationeque affectus haud multos dies vitæ superstes fuit. Sedatis in Urbe motibus Sfortia ex iis Candolanis Tirisianisque militibus, quos apud Abbatiam Casamalam tumultuario conscripserat, quos apud se continuare militiam vellet, delegit: ceteri missi fiunt. Inter eos igitur, quos abjecta omni injuriarum memoria retinendos statuerat, unus erat cognomento Sclavetus, robore quidem, & longa armorum exercitatione bello idoneus, ceterùm animo crudeli, & in Sfortiam infensissimo, qui se etiam anno superiore obtruncaturum manu sua Sfortiam, cùm esset Calorem amnem transiturus, Comiti Jacobo, & Julio Cæsari pollicitus erat. Is ut audit se inter novos militiæ adscriptos esse, ira odioque æstuans stipatum magna militum caterva Sfortiam adit, ibique furori obsequens. *Ecquid*, inquit, *me tibi diutiùs militaturum cogitasti? Tu me quantis voles beneficiis onerato, numquam tamen non inimico adversùm te animo esse, dum vita erit, efficies; non si me multarum Urbium dominum, vel Orbis denique feceris Imperatorem. Tibi quidem de me statuendi, ut animus fert, facultas contigit; ego nihilominus beneficiis tuis omnibus, militiæ tuæ renuntio.* Ad eum nulla irritatus ira, sed tranquillo serenoque ut erat vultu, respondit Sfortia: *Non est quòd rem novam te mihi nuntiare, Sclavete, credas, odia in me tua vociferantem. Ea mihi numquam occulta fuerunt; neque me latuit ejus promissionis iniquitas, qua te Comiti Jacobo, Julioque cruentum de cæde mea ensem reportaturum recepisti: quod facinus mihi compertum satìs ostendere potuit, qua in te usus sum clementia, ex quo apud Casamalam captus, mei juris es factus. Numquid enim exemplo tuo crudelitatis aut humanæ cædis amatorem videbis, qui me mei similem esse malo, quàm tui. Proinde si te in meis castris diutiùs esse non patitur animus (id quod æquè mihi gratum est, ne tam perfido hominis monstro contaminetur) liber, inviolatusque abito.* His dictis equos impedimentaque sua colligens incolumis abiit, & post aliquot annos Anguigeræ adscriptus militiæ, sociatus etiam fraterno jure Georgio Albanensi, miserum, dignumque factis suis exitum invenit.

Immoratus post hæc Romæ per aliquot dies Sfortia, res urbanas componit, & ex communi Uselani sententia Magistratus Urbi præfecit; Quæstorem publicis vectigalibus præponit; stabilitaque jam, ut videbatur, quiete, agriculturæ liberius opera dabatur, armenta in pascua deducebantur: cùm ex improviso Nicolaus Picininus, qui post Braccii fugam Præneste, Zagarolique cum quadringentis equitibus consederat, facta excursione in Romana usque suburbia, qua ex parte vetustissimorum aquæductuum vestigia adhuc visuntur captam ingentem armentorum vim abducebat. Qua jactura concitus, fremensque Romanus populus tumultuabat; concurrentium ad arma strepitus tota Urbe ferebatur. Eo fremitu commotus Sfortia suos omnes è vestigio in armis esse jussos portâ Cœlimontanâ, quæ ad hostes spectabat, educit; ex iis tredecim ordines impeditum tanta præda hostem rapido cursu subsequi jubet; reliquas opportunis in Urbe locis in præsidio locat, ne quid ex eo tumultu gravius accidere posset. Ipse cum delectis profectas ad hostem cohortes subsecutus, cuncta rimatur. Superveniunt igitur gravem prædam agenti hosti Sfortiana agmina, nullâque morâ perculsos invadunt. At Picininus, ubi impetum in suos factum audit, auxilio suis veniens in hostes accerrimâ pugnâ defertur. Sfortia verò magna utrinque vi rem geri conspicatus, & ipse amicos faciens, & in hostes cogens, prœlio se se infert, prostratumque hostem loco pellit. Itaque recepta omni tamdem præda victor Sfortia profligatos hostes fundit; dumque in fugam versos acrius premit, Nicolaum ipsum Picininum, & quemque

que primarium cum eo equitem capit. Hi sexaginta fuere, quos omnes, quamquam Nicolao propter collata beneficia in Michaëlem, reliqua omni ope, ut prædiximus, destitutum, favebat, custodiendos tamen in Capitolium mittit, ea conditione ut per eos versura fieret Sfortianorum militum, qui superiore anno à Tartalia, dum Sfortiana oppida invadit, capti & numquam dimissi duro carcere detinebantur. Verùm Nicolaus ceterique commilitones sui, justo bello capti, præter adhibitam custodiam reliqua omnia humanitatis officia sensere. Ad extremum igitur quarto post eam pugnam mense coactus Braccius suorum libertati consulere, à Tartalia, ut vinctos quos habebat omnes dimitteret, extorsit. Quarum in relatione rerum Blondum Foroliviensem tam multa præclara facinora memoratu dignissima prætermisisse, & in iis etiam, quæ retulit, non satis justam, vel temporis, vel rerum, vel personarum rationem habuisse demiror. Interea igitur, dimisso Romana in Urbe Cardinali Uselano pro Legato, ut antea constitutus fuerat; & Nanne in Arce Capitolina pro Senatore Urbis; cumque his non parvo Romanorum Procerum numero, rogatusque à Viterbiensibus Sfortia, ceterisque vicinis, qui in partes Ecclesiæ constantes fuerant, ut sibi præsidio esset adversùs hostiles Braccii, & Tartaliæ incursiones, magnam alioquin passuris jacturam, si per id Autumni tempus vindemiâ, sementisque faciendis prohiberentur, eo se copiasque traduxit; tutatosque fideliter liberamque ope sua sementorum faciendorum copiam nactos, magnâ sibi in reliquam deinceps omnem vitam beneficiorum memoriâ devinxit.

His pactis cùm per initium hyemis inde abire, cohortesque in hiberna deducere tempus admoneret, constituit insigni aliquo negotio discessus sui memoriam apud hostes relinquere. Delectos igitur ex suis omnibus equites peditesque Tuscanellam versùs profectus, ubi Tartalia rerum suarum sedem fixerat, opportuno in insidiis loco stare jubet. Ipse præmissis magno tumultu ad oppidum usque levis armaturæ equitibus tumulum conscendit, singula inde ut gererentur perspecturus. Procurrisse ad oppidum Prædones hostes Tartaliæ nuntiatur, quo nuntio excitus suos omnes non tantùm milites, sed & oppidanos in armis esse, seque sequi jubet. Inde proripiens se se in hostes fertur. Illi ex composito confestim cedunt; capti nonnulli præcipitem ad insequendum Tartaliam faciunt, cùm de repente in eum appropinquantem signo dato suos omnes Sfortia impetum facere jubet. Sed dum Tartalia nihilo minus quod bellatorum numero haud inferior esset, quamquam inopino perculsus discrimine, incursum sustinet: totis utrinque viribus, odiisque decertant. Ibi inter ceteros strenuissimè manum conferentes pulcherrimum patri Sfortiæ spectaculum præbuit tironis Francisci filii virtus. Is tum ætatis annum sextum decimum agebat, militaria arma tum primum tractare adorsus; verùm in eo certamine tanta animi vi ferebatur, ut veteranos milites anteiret, inter confertissimos hostium delatus manipulos, fortissimè hostem feriret. Ancipiti igitur prœlio in multas horas protracto cùm neutri pedem referrent, A & ex propinquo oppido recentibus turmis, ceterisque rebus interea omnibus Tartaliæ adjuvaretur, Foschinus Attendulus, Petrus Pelacanus, Acattabriga, Petrus cognomento Flascus, Girasius, Mannusque Barilius inter bellicosissimos primi semper habiti, contemplati, quanto in discrimine res versaretur, secedunt ex acie paulùm, junctisque sibi decem tantùm equitibus, aciem aliam cõstituunt. Ea connexi ex transverso in hostium agmen impetum facientes, medios perturbant. Sfortianis interim animi augebantur. Quod conspicatus Sfortia vexillifero signum in hostes proferre jubet. Tum Girardo Gratiano, Pelinoque Bencineno, ac Sanctoparenti Cotignolensibus, & Jacobo insuper Hugoni imperat, ut intenti unum ex omnibus Tartaliam assequerentur. B Illi nihil non armorum fiduciâ ausi cognitum in acie Tartaliam invadunt; sejunctumque paulò ab conserto suorum agmine, & crebris mucronibus impetitum, fugientem denique ad oppidum persequuntur. Itaque coacti tamdem Tartalienses terga vertunt, multi interim cæduntur, multi capiuntur. Ad extremum immixti Tartaliensibus Sfortiani Tuscanellæ portas subibant, nisi posthabitâ multorum ex suis, qui ab hostibus premebantur, salute, obserari portas Tartalia jussisset. Eum enim acerrimè insecutus Pelinus jam intra portam irruperat, C atque ibi captus est. Girardus, & Sanctoparens ad ipsas usque portas pontem conscenderant; Jacobus verò turbato ab catena pontis equo in ipsam fossam deciderat, unde magno cum labore, incolumis tamen, est retractus. Ipse Tartalia ingenti perculsus metu cùm ad suos se recepisset, erecta proximè ad clausos muros diu Sfortiana signa conspexit. Reductis post id Viterbium cum præda copiis potentibus, Braccio Montonensi, qui tum intra Montemflasconem, sive ut quibusdam videtur Montem Faliscorum, se continebat, & Tartaliæ, induciæ in semestre conceduntur. Ipse Sfortia dimisso, quòd opportunum per ea loca videbatur, præsidio sub D ductu Sanctoparentis Romam petit. Ibi paucos immorato dies nuntius affertur, transisse in Italiam novum Pontificem in Constantiensi creatum Synodo Martinum Quintum, cui priùs Odoni nomen erat, ex clarissima Romana familia Columnensi. Ad cujus amplitudinem felicitatemque visa sunt elementa omnia conspirasse. Nam conculcatam, & prope ad internecionem redactam rem Ecclesiasticam accipiens, quantum ad Urbium Provinciarumque Principatus attinet, incredibili successu auxit, auctamque stabilivit. Solus propemodum ex omni Pontificum catalogo, & universi Christiani Orbis obedientiam tenuit, & inæstimabiles thesauros accumulavit. E Exploratâ igitur super his rebus Reginæ voluntate, Sfortia Foschinum Attendulum cum magna militum manu, & Antonium Minutum, spectatæ virtutis Quæstorem, in Urbe reliquit, ea lege ut venienti novo Pontifici, seu quem misisset Legato, Reginæ verbis, Romam Urbem cum Adriani Mole, præterea & quæcunque Romanæ ditionis oppida, arcesque resignarent. His ita statutis ipse Neapolim ad Reginam contendit. Affuit igitur Romæ intra mensem vir clarissimus Jordanus Columnensis, Pontificis germanus frater, cui magno Urbis plausu

plausu excepto Foschinus, Antoniusque, ut imperatus à Sfortia erat, Romam Urbem, arcesque, & oppida reliqua Reginæ nomine dedunt. Quæ res non immeritò Martini Pontificis animum erga Reginam, Sfortiamque A immortali hoc insperatoque beneficio obligavit. Rogatus tamen à Jordano Foschinus, ut Urbem cum præsidio, quod habebat, tueretur, per eam ibi hyemem usque ad æstatis initium mansit.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

LEODRISII CRIBELLI
DE VITA ET GESTIS SFORTIÆ,
EJUSQUE FILII
FRANCISCI SFORTIÆ VICECOMITIS
MEDIOLANENSIUM DUCIS ILLUSTRISSIMI
LIBER SECUNDUS INCIPIT.

A AT Reginalem aulam insidiæ, livorque, qui Regia tecta numquam deserunt, diu quietam esse non patiuntur, cujus causas nonnihil altius referre juvabit. Erat inter Reginales aulicos Marinus Boffa, Jurisconsultus amplissimæ dignitatis, qui in audiendis primùm causis plerosque annos, etiam ante Ladislai obitum, magna cum laude pro Regio auditore versatus, in eam postea, permittente Regina, amplitudinem vênit, ut unus magno hominum favore Regiam administraret, apud Reginam primus maximè posset. Hunc igitur præcipuum sibi amicum parat Sfortia, & compaternitatis etiam vinculo jungit.
B Contigit autem, ut inter Reginales puellas una esset Johannella Standarda, formâ & genere celebris, & moribus pollens, arcta etiam consanguinitate materno ex latere Reginæ juncta; ceterùm quæ ex paterna hereditate (nam Jacobo Standardo Aliffi Comite, claro Principe, nata, unica superfuerat heres, & filia) Arientium, Irpinum, Cancellum, & pleraque item minora in Apulis suæ ditionis oppida, prædiaque ingentia possideret. Hanc igitur cum plerique alii, tum maximè Samuel Tomacellus ex Neapolitana nobilitate, uxorem peterent, Sfortia & ipse nurum sibi
C adjungere non mediocriter optavit; & ut ceteris præferretur, cum amicis agebat. Cùmque Reginali jussu adversùs Braccium, Romanam occupantem Urbem, cum exercitu profecturus esset, Marinum, cui ex amicis maximè fidebat, & quem propter supremam ejus auctoritatem singulariter colebat, magnis precibus obtestatur, ut apud Reginam pro desponsanda filio Johannella operam suam omnem, quæ efficacissima erat, interponeret. Stipendia item sua eidem, qui ærario præerat, commendat. Marinus firmata in desiderium Sfortiæ fide, ut ex sententia omnia speraret, hortatur.
D Verùm abeunte Sfortia ille idem Sfortianarum curator rerum, amicitiam fidemque proprio commodo posthabuit. Assumit igitur sibi uxorem Johannellam, assumtamque parum felici auspicio nihil moratus ad se traducit. Evenit item & per eosdem dies, ut Regina quamvis Urbani Auriliæ formosi juvenis magno amore teneretur, conjectis tamen oculis in unum Johannem Carazolum, Neapolitanum Equitem, cujus ante meminimus, incredibiles ex eo flammas mente conciperet. Ille sibi omnium formosissimus, ille ornatissimus videbatur. Fuisse hunc prima ætate Notarium, filiumque Poëtæ cujusdam Carazoli tabellionis, nobilis tamen, sed exiguæ facultatis, multi affirmant. Nam cum Carazolorum familia non omnes inter se genere pares habeat (quod & in plerisque aliis contingit generosis familiis) præstantiores, inter quos Ottinus erat, Schizzi appellantur, inferiores verò Rubei, à quibus Johannes ortum ducebat. Cùmque ab Ladislao junior adhuc amatus esset, militaribus ab eo ornamentis insignitus ante Rochæ Siccæ pugnam fuerat; & uxore deinde tradita, in quam Avellini Comitatus pervenerat, Avellini etiam Comes appellabatur. Tentaverat autem sub Sfortia in eam, quam diximus, expeditionem profecturo duodecim equitum stipendio adscribi; sed eo non ampliùs novem offerente, qui communis erat cum multis aliis Civibus numerus, restitit domi Carazolus, quem ab ea militia lubrica sors in altissimum gradum, unde vehementius rueret, elatura retraxit. Hunc igitur in arctissimam familiaritatem Regina cùm recepisset, Magnum Neapolitani Regni Senescallum creat, quæ dignitas est ad thronum Regium proxima. Et in id denique fastigii paucos intra menses evectus est, ut præter Regium nomen nihil sibi reliquum fecisse videretur. Unus ad arbitrium omnia dirigebat; unum omnes Regni Proceres, vel amare, vel timere cogebantur. Fugato igitur Braccio, & Româ in Reginalem ditionem redactâ, Neapolim redit Sfortia victor, ut ante meminimus, per eos ferme dies, quibus Carazolus in intimum Reginæ sinum receptus magnitudinis suæ fundamenta jaciebat. Fuerat autem summa hæc Carazoli cogitatio, ut Marinum omni Reginalium rerum administratione averteret. Id autem per ea initia Principatus sui, nisi assentiente Sfortia non facilè facturus videbatur. Itaque ut erat callidi ingenii vir, offensum ob eam Marini fraudem, quam retulimus, Sfortiæ animum acrioribus etiam dictis irritat, & vehementius incendit. Cùmque præter hæc summum erga res Sfortianas studium præseferret, eo rem reduxit, ut quamvis adversante Ottino, qui Johannis insolentiam jampridem nosset, Marinus omni sua dignitate spoliatus, accessu etiam Curiæ prohiberetur. Aggressus item fuerat paulò ante Urbanum Auriliam pari astu; propterea quod molestè ferebat ejus hominis desiderium apud Reginam plerumque refricari. Quiddam enim maximum commentus, ad Re-

Reginam pertinere, ut ad Constantiensem Synodum, novumque, qui crearetur, Pontificem Legatus mitteretur ex omnibus fidissimus, super Reginæ, Regnique commodis tractaturus, Reginam impulit ut unus omnium Urbanus mitteretur. Verùm is post aliquot menses è legatione sua rediens, clausis ostiis procul esse jussus, quàm stulta fuisset ejus profectio, sero intellexit. Jamjam igitur omni reliquo summoto rivali Johannes Carazolus, qui sorte sua contentus esse, vel æqualem pati nesciret, Sfortiæ virtutem dignitatemque, quod ceteris eminere nimium videretur, suspectissimam habere, & mortali odio insequi cœpit. Ingrato prorsus & crudeli animo, ut ejus exitium meditaretur, à quo ad obtinendam dignitatem magnopere adjutus erat. Itaque dum eum è medio tollere molitur, venena, sicas, & cetera hujusmodi cuncta pertentat. Ubi ea frustra sunt, dolo vires addere meditatur, & quacunque etiam aperta vi Sfortiam opprimere.

Aderat igitur Divo Georgio festus dies, cùm Sfortia de more militarium ducum Reginalia, suaque signa extulerat, magno armatarum cohortium splendore, cumque iis ad apricum Mazoni rosei locum per speciem castrorum tentoria fixerat; ibique cùm liberior esset multorum jam de summis rebus colloquendi facultas, certior fit majorem ab Carazolo in se vim parari; nam de structis ab eodem antea insidiis compertum habebat. His ergo anxius curis, ut se tantis circumventum periculis quocumque modo posset eriperet, Vulturnum amnem junctis utrinque ripis ponte & doliis raptim fabricato, cum omnibus copiis transire, seque ad Turrim Francolisiorum munire cogitur. Interea firmatis ibi castris Foschinum, Nannemque ab Urbe, Girardum, & Sanctoparentem ex Tuscia cum iis, quas habebant, cohortibus ad se accersit. Foschinus veniens præter acceptos à Sfortia milites, strenuissimos insuper ex Braccensi militia equites, qui se ad eum receperant, Ruffinum, Napulionem, Janicium, Doninum, compluresque alios secum duxit. Universi verò mille & septingentorum equitum numerum explebant. His ergo & tutelæ simul, & maturandæ profectionis causa ordines quosdam Sfortia obviam mittit, eosdemque ad oppidum, cui Sancto Angelo nomen est, in ripa Liris fluminis, quem Italica Lingua Garilianum vocant, transeuntes operiri, unàque ad se in castra proficisci jubet. Ceterùm firmatis ibi castris cùm discessio parum à seditione, tumultuque bellico abesse videretur, amicorum interventu Reginæ, Carazoloque Sfortia conciliatur, utque ingentium benemeritorum suorum præmia se digna saltem aliqua ex parte consequeretur, Beneventi primariæ in Samnitibus Urbis accessione eum Regina auctum facit, & Manfredoniæ vectigalium tertiam partem in stipendia addit. Fit insuper affinitas, quo constantius irritati inter se jampridem animi jungerentur, desponsatâ Clarâ Attendulâ, ornatissima virgine, Foschini, & Marci sorore, Marino Carazolo Sancti Angeli Comiti, & magni Senescalli germano fratri, Cerignolâ oppido in dotem collato. Verùm ejus nuptiarum dies cùm in aliquot annos prolatus esset, indignante Sfortia, violari sæpius à Carazolo per summam animi impotentiam amicitiæ & affinitatis jura, felicibus tamdem auspiciis celebratus est. Virumque suum frequenti partu egregiæ prolis parentem fecit.

Restituta ceteris quiete, solius tamen Carazoli animus eo etiam Sfortiæ incremento infensior factus, in ipsius perniciem magìs accenditur. Cùmque ejus apertè oppugnandi facultas ademta esset, callido consilio hujusmodi expeditionem machinatur, quæ illi exitium videretur allatura. Sanseverinates, quibus affinitate Sfortia junctus esset, minus obedientes fortè Reginæ erant. Hi ultra Sarnum amnem, ortu suo mirabilem, quod non ampliùs quàm uno fonte exsurgens ab Apennino in Tyrrhenum usque mare delapsus, nullo loco ob sui magnitudinem vado permeabilis est, Vallem Dianæ, & multa præterea oppida suæ ditionis habebant. Itaque Reginæ verbis Sfortiam in eos ducere, belloque ad deditionem cogere jubetur. Irritaturum enim per eum modum in se Sanseverinatium animos Sfortiam existimaverat Carazolus, bellumque longius protrahendum. Et ipse interim, intercluso omni à tergo commeatu, interruptis etiam itineribus, custodiisque dispositis, indigenarum animos variis criminationibus, & spe lucri in Sfortiam concitaverat: medium eo pacto inclusumque non difficulter opprimi posse ratus. Sed iniquè cogitata hominem longè destituunt. Gesti autem ejus belli per summam sapientiam, summamque nominis auctoritatem, quæ non minus in bello, quàm ferri acies, valent, maturum felicemque finem Sfortia invenit. Honestis enim adducti conditionibus Sanseverinates Reginæ fidei se se dedunt, ejusque imperio obedientes fiunt. Inter eos & Sfortiam solidiora in reliquum amicitiæ fœdera stabiliuntur. His peractis, quamquam omnia, quæ adversùs se Carazolus moliretur, Sfortia non ambiguè deprehendisset; priùs tamen, quàm ad ulciscendas injurias suas inde castra moveat, filium Franciscum, in quo omnis paterna cura hærebat, ad desponsandam pactam ei conjugem illustrem inter Brutios, Calabrosque Polixenam Ruffam mittere instituit. Ea præter cetera formæ, generis, virtutumque ornamenta, multorum insuper oppidorum, & magnæ ditionis ex paterna successione jus imperiumque per eas oras habebat, quas nunc uno nomine universas Calabria complectitur; priscis verò temporibus Lucani, Brutiique Magnæ Græciæ populi, & Sinus Tarentinus, Ætholi, Pleucetii, Calabri demum, & Salentini, suis quique propriis terminis, si Ptolemæi, & Pomponii Melæ figuratos Orbes consideremus, incolebant; moribus etiam inter se, linguisque diversi, plerique etiam in hanc ætatem Græci sermonis vestigia retinuerunt. Dimissurus igitur à se in multos menses carissimum filium suum Sfortia Augusto mense Anno Octavo decimo supra Mille & Quadringentos, jamque & ætatis, & generosi conjugii ratione sui deinceps juris facturus, præstantissimos delegit ex omni ductorum, equitumque suorum numero viros, qui consilio & bellica virtute, ubi res posceret, magnanimo adolescenti & adessent, & obsequerentur. Eorum præcipui fuere Berardus Camertes senior, Nannes Spi-

Spinelli ordinum ductores cum eorum equitatu. Adjecit praeterea & Judicem Carolum Avanensem Jureconsultum, & perstrenuos equites Furlanum grandem, Pelinum Cutignolam, Blanchinum Parmensem, Antonellum Fanensem, & multos insuper minus compertae famae viros, quorum virtuti fideique maximè credendum aestimabat. Omni igitur reliquo apparatu instructum filium sub horam profectionis ad se vocat, intentisque in eum maximè oculis Sfortia his verbis fertur allocutus: *Prospexi hactenus aetati dignitatique tuae, fili mi, quàm maximè potui paternâ diligentiâ. Nunc autem deposito in meis castris tirocinio, uxorem tibi despondi, praestantem moribus, genere illustrem, divitiis verò opibusque praepotentem, cui junctus feliciter degas, teque Urbium & oppidorum Principem agas. Ibis igitur paterna faustus benedictione, Deoque inprimis propitio, his comitantibus, quos mihi fidissimos, carissimosque belli gloriâ, & militarium usu rerum magnam adeptos auctoritatem ex omni numero delegi, quorum consilia cunctis in rebus audias velim. Ceterùm & has paternas admonitiones in intimum pectus tenaci memoria conde. Ex omnibus, quae te semper servare jussi, haec praecipua tibi erunt, ut Justitiam indefesso cultu in omnes exerceas. Illa te populos deinceps regentem Deo gratum, hominibus verò maximè carum faciet. Cùmque eam ceteris in rebus omnibus observaveris, memineris, te nullius umquam subditi animum per adulterii contumeliam irritare. Eam injuriam & Dei indignatio, & hominum iracundia per summam semper acerbitatem ulciscuntur. Praeterea cùm tibi magnarum futuro copiarum duci multi necessariò sint famulaturi, cave ne quemquam eorum duriori verbere concutias, aut vulnere laedas; nam periculosior tibi ex familiaritate fiet hostis. Quòd si in quemquam graviori delicto irritatus manum injeceris, non haereat ampliùs ille tuis tectis, sed quoquo idoneum aestimaveris pacto confestim abs te dimitte. Postremò quia te bellicae rei longus usus, & immortalis gloria manet, hoc etiam moneo, ne in equum intractabilem oris duritie, aut molli fultum pede conscendas; nec enim ad arbitrium tuum dirigere poteris, sed furentis potiùs jumenti mancipium fies. Haec tibi, fili mi, ut per omnem vitam observes mando.* Dissolvit his dictis paterno amplexu abeuntem filium, eumque quàm maximè potuit summis obtestationibus Berardo, Nanni, & ceteris, quos commemoravimus, commendavit. Fertur insuper abeuntem oculatiùs inspiciens, ad circumstantes dixisse: *Hunc profectò supremum Italia Principem est habitura.* Exceptus igitur per summam laetitiam Franciscus Comes Pollixenam excellentem sibi desponsatam uxorem capit, & biennium ferme apud eamdem agit, susceptâ ex eadem secundo anno filiâ. Fuere autem dotalia ejus oppida viginti aut ampliùs, in queis praecipua numerantur praeter Montalti Urbem, Cariate, Campana, Cachurium Cicho, & Johanne clarissimis fratribus oppidanis insigne. Praeterea & aureorum viginti millia. Cùmque Messianum, Briaticumque, & omnis ager, quae sui juris essent, aere alieno obsignata tenerentur, eadem vigintiquinque millibus aureis ab Sfortia redemta fuere. In his autem regendis populis tanta aequanimitate & justitia omnibus communem Principem, & in pulsandis hostibus virtute fortissimum belli ducem egit, ut antiquatâ vetustissimorum ejus regionis Principum memoriâ, in hunc unum omnium ora, oculi, & desideria figerentur. Cepit insuper & per eosdem dies, auctore Sfortia, uxorem sibi Dominicus Bosii Attenduli, ei sanguinis gradu proximus, Johannellam Jesualdam, formâ & genere praestantem, à qua dotalia in Apulis eidem oppida Aquaviva, Sanctus Licander, Zolia, & Cellamaris conferuntur.

At Sfortia paucos postea dies Polae, unde Franciscum dimiserat, immoratus, castra è Valle Dianae movens, Neapolim versùs iter facit. In ea profectione quamquam & sollicitatos in se Carazoli operâ agrestes, & praecisa multis arduis in locis itinera offendit, nemo tamen hostile in eum quicquam agere praesumsit. Sed cùm Sarnum fluvium transiturus esset per pontem Arci Tysatae subjectum, quòd unum oppidum fluminis ripas munito ponte conjungit, gregarii militis arma sagumque indutus, salubri consilio unum se observantis Praefecti insidias declinavit, perque eum modum dum unus expectatur Sfortia, cohortes omnes incolumes transire permittuntur. Progreditur igitur, comitantibus eum plerisque aliis civibus Neapolitanis, Carazolo ob ejus superbiam adversis, tum maximè Francisco Morimino, cujus erat praecipua in ea Urbe auctoritas, ea ratione Neapolim petens, ut cùm saepe de Carazoli injuriis per nuntios apud Reginam alieni juris factam questus frustra esset, ipse aliquando Reginam, se seque per arma (quando aliis remediis nullus jam locus relictus erat) tantâ ignominiâ, tantoque periculo exueret. Structis igitur ordinibus ubi ad Urbem ventum est, immissus per Forum Moriminus, paucis de exercitu comitantibus, factionis suae homines in arma concitat, eorum agmine facto tota Urbe discurrit, Reginae quidem felicia, pessimis verò consultoribus infausta succlamans. Eo tumultu territus Carazolus, cui uni exitium ferebatur, fallacibus dolis Franciscum Ursinum, virum bellicis artibus clarum, instruit, & quae illum agere velit, monet. Is ergo ad Sfortiam profectus cum eo de pacis conditionibus Reginae verbis agere coepit, multaque, quae in rem ejus essent, pollicebatur. Interea verò rogat, ne tantas in Urbem militares copias inferat; sisteret potiùs quo vellet in loco, donec de omnibus ad arbitrium suum cum Regina transigeretur. Persuasus Sfortia fallacibus Francisci verbis, qui verisimilia nuntiare videbatur, & ipse Reginae gratificari maximè cupiebat, secundùm Urbis muros cohortes agens, in suburbium, cui à Corrigiis nomen est, è regione Arcis novae descendit. Jamque deposito omni conferendae manus studio, spe componendarum ex sententia rerum, de firmandis ibi tentoriis cogitabat. At regressus interea ad Carazolum Franciscus comparatorum ab eo per eam medii temporis occasionem, populo irritato, & arma capere jusso, ingentem equitum peditumque numerum accepit. Cum iis rapido agmine portâ egressus inopinantem Sfortiam, vagantemque legionem invadit. Ad eam impressionem cùm totis castris tumultuarentur, priusquam revocare suos Sfortia, & in ordines redigere posset, magnam suorum jacturam tulit. Facto tamen ad se tumultuario convenientium glo-

globo, hoſtilem impetum ſupremis adnixus viribus tantiſper repreſſit, dum impedimenta, & magna exercitus ſui pars (quia quà venerant reditus negabatur) per defoſſam longo agmine Griptam viâ Puteolanâ evadunt. Quo loco incredibile fuerit, quibus periculis ſe objecerit, quotiens ab hoſtibus aut cæſus aut captus æſtimatus ſit. Dumque ſe pedetentim ad ipſius Griptæ fauces cum noviſſimo agmine tranſiturus recepit, prementibus ibi hoſtibus, majori quàm antea afficitur detrimento. Itaque amiſſis in eo certamine equitibus mille, & in iis primariis viris non paucis, inclinato jam in veſperum die, ſub eam noctem ad Caſale Principis, (id oppido nomen eſt) ſe recepit. Ibi triduum reficiendis copiis impendit, ducturus inde Beneventum, niſi nova bene gerendæ rei occaſio ſe ſe obtuliſſet. Peractis enim interea conventibus cum Galatiæ Comitibus ex Aurilia familia, qui ſe & ipſi Carazolo infenſos eſſe ſcirent, Acerras Urbem, arcemque ab eis accipiens, eò cum legione tranſit; ea verò non ampliùs octo millibus paſſuum Neapoli abeſt. Maximam tum exercitus partem in Villa Fraôla per eam univerſam hyemem in hibernis conſtituit. Quamobrem renovato bello aperto jam Marte Neapolitanis crebris excurſionibus inſultat. In Urbe verò Carazolus magnam ejus rei Franciſco Urſino gratiam ſe debere teſtatus, pacta tantæ fraudis præmia apud eum locat. Tradita enim ei per ſecundas nuptias uxore ea, quæ priùs Peretto Comiti Trojæ nupſerat, Canosâ, Diliceto, & Sancta Agatha, non ignobilibus Campaniæ dotalibus oppidis auctum facit. Per eam ſubinde hyemem cùm in dies acriùs Sfortiano bello Neapolis premeretur, nec jam diſſimulanter iratæ Civium in Reginam, & Carazolum voces audirentur, propterea quòd belli calamitas, & omni calamitate gravior fames, Principum reverentiam excutit: coactus Carazolus Reginam hortatur de pace agere. Quæ ubi ſe ſequeſtram in eam rem dedit, Sfortiæ numquam adversùm ſe pertinacem animum haud difficulter in ſuam ſententiam traxit. Depoſitis igitur inimicitiis, veluti Regina optaverat, Sfortia magnus Comeſtabilis Neapolim profectus, & in ædes Ottini Carazoli in Capuana ſede receptus, Carazolo magno Seneſcallo inſtauratâ amicitiâ jungitur. Rerum omnium, quarum Sfortia in Corrigiis per eam, quam diximus, fraudem jacturam tuliſſet, cenſu facto, ſumma integra perſoluta eſt, eodem annuente magno Seneſcallo. Ea verò conciliata recens amicitia ne labefactari poſſet, multorum in primis nobiliſſimorum Civium Neapolitanorum idem ſentientium, & qui plurimum apud utrumque poſſent, aſtipulationibus ſolidatur. Qua tempeſtate Civibus ipſis novo fœdere coëuntibus, & ne quid tale deinceps paterentur, Urbis adminiſtrationem in ſe recipientibus, non parum de Carazoli dignitate detractum conſtat. Præterea cùm ad conciliandos omni ex parte animos ad mutua invicem colloquia ſub ipſis Reginæ oculis coituri eſſent; ne qua ſuſpicione Sfortia teneretur, Arx nova liberæ poteſtati Franciſci Ricardi Principis Ortonenſis, cui plurimùm ipſe fidebat, permittitur. Per eum modum Reginæ, & Magno Seneſcallo congreſſus Magnus Comeſtabilis, illam quidem Regio honore veneratus eſt, huic verò mutuas dextras junxit, ſimultas omnis injuriarum oblivione deleta.

Venit ſubinde Neapolim Jordanus Columna, Martini Pontificis frater, cujus ſupra meminimus ad eam ipſam rem ſtabiliendam per eos dies evocatus. Is ergo ut jam convenisse omnes comperit, re collaudata, auctoritate ſua, quæ maxima erat, omnia ex integro firmat. Utque aliquid roboris ad ejus perpetuitatem attuliſſe videretur, Carazolum Romam ſecum in aliquot dies proficiſci hortatus eſt; acquieſcentem ejus voluntati abiens poſtea ſecum duxit. Liberatus inſuper per ea fœdera omni cuſtodia, qua priùs tenebatur, Jacobus Martinæ Comes, aſſenſum ad eam rem præbente Regina, in eamdem, ubi Sfortia receptus erat, Ottini Carazoli domum deſcendit. His peractis ſecundùm Pontificis juſſa Jordanus Sfortiam Romanæ Eccleſiæ Confanonerium pronuntiat; Pontificalia, quæ attulerat, inſignia ad eum defert. Auctus verò ea dignitate Sfortia, ingenti Procerum numero, & omni denique Neapolitana nobilitate comitante, ſplendidiſſimo apparatu per Urbem fertur, ſublatis ante ſe pro more Pontificalibus ſignis Januario menſe ejus initio Anni, qui fuit Decimus nonus ſupra Mille & Quadringentos. Præterea ut ea Pontificis amicitia ornamento Reginæ eſſet, & rerum pariter ſuarum ſtabilimento, Pontificalibus decretis ei Regia poteſtas confirmata eſt, quòd in Papalis Feudi ditionem Neopolitanum omne Regnum ab longiore jampridem annorum numero, quàm cui præſcribi valeat, conceſſit. Inſuper Sancti Marci Cardinalis Venetus ex familia Maurocena, Franciſcus Montepulcianus Epiſcopus Aretinus, & Angelus Romanus Epiſcopus Anagninus Reginam ſolemni ex more Regio diademate coronarunt. Quo Pontificis favore venerabilior jam & ſublimior facta, ut gratam ſe in tantis honoribus mentem ſervaſſe oſtenderet, quatuor equitum millia, & peditum item duo millia ſub ductu Sfortiæ, qui afflictis Romanæ Eccleſiæ rebus auxilio eſſent, donec priſtinam ſuam dignitatem retineret, icto fœdere miſſuram ſe recepit. Reginæ, ceteriſque Regnicolis omnibus per eum modum quiete parta, initio veris Martinus Pontifex, relictâ Ciſalpinâ Galliâ, quam recentius Lombardiæ vocabulum complectitur (nam per annum intra eam reſederat) Mediolani primùm, dehinc Mantuæ, ſummo Principum plauſu, poſtremò Bononiæ receptus, Florentiam ſe contulerat. Inde miſſis ad Reginam nuntiis inſtantiùs poſtulat, mitti Sfortiam magnum Regni Comeſtabilem, Romanæ verò Eccleſiæ Confalonerium, cum univerſo exercitu Romam, ut perturbatis admodum Eccleſiæ rebus adversùs Tyrannum Braccium opem ferret. At Reginæ interea irretitum intolerabili Carazoli abſentis deſiderio animum, vehemens & effræna libido exaſperaverat. Cùmque per otium & Regni delicias ad eam rem impatientior in dies fieret, quia Pontificem criminari, aut de turpi re apud eum querelam agere non audebat, Sfortiam nullius ignarum rei acerbiùs per fidos nuntios non diſſimulanter increpabat. Quid, inquiens, illi rei eſſet, quòd magnum ſuum Seneſcallum tam protervè à ſe diſtraxiſſet. Nec jam obſcurè furentis animi

mi muliebris conatus omnis ipsi Sfortiæ non formidandus esse non poterat. Et destinata interim in Braccium expeditio per eas causas malignius agebatur. Cùm tamdem consulentibus amicis placandum potiùs esse Reginæ animum, quàm diutiùs ea insanabili molestia exacerbandum, instare apud Pontificem Sfortia cœpit, ut Carazolus Reginæ restitueretur. In quam rem cùm deposcenti Sfortiæ Pontifex annueret, eo uno maximè obsequio gerendis rebus opportunè consultum est; delenita enim magni Senescalli sui præsentiâ Regina, jamque amico in Sfortiam animo facta, summo studio stipendia commeatusque expediri jubet. Interea verò dum hæc peraguntur, dumque militares copias instrueret Sfortia, monitus sibi prospicere, ne novatis fortè aliquo casu rebus ab magno Senescallo reditu in Regnum excluderetur, obsides ab eo in eam rem postulat. Ille haud gravatè, ut visus est, filios duos dedit, quos Sfortia Beneventum mittit in Arce observandos. Laurentio verò, qui Reginæ Regnique præsidio relinquebatur, Betheta primùm maritima in Apulis Civitas, mox etiam Cassanum ab eadem conceduntur. Ubi ergo libero suo in Regnum reditui, & rerum suarum securitati provisum pro tempore Sfortia satis arbitratur, instructas copias contrahit, cumque his Romam versùs iter facit. Jamque Vulturnum amnem prætergresso nuntiatur, Jacobum Marchiæ Comitem fugâ Neapoli se subtraxisse. Quo nuntio sollicitatus, dum tumultuari omnia credit, relictis castris, paucisque de exercitu comitantibus, Reginam cursu repetit. Neapolim tum ingressus, ubi omnia spe quietiora comperit, tertio quàm profectus erat die in castra redit. Comitem verò Jacobum hujusmodi eventus excepit. Adductus in spem novandarum rerum, si se in libertatem, jurisque sui Urbem vendicasset, simulata deambulationis consuetudine, litus obequitat; inde raptim equo descendens paratam ad id scaffam insilit; eâ in altum devectus ad Genuensem onerariam ingentem navem, Tarenti ex ea exponitur, quæ Civitas, ex quo Rex fuerat appellatus, ejus ditioni ad eamdiem paruerat. At longè aliter, quàm ratus erat, adversa omnia experitur. Nam ubi fugisse eum, & se Tarenti recepisse vulgatum est, Regina Maria, quam ab eo Comite Jacobo, primo suo in Regnum adventu, cum Johanne Antonio, & Philippo filiis duro carcere liberatam fuisse memoravimus, proprii magis commodi, quàm tanti beneficii ratione habita; coactis illico illis omnibus, quas potuit, copiis, Tarentum, quod antea Maritus possederat, aggressa ad ejus oppugnationem, quantum à terra aditus datur, intendit, non parum in Civium deditione spei reponens. Qua indignitate perculsus tamdem Comes Jacobus, nihil prætera auxilii ab ceteris Regnicolis sibi statuens, relicto Tarento navem conscendit. Eâ in Cefaloniam Græcam Urbem primùm defertur. Inde rursus Gallias repetiit; ad extremum seu pudore amissi Regni, seu meliori fortassis voto Religionis habitum sumsit, atque ita non multo post suprema luce defungitur.

Progressus igitur cum Exercitu Sfortia Romam præterit; inde Bacchano iter faciens, Ciminum saltum, Viterbiumque prætergreditur. Jamque fines hostiles petens, medio ampliùs loco inter Viterbium, ac Montemflasconem castrametatur. Is locus Sancti Johannis appellationem tenet, dimissis interim, qui venientes ex Brutiis Calabrisque finibus, Franciscum filium, & Leonetum Sanseverinatem generum cum magnis cohortibus, iter maturare juberent. Firmatis ibi castris coiisse cum Braccio Tartaliam (is enim impositis in scaffas copiis, longiore à læva circuitu facto, Vadimonis trajecerat lacum) collectasque ab eis undique vires, & ad se adventare certior redditur. Eo nuntio Sfortia in pugnam intentior factus, statuit pedestres augere copias, quarum exiguus erat in castris numerus; ignarus interea, confisum conjuratione quorumdam, quos primarios in castris haberet, Braccium ad se venire. Scribit igitur Viterbii ad Magistratus, principesque factionis utriusque, nam Gatti, Tignosinique ante omnes eo loci nobilitate præstabant, ut quadringentos ad se pedites pugnæ idoneos mittant. Hi delectis fortissimis quibusque, & armis instructis, numerum explent, & ad Sfortiam in castra proficisci jubent. Illi verò sinistro omine per noctem oppido egressi, in castra ferebantur; nam medium emensi iter prima luce, incerto adhuc prospectu in ipsum cum legione venientem ab Perusina & Urbevetana Civitatibus Braccium incidunt. Et quoniam ejus repentinum adventum nulla adhuc fama vulgaverat, ex vicinitate etiam Sfortianorum castrorum conjecturam facientes, Sfortianos arbitrati, obviam pergunt. Itaque incauti, circumventique subito malo, ab hostibus maxima ex parte capiuntur. Extulerat ea res Braccio animos, nam per eos in magnam spem venerat Viterbii potiundi. Itaque converso itinere (nam Rispampanum versùs, ita incolæ vocant, signa direxerat) curare e vestigio corpora milites jubet. Nec multo post instructa acie Viterbium cum copiis omnibus contendit, captivos præferens, dimissis paulò ante ex iis quibusdam in Urbem, & libertate sinè pretio omnibus promissa, si Civitas dederetur; repugnantibus verò cruciatus & extrema omnia ferociùs denuntiaverat. Defertur illico ad Sfortiam hæc Viterbiensium calamitas, qui cùm haud difficulter ex ea re, quæcunque Braccius moliretur, conjecturâ esset assecutus, nihil differre statuit ad ferendum in tanto discrimine amicæ Urbi auxilium. Ac ne quid à tergo improvisum relinqueret, mittit properè ex suis ad Monteflasconenses incertæ tum adhuc fidei, quibus proximus erat, qui hortarentur eos in Pontificis fide manere. Se, ubi res posceret, affuturum auxilio, provisurumque, ut quàm minima ex hostibus detrimenta sentirent. Illi verò partium studia secuti, cùm apertè jam ad Braccium defecissent, eos, qui venerant, oppido prohibuerunt. Hoc igitur irritatior factus Sfortia, dum Viterbiensibus auxilio esse properat, quorum profectò in tanta procella solida fides & virtus claruit, ut tot egregiis civibus bello captis, nihil alienum à constantia sua cogitarent, statuit si quo posset occulto tramite hostem prævenire, ut exinde inopinantes invaderet. Sed frustra erant consilia omnia in contaminatis primorum quorumdam perfidiâ castris. Hi erant Comes Nicolaus Ursinus, & Gilibertus, du-

ductores equestrium ordinum, qui jampridem firmatis cum Braccio fœderibus audaciam dederant, qua se Sfortiæ obviam ferret, solamque occasionem expectabant, qua magno ei beneficio gratificarentur. Quod nequis inficietur, præter detectum paulò post ex eorum fuga scelus, Braccius ipse triennio post ad Gajanellum mixto cum Sfortia colloquio confirmavit. Advocatis igitur è vestigio in consilium primoribus quibusque, & ordinum ductoribus, Sfortia quod consilii haberet aperit, eodemque cohortante præveniendum omnes censent. Nam supervenientem post eos ad Viterbii mœnia Braccium, non difficilè in summum discrimen adduci posse confitebantur. His ita firmatis quàm maximo potest silentio castra movet, quoque occultior hostibus ejus profectio esset, declinantes ab læva instructos ordines Ferentum iter agere jubet (is locus disjectæ Urbis vetustissimæ nomen tenet, nec ampliùs quinque millibus passuum Viterbio abest) pari ferme unde venerant intervallo, atque inde tectos depressum rivi alveum, cui Aquæ rubeæ nomen est, Viterbium defluentis, sequi. Aberant igitur Viterbio jam non longiùs duobus millibus passuum, cùm interea nuntiatur, Braccium, qui nihil eorum, quæ gerebantur, ignoraverat, cum copiis omnibus instare. Progreditur illico, ut venientes contemplaretur hostes, ex acie paulùm Sfortia, qui extremum agmen agens præsidio reliquis incedebat. Cùmque hostes transverso itinere ab Bullicamine (is fons profundissimus est scaturientium calidarum aquarum) in se ferri vidisset, regressus ad suos, ut in pugnam adhortaretur, tumultuasse comperit, nullosque ordines servare. Nam Comes Nicolaus, cui ex ordine per eum diem signa credita erant, ubi appropinquare hostes vidit, properare signiferos jubet, urgetque instantiùs, ita ut fugientium speciem præberet. Ingressusque eo cursu oppidum signa super Urbis muros statuit. Quod conspicatus Gilibertus, tumultuosiùs & ipse agmen agit. Reliqui item eorum exemplo deterriti, nullo adhuc premente, ordines perturbant. Itaque reclamantem magna voce Sfortiam, & ordines pugnamque revocantem, pauci audiebant. Ex iis verò, qui Urbem ingressi erant, ne unus quidem pedem efferre, ut reliquis auxilio esset, sustinebat. In eos ita perturbatos perculsosque delatus magno impetu Braccius, terrorem auget, resistentes pellit, magnum captivorum numerum facit; donec Sfortia diversâ ab prœlio portâ, cui Sisti nomen est, oppidum ingressus, cunctantes suos, qui intra mœnia se receperant, precibus, & qua plurimùm poterat oratione, ut in pugnam redeant, hortatur. Delitescentibus reliquis, triginta admodum ex tanto numero ducem suum sunt secuti. Sfortia facto ex his globo portâ Luciæ, ubi pugnatum erat, egressus, palantes jam ex victoria hostes invadit, multos vulnerat, & ex suis captos plurimos recepit. Urget denique usque sub ipsa hostium signa, ubi à Comite Brandolino cursu equi, conto per collum adacto, dissolutis loricæ nexibus vulneratur. Sed cùm nihilo minus ferociùs inter confertos hostes rueret, à Sanctoparente habena equi sæpius retrahitur: ita animus dolore inflammatus omnis periculi immemor erat. Itaque vulnere tamdem gravatus, & militum, qui se sequebantur, paucitate permotus, retro se se in Urbem recepit, amissis in eo certamine equitibus supra mille & quingentos, primariisque & pugnacissimis viris permultis.

At Braccius classico receptui canere jusso, suos omnes contrahit, prædam recognoscit. Ex captivis Foschinum, Mannum Barilem, & primarios quosque viros intra Vadimonis Lacum in Insulis ex Marta, Visentioque hinc atque hinc è regione positis oppidis Martana, & Visentina nomen habentibus, custodiendos mittit. Cùmque de iis, qui utrinque præter ceteros fortissimè dimicassent, sermo apud eum incidisset, ex altera parte Sfortia, ex altera Nicolaus Picininus strenuissimè manum conseruisse judicati sunt. Postera die verò Braccius, munitis in ea planicie contra Viterbium quàm proximè potuit locis castrametatur. At Sfortia quamquam ingenti accepto detrimento animo infractus, revocatis suorum animis, ubi omnia Urbis loca opportuno præsidio firmasset, misit qui filium Franciscum properantiùs ad se iter facere jussum rei gestæ admoneret. Is jam Romam adventarat, cùm ea re audita nihil ad celeritatem reliquum fecit. Citato agmine cùm jam Ciminii saltus dorso insideret Viterbium descensurus, jussit pater noctu eum ad se venire: ea namque propter montis asperitatem via hostibus inobservata erat. Itaque eo clam hostibus recepto, mane copias omnes instruit, & quâ quemque portâ in hostes impetum facere velit, imperat, Nicolai Comitis defectione nondum planè comperta, quin etiam omni criminatione pugnæ ab eo antea malè pugnatæ dissimulata. Dimisso igitur eò Comite Nicolao, qui per portam Vallis cum cohortibus suis egressus, à læva hostem ex transverso invaderet, ipse Sfortia cum reliquis omnibus copiis acie structa à fronte in hostes tanto impetu delatus est, ut parum à profligatione abfuerit, terrorem certè maximum incusserit; cùmque acriùs instaret, captis jam triginta & ampliùs bellacissimis equitibus, nihil aliud Braccianis rebus saluti fuisse visum est, quàm Comitis Nicolai defectio; egressus enim ipse, cùm jam Gilibertus morbo interiisset, cum omni suo equitatu pro hoste amicus factus Braccianis conjungitur. Quæ res ad Sfortiam perlata causa fuit, ut suos à conserto nonminus feliciter, quàm strenuè prœlio, magna jam illata hostibus clade, revocaret. Reductis in Urbem copiis Sfortia captos à se omnes militares viros dimitti confestim jussit, ratus ea re obstrictum Braccium (qui mos est hac ætate) militarium ducum parem suis vicem redditurum. At ille timorem causatus, nullum se dimittere statuisse renuntiari jubet. Itaque cùm per eos dies cimbas quasdam inter Viterbium occultiùs fabricari Sfortia faceret, ut per eas in Vadimonis Lacum immissas captivos inde abduceret, sollicitior factus ob Nicolai ad hostes transitum, quem nihil eorum, quæ Viterbii gererentur, latére potuisse æstimabat, prævenire statuit omne ejus cum Braccio conferendi liberius sermonis spatium. Per noctem igitur, quæ instabat, tres cimbas (neque enim plures in eam horam perfici potuerant) levioribus plaustris impositas, & cum his tubicinem cum

cum modico præsidio ad Lacum usque dimittit. Illi occupatis lassitudine & somno hostibus, feliciter profecti, cum singuli tantùm singulas cimbas remo agerent, ubi ad Insulas ventum est (nam proximè sibi cohærent) tubicen clangore per tenebras edito, quasi vis magna hostium adesset, & custodes deterruit, & captivos (nam absque vinculis erant) animavit. Itaque læto clamore in ripas delati, cùm non nisi nominatim, ut Sfortia edixerat, propter cimbarum paucitatem in eas primarii quique exciperentur, quadraginta per eum modum incolumes ad Sfortiam pervenerunt. Timor enim hostilis, ne iter repeteretur, impediebat. Detecta postea sub luce fraude, reliqui inde submoti in arctiorem carcerem sunt distributi.

Post hæc assiduis prœliis Braccianos lacessere Sfortia numquam destitit. Jamque non contentus Viterbii muris hærere, relicto ibi Francisco filio, quem & opinionis gratiâ, & quòd pestis intra Urbem fame pressam sævire cœperat, extra muros recta in hostem tentoria figere jusserat, ipse magna copiarum parte educta, Lubrianum in primis Braccianæ ditionis oppidum invadit, admotisque scalis expugnat; abactamque inde omnifariam rerum prædam ingentem cùm Viterbium deduxisset, penuriam rerum, qua jam cives militesque sui laborabant non modò obsidionis, sed & subtracti stipendii causâ, veluti paulò post uberiùs narraturi sumus, magnâ copiâ commutavit. Repetita subinde pari expeditione cùm & Sanctum-Severum, & Balneo-regium, quod antea Lucum Feroniæ fuisse plerisque placet, Bracciana oppida diripuisset; jamque latiùs vagatus, perturbatis atque obsessis itineribus quibusque, ne commeatus in castra deferri possent, Braccium ex obsidente obsessum reddidisset: in eas tamdem rerum angustias conjecit, ut obsidionem solvere cogeretur. Itaque Braccius Ortam primùm, dehinc Tudertum; Tartalia ut priùs Tuscanellam petit. Nicolaus Picininus cum quadringentis equitibus Monti Falconi præsidio esse jussus. Non quiescit tum, quamquam instante jam hyeme indefessi invictique animi Sfortia. Itaque motis Viterbio castris in Tudertinum delatus agrum, Capitonem aggreditur. Id verò oppidum à Comite Brandolino, & Gattamelata, cum magno equitum & peditum præsidio tenebatur; nec Tuderto ampliùs decem passuum millibus abest. Braccius audita ejus oppidi oppugnatione, in conspectum properè copias, quas secum in hibernis habebat, producit. Sed nihilo secius Sfortia ab incœpto deterretur. Itaque ordines quosdam paulùm adversùs Bracciana signa procedere jubet. Sed ubi contrahere agmina Braccium, nec pugnam conferere velle animadvertit, dimissis adversùs eum, quos oportere visum est, ipse confestim equo desiliens cum fortissimis quibusque in oppidi fossam irrumpit, ibique scalâ muris admotâ, dum ascendere conatur, gravioris saxi pondere contusa casside præceps devolvitur. Nec sinè magno suorum mœrore aliquandiu semianimis jacuit. Admotis, quæ pro tempore poterant fomentis cùm pristinus vigor redire cœpisset, segnitiæ suos omnes incusat, *& aut*, inquit, *extremâ rerum egestate tabescendum est vobis, aut hi muri subruendi, prædaque, & alimenta hic vobis deposcenda sunt*. Ea restituti ducis sui magnanima voce inflammati milites, certatim in fossam desiliunt. Cùmque muri jam undique perfoderentur, & inclusi hostes vi summa resisterent, quippe quibus & Braccii prospectus animos dabat, & si in noctem usque restitissent, asperitas hyemis Sfortiæ discessum pollicebatur: multi utrinque cadebant, plurimi verò vulnerabantur. Ad extremum apud irrumpentes pertinacissimè Sfortianos victoria stetit. Ipsoque inspectante Braccio id munitissimum opibus virisque oppidum diripitur. Comes Brandulinus, Gattamelata, & reliqui omnes capti in Sfortiæ potestatem concesserunt. Eo metu Geminiates deterriti, multique item alii implorata Sfortiæ fide in Pontificis partes se receperunt. Progressusque inde Ameliam Sfortia, dedentibus eam civibus recepit. Quamobrem ubi se crescenti incendio obnoxium Tartaliæ videt, salubri consilio amicitiam Sfortiæ, affinitatemque deposcit. Non renuente Sfortia, cùi rerum temporisque ratio habenda videbatur, cùm ejus operâ Pontifici reconciliatus Tartalia esset, & Romanæ adscriptus militiæ, filiam suam Johanni Sfortiæ nato locat. Nec multo post Johannes firmatæ amicitiæ sequester ad sponsam socerumque traductus, Tuscanellæ longiores moras duxit. Ipse tamen Tartalia cùm se ad Sfortiam venturum cum omni equitatu suo recepisset, simulata invaletudine restitit, quia pede attrito, ex quo cùm vix gressum dirigere posse videretur, venientem ad se ex insperato Sfortiam mixto plausui rubore recepit. Christophorum subinde Lavellum affinem suum, qui Sfortiana signa sequeretur, cum duobus equitum ordinibus misit. Per eos dies conjuratione quorumdam Braccius Spoletum munitam in Umbris Urbem invadit. Sed cùm munitissima ejus arx cum ceteris rebus multis, tum verò conjuncto sibi lateritio ponte, qui subjectam profundam Vallem utrinque complectitur, insignis Præfecti virtute in Pontificis partibus teneretur, misso ab Sfortia cum delectis cohortibus Michaële, pulso inde Braccio, Spoletum Pontificis ditioni restituitur. Inter hæc Nicolaus Picininus assiduo Sfortianarum rerum successu deterritus, noctu Montefiascono oppido deserto, Tiberim cum eo, quem secum habebat, equitatu Alviano iter faciens, trajicit. Atque idem Assisium, ubi Braccius hyemabat, est profectus. Verùm ubi jam intolerabilis hyems esse cœpisset, Sfortia misso in hiberna milite, ipse ad Aquampendentem, ut Pontifici Florentiæ agenti propinquior esset, hyematum abit.

At non leve interim dictu fuerit, quàm gravi adversùs Reginam, & Carazolum indignatione concepta, quam multa animo Martinus Pontifex volutaret, cujus causa paulò superiùs repetenda est. Restitutus Reginæ Carazolus tantisper conceptum crudelem in Sfortiam livorem compresserat, quoad profusas ejus apud Viterbium copias, famâ rem in majus extollente, audivit. Inde quia actum de illo credens, solutis iracundiæ habenis, apertè in omnem injuriam transit. Et præter conceptum antea mente vulnus, fortuitus etiam casus accessit. Alter enim è duobus Carazoli liberis, qui in Arce Beneventana obsidum loco servabantur, dum incautiùs

tiùs per superiora turris loca vagatur, præceps inde collapsus extinctus est. Itaque succensa jam patris ira in rabiem versa est; dumque in Sfortiam acerbiùs ulcisci machinatur, nihil non ejus arbitrio permittente Regina, ipsum etiam Pontificem gravissimè offendit. Primùm enim omnium destinata in Sfortiæ stipendium vectigalia subtrahit, eo præcipuè tempore, quo propter acceptam jacturam impensiùs adjuvari illum oportebat. Eo non contentus amicitiam cum Braccio junxit. Et quo constantiùs in persequendo Sfortia instaret, grandi etiam pecunia juvit. Ipse seorsum adscriptis sibi, quæ Sfortiæ debebantur, vectigalibus, militares proprio ductu copias comparabat, & magnitudinem sibi quibuscumque poterat artibus instruebat. Quibus difficultatibus circumventum Sfortiam, omnique Reginali ope destitutum, Pontifex ut impendentem ruinam averteret, depromtâ ab Ecclesiastico ærario pecuniâ, cujus opes per ea primordia exiles adhuc erant, adjuvare coactus fuerat. Eratque gravis admodum illi ejus exercitus alimonia. Justo ergo dolore permotus pacem quibus posset conditionibus cum Braccio agere instituit, quem propter accepta mutua belli vulnera non difficulter in eum adduci posse cognoverat. Indictis ergo primùm per eos hyemales dies induciis, de pace ita conveniunt, ut Narniam, Interamnem, Urbeveterem, Ortamque Braccius Summo Pontifici restitueret. Ipse ab eodem Perusium, Tudertumque Ecclesiastici nomine Feudi dimissa recognosceret. His peractis Sfortiam, Bracciumque ad se accersit. Gnarus pariter, Braccium ob eas, quibus se Florentinis insinuaverat affinitates, in eam Urbem ad se venturum, cujus Cives plerique inter se adversi, ut in tumultuantibus nonnumquam rebus publicis fieri solet, obliteratâ nonnihil ingentium Sfortiæ beneficiorum memoriâ animos per id tempus in Braccium inclinaverant. Prior Sfortia Pontificem adit, ab eoque, & ab omni Cardinalium Collegio per summam alacritatem exceptus, unus Romanæ Ecclesiæ Protector, unus restituendæ omnis ejus ditionis certissimus auctor, appellatur. Eo discedente erga venientem postea Braccium non eadem Pontificis serenitas vultus fuit. Civium exultatio aliquanto major, à quibus nulla humanitatis, vel honoris officia intermissa fuere. Sed per eos antea dies, quibus Florentiæ Sfortia est immoratus, ei ad se evocato, præsentibus paucis fidissimis, arcanum omne pectoris sui Pontifex aperit, quàm molestè muliebrem Reginæ levitatem, & Carazoli insolentiam tulerit, docet; & quanto demum in periculo ex ea re Romanæ thronus Ecclesiæ fuerit, non ignorare se ostendit. Proin statuisse se pro jure summi Pontificatus, quem sustineret, tam exitiales insidias ab Ecclesia Romana avertere, & pro infida Regina, & sceleratis Ministris, fidissimum sibi Regem ei Regno, cujus etiam honestos titulos ferret, præficere. Eum esse Ludovicum Andegavensem ejus nominis Tertium, ei, quem antea memoravimus, Ludovico Secundo patri Regi in Galliis defuncto, succedentem, florenti tum ætate, & forma excellenti, qui alioquin sublimes spiritus in eam expeditionem subeundam præ se ferebat. Jubet igitur Pontifex Sfortiam cum ejus Oratoribus, qui tum Florentiæ erant, convenire, seque & copias suas ad eum in Regnum restituendum quamprimum comparare. Ad eas Pontificis voces hæsit aliquandiu Sfortia. Nam quamvis gravissimas, quibus ab Carazolo affectus esset, injurias memoriter ante oculos haberet, movebatur tamen singulari Reginæ reverentia, quum alieni juris factam, vehementer indolebat tantam contra se Pontificis indignationem concitasse. Itaque cùm pro se excusationes quasdam afferre cœpisset, commotior Pontifex, cujus imperio Viterbii claves tenerentur, eum rogat. Ibi enim summa rerum Sfortianarum erat. Cùm ille: *Sanctitatis tuæ, Summe Pontifex*, dixisset: *& te ergo jussis his meis parêre æquum esse* subjunxit. Sfortia non repugnandum ulteriùs Pontificis voluntati ratus, facturum se quæcumque imperasset respondit. Nec mora: certiores ea de re facti Oratores Regii Sfortiam adeunt, firmatisque ex Pontificis sententia conditionibus, Sfortia ab eis Magnus Comestabilis, supremusque Regiæ militiæ dux declaratur. De gerendo bello ita conventum, ut si pravis consultoribus circumsepta Regina, conditiones æquas recusasset, initio æstatis Sfortia cum omni instructo exercitu Reginam debellaturus Regni fines ingrederetur. Ipse Rex cum classe, stipendio, & omnifariam rerum commeatu citra Junii mensis finem Neapoli se se ostenderet. Fuitque is Annus Vigesimus supra Mille & Quadringentos. Sed Sfortia priùs quàm Florentiâ excederet, amicorum intentus commodis, Michaëli Attendulo, clarissimo per egregia opera inter bellicos duces viro, matrimonio sociat Polixenam Sanseverinatem, illustrem fœminam, quæ antea Malatestæ Cæsenati nupta, tunc in viduo thoro agebat. Illa tum primùm Turrem à Mari (id oppido nomen est) postea in Regnum profecta, virique armis adjuta, Sanctum Maurum, Sanctum Martinum, Terramnovam, & pleraque item alia, (hæc fuere numero quindecim) dotalia illi Oppida tradit.

His ita gestis, Ludovicus rei omnis serie, ut Florentiæ peracta esset, ab Oratoribus suis intellecta, eam expeditionem lætus amplectitur. Prima illi omnium cura fuit classis comparandæ. Quamobrem majorum suorum secutus vestigia, confisusque artissimo sanguinis gradu, qui illi cum Alfonso, in Citeriori Hispania Taraconensium Rege, intercedebat (ii nunc populi sublato elemento frequenti usu Aragonenses appellantur) Oratores ad eum mittit, qui tum fortè cum ingenti classe profectus Bonifacium Genuensis ditionis Oppidum in Corsica Insula (ea Cirnus est) summis viribus terrâ marique oppugnabat. Verùm priusquam ulteriora prosequamur, non abs re fuerit causas, quibus Alfonsus eam classem instruere, & eâ instructâ dignum aliquid Rege moliri coactus fuerit, vel certè in animum induxerit, quemadmodum à gravissimis viris accepimus, breviter recensuisse. Adeptus fuerat recèns Cathaloniæ Principatum pater ejus Ferdinandus, quæ Regio ab Oriente Pyreneis Alpibus juncta extremum Citerioris Hispaniæ limitem claudit. Et quamvis in id eum materna hereditas vocaret, adversantibus tamen pari juris prætextu hoc, de quo sermo est, Lu-

Ludovico Andegavensi, & Comite Rocellensi (qui cùm etiam bello contendisset, superatus est) auxilium ut Regno potiretur, ab armis petierat. Qua in re non mediocriter etiam adjutus fertur operâ Vincentii, celebris in Ecclesia declamatoris. Contraxerat autem Alphonsus, defuncto Patre, heres magnas ex ulteriori Hispania copias, in qua natus, & educatus erat, quæ sola etiam quamquam plura intra se Regna, & diversissimos hominum mores, linguasque contineat, hac tempestate nomen suum servat, nam Citerior in Taraconenses, Cathalanos, & Navarros distributa, Hispaniæ nomen prorsus abalienavit. Ex iis igitur Regna sua invisurus, magnum apud se numerum Alphonsus retinuerat; sed eos præcipuè, quibuscum unà à teneris annis versatus institutusque fuerat. Quamobrem cùm se intra Barchinonem Regni caput recepisset (quæ Civitas, sive opum magnitudinem spectes, sive civium animos, sive Urbis splendorem, inter paucas Orbis numeranda est) Civium animos & eo comitatu maximè offendit. Incredibili enim odio Cathalani, Hispanique inter se adversi incensique feruntur. Irritata igitur ob eam rem Civitas, trium Statuum more patrio conventus indicit. Ibi ex religionis cultu Prælati, Nobiles, & ex Plebe delecti conveniunt. Id quotiens fit, de summis Regni rebus decernunt, sententiasque proferunt, quas revocare non liceat. Ubi igitur in unam sententiam coiissent, Rex in Consilium introducitur. Et præsenti ex communi decreto denuntiant, aut dimittendum ab eo omnem Hispanorum comitatum, aut Barchinone discedendum esse. Ea animorum obstinatione planè intellecta, Alphonsus nam antea indignationis causas præsenserat, quia decretum deliniturus, quod revocari non posse sciebat, interrogat, num etiam Reginæ ancillas, quæ Hispani generis essent, dimitti oporteret. Ad quæ exsurgens Remundus Despla, vir ætate & auctoritate primarius, ita fertur respondisse. *Non est ullus jam verbis locus, o Rex: nam & Mulæ, quas ex Hispania deduxisti, si patrio sermone uterentur, dimittendæ prorsus abs te essent.* Alphonsus cùm aliquandiu ancipiti electione laborasset, devictus tamen Hispanorum, quam puer induerat, consuetudine, discedendum potiùs statuit, quàm Hispanos à se desertos videri. Petiit igitur tempus interea dari, quo classem instrueret, qua comparata egregiam potiùs expeditionem appetisse, quàm inde discessisse judicaretur. Id cùm permissum esset, quanta potest celeritate aurum contrahit, triremes, copiasque parat, & dimissis quaqua versùm mioparonibus, miserabilium ex omni hominum numero captivorum, & ad remum agendum devinctorum corpora in triremes trahenda curat. Coacta tamdem insigni classe, ubi primo vere vela ventis dare licuit, in Sardiniam primùm suæ ditionis Insulam defertur. Dehinc rebus dispositis Bonifacii obsidionem terrâ marique in nonum usque mensem infelici eventu protractam aggreditur. Missis igitur ad eum Legatis sub ipsum veris tempus Ludovicus commemorat, nullà umquam aliâ quàm Taraconensi classe usum Patrem, Avumque suum, quotiens Neapolitani Regni fines ingredi statuissent. Se verò nunc tertium post eos, consanguinitatis & amicitiæ jure rogare, ut auxiliari classe sua se cum copiis, quas Massiliæ haberet, cumque cetero commeatu, Neapolim quamprimum transportare & auxilio esse velit per occasionem rerum feliciter gerendarum. Ad hæc Alphonsus respondisse fertur, cœptam ab se Bonifacii obsidionem, quod propemodum in manibus haberet, nullo pacto intermissionem pati; primùm, nisi eo capto, classem exinde moveri sibi in animo non esse. Eo accepto responso per secundos Oratores vehementiùs eum rogat Ludovicus, ut quandoquidem in præsentia statuisset, hoc saltem concedere non gravaretur, ut ab Genuensibus classem, qua trajici tutò copiæ, & ipsi sinè injuria esse possent, conduceret. Cùm rursus in id hæsitare Alphonsus videretur, propterea quòd cum Genuensibus per eos dies bellum gerebat, Legati pro facultate ab Ludovico accepta Regiam fidem sequestrem faciunt, Alphonsum nihil detrimenti ex ea Genuensium classe accepturum, daret modò & ipse fidem, qua ipsi incolumes ab omni Cathalana vi servarentur. His conditionibus fertur Alphonsus non solùm acquievisse; sed etiam frequens fama vulgavit, Reges data communi per eos Legatos fide ita convenisse, ne Ludovico posthac in Cathaloniæ Regnum vim intentare, aut id jure aliquo repetere liceret; Neve Alphonso in Neapolitanum Regnum manus injicere fas esset. Præbuit autem ea res causam, ut tardior postea, quàm constitutum erat, Ludovici adventus fuerit ad Urbem Neapolitanam.

Ab Pontifice igitur, & Florentina Urbe discedens Sfortia, cùm se ad Aquapendentem, dehinc Viterbium recepisset, Franciscum filium, cumque eo Leonettum generum, Michaëlem, Foschinumque, vix dum exacta hyeme cum parte copiarum præmittit, qui Acerras, & reliqua Sfortianæ fidei commissa oppida circa Lirim, Vulturnumque tuerentur, ibique quietem agentes ejus adventum præstolarentur. Ipse postea cum reliquo omni instructo exercitu per æstatis initium, Româ iter faciens, magna celeritate Neapolim Junio mense pervenit. Et quamquam jam certior factus esset, Reginam deteriora sequentem, Ludovicum, seque pro hostibus habituram, nihil tum à suis hostile agi passus est, donec in conspectum Urbis factus, remissis per tubicines ad Reginam signis, sceptroque, quæ ab eadem accepisset, magni Comestabulatus insignia renuntiari jussit. Coactum se non tantùm frequentibus injuriis, quibus ab ea, & Carazolo per summam fraudem lacessitus esset, quàm Pontificis jussu justa indignatione permoti, Andegavensem tueri causam: proinde aut cum Pontifice & Ludovico conveniret, aut bellum pararet. Cùm hostiliter ex adverso responsum esset, Sfortia admotis ad Urbem copiis, impositisque opportuno colli, qui Capuanam portam prospectat secus locum, cui Formello nomen est, solido vallo, & Romano opere castra communit. Cùmque Neapolim obsidione premere aggressus esset, quàm maximè poterat curabat, ut Regni Proceres, Urbesque, & Oppida reliqua sinè injuria essent, & Ludovici potiùs, quàm Reginæ partes sequi vellent. Ibi longè diutiùs quàm conventum erat, quàmque res posceret, dum tardantem Re-

Regem expectat, & cum Neapolitanis assiduis prœliis decertat, circumvento multiplici dolore animo angi cœpit. Allatus est enim sub ipsos dies nuntius Polixenæ nurus vitâ defunctæ, quam veneno fuisse sublatam ab Amita, ejus Principatum invadente, constans fama tenuit; nam & per paucos ante dies parvula filia paribus insidiis erat extincta. Et cùm præterea certamen acrius cum Neapolitanis esset, Franciscus filius gravi scorpionis telo, duplicem ad pectus thoracem penetrante, læthaliter vulneratus jacebat. Quo item loco, & teli genere, Foschinus pariter saucius fuit. Nec multo post cùm pari ardore pugnaretur, Caraffellus Caraffa, fortissimus Neapolitanus eques, cùm Leonem Cellium Sfortianum equitem, à quo provocatus fuerat, in pugnam deposceret, eo non comparente, Leonettus gener in medium prodit, seque duello offert. Erat enim armis, animoque insignis, & qui sæpius in eosdem congressus hostes, virtutis suæ feliciter documenta dedisset. Concurrunt igitur infestis cuspidibus, adactis acerrimo cursu equis, dumque se mutuis vulneribus petunt, Caraffellus impressâ vehementius hastâ Leonetti cassidem, qua duplici ferro frons munitur, dissolvit. Teli cuspis intra ipsa frontis ossa obliquatur. Cùmque & eo vulnere semianimis Acerras perlatus esset, tertio decimo demum die vitâ relinquitur. Ei magno totius exercitus sui, Sfortiæ in primis, luctu elato, funeris officia persoluta sunt. Accessit ad hæc vulgatus rumor, Ludovicum disjecta classe, omnem ejus expeditionis curam abjecisse: quod quamquam falsò disseminatum fuerit, & ut plerique censent, per Carazoli fraudem, pro vero tamen in multos dies à multis est habitum: ita credibilia omnia pertractus in longum classis adventus faciebat.

At Sfortiæ constans animus, compresso intra arcanum pectoris eo omni, quo tantis de causis excruciabatur, dolore, nihil de consueta vultus fortitudine remisit. Commilitones ipse interim suos, & amicos quosque Principes per epistolas impensiùs hortari, animosque eorum non tantùm in fide retinere, sed magìs in dies accendere numquam destitit. Ita virtuti inferior adversa rerum conditio, nihil illi per eos ambiguos fluctuantesque dies de oppidorum militumve numero auferre potuit; quædam etiam insuper Andegavensi Regi adjecit. Laborantibus in eum modum Sfortianis apparuere tamdem optata vela ad diem quintumdecimum Augusti mensis, qui maximè omnium festus est Virgini Intemeratæ. Erant hæ eximiæ magnitudinis, quales nostra ætas pelago ostendit. Genuenses naves quinque frumento, omnique commeatu exercitui opportuno abundè onustæ. Triremes præterea delectæ novem omni bellico instructæ ornatu, quibus omnibus Præfectus erat Baptista Campofregosius, vir magnanimus, & rei bellicæ peritissimus. Is igitur classem quàm maximè potest litori appropinquare jubet, & in ancoris stare; nam eo loco depressio aquæ majores naves ampliùs mille passibus à continenti arcebat. Triremes portum ingressæ liberiùs in obsessos ferebantur. Erectis in maximam spem terrestribus copiis ob Regis classisque adventum Ludovicus per scaffas lembosque frumentum, vestem, & quæ advexerat exercitui necessaria, efferri curat, & recenti rerum ubertate præteritorum dierum labores compensat. Pecuniæ verò in stipendium tanto exercitui allatæ summa omnium opinione, & tam longa expectatione minor fuit; nec enim amplior quadraginta millibus aureis fuisse perhibetur. Intra paucos verò quàm Rex venerat dies Sfortia, qui omnia pertentabat, Aversam Urbem validam haud longiùs octo passuum millibus Neapoli semotam, ejusque arcem, dedente se se Francisco Gattola Neapolitano Cive ei Præfecto, in Ludovici ditionem redegit, quam ille postea belli sedem habuit, magnum ad res gerendas momentum. Verùm interea Reginæ præceps animus, sive suo, sive Carazoli furore impulsus, dum nullis sibi conditionibus cum Ludovico conveniendum statuit, magnas vastandæ omnis ejus regionis causas muliebri levitate commoverat. Alphonsum enim Regem, ex paterna etiam hereditate Siciliam Insulam possidentem, sub pactione instituendi sibi in Regnum heredis, ad ferendum auxilium illicere meditatur. Sed quo honestiùs facere videatur, quia injussu Romani Pontificis libera ei de Regno statuendi facultas non erat, Maliciam Caraffam fidissimum sibi Neapolitanum equitem, Sfortiæ verò infensum, ad Pontificem Florentiæ adhuc agentem mittit, data biremi, qua clanculùm portu egressus idoneo vento maritimum iter ageret. Hunc alioquin ingenio, & usu callidum, quibus verbis, qua arte uti velit, instruit. Et ad Alphonsum subinde transiturum amplissima facultate munit. Ille Plumbinum celeriter devectus, terrestri dehinc itinere Florentiam vênit. Facta igitur à Pontifice loquendi facultate, quanto in discrimine Regina versaretur ostendit, seque proinde missum, ut opem à Sanctitate sua imploraret, cujus præcipuè interesset ejus Regni & Regnicolarum saluti consulere. Martinus Pontifex, ut erat mitis, & pius, nihil subesse fraudis ratus, cùm & mulieris levitatem, & consulentium fraudes priùs reprehendisset, cordi tamen sibi ejus salutem, & Regni quietem fore respondit, velleque se, si Regina acquievisset, omnem eam controversiam honestis conditionibus componere. Malicia præter spem salubri Pontificis voluntate intellecta, simulato ad Reginam reditu, speque præbita rerum ex sententia Pontificis componendarum, proposito insistens, cohortatusque insuper à Garsia Taraconensi per id tempus apud Pontificem Oratore, cùm Plumbinum rediisset, & biremim inscendens, Pontifice decepto, properè ad Alphonsum trajicit. Ibidem omni, quem habiturus esset, sermoni Reginalibus literis fide parata, Regem eum in primis magnis laudibus onerat, nihilque jam fictè locutus, Reginam omnem retinendæ suæ dignitatis, & propulsandi quod patiebatur belli spem in eo collocasse affirmat. Rogare denique, ut amplissimum, quod offerretur, munus acciperet, seque filium & heredem à Regina inscribi non recusaret. Id modò ab eo peti, ut ipsius ope quàm plurimùm posset Regina ejus belli mole levaretur. Fama est, hæsisse aliquandiu Regem, spatiumque ad respondendum depoposcisse. Cùmque rem in consilium ad amicos detulisset, & utilitas ho-

honestati repugnare videretur, & res ipsa in primis ardua esset, longamque expeditionem, & sumtus intolerabiles præseferret, variantibus sententiis, vicit tamdem utilitatis ratio. Delinitus enim Reginæ promissis, audacis animi Rex, advocato Malicia, & amplis laudato verbis, cumque optima ferendi auxilii spe dimisso, Remundum Pirlionem, Johannem Moncatam, & Bernardum Scintilliam, attributis triremibus decem & octo, cumque iis Maliciam, Legatos Neapolim firmandorum fœderum causâ mittit.

Illi magnâ lætitiâ excepti, omnia ex sententia transigunt. Regina enim præter institutum sibi Alphonsum adoptionis privilegio filium, declaratumque in Calabris Ducem (quæ dignitas non nisi Regum Primogenitis defertur) fidei suæ vades insuper Arcem novam, Arcemque Ovi, utramque maritimam, in manus Legatorum Taraconensium tradit. Illi imposito non in eis tantùm, sed in Urbe præsidio, cùm levibus præterea prœliis obsidionem solvere adorti, nihil se proficere posse intelligerent, & cùm Genuensibus etiam triremibus tumultuariâ pugnâ irrito eventu aliquando decertassent (nam illæ numero inferiores, quotiens premerentur, ad majores naves se recipiebant) ad Regem revertuntur. Genuensis subinde classis Præfectus instare Regis adventum cum majori classe, quàm cui per eum resisti posset ratus, sublatis ancoris Genuam & ipse revertitur. Sub ipsos dies seu nova Taraconensium societas invisa Neapolitanis esset, seu studio potiùs Andegavinæ factionis id factum fuerit, Neapolitanorum pars magna adversùs Johannam, Alphonsumque conjurant. Nox ad id statuta, qua obstrusa per id tempus Januarii porta à conjuratis recluderetur, Ludovico, Sfortiæque aditu per eam in Urbem patefacto. Cùmque eâ, qua convenerant, horâ Sfortia cum legione muris appropinquasset, conjuratis patefaciendæ portæ non amplior facultas fuit, quàm quantum singulo pediti ingredi liceret. Id ex opposita transversa trabe accidit, quæ nullo ingenio convelli infringive sub ipsam horam potuit. Atque ita quamvis equiti ingressus negaretur, peditum tamen singillatim vis magna in Urbem penetravit. Tumultu ex ea re, & trepidatione ingenti per Urbem excitato, cùm undique clamores audirentur, iidem pedites sinè duce, sinè ordine per tenebras ingressi, tumultuosiùs pedem referunt, reluctante ad ipsam portam Sfortiâ, globo denique à Durachina factione facto porta ipsa è conjuratorum manibus capitur. Ibi Sfortianus nemo captus est; de conjuratis, quia ingens erat numerus, non temerè tunc, sed sensim postea, exilio, & carcere pœna sumta est. Alphonsus ubi per eas arces à Regina acceptas, suoque præsidio munitas, Neapolitanam Urbem sui jam juris esse intelligit, relicto Bonifacio, cui alia præcipuæ magnitudinis navium Genuensis classis auxilium tulerat, perruptis incredibili ausu & virtute claustris, propugnaculisque, quæ fauces portus concatenato utroque litore præcludebant, cum universa classe Neapolim petit. Ibi expositis copiis titulos quidem invadit Regios, obsidionem tamen omnino non dissolvit. Nec enim leviter post ejus etiam adventum Neapolis premebatur, quamquam antea Franciscum Ursinum, Ludovicum Columnam, & Christophorum Cajetanum in sua stipendia traduxisset. Nam Rex Ludovicus Aversâ, cujus arcem Gallico præsidio firmaverat, Sfortia ex Casali Fraôlæ binis castris positis, assiduo marte circumsonabant. Ipse Sfortia ne vel Ludovicum Regem frustra in ea castra venisse pateretur, vel Alphonsi adventum videretur extimuisse, Ludovico spondet, si velit, eum suaque signa ante ipsas Urbis portas se collocaturum, Taraconensibus, Neapolitanisque diu spectanda. Annuente Rege copias omnes accuratiùs instruit, Bisum Cotignolensem cum delectis peditibus opportuno inter suburbanos hortos loco in insidiis consistere jubet, incursurum ab latere, cùm esset imperatum, & nova acie territos hostes perturbaturum; equestres verò cohortes omnes suis ordinibus ad pontem usque rivi Templo proximi, cui Magdalenæ cognomen est, haud longiùs mille ab Urbe passibus perductas, ibi consistere jubet. Interim levioris armaturæ equitatum, qui pugnam lacesseret cursu effuso, secundùm litus ad Urbem præmittit; hinc ipse subsidio cum delecta manu pergit. Neapolitani Cives ex natura sua prœliorum avidi, & per eas tempestates in armis exercitati, mixtique his Taraconenses audaciâ insignes, ubi hostem in foribus esse per speculatores sentiunt, nihil immorati arma capiunt, densoque agmine facto magno impetu in hostes feruntur. Alphonsus præcipuas triremes septem conscendit, cum his summa litora carpens, propinquus jam intra teli jactum hostibus, crebris scorpionum telis Andegavenses, Sfortianosque feriebat. Ab Urbe verò ubi à primis pugna conseri cœpta est, supervenientes alii aliis, tumultum ingentem excitaverant. Itaque ubi adversùs tantam vim suos, quos præmiserat, Sfortia diutiùs sufficere non posse, jamque acriùs premi vidit, devectus ad Ludovicum: *Quam quæsivimus*, inquit, *Rex, pugnæ facultas amplissima nobis oblata est; proinde quæ facturi sumus maturemus*. Permissos igitur ab Rege decem ordines in pugnam animatos trans pontem ducit. Illis uno impetu hostem ferientibus durissimo marte contenditur. Mittit igitur Sfortia, qui jubeant Bisum cum peditibus ex constitutis insidiis à tergo hostes invadere; at ille nusquam inventus est. Succensus eo magìs Sfortia, quia res summo in discrimine versabatur, & ipse jam in omnia dimicationis exempla descenderat, Regem ipsum cum signis, & reliquis omnibus, qui præsidio ceteros tutabantur, in pugnam quàm maximè conferto globo procurrere hortatur. Id ubi factum est, retrocedere Neapolitani, Taraconensesque virtute impares, incipiunt. Sub eam horam dejectus fortè in humum, equo interfecto, fuerat Squarcia, bellacissimus eques Sfortianus, capiturque, & è vestigio scaffæ impositus, ad Alphonsum in triremim defertur. Ab eo Rex accuratiùs petit, ut Sfortiam sibi ducem ostendat. Eum igitur ab Squarcia demonstratum Rex demiratus, extorta hosti veritate, fortissimum inquit Sfortiam bellatorem eorum omnium, quos umquam vidisset, condonarique à se ejus virtuti, quantas ab eo percepisset injurias. Idque cùm redisset ad Sfortiam, renunciare jussit. Triremi igitur sua à feriendis hostibus, omnique bellico nisu quiescere

jussa, spectator tanti certaminis sedit. Et Sfortiæ item, Squarciam captum, & ad Regem perlatum fuisse nuntiatum erat. Itaque demonstrata ei triremi Regia quiescente, illico ne quis in eam tela jaceret edixit, quæ plurima dispositis ex tempore per litus machinis in eas triremes congerebantur. Pelluntur igitur tamdem hominum magna strage, sed equorum longè majore, Taraconenses, quos Sfortia victor ad ipsas usque Urbis portas acriùs insecutus præcipites agit. Illis, quod extremum fuit, portas claudentibus Sfortia Ludovici signa, ut pollicitus erat, in proximum portæ obicem sustulit, Rege sub ipsis collocato, ita ut ex vicino litore, & Urbis muris, in longam horam spectarentur. Postremò declinante jam in vesperum die, receptui canere Sfortia jubet. Defessas cohortes in agrum Nolanum tertio ab inde milliario per eam noctem duxit, Bisum execratus imperii sui desertorem. Et quia hyemis jam asperitatem sub tentoriis ferre milites nequibant, Ludovicus se intra Aversam in hiberna recipit, Sfortia in ejus suburbiis, quæ Neapolim spectant, hyemavit.

Extulerant interea mirandi successus intra Lombardiæ adhuc fines Philippum Mariam Anguigerum Mediolanensem Ducem Illustrissimum, cujus incredibilis sapientia, & animi magnitudo supra hominem esse videretur, & cujus denique excellentissimi Principis memoriam, nisi alio hujus operis opportuniore loco revocanda sæpius esset, repetito longiùs sermone in præsentia tractaremus. Itaque hoc ipso anno Nicolaus Marchio Estensis tanto Principi cedendum ratus, icto fœdere Parmam cum omni agro restituens ex paterno hereditario jure reposcenti, Regium in suo jure retinuit. Itaque ut integra esset Parmensis agri restitutio, rogatus Sfortia Monticulum Ottonensis victoriæ præmium & ipse resignat. Per eam hyemem Comes Carrariensis sub spem ducendi in hiberna militis sui ad oppidum Esculum in Picenis, quod tum duplici valida munitum, arce ipsius juris erat, desertâ Regiâ militiâ, & affinitate Sfortiæ neglecta, stipendia ab Braccio paciscitur. Intra paucos subinde dies febri correptus vitâ deseritur. At Neapoli Rex Alphonsus, Reginaque cum Carazolo suo, viribus suis diffisi (tantus eorum mentes Sfortiani nominis terror invaserat) ad Braccium Montonensem initio insequentis Anni, qui fuit Primus supra Mille Quadringentos & Viginti, nuntios mittunt, qui eum ad ferenda sibi adversùs Ludovicum, Sfortiamque auxilia magnis conditionibus invitarent. Inter eas præcipuum hoc fuit, quòd Capua Urbs opulentissima, cujus deliciæ Romanum exercitum per summum nefas in se converterunt, Pœnum verò victorem effœminarunt, ejus liberæ potestati cum suis arcibus dabatur; ipse Braccius ab Regina magnus Comestabilis appellabatur. Allectus est igitur ad has conditiones Braccius, sed non ante pedem ex Umbria efferre voluit, quàm missis ab eo Præfectis Capuam Civitatem cum suis arcibus deditam intellexit. Tamdem Junio mense auxiliari denso agmine instructo, ad Reginam, Alphonsumque per Pelignos properabat. Verùm inter hæc Ludovicus Calabris rebus, ubi plurimum poterat, maximè consultum cupiens, Franciscum Sfortiæ filium, quem supra ætatem mira gravitas, & in gerendis rebus constantia extulerat, titulo Viceregis Præfectum in eas oras dimittit. Hujus igitur magnitudini prospiciens pater primarium quemque ex omni suorum ordine cum magno equitatu eidem attribuit. Horum præcipui fuere Paulus Urbevetanus, Tinetus Michilotus Perusinus, viri graves, & consilio maturi. Judex Carolus Samnutus Arianensis Jureconsultus, Nannes Spinelli, Furlanus Grandis, Floramontes Rubeus Ductores Ordinum; præterea & fortissimi equites Cæsar Martinengus, & Raynaldus Bulgarellus, Flascus Gyrasius, & Riccius Viterbiensis, bini fraterno inter se jure conjuncti, Jacobus Arpacius, Pelinus Cotignolensis, Boldrinus Faventinus, & minus compertæ famæ alii multi. Cum quibus profectus non tantùm Cosentiam Brutiorum caput, Bissignanum, Rossanum, Sanctam Severinam, Sanctum Marcum, Nicastrum, Mormanumque Urbes, & juncta his oppida; sed & Crotonis, Arenæ, Policastri, ceterosque ejus regionis Principes obedientes habuit, creditamque Provinciam summa virtute administravit. Cùmque Ludovicus ducenta aureorum millia stipendii nomine Sfortiæ deberet, collatis ei Renda, & Martorano Urbibus, præterea Xanfila, Arcaganata, & quatuor aliis per eas oras oppidis, pretium his centum millium aureorum fecit. Reliquos dato Chirographo se debere testatus est.

Medio jam igitur Majo Sfortia coactis copiis castrametari cœperat. Pertentat in primis, Vulturnum prætergressus, impositas Capuano ponti arces. Ubi eas magna vi defendi, nec expugnari posse videt, motis inde castris, cùm audisset conductum in hostiles partes Braccium adventare, Montemfalconem, cujus summa apud Dragonetum erat, petit, ea ratione, ut eo oppido in ditionem redacto Braccium inde iter facturum averteret. Adventum Sfortiæ hoc item loco hostes prævenerant. Itaque ejus oppidi adortus oppugnationem, postquam valido hostium præsidio communitum videt, Bagnolum copias reducit. Ibi triduum moratus, protractum diutiùs adventum Jacobi Candolæ, qui pridem jussu Reginæ custodiâ liberatus, militares rursus conscripserat copias, & se per eos dies in Ludovici stipendia conduxerat, expectabat. At ille, qui jam antea nihil sibi nefas statuisset, ex quo commodum consecuturus videretur, ut qui sæpius rata pro irritis habere, fidem frangere, per summam denique fraudem omnia agere consuesset, clanculum cum Braccio convenerat; Sfortiam verò fallacibus interim promissis in spem sui adventus detinebat, quoad superveniente Braccio improvisus ab utroque conficeretur. Nec procul jam à periculo erat, cum Sfortia sagaci conjectura in primis, dehinc subtili adhibitâ diligentiâ, cùm ad lævam Candola divertisset, fallaciam, quam is meditabatur, intellexit. Itaque dum Ludovico Regi maximè metuit, quem si Aversæ clausum hostes magno militum numero superiores obsidione cinxissent, de summa rerum prope desperatum videbat, movens inde sub primam noctem castra, Cerretum illucescente jam aurora copias applicat, & per diem continuato Aversam itinere ibi subsedit, quadraginta aut ampliùs eodem cursu passuum millibus per-

peragratis. Eo ipso die venienti Braccio Candola sociatur, junctisque copiis Capuam petunt. Ibi dimissis è vestigio impedimentis summa celeritate Sfortiam prævenire contendunt, & Aversæ Ludovicum circumsessum expugnare. Et potuisse quidem eos rem omnem ex sententia perficere, multorum constans opinio est, nisi medio ab Capua Urbe itinere vicum Sanctæ Mariæ Majoris, quod in fide Ludovici erat, summis viribus adorti, expugnare potiùs voluissent. Neque enim imbellem vicum, qui intromissi paulò ante fuerant Sfortiani equites, adversùm vim tantam tutari potuerunt. Itaque omnes capiuntur, inter quos Acattabriga, Januccìusque præcipui fuere. Hunc Januccium aliquot annis antea Braccianum, qui Romæ, ut ante annotavimus, cum plerisque aliis Braccianis equitibus Foschinum secutus fuerat, perductum postea Capuam per summam dissimulationem Braccius laqueo suspendit. Ceterùm ejus expugnationis beneficio Sfortia, cui longius infestiusque iter agendum fuerat, Aversam præveniens, Regis animum, Urbemque periculo exuerat. Itaque omnibus confirmatis Foschinum cum parte copiarum in Apuliam ad propulsandam vim, quam per eas oras ab Petrojampaulo & Francisco Ursinis inferebatur, dimittit. Ea re Braccius etiam audentior factus, constructam sæpius aciem in Aversanum agrum deduxit, in quem egressus Sfortia vario eventu dimicavit. Cùmque præter assiduas contentiones nihil aliud in castra referretur, reductis inde copiis Braccius & Candola Neapolim ad Reginam, Regemque proficiscuntur.

Dum hæc ita gererentur, Rex Ludovicus, suborta majori quam ratus erat belli difficultate, secedere inde statuit, & se Romam conferre, confisus simul Pontificis amicitiâ, ut priùs uberiores ab eo favores impetraret. Romæ igitur receptus, & singulari apud Pontificem habitus in honore, diutiùs ibi postea se continuit. At Martinus Pontifex ubi accitum auxilio Braccium adversùs Ludovicum, Sfortiamque, intellexit (nam antea adoptatum à Regina Alphonsum molestissimè tulerat) novos & ipse favores, & fidissima, ut rebatur, auxilia Ludovico instruit. Adscriptum enim superiore anno Pontificali militiæ Tartaliam jubet cum turmis equitum suis (hi erant equites quingenti, & pedites aliquot) Sfortiæ se se jungere, quem unum propter recentem cum Sfortiæ nato affinitatem ei amicissimum, & flagranti animo rem gesturum æstimabat. Sed ut tum res docuit, potentes plerumque connubia & affinitates pro magno fraudum suarum clypeo habent. Conjunctis in suburbano Aversæ copiis omnibus Sfortiæ, Tartaliæ, Laurentii, & Michaëlis, communi inter se consilio de bello gerendo agunt. Optimum visum est, non prius inde castra movere, quàm quod moliretur Braccius, intelligerent. At Braccius interim, qui Tartaliæ veteris sui commilitonis mores, levissimumque animum egregiè nosset, per notissimos ejus sibi familiares ingentia pollicitus, de cæde Sfortiæ eum pertentat. Is clam fore omnia ratus, non difficiles ad eam rem aures præbet. Braccio verò vafro hosti satis interim erat, etiam si id minus succederet, suspicione odioque irritatos inter se eorum animos accendere. Motis igitur Neapoli castris Augusto mense Braccius, trajectoque Sarno, Castrum à Mari, quod oppidum est juxta Amalfiæ rupem, invadit, ac præter Arcem expugnatum diripit. Sfortia, ceterique, quos memoravimus, ubi transisse in eas partes Braccium audiunt, motis properè castris, ut eum apud Castrum à Mari adorirentur, longo admodum circuitu facto, quia nullo alio in loco transiri amnis poterat, Nolanâ viâ profecti supra Sarnum amnem ea die castra locant. At Braccius, ubi se peti vidit, Sarnum remensus, eâdem quâ progressus fuerat, firmatisque ibi propugnaculis in adversa, quæ Neapolim spectat, ripa è regione Angri constitit. Sfortia verò patenti villa in Angriano jam ex altera parte agro castra locat; cùmque medius qui erat Sarnus vado transiri minimè posset, quæ una res de summa Regni dimicaturos prohibebat, Sfortia decernendi ferro avidus, quàm occultè potest dolia parari jubet, ex quibus fabricatum pontem flumini repentè imponeret. Verùm ea res à Sfortia cogitata ad Braccium defertur; intra corrupta enim à proditoribus castra nihil secretum, nihil ex sententia agi poterat. Summotis igitur properè castris Braccius Neapolim redit. Luce orta ubi abisse Braccium Sfortia vidit, paratum pontem nullo jam prohibente flumini imponi jubet. Eo trajectis copiis omnibus Braccium quanta potest celeritate insequitur. Tantusque Solis ardor iter agentes perurebat, ut hippagii plerique galeis tecti fervido æstu sitique confecti necarentur. Braccius igitur, qui longam jam viam præcurrisset juxta Neapolitanas paludes se recipit. Sfortia ad Acerras castra firmat. Post aliquot subinde dies relicta Neapoli Braccius cum omni exercitu Capuam petit. Itaque motis & ipse castris Sfortia Aversam fertur. Subinde Braccius locorum præsidio tutus, Vulturno trajecto, Sanctum Germanum petit, imbecilles quosdam ejus Abbatiæ vicos depopulatus. Eum pone assecutus cum copiis Sfortia patenti Suessæ agro castrametatur. Redeunte igitur postmodum Capuam Braccio, & ipsi Aversam repetunt, Vulturnum ad ipsas maris fauces prætergressi.

Interea per speculatores cùm explorasset Braccius, quibus artibus Nuceriam Christianorum (hoc enim oppido nomen est) diripere posset, magna spe ductus, ejus invadendæ, producto Capuâ exercitu, eo contendit. At Sfortia, qui Braccianos motus intentissima cura specularetur, solerti ingenio ejus consilium deprehendit. Itaque properè Michaëlem cum delecto militum numero præmittit. Braccius ubi ad oppidum subinde venit, seque præventum videt, desperata expugnatione Neapolim revertitur. Premente jam igitur hyeme Alphonsus Neapoli, Braccius Capuæ copias suas in hibernis statuunt. Parte ex altera reducto exercitu Sfortia Beneventum, Tartalia Aversam hyematum pergunt. Sed non multos post dies confisi secreta adhuc Tartaliæ conspiratione, idoneam rerum occasionem expectantis, Alphonsus, Bracciusque in spem veniunt, magnum aliquid à se geri posse. Itaque moto ex hibernis milite quantis possunt conatibus Acerras petunt. Quod oppidum quia non longius octo passuum millibus Neapoli

poli abest, & magno ipsis impedimento erat, & contra id castrametantibus seu commeatus, seu machinæ bellicæ ab Neapoli poscerentur, ipsa vicinitas commodissimam facultatem præbebat, coacto quindecim millium armatorum numero artissima obsidione claudunt. Cùmque omni tormentorum genere Acerrani premerentur, maxima tamen ingentium bombardarum vi terrebantur; nam qua ex parte dispositæ erant, cùm emissus horribili fragore lapis oppositum Urbis murum prostravisset, universamque perterruisset Urbem, positum nihilominus ex adversa Urbis parte murum, ubi eo pervenerat, proterebat. Ceterùm hujus machinæ nomen quidem novum esse, & à fremitu ipso formatum, non inficiabor, quin etiam haud multos ante annos raro in usu fuisse. Sed quamvis frequens opinio plurimos etiam ex eis, qui doctissimi habentur, teneat, ejusmodi tormenti usum nusquam apud vetustissimos fuisse: videtur tamen Plutarchus in vita M. Marcelli hujusmodi tormento defensas, quamdiu pugnatum est, Siracusas ab Archimede Mathematicorum Principe insinuare. Nam & emissos inde recto impulsu cum horribili fragore, & incredibili celeritate (quod nulli certè alii tormento convenit) ingentis ponderis lapides, connexarum navium bases, & cetera quæque obstantia dissipasse affirmat. Itaque tanti viri gloriam infirmare non ausus, cujus immatura mors, ne inventi usus ad Romanos postea victores & rerum dominos perveniret, eripuit, novitatem nominis cum reliquis id usurpantibus imitabor. Excitaverat insuper Alphonsus propugnacula plurima super imminentes muris arbores, quæ & vicinitate sua muros ferme ipsos contingerent, & altitudinem superarent. Præterea & defossis cuniculis, latentes, quibus in Urbem penetrare posset, vias pertentabat. Nihil denique, quod ad Urbis expugnationem maturandam pertinere posset, prætermittebatur.

Cùm hæc ita geri Sfortia percepisset, illico Arientium properat usque ad oppidum non longius Acerris passuum millibus octo. Et quia colligendarum copiarum facultatem repentina vis, qua obsessi premebantur, abstulerat, ex quingentis equitibus, quos secum adduxerat, octoginta bellacissimos deligit, horum primi fuere Sanctoparens, Petracinus, Petrinus, Attendulus, Bertus Narnius, & Betucius ex Cortesiis Cotignolensis, quorum virtuti fideique cùm maximè fideret, iis ceteros parêre jubet. Hos igitur non difficulter exhortatus, qui audacia viribusque præstabant, telo commeatuque reliquo omni, qui commodè ab eis ferri posset, communitos sub auroram incerta adhuc luce per media ipsa Taraconensis castra nihil tale opinantis ad ferendam obsessis opem dimittit. Illi cùm ad unum incolumes in Urbem recepti essent, summâ vigilantiâ, summis laboribus, omni denique animi corporisque ope adnixi, non tantùm tutantur Urbem, sed obsidentibus insultant. Crebris eruptionibus factis propugnacula omnia, quæ muris imminebant, cum magna hostium strage incendunt. Adversùs defossos cuniculos ipsi aliis suffossis cuneis, venientes obvios hostes obruunt. Quibus tamdem frequentibus eruptionibus coacti Alphonsus, Bracciusque, cùm omnino in dies adversa magìs experirentur, dissolvendæ obsidionis, reducendarum in hiberna copiarum consilium accipiunt. Ceterùm quoniam ea expeditio tanto molimine cœpta, tam fœdè deserta, si discedentibus insuper hostes insultarent, insignem erat tantis Regi & Duci jacturam opinionis allatura; Sanctoparentem, reliquosque primarios, quos commemoravimus, de componendis primùm in aliquot dies induciis tentant. Quod cùm ab iis, qui obsidentium extremas difficultates noverant, fortiter negaretur, suadere pergunt, ut Pontificalia signa in muris statuerent; eam rem magnæ obsessis gloriæ fore, quæ inconcussam eorum fidem erga Romanum Pontificem testaretur. Sanctoparens, ac reliqui, qui non obscurè intelligerent causas ab hostibus quæri, quibus per speciem exhibitæ Romano Pontifici reverentiæ honestiùs inde castra moverent, respondent, notissimam jampridem esse multis bene gestis Sfortiæ excellentissimi Principis, suamque erga Romanum Pastorem fidem: quamobrem nihil opus esse nova signorum erectione. Positis demum igitur artibus, quæ nihil prodessent, se se jam dessolvenda obsidione consilium firmasse apertè testati, id unum obsessos postulant, ut præfixas bombardas nullo impedimento abduci inde liceret. Id verò per summam liberalitatem cùm ab eisdem, qui virtuti suæ supremam jam gloriam consecuti essent, permitteretur, nullâ morâ Alphonsus, Bracciusque obsidione soluta Neapolim cum omnibus copiis, Capuamque in hiberna revertuntur; iis verò, qui ad convellendas bombardas, & vehiculis imponendas relicti erant, ab his ipsis præsidii præfectis nedum securitas data, sed auxilia quoque subministrata sunt. Quod reliquum superfuit hyemis, quieti deinceps, & armorum vacationi est permissum. Sed cùm per eos Acerranæ oppugnationis dies deprehensa jam non ambiguis indiciis Tartaliæ perfidia esset, nam & frequentes ad eum à Braccio nuntii veniebant, & cùm castrametantem contra Acerras exercitum omni propemodum commeatu excludere, factis Aversâ incursionibus (quod ei facillimum erat) posset, crebrisque ad id Sfortiæ nuntiis excitaretur, æquo tamen animo eam obsidionem tulerat; & jam fama erat, si Alphonsus Acerris potitus esset, producto subinde Aversam exercitu, Tartaliam Urbemque in ejus potestate fore: rem omnem Sfortia Pontifici, & Ludovico per literas aperit. Mittuntur illico à Pontifice, cum plerique alii, tum Cola Quartus, ejus rei arbiter, Judexque futurus: quo volente Sfortia contractis properè, quas oportere visum est, copiis noctu Aversam petit. Cùm ante lucem oppidum ingressus esset, Tartaliæ domum circumsistit, evocatumque & trepidantem, quia fugæ nullus jam locus relictus erat, Colæ Quarto & Prætori Urbis tradit. Ab iis quæstioni subjectus cùm ante cruciatus perfidiam confessus esset, tertio subinde die in forum productus capite cæso tanti sceleris pœnas luit. Ejus verò cohortem omnem, quia fortissimus is equitatus esset, novo militiæ sacramento adscribi, novisque ductoribus tradi, Pontifex voluit.

Per eam ergo hyemem cùm Neapolitani peste laborare cœpissent, Regina, Rexque Al-

Alphonsus, & cum eis Johannes Carazolus Cajetam amœnissimam secundùm id littus Urbem secedunt. Ibi de belli summa consultantes, periculosissimum censent, si per eam, quæ instabat, æstatem Sfortianis cohortibus congredi cogerentur, quarum virtutem fuerant sæpius magno suo experti discrimine. Itaque ne in eam adducerentur necessitatem, modis omnibus cavendum statuunt. Mittunt igitur ad Braccium, qui suadeat, ut de pace cum Sfortia communi nomine agat. Ille rem magno studio aggressus de communibus commodis cum Sfortia agit, quem multos antea menses omni Regio destitutum stipendio maximis noverat circumventum difficultatibus, indignantem insuper, quòd sinè ulla propemodum ope solus intra hostiles fines adversùs tantam vim relictus esset. Quamobrem cùm & repeterentur à Braccio amicitiæ veteres, & quæ offerebantur, conditiones honestatis in se non parum continerent, Sfortia rem omnem, ut antea, ad Pontificem & Ludovicum defert. Gravabatur Pontifex persolvendi diutiùs in id bellum stipendii onere; Ludovico verò maximè cupienti facultas deerat. Itaque benemeriti de se Sfortiæ, ut rebus suis, quibus posset conditionibus consuleret, liberam potestatem faciunt. Ludovicus insuper Aversam Urbem, Arcemque munitissimam, quæ præsidio tenebatur, nec expugnanda esset sinè bello, Taraconensi dimitti jussit. Pacis verò inter Reges conditiones nullæ fuerunt, nisi quòd bello tantum uterque abstinebat. Quamobrem permotus his Sfortia quæsitæ concordiæ acquiescit. Eâ firmatâ, qui se sequestres in id dederant, amico invicem colloquio, ut res poscebat, jungere Sfortiam Bracciumque optimum rati, utrique, ut convenirent, non difficulter persuadent. Ejus igitur Anni, qui fuit Secundus supra Mille Quadringentos & Viginti; jam æstate aucta, profectus cum omni exercitu Braccius inter Petram, & Gajanellum idoneo castris metandis loco consedit, cui propter soli ubertatem mixtum ex Latina & Germana Lingua Saccomanorum Silva nomen est, Sfortianæ verò legionis apud Beneventum stativa erant. Inde jam positis armis per summam ducum militumque alacritatem alter alteri obvius factus, salutationes amplexusque inter se miscent. Invitatum subinde Sfortiam Braccius intra sua tentoria perducit. Ibi cùm vetustæ eorum conjunctæ militiæ præclara facinora multa memoriter recensuissent, plura ex iis, quæ ad manum essent, nullo adhibito commento edisserunt, & ut firmatæ invicem amicitiæ fidem sibi quisque faceret, omnia sedulò narrant. Braccius igitur conditiones, quas Nicolaus Comes Ursinus, priusquam Viterbii pugnaretur, secum firmarat, communitis sigillo Nicolai chirografis ostendit: adjiciens insuper, numquam eo impetu se in expeditionem illam venturum fuisse, nisi per eas conditiones invitatum. Iisdem argumentis recentem Tartaliæ conjurationem omnem patefacit. Sfortia verò cùm nullas haberet, quas paratas umquam adversùs Braccium fraudes explicare posset, asseveranter affirmabat, ingenti animi sui molestia & dolore coactum se ab vetustissima, qua juncti erant, amicitia discedere tunc, cum permissis Tartaliæ in prædam oppidis suis, quæ in Patrimonio possidebat, indignam jacturam pertulisset. Verùm ut ex ea læsa incredibilem molestiam, ita nunc ex reconciliata singularem lætitiam percepisse. Subjiciebat igitur Braccius: *Quandoquidem omnia apud te bonam in partem accipi video, magnanime Sfortia, duo per te omnibus temporibus, & quacumque in rerum conditione observata, quæ me sæpiùs in admirationem induxerunt, silentio minimè prætereunda constitui. Primùm enim, cùm expositis ordinibus in aciem tua signa protuleris, numquam ea vel minimo spatio retrahi pateris, procedere potiùs jubes, quantumvis discrimen subitur. Ego contra temporis, locorum, rerum, periculique rationem habendam censeo, idque observo, flecti potiùs, quàm frangi satius judicans. Quinetiam agrestium diligens nimium defensor, militum verò rigidus censor mihi esse videris. Acerbè enim nimis ulcisceris, quicquid in rusticum miles deliquerit: quod alienum profectò aversumque est ab proposito nostro, tuo, inquam, ac meo, qui militaribus copiis suffulti assiduè esse volumus; quamobrem eorum animos nobis laxiore licentia devincire expedit, à quibus si deseramur, nullam properè videbis eam, quæ nunc tanta est tui, meique nominis, opinionem; nullus denique nos manebit oppidorum Principatus. His ego artibus, hac indulgentia usus, in hoc, quod cernis, fastigium evasi.* Subridens ad hæc Sfortia voce vultuque hilaritatem præferens: *Habeo*, inquit, *ingentes gratias humanitati tuæ, Armipotens Bracci, quòd quæcumque ex usu fore credis, amice mones. Verùm quod mea me numquam signa referre passum commemoras, num ea tibi è memoria exciderunt, quæ dum saga nostra distingueremus, per ea prima militiæ nostræ tempora jactare solitus eram? Ideo me tumentes erectosque in cœlum fluctus instruere: quod servandum quibusque in arduis rebus invictum animi robur magnitudinemque semper judicavi. Hac ego vitæ Militiæque magistrâ immortalitatem nominis, quam mihi quæsivi, hereditariam etiam posteris meis sum relicturus. Sed neque me umquam servatæ erga universos homines justitiæ pœnituit; nec satis affirmavero, utrum gloriosius judicem, fortissimum, an justissimum quempiam ducem appellari; quandoquidem ea sola virtus est, sinè qua nec humana regi, nec cœlestia servari diutiùs possint.* Cùm finem fecissent jucundæ disceptationi, in secretiorem sermonem se recipiunt.

Ibi Braccius hortari Sfortiam cœpit, ut ad Reginam Regemque se conferret, magnum item Senescallum honoris gratiâ viseret, quorum ut solidam benevolentiam promereretur, Acerras Urbem Alphonso dedere ne recusaret. Cùmque ad id reluctari Sfortia videretur, monet eum Braccius, ne grave duceret exemplum suum sequi, qui biennio ante Narniam, Interamnem, Urbeveterem, Ortamque Romano Pontifici tradere, quo in melius rebus suis consuleret, minimè turpe existimaverat. Qua ex re feliciores subinde successus comparaverat. Futurum pariter, ut hoc Sfortiæ bene cederet. Neque enim justo præmio eam deditionem carituram. Cùm persuasisset Sfortiæ, *Ego te discedente*, inquit Braccius, *hinc castra moturus sum, & Tyfernum petens, (ea Urbs in Umbris ætate nostra Civitas Castelli nomen habet) quorumdam dedentium conjuratione id mei juris sum facturus, victus subinde, & alicujus lucri materiam* his

his commilitonibus meis paratarus. Verùm haud plura locutus, quod animi ex ea re haberet, minimè aperuit. Profectus enim Tyfernum, ut prædixerat, non repugnantibus Florentinis, quorum fidei Tyfernates se crediderant, propterea quòd crescentis Philippi Anguigeri metu ducti Braccium sibi fautorem quibuscumque possent artibus instruebant, eam Urbem parvo negotio propriæ ditioni subegit. Inde motis copiis cùm Nursinos obsidionem suam sedecim millibus aureis redimere coëgisset, continuato subinde dies noctesque itinere in Lucensem agrum improvisus irrupit; cùmque per eas oras nihil tum hostile timeretur, ingenti omnifariam rerum præda suos ditatos in hiberna reduxit. Abeuntem verò Sfortiam magno tubicinum clangore, & adequitantium numero Braccius longam extra castra viam est comitatus. Inde commeatu utrique dato acceptoque, Braccius in castra redit. Sfortia ea die Petram, inde Talesium in Beneventano agro ad copias suas est reversus. Rebus ibi compositis Trojam profectus eos instruit, quos profectionis ad Reginam Regemque suæ comites sibi delegerat. Itaque dimissis interim, qui exercitui præessent, Laurentio, Michaële, Foschinoque Attendulis, magno apparatu Julio mense Cajetam petit. Cùmque ea etiam Civitas pestiferæ labis non immunis esset, Regina, & apud eam Carazolus in remota Urbis parte habitabant. Rex Alphonsus secundo extra Urbem milliario in amœno Palatio consederat. Primùm igitur cùm ad Reginam veniens eam veneraretur, illa amplexu virum excipit, & lætitiæ plena compatrem suum salvum advenisse congratulata est; hoc enim sacro vinculo ei se Regina devinxerat. Eodem subinde vultus tenore excipientem se Carazolum visit. Egressus postea, cùm ad Regem pervenisset, parem & apud illum gratiam, & verborum comitatem invenit. Multos igitur ibi dies per occasionem tractandarum rerum consumit, præcipuos apud se Cathalanos, Taraconensesque Proceres convivas habens. Cùm interea, poscente Regina, cui quàm maximè gratificari cuperet, Sfortia Acerras Urbem cum imposita arce Alphonsi potestati permisit. Ab Regina verò Manfredonia Urbs libero jam jure cum omni proventu suo Sfortiæ traditur. Accidit autem per eos dies, quibus apud Cajetam Sfortia versatur, Petrum ex Fontesicco Hispani generis Cardinalem Sancti Angeli, qui Taraconensium partes magno favore sequeretur, ab Urbe Roma Regem petere, super Regni negotiis cum eo pertractaturum. Huic ergo maritimum iter facienti Alphonsus honoris gratiâ triremem Regiam conscendens, altera comitante, obvius procedit. Ejus profectionis addit se comitem Sfortia, omni suspicione liber, & in triremem ipse Regiam est receptus. Verùm ubi in altum provecti essent, fertur Alphonsus longiorem cum fidissimis ex Proceribus suis de vinciendo Sfortia sermonem habuisse, cùmque diutiùs inter se sententiis variarent, ante expectatam triremem, qua Cardinalis ferebatur, in conspectu fuisse: quæ res cùm ejusmodi consultationem diremisset, fuisse Sfortiæ maximè salutaris perhibetur. Itaque ubi Cajetam omnes rediere, maximo suorum plausu Sfortia excipitur, qui per eam diem incredibili sollicitudine de Ducis suis salute laboraverant, uno omnium Sfortiâ nihil ad eas res animum applicante. Si tamen ad veteres illos Romanos respicias, Scipionis primi Africani, dehinc Octavii Augusti, & M. Antonii Triumvirorum exemplis erit excusandus.

Invaserat autem gravissima jam tum suspicio Reginæ, & Carazoli mentem, quos inflammatus nimia regnandi libidine Alphonsi animus, dum sibi Regnum assereret, extrema omnia metuere, & sibi callidissimo consilio prospicere cogebat. Hærebat ante oculos Marchiæ Comitis, & Pandulfelli exemplum. Jamque quod insequenti anno prope emersit, videre videbantur, Alphonsum, obtruncato Carazolo, Reginam ad ostentandam Durachinæ stirpis imaginem in custodia habiturum. Admisso igitur ad se in intimum colloquium Sfortia, quem unum omnium fidissimum sibi protectorem parare instituerat, Johanna, & Carazolus nihil dissimulantes, cuncta aperiunt, concepta à se vera timoris de Alphonso argumenta exponunt. Cùmque eum ad suscipiendam communem Regni tutelam, propulsandasque privatas insidias, si quæ pararentur, animassent, ille operam ad hæc suam, quotiens res posceret, numquam defuturam, dum Reginæ consuleret, est pollicitus. Hæc ubi seorsum inter se egerunt, alia post hæc fœdera ex communi Alphonsi sententia scripto mandant, quibus Regina, Rexque, & Sfortia ipse subscribunt. Eorum præcipua summa hæc fuit, ut communem eorum Regiam rem summo nixu Sfortia tutaretur, & quotiens vocaretur, auxilio præsto esset, seu communiter utrique, seu seorsum primum vocanti. Firmatis in hunc modum rebus, benignèque à Regina & Rege dimissus reducit Sfortia cohortes suas in Villam-Francam, (abest autem is vicus quinto ab Benevento milliario) unde propter sævientem latè pestem declinaverat. Inde rursus post aliquot dies Trojam traduxit. Cùmque se nulla belli occasio interea offerret, per eam hyemem miles quietem in hibernis agit.

Illo igitur, qui insecutus est, Anno, qui fuit Tertius additus Mille Quadringentis & Viginti, ineunte æstate Braccius contractis copiis omnibus Aquilam Urbem quanto potest conatu aggreditur, quam ex fœdere, quod cum Alphonso pepigerat, in propriam ditionem vendicare permittebatur, assensum etiam, ut fama est, ad eam rem præbente Carazolo. Vir enim ambitionis immoderatæ, & quem secundæ res elatiorem fecissent, animo jam universum ipsum Regnum invaserat. Et si ditioni ejus, ut speraverat, primo congressu Aquila concessisset, magnis profectò rerum motibus, Reginam, Regemque involvisset. Hac obsidione cœpta sub Maji mensis finem Alphonsus, quæ de Regina & Carazolo diu cogitaverat, deque redigendo in arbitrium suum universo Regno, per oblatam occasionem venientis ad se intra Arcem novam Carazoli experiri statuit. Eo igitur in vincula conjici jusso, collecta repente Cathalanorum manu ad Arcem Capuanam, ubi se Regina continebat, pergit, Arcem, Reginamque sui juris facturus. Verùm ii, qui in præsidio Arcis erant, ubi primùm tumultuari senserant, demissâ catara-

A ctâ, sumtisque armis venientes ad se Cathalanorum primos sagittis deterrent, ex iis plerosque vulneribus illatis cruentos faciunt. Quamobrem repulsus per eum modum ab ingressu Alphonsus, aperto jam marte suis conglobatis Arcem adortus circumsistit, eamdem properè, nisi auxilia ferrentur, expugnaturus. At Regina tam repentino circumventa malo, cùm captum insuper Carazolum intellexisset, fidissimos ex suis properare ad Sfortiam jubet, obtestantes, ne cuntaretur laboranti in summo discrimine Reginæ auxilium ferre. Ille & quòd data fides urgebat, & quòd humano more Reginæ etiam casum miserabatur, per summam celeritatem B copias contrahit, quæ tum fortè haud procul Mirabello, quod oppidum à se rebelle expugnaverat, sub tentoriis erant ante octavum diem Kalendas Junias. Per eam igitur universam, quæ instabat noctem, quia moræ periculum ingens erat, dispositis ordinibus Neapolim versùs iter facit. Eum jam sublatis signis incedentem obviam facti missi ab Alphonso nuntii, ut Taraconensi auxilio esset jure stipendii, & ex convento fœdere, poscunt. Quibus Sfortia per summam modestiam ita respondit: *Ego me Reginæ, ac Regi eadem sentientibus, quod matri ac filio convenit, militiam omnem meam debere quocumque in rerum casu numquam negavero. Verùm in præ-* C *sentia Reginali jussu præventus, quam me communia cogunt fœdera, ab ipsoque Rege subscripta, opem prius exposcenti, fero. Discrucior autem summo animi mentisque dolore, tantum inter eos discordiarum, tantum irarum exarsisse, ut ferro inter se decernant ii, quos & materna reverentia, & filii amor, sacra nomina, & beneficiorum insuper gratiæ carissimos sibi invicem facere debuerunt. Regem igitur meis verbis redeuntes orabitis, ut ab cœpta Capuanæ Arcis oppugnatione abstineat, nec injuriæ loco sibi ducat Reginam tuto in loco consistere. Id ubi compertum mihi fuerit, nihil ulterius progressus, cohortes è vestigio sistam, majore studio in communia commoda arma tractaturus. Hoc unum sibi con-* D *cedi, & Reginæ benemerita maxima, & militiæ meæ rationes, cujus primas sibi hoc tempore partes Regina vendicat, deprecantur.* Hæc ad Alphonsum perlata nihil profuerunt. Magna enim spe, sed majori cupiditate obtinendæ Arcis incensus animus, suis etiam adversùs Sfortiam, si arma inferret, viribus fidens, præceps in eam oppugnationem ferebatur. Continuato igitur itinere Sfortia, ubi tertio jam milliario ad Urbem appropinquasset, mittit ex suis, qui Alphonsum denuo summis precibus obtestentur, ut ab inferenda vi Reginæ desisteret, nec eum sibi hostem faciat, quem si honesta sequi velit jussa se- E quentem sit habiturus. Cùm obstinatæ ab his Alphonsi aures frustra pulsarentur, Sfortia tamdem cum legione instructa intervenit. Alphonsus, qui nec oppugnationem deserere, nec Sfortiæ cedere statuisset, relictis contra arcem iis, quos satis esse existimaverat, reliquos omnes validissimi equitatus ordines peditatumque in venientem Sfortiam dirigit. Itaque ad locum cui Formello nomen est, sub Arcem ipsam, magno impetu & clamore concurrunt. Conseritur acerrima inter bellacissimos viros pugna. Taraconenses alioquin armorum, sonipedumque magnificentia conspicuos, ipsa etiam Regis præsentia, & animorum elatio in vulnera & cædes accendebat. At Sfortiani milites stringendi in hostes ferri usu feroces, fortissimi ducis sui virtute animabantur. Ille oculatissimè aciem dirigebat; ille ante omnes strenuissimè dimicabat. Tutabantur autem Taraconensem viarum, in quibus res gerebatur, angustiæ; nam undique muris aut macerià hortos claudentibus, septæ crebris insuper obicibus, propugnaculisque muniebantur. Contumacibus utrinque animis decertantibus, atrox pugna, cùm neutri pedem referrent, suspensam sex ampliùs horis tantam adhuc victoriam faciebat, & cæsorum interea gemitus corruentium strages audiebantur. Cùm rem ancipiti loco stare speculatus Sfortia, statuit circumducto agmine hostem ex transverso invadere. Jussis igitur Comite Sancti Angeli, Sanctoparente, ceterisque, qui circa eum pugnabant, locum, in quo essent, tueri, ipse educta peditum manu ad diruendos, qui ab latere parietes erant, properat. At illi per ejus absentiam loco pelli cœperant; illo verò celeriter redeunte amissum locum recuperant. Quod cùm sæpius eo abeunte, itemque redeunte fieret, increpare eos vehementius Sfortia cœpit, quod per unius momentum hominis nunc imbelles, nunc fortes viderentur. Mixtis denique imperio promissis minis eos omnes jurejurando adegit, ipso se loco non cessuros. Id verò cùm ab eis postea constantissimè fieret, urgente Sfortia obstantes parietes subruuntur. Itaque ubi per eos invadentibus à tergo Sfortianis via patuit, & à fronte interim aciem vehementius Sfortia impulerat, fracti animis tamdem Taraconenses loco cedere, & sibi fuga consulere compelluntur. Fugientibus Cathalanis instant acriùs Sfortiani, eosque præcipites cursu in Urbem profugientes, ad ipsas portas premunt. diripiuntur igitur Taraconenses opes, Regia signa Sfortia ipse invadit, Cicho Antonio Vexillifero viro forti prostrato. Eodemque impetu Urbem ipsam ingressi Sfortiani, hostes ubique cædunt, diripiunt, insequuntur. Cùmque Rex vix tamdem cum paucis admodum in Arcem novam se recepisset, reliquus omnis ejus exercitus Sfortiano militi prædæ patuit. Cathalani Proceres, & Primarii quique viri, qui magna spe ducti Regem secuti erant, centum & viginti in Sfortiæ potestatem vivi venerunt. In his Remondus Perilio, Johannes Moncata, Bernardus Centilia, Lupus, Coriliaque præcipui connumerabantur. Sonipedes, phaleræ, armaque captivorum, & supellectilis præterea, rerumque omnium spolia direpta ubique visebantur. Sfortiæ victoris nomen in astra ferebatur.

Insequenti igitur luce restituta Urbe reginali ditioni, captivos omnes Sfortia per Marcum Attendulum Domilianum in custodia habendos misit. Ipse postea compositis Neapoli rebus, producto omni exercitu Aversam petit. Præerat ejus Urbis arci Jacobetus vir genere Cathalanus, qui audita Regis profligatione, Taraconensibus deinceps rebus desperans, ubi imminentem cum exercitu Sfortiam vidit, ei se se, arcemque dedit; & quoniam iniquo adversùs oppidanos odio æstuabat, hoc unum cùm dederet arcem, ab Sfortia extorquere contendit, ut

eam

eam Urbem militibus diripiendam permitteret. At Sfortia justus rerum æstimator, neque infensi hominis iræ, neque militum ardori concedendum ratus, receptam Urbem incolumem esse jussit. Cujus tanti beneficii tenacissima posthac semper apud Aversanos stetit memoria. Neque enim quanto in discrimine versarentur, ignorabant. Solùm Sfortiam suæ salutis auctorem, matrimoniorum, & pudicitiæ protectorem, & fortunarum denique omnium suarum patronum appellabant, ejus virtuti congratulabantur, ejus nomini se devovebant, ejus immortalitatem, si fieri posset, exoptabant. Alphonso verò rerum suarum ruinam interim contemplanti ante aspectum auxiliaris à Barchinone classis affuit. Ea enim sub specie legationis, ne grave in posterum subministrandæ ad bellum impensæ exemplum inde traheretur, communi totius Cathaloniæ nomine instructa opportunè, ut per summam rerum mutationem Neapolis concuteretur, quinto decimo die post eam pugnam à Taraconensibus malè pugnatam Neapolitano littori appropinquat. Eam venientem ex Capuana arce Regina conspicata, Aversam properè mittit, qui tutandæ Urbis opem à Sfortia mitti instantius peterent. Is causâ intellectâ Foschinum Attendulum, & cum eo Comitem Sancti Angeli Zurli cum quingětis equitibus cursu Neapolim petere jubet. Illi ad littus profecti, capessentem jam littus classem offendunt. Acerrimo igitur certamine congressi, navales turmas à littore pellere aggrediuntur. Verùm illi & numero longè superiores, & scorpionibus, telisque instructissimi non tantùm littus tenent, sed circumjacentia portui loca, tertiam ferme Urbis partem, ea ipsa die invadunt. Miserat interea Foschinus, qui hostilem vim Sfortiæ renuntiarent. Itaque is postera luce cum reliquis copiis auxilio advenir. Verùm Taraconenses animosiores facti, & quòd per eos artissimos Urbis vicos ipsi pedites Sfortiano equitatui ad id parum valido potiores erant, & Neapolitanorum præterea nullus in hostes insurgebat, sed veluti spectatores tantæ rei, mediique inter utrosque facti eventum rei expectabant, progressi sensim, cùm ab prima luce in vesperam usque pugnatum esset, universam tamdem Urbem invadunt, eorum, quos sibi suspectos putarent, vel se putasse criminarentur, plurimorum domos diripientes, injecto insuper incendio in eam omnem Urbis partem, quæ in portum & mare prospectat. Sfortia igitur, ubi retineri à se diutiùs Urbem non posse videt, legionem extra Urbem sensim reduxit, fixisque in suburbano tentoriis haud procul Capuana Arce quatriduum ibi consedit. Inde crebris in Urbem excursionibus repetitis, postquam Taraconensem nullo extra mœnia pacto illicere posse intelligit, factâ per præconem liberâ omnibus, qui inde secedere vellent, abeundi facultate, & impositâ vehiculis, quæ undique convenire jusserat, omni Reginali supellectile, Reginam cum exercitu Aversam in Arcem comitatur. Secuta est autem abeuntem Reginam incredibilis omnis sexus & ætatis ex Urbe multitudo, Taraconensem vim fugientium, quorum numerus supra quinque millia fuisse narratur. Cùmque per eam noctem, quæ prima fuit, tardantibus impedimentis, & imbelli turba, secundo ab Neapoli milliario substitissent, tanta erant Urbis incendia, ut eo usque legentibus literas lumen suppetisse multi affirment. Intra Capuanam verò arcem Sfortia Sanctoparentem, & Gratianum præterea Faventinum quemdam pedestribus centuriis Præfectum, cum peditibus quadringentis præsidio imponit. Sed non multo post mercede corruptus Gratianus Taraconensi Arcem tradere pactus erat. Itaque perfidiâ ejus cognitâ Reginæ jussu media inter Neapolim & Aversam viâ, laqueo suspensus gulam fregit.

Contractis post hæc copiis quantas potuit Sfortia Fuschinum cum parte exercitus contra Vestam mittit, quam ille profectus vi coactam brevi subegit. Ex itinere verò captivos, quos memoravimus, Pomiliano in Arcem Beneventi perduxit. Cum reliqua verò omni legione Dogliolum profectus Sfortia contra Neapolim castrametatur. Inde & frequentes commeatus Arci Capuanæ subministrabat, & assiduis incursionibus Taraconensem deterrebat. Cùm res in eum modum gereretur, instante vehementius Regina, quæsitum est de liberatione Magni Senescalli. Itaque nihil recusante Sfortia, quòd Reginam cupere intelligeret, viginti Primorum ex Proceribus Cathalanis, quos in Arce Beneventana captivos habebat, libertatem suam permagno auri pondere redemturos, permutatione cum magno Senescallo factâ, quieto Reginam animo esse dedit. Nec fieri tum potuit, ut hoc tanto beneficio prioribus adjecto ingratus, livorisque plenus Carazoli animus, bene umquam de Sfortia cogitare sustinuerit, illi posthac nihilominus semper adversus infestusque fuit. Eo igitur per summum desiderium recepto, Regina cum Sfortia, & Carazolo, adhibitis in consilium sapientissimis viris, divinique & humani Juris peritissimis, de illatis in se per summam indignitatem ab Alphonso injuriis questa, eorum sententias super tanta re, superque Regni statu explorat. Illi Alphonsi factum accusantes, privandum eum omni Regia adoptione, cui etiam Pontifex adversatus erat, censent, aliumque ejus loco substituendum. Circumspicientibus verò oculatissimè, quod è re Reginæ, ac Regnicolarum foret, Ludovicus Tertius Andegavensis, cujus paulò ante meminimus, omnibus præferendus est habitus. Interponente igitur utrinque vadem se Sfortia observandorum ab Regina, & Ludovico communium fœderum, & Pontificis consensu, cujus maximè intererat, accedente, Alphonsus edicto, & missis per omnem Europam literis, Reginalis adoptionis jure privatus ob ingratum iniquumque in Reginam animum, & atroces insultus declaratur; iisdem præconiis Ludovicus ab Regina filius & heres institutus pronuntiatur. Acciderat autem paulò ante per eos dies facinus rei novitate memorabile. Nannes enim Forlanus, Floramontes Cæsar, & ceteri omnes, quos antea memoravimus, selectos ex omni numero, datosque ab Sfortia commilitones Francisco adolescenti filio in Calabros proficiscenti, dum renovato adversùs Taraconenses bello, egressi, eo duce, castra etiam intra hostium fines posuissent, depositâ omni & fidei datæ, & vetustissimorum Sfortiæ beneficiorum memoriâ, quem mor-

mortem obiisse falsò vulgatum erat (adeò instabilis infidusque plerumque est castra sequentium animus) secedere ab eo, & suo ipsi consilio arma tractare omnes, præter Pelinum Cotignolensem, instituunt. Itaque quo minus turpiter facere viderentur, debita primùm longi temporis stipendia minaciter deposcunt. Inde alias atque alias præter solitum gravissimas intexunt querelas. Postremò quia omnes conjuraverant de defectione, securi Franciscum Comitem circumsistunt, & detecta demum conjuratione, instituisse se ab eo secedere, apertè denuntiant. Ad eas commilitonum suorum voces inexpectatas cùm primùm Franciscus obstupuisset, collecto subinde animo, postquam conjuratos à sententia deflecti posse desperat, petit, ut quandoquidem ita fixum in animo habeant, ne se solum in hostilibus finibus deserant imminenti periculo expositum, comitarentur se in tutum locum; postea, si ita libitum esset, abirent. Cùm recusarent obstinatis animis omnes, defectionem eorum, perfidiamque vehementius increpare propalam cœpit, ultionemque minari. Quibus verbis cùm irritatiores facti essent, nihil tamen gravius moliti, facto agmine cum omni equitatu per aliquot primùm dies vagantur, dehinc illecti ab Johanne Diseri Vicerege Taraconensi, ad hostes transeunt. Restitit unus tantumodo Flascus Girasius, qui quamvis ex conjuratorum numero esset, coactus tamen ab aliis potiùs, quàm voluntate ulla sua, cum reliquis juraverat. Isque pridie ejus diei, qui defectionem præcessit, pœnitentiâ facinoris ductus, mœsto ore Franciscum rogaverat, ut se equuleo imponi juberet; cupiebat enim cruciatu coactus ea fateri, quæ liber erubescebat. Verùm id minus intellectum, tamquam de re inopinabili, frustra prolatum fuit. Is ergo cum Pelino, & Francisci famulis discedentem inde Franciscum ipsum in tuta loca comitatus est. Statimque ad ceteros est profectus. Hanc tantam commilitonum defectionem incredibilis ducis sui virtus paucorum interventu dierum superavit. Ubi enim eam rem properans nuntius Sfortiæ significavit, is confestim Michaëlem cum nova quadringentorum equitum cohorte in supplementum defectorum filio transmisit. Sed priusquam is Francisco jungeretur, eidem summo per eos dies studio, quæcumque posset, auxilia contrahenti, Loysius Sanseverinas, præclaræ jam tum inter militares duces æstimationis, cum strenuo equitatu affuerat. Quo præsidio fultus Franciscus, cùm audisset Taraconenses copias, in quibus defectores sui milites erant, in Consentinum agrum adventasse, & per spem magnæ rei gerendæ in insidiis positos esse, magno in eos animo delatus, pugnâ consertâ omnes fundit. In his Furlanum, Cæsarem Flascum, Fredericum capit, reliquos subinde persecutus ad deditionem compulit. Videre hoc loco libuit Cæsaream in adolescente fiduciam; nam supplices omnes non tantùm veniâ dignatus est, sed etiam oblatâ, si vellent, remanendi facultate, ubi cupidissimè annuentes omnes vidit, vetustæ militiæ, & apud se dignitati restituit. Habuitque deinceps fidissimos eos in quovis etiam post paternum interitum rerum statu. Fuerant hæc autem sub ipsos, quibus Alphonsum Regem fuderat, dies Sfortiæ patri nuntiata. Quod patris gaudium cumulatius etiam Karoli filii ortus fecit. Natus est enim eo, qui victoriam illam insignem secutus est, die. Cui postea meliori spiritu ducto, sepositoque omni fastu cùm districtæ Religioni se dedicasset, Gabrieli nomen fuit, mirabili profectò præsagio Pontificatus ejus, in quem postea de Cellula raptus magno Metropolitanæ Mediolanensis Urbis gaudio sublimatus est.

Post ea igitur, quæ de se ab Regina per Italiam, perque universam Europam, diffamata senserat Alphonsus, cùm institutum insuper præcipuâ Pontificis operâ Ludovicum Regem successorem, durioresque jam partes suas intelligeret, majori & ipse conatu adnitendum censet. Mittit igitur, qui instantius cum Braccio agant, ut ad ferendam sibi opem adversùs novam belli molem properaret. At ille sibi uni maximè cogitans, quique jampridem profundos omnes cogitatus suos in unius Aquilæ expugnationem converterat, ab ea obsidione divelli, neque Regiis precibus, neque fœderum commemoratione, nec ullis denique pollicitationibus potest. Itaque Alphonsus ea spe auxilii destitutus, sive quòd parum per id temporis præsentiam suam sibi Neapoli decoris afferre ratus esset, sive Hispanicum bellum, quod nuper concitatum fuerat, cura urgeret: Petrum fratrem Infantem (ea est dignitas apud Hispanos post Regiam prima) cum eoque Jacobum Candolam, Bernardinum Cardensem, Ursumque Ursinum, primos militæ suæ duces, præsidio Neapoli relinquit. Ipse ultionem adversùs Ludovicum cogitans, paratam classem conscendit. Inde Tyrrhenum littus adnavigans Massiliam vetustissimam Urbem, & Laconicis auctoribus insignem, improvisus invadit. Ea urbs opulenta in ultimis Galliæ finibus, qua Tusco mari abluitur, sita, amplitudine portus celebris, cùm adjunctâ ei orâ, quæ omnium prima à Romanis extra Italicos fines subacta expresso servitutis jugo Provinciæ nomen accepit, Andegavensi paret ditioni. Hanc igitur inopina vi aggressus Alphonsus, postquam aliquandiu infeliciter ad ipsas portus fauces à civibus repugnatum esset, profligatis iis numero & armorum usu imparibus, qui pia pro tutela patriæ arma induerant, universam tamdem diripit; nec diripuisse contentus incendit. Atque inde repetita navigatione in Taraconensem patriam est delatus, Divi Ludovici corpus, & cetera sacra plurima, vasaque aurea & argentea secum ferens. Evenit item hoc eodem anno Augusto mense, eos omnes reliquos Gotalanos Proceres, qui in Arce Beneventana servabantur, perfidia Bucelli Urbevetensis ejus arcis Præfecti, fugâ evadere. Ceterùm is impius translatâ ejus rei noxâ in scortum suum excusationem prætexit. At postero anno post Sfortiæ obitum conceptam mente perfidiam nihil dissimulans detexit. Tradita enim Taraconensibus arce, & per eam hostibus in Urbem aditu patefacto, Urbem ipsam, Fuschinumque, qui eam cum præsidio tuebatur, prædam hostilem fecit.

Regina interea Sfortianæ libertatis memor, quòd viginti delectos Proceres captivos suos pro libertate magni Senescalli commutasset, Tranum, Berletamque nobiles in Salentinis Urbes Sfortianæ ditioni concessit. Absumta per

per hunc modum æstate Braccius, qui summis interea viribus Aquilam obsessam premebat, ubi obstinatis ad resistendum animis, difficiliorem quam ratus erat ejus Urbis expugnationem videt, Petrumjampaulum, Johannem, & Franciscum fratres Ursinos, armorum duces, & Monapelli Comites in sua stipendia traducit, quorum præter militarem operam accessio magno usui Braccio fuit. Nam quod multa per eas Aprutii oras oppida possidebant, cujus regionis recens vocabulum, Pelignos, Marucinos, Marsos, Frentanos, Furconenses, Larinates, Albenses, vetustissima populorum nomina, Samniique item maximam partem in se complectitur, instante hyeme fabricatis adversùs Aquilam propugnaculis, dimissisque, quos expedire visum est in præsidio militibus, ceteras turmas Braccius in iis locis hyemare jussit. Ipse cum delectis Theate ad Urbem Marucinorum, quam nunc Chetim dicimus, Ortonamque Reginalis ditionis, specie amici obtenta, profectus, nulloque adversari auso, ibi se in hiberna recepit. Tulit hos Braccii successus Regina molestissimè. Parum enim hac in re cum Carazolo Braccii fautore conveniebat. Dolebat autem vehementer obsideri ab eo Aquilam Urbem nomini suo fidissimam, & ut se in Reginæ ditionem servaret, omnia extrema fortiter patientem; & eum præterea ulterius infra Regios fines serpentem maximè metuebat, neque quorsum tenderent tanti conatus, obscurum esse patiebatur insaturabilis ejus viri dominandi cupiditas. Verùm hanc tantam imminentem procellam alebat intestinum malum. Infensus enim Sfortiæ magnus Senescallus magna, quibuscumque artibus poterat, discordiarum irarumque fomenta inter Sfortiam Bracciumque seminaverat. Et postquam irritatos eorum (quod summè cupiebat) mutuis odiis animos vidit, Braccianas partes, quamvis Reginæ adversas, occultis consiliis fovebat. Quæ una res tanto incendio, ne extingui posset, incrementi spatium dabat. Perculsa igitur crescentis insolentiâ Braccii Regina, animoque confirmata, cùm non absque summo Regni sui discrimine diutiùs tantam vim ferri, & Aquilam obsessam relinqui, planè arbitraretur: instruere copias Sfortiam jubet, & quamquam adverso anni tempore obviam proficisci, & Aquilanis opem ferre. Is igitur evocatis raptim ad se Francisco filio ex Calabris, Foschino ex Apulis, Michaële item, & ceteris undecunque omnibus, copias contrahit. Nec dum omnes convenerant: in ipsum tamen Braccium properat. Et ex itinere Ischonium, (id nunc Vastum Amonis vocant) Candolense oppidum invadit, & Reginali ditioni subjicit. Inde Monterisium, postea Ortonam profectus, pulsis hostibus utrumque recipit. Urgebat enim maturare Sfortiam præter securitatem, quam Reginæ vendicabat, alia item ingens causa. Per id enim tempus Philippus Mediolanensium Princeps, cujus arma, & magnitudo nominis toti Italiæ formidolosa erant, Franciscum Carmagnolam, supremum antea militiæ suæ ducem, & qui magnis rebus bello gestis, multisque subactis Urbibus illustrem sibi famam & auctoritatem comparaverat, obque ipsas res invidiæ obnoxius, & potentissimorum insidiis aulicorum fuerat circumventus, ab militia removerat, per spem tamen honoris Genuensi Urbi, & amplissimæ ditioni prælatum. Dum ergo quem Carmagnolæ sufficeret, excellentem quærit militari gloria virum, in unum omnium Sfortiam respicere coactus erat. Interponente igitur ad eam rem operam suam Martino Pontifice, concedente etiam Regina, Sfortia cum Philippo convenerat; & ubi soluta per eum Aquilæ obsidio esset, positis jam tuto loco Reginæ rebus, communi trium studio contra Florentiam cum magno exercitu erat castrametaturus.

Braccius ergo, ut adversùm imminentem Sfortiam reliqua factionis suæ oppida, quibus posset modis confirmaret, ceteras quidem copias secum ex hibernis educit; relictas verò ad obsidendam Aquilam nullo pacto revocare, nisi extremo malo subactus, instituerat. Non ausus igitur apertis campis Sfortiæ congreditur, nunc his, nunc illis præsidio aderat. At Sfortiæ quòcumque eum divertisse senserat, admotis copiis insequitur. Pulsumque per hunc modum Anxano Samnite oppido (id nunc Lanzanum est) Civitate magna, Buzanico, Miglanico, & plerisque locis aliis, intra Theate tamdem munitiorem Urbem compulit. Et quia acerbitas hyemis castrametari prohibebat, refert se cum copiis Sfortia triduo ante solemnia Salvatoris nostri Natalicia festa intra Ortonam Urbem. Ibi sacratissimorum festorum dierum, & adversi etiam temporis ratione habita, duodecim dierum quietem militibus tribuit. Instabat subinde atra dies Lunæ tertio nonas Januarias, initio ejus Anni, qui fuit Quartus supra Mille Quadringentos & Viginti, cum præparatis omnium in bellum animis, quibus cœptam victoriam prosequi pulcherrimum gloriosissimumque erat, Sfortia Franciscum filium, in quo jam paterna omnis fiducia reponebatur, & cum eo Michaëlem Attendulum, cum parte exercitus trans Aternum fluvium (eum nunc Italica Lingua de nomine proximi oppidi Pescaram vocat,) qua fauces suas mari immiscet, mittere instituit, ut iidem recto itinere Aquilam petentes, Braccium jam perterritum prævenirent. Reliquum verò exercitum secum uno præsidio primis in terga venturum ordinaverat. Certa in manibus victoria esse cunctis videbatur, nisi tantæ rei gloriam magnanimo Sfortiæ immatura mors invidisset. Prævenere igitur tanti viri casum præsagia, quæ cùm ceteros omnes terruissent, solius Sfortiæ, cui uni portendebatur exitium, adversùs ea impavidus animus ferebatur. Cùm interfuisset diluculo Missarum solemniis, qui mos assiduus erat ei Principi, cunctis virtutibus, quæ Christianum deceant, ornatissimo, narravit circumstantibus, quorum magnus ad eum, ut fit, numerus convenerat, apparuisse per insomnium ea nocte periclitanti sibi in profundissima aqua immensæ magnitudinis virum tremendi aspectus, & qui Divi Christophori, quam vulgo ferunt, imaginem longè exsuperare videretur. Eius igitur opem in tanto vitæ discrimine laborantis frustra sibi deposcisse visus erat. Cùmque multa in eam rem addidisset, amici, & ceteri omnes, qui aliqua apud eum auctoritate possent, insomnii terrore perculsi, Sfortiam hortari instantius, denique rogare, ut conceptam eo die expeditionem differre non gra-

gravaretur. Adducebantur & in memoriam convenientia Astrologorum de ejus exitu indicia, monentium, ut diem Lunæ, transitumque aquæ caveret. Perstabat nihilominus adversùs omnium sententias intrepidus Sfortia, quem inevitabilis ejus diei sors extrema manebat. Jubet igitur armatas cohortes procedere. Cùmque ante se sublata signa ferri jussisset, quadrati insignium vexilli signifer vix ipsam Ortonæ portam egressus, corruente equo, magno strepitu præceps signum terræ illisit. Hoc superiori adjectum præsagio mœstitiæ plenos milites rursus Sfortiam orare obnoxius cogit, ut divinis monitis cederet, non adversùs homines, quos vincere solitus erat, sed adversùs cœlestem vim, humanis viribus non comparandam, pugnandum ipsi eo die esse. Ceterùm quo magìs prohibebatur, fortitudinis ex ea re laudem sibi vendicare ratus, acriùs proposito insistebat. Ubi ad Aterni fauces perventum est, comperit hostes subtili hanc ejus profectionem conjectura assecutos, vadum ejus fluminis præfixis in adversa ripa sudibus interrupisse; navem insuper eo loco submersam, quantum depressa aquæ altitudo ferebat, funibus trabibusque firmasse; & instructo desuper propugnaculo sagittarios in ea, qui transituros prohiberent, collocasse: Hac difficultate præventus Sfortia nihilo remissior ad transeundum factus, procedere primos jubet, producto ad dexteram gyro, perque ipsas stagnantis maris undas transire. Et quoniam crebris scorpionum telis petebantur, tecti galeis, armisque omnibus, innixis femori contis, transitum tentant. Ingressi formidolosas undas quinque omnium primi erant insignibus vecti equis, sextus post eos Franciscus, septimo loco Sfortia ipse traiecit. Quadringenti propemodum equites eos subinde sunt secuti. Cùmque iterum refluens in adversum amnem maris unda, australi etiam vento impulsa altiùs intumesceret, perculsi reliqui in ripa constiterant. Imposuerat Braccius Piscariæ oppido, quod fluvii ripas ponte complectitur, præsidii causâ equites quadringentos, & peditatum item non levem. Hi cùm nuntiatum esset, tentari à Sfortia fluminis transitum, qua stagnanti mari immiscetur, nec prohiberi posse ab iis, qui in propugnaculo ad id constructo sagittis decertabant, instructa acie ad littus properant, ut à transitu deterrerent. In hos igitur obviam factos Franciscus Comes cum iis, quos tumentem amnem superasse memoravimus, magno animo delatus, acerrimam pugnam conserit, eosque tamdem perterritos, & in fugam versos præcipites, ad oppidi usque portam premit, plurimos interim ex eis captivos facit. Hoc successu inflammatior factus Sfortia, incredibilemque de filii virtute lætitiam capiens, ad fluminis fauces progressus, voce manuque quantum potest stantes in adversa ripa cohortes in id destinatas, transire, & se sequi jubet. Verùm ubi cunctantes perstare nihilominus vidit, ipse rursus, & ut vehementius cogeret, & ut fiduciam timidis faceret, in undas insilit, & qua profectus erat, stagnantis Maris infaustam viam repetit. Priusquam alteram attingat ripam, galeatum quemdam iter tentantem periclitari videt. Itaque ad eum, ut opem ferret, equum dirigit; dumque illum inclinatus dextrâ sublevare nititur, sonipedis sui posteriores pedes ab lubrica arena, & fluctibus concitata, deferuntur. Itaque aversus nulla vi Sfortia dirigi potuit, quin fluctuantibus in undis submergeretur. Ferunt tum equum, postquam vacuus sessore factus fuerit, ad littus enatasse. Ipse verò Sfortia, impedientibus armis, nandi officio destitutus, bis junctas manus, ut erant armis tectæ, desuper undas in formam implorantis opem fertur extulisse. Cùmque nemo se & maris fluctibus, & hostilibus telis objicere auderet, obrutus undis vitâ deseritur Anno demum ejus ætatis Quarto, & Quinquagesimo.

Viderat extremum ejus Principis casum unus ex iis, qui fluvium transierant. Itaque ad Franciscum properans, qui assiduo marte profligatos intra oppidum hostes premebat, Abstracto ex acie paulum paternum casum tremens nuntiat. Quo loco spectare licuit junctam invicto animi robori senilem in adolescente sapientiam. Nam veluti secunda animos inflant, ita adversa probant. Perfossus crudelissimo vulnere Francisci animus, acerbissimumque, quo excruciabatur, mœrorem per summam constantiam in se supprimens, nec lachrymis locum per id tempus, nec singultibus dedit. Verùm quod res poscebat, revocatos à pugna equites suos, per speciem ferendi auxilii reliquis fluvium trajicientibus, properè ad littus reducit. Cùmque ceteri eodem, quo prætergressi erant, pacto revertentes, tumentibus undis se committerent, jamque ex iis nonnulli absorberentur: ipse dato uni ex famulis trajicientibus equo, inventum ibi lintrem conscendit, quem unus tantummodo (nec enim plurium capax erat incavatus truncus) baculo dirigebat innixus genibus. Per eum modum expositum in littore incolumem Franciscum, sollicitus nimium paulò ante de ipsius salute universus exercitus Sfortianus circumsistit. Is qua erat animi magnitudine dolorem supprimens, anxias mœstasque cohortes ob amissum ducem suum, sine controversia omnium profectò excellentissimum, solari cœpit, utque bono animo essent hortari. Superesse eos inquiens, quorum fide & virtute Sfortiæ nomen in tantum culmen evaserat. Nec enim uno ampliùs esse, quem tantopere ingemiscerent. Cùmque & hostibus hactenus superiores fuerint, & Pontificis, ac Reginæ animum ingentibus sibi beneficiis obligassent, hoc unum tantummodo rogare omnes duces, equites, peditesque, ut quam unanimes sub patre Sfortia gloriosissimè egissent militiam, eamdem nunc pari concordia nexuque animorum servare vellent. Ea in universis convenientium animorum fama, si ad Pontificem, & Reginam, si ad hostes denique ipsos perveniat, nihilo inferiore, quàm antea, loco res eorum futuras; stipendia, commeatus, Urbium populorumque amicitias eo pacto abundè sibi paraturos. Quod si varia sentire, & diversas in partes labi cœpissent, tum demum & hostibus, & amicis æquè ludibrio fore. Excepta est hæc Francisci novi ducis Oratio ingenti omnium favore, dignissimus ex eo habitus, qui paternæ amplitudini regendi exercitus, Urbiumque administrandarum succederet. Itaque comunicato quantum ea temporis angustia patiebatur cum Prioribus con-

consilio paterna signa cohortesque Ortonam eadem luce reduxit.

Interea Braccius cùm primùm Sfortiam produxisse ad Aterni fauces copias, earumque jam partem transmisisse accepisset, nec ceteras ab transitu prohiberi posse (de reamque sollicitus, nuntios in singulas horas ut res gererentur, ad se mitti jusserat, & illi rem per se magnam verbis etiam, qui mos est hominum, extollebant) impedimenta sarcinasque componi, & jumentis imponi jusserat. Illis præcedere jussis, ipse jam rebus diffidens suis, cum omnibus copiis Theate Urbe egreditur, eo consilio ut summota omni Aquilana obsidione, in Umbros, Picenosque sui juris populos se reciperet. Dimensus tria passuum millia, tum primum missis ad se crebris ex Piscaria nuntiis de Sfortiæ interitu audit. Fertur primo item & secundo tantam rem nuntianti fidem negasse; superveniente demum tertio, ac reliquis, postea mentem adhibuisse. Itaque revocato itinere, Theate cum omni legione impedimentisque refertur. Ibi de summa rerum cum suis, quibus maximè fidebat, agentem frequens fama est, nulla in vultu lætitiæ signa de hostilis morte ducis ostendisse, seu quòd humanarum rerum exemplo admonitus, ejus Principis casum contremisceret, seu quòd plerique affirmant, persuasum vaticinio haberet, brevem sibi post Sfortiæ præmorituri obitum vitam fore. Ipsum certè Sfortiam jam fato functum summis laudum præconiis oneravit. Fuit autem Sfortia proceritatis egregiæ, ut qui communem hominum mensuram paulò excederet, pectore lato, & subtus Zonam districto admodum corpore. Cùmque ejusdem oris lineamenta optima etiam corporis habitudo, & membrorum æqualitas exornarent, facies tantum cæruleo colore fusca, ipsique infonsi vegetiores oculi non nihil aspectu torvum reddebant. Verùm is multus hostibus tantum formidandus, erga amicos autem & subditos mirâ humanitatis, & affabilitatis gratiâ condiebatur, ita ut alterum natura fecisse, alterum mores formasse viderentur. Et cùm in eo tanto Principe multæ bonæ, ac præclaræ artes abundarent, ut qui omnimodam Historiam, & præclara sapientissimorum hominum dicta, maternâ linguâ didicisset, & qui præterea supremis victoriis & trophæis illustris, Ladislaum, & Alphonsum potentissimos Reges collatis signis profligasset, Romamque interea Urbem tyrannide liberatam Romano Pontifici restituisset, hoc unum de se præ ceteris omnibus mirabile præbuit, quod contra casus adversos nemo umquam contumacius insurrexit, nemo constantius perduravit.

At Franciscus, reductis Ortonam copiis, cùm Beneventum petere quamprimum statuisset, ut & paternæ ditionis oppida, priusquam ullo tumultu sollicitari possent, confirmaret, & Reginæ pariter erga se gratiam stabiliret, Sanctoparentem, Comitemque Sancti Angeli Zurli cum equestribus turmis suis præsidio Ortonæ reliquit. Rogatus item à Comite MontisTerisii imminentis Braccii vim formidantis, Flascum Girasium, & Girardum Cotignolam cum quadringentis equitibus tutelæ causa apud eum dimisit. Ipse cum reliquo omni exercitu per noctem, quæ instabat, profectus continuato itinere, non priùs destitit, quàm transgressus Apenninum Beneventum attingeret. Ibi paucos immoratus dies, postquam omnia in fide perstare intelligit, eodem Januario mense assumtis equitibus haud multis de exercitu primoribus, Aversam ad Reginam pergit. Ibi magno Reginæ receptus desiderio, veros demum de paterna morte questus & diu suppressa suspiria effundere licuit. Commovebatur enim ingenti dolore Reginæ animus super eo amisso Principe, quem unum omnium sibi fidissimum habuisset suæ salutis defensorem, sui Regni propugnatorem, desertumque in magno victoriarum cursu tanto parente Franciscum, ac reliquos fratres, quos ipse jam parentis loco complexus fuerat, condolebat. Itaque post adhibitas eas, quas æger animus potuit consolationes, Franciscum in magnam spem erectum, ut bono animo esset, hortata est. Cùmque in eum & paternæ amplitudinis insignia contulisset, & paterna quæque oppida ejus ditioni confirmasset, studio accensa renovandi Sfortiani nominis, & in longissimos annos perpetuandi, jussit Franciscum fratresque ejus omnes adjectum priori appellationi Sfortiæ cognomen ferre. Ex eo Franciscus Sfortia, ceterique eodem pacto fratres & appellantur, & inscribuntur. Postea dispositis omnibus ex Reginæ sententia, quæ adversùs Alphonsum geri vellet, Franciscus Sfortia Beneventum rediit. Ibi acceptis ex Reginali ærario pecuniis, & in milites distributis, destinatam in Alphonsum expeditionem parat instructo exercitu. Verùm interea usquequaque à perfidia cessatum non est. Nam Comes Sancti Angeli Zurli, quem supra memoravimus cum Sanctoparente præsidio Ortonæ relictum fuisse, de prodendo oppido, diripiendisque Sfortianis cum Braccio convenerat. Ea res Franciscum Ricardum, ejus oppidi principem virum vigilantissimum, & Sfortianis maximè faventem diutiùs latere non potuit. Itaque re ad Sanctoparentem in primis, dehinc ad populum delata, ira omnes metuque periculi proprii accensi, raptisque furentes armis, in ædes, in quas Comes diverterat, irruunt, ipsum obtruncant, dehinc suppellectilem ejus, omnemque Zurlescum equitatum eodem furore diripiunt. Post dies haud multos id factum secutos Sanctoparens cum cohorte sua discedens, inde ad Franciscum Sfortiam se recepit. Initio igitur veris Franciscus Sfortia, contractis copiis omnibus, Neapolim, veluti Regina instituerat, petit. Castrisque ad Urbem positis clausos acri obsidione urgere cœpit. Tantus animi vigor jam tum eam auctoritatem juvenilibus annis addiderat, ut quamvis Michaël Attendulus, & plerique alii clarissimi militares duces natu grandiores iis in castris essent, apud unum tamen Franciscum Sfortiam castrorum rerumque omnium summa collocaretur. Eam verò Urbem Petrus Infans Regius frater, & cum eo Jacobus Candola, Berardinus Cardensis, Ursus Ursinus, ductores bellicosi, magno militum suorum præsidio tutabantur. Cùm per eum modum Neapolis terrestribus copiis obsideretur, insignis Genuensium classis ab Mediolanensium Duce Philippo Maria, in cujus ditionem Genua inclita Urbs triennio ante concesserat, auxi-

auxilio Reginæ missa, Neapoli se ostendit. Ea erat ingentium navium quatuordecim, triremium duarum & viginti, biremium trium, præter majora navigia, viris, armis, commeatu, & omni denique re instructissima. Admiratus ei Præfectus erat Guido Torellus, qui militari disciplina, & multis fortissimis gestis eam auctoritatem consecutus erat, ut ad imperium tantæ classis reliquis omnibus præferretur. Productam igitur intra Neapolitanum portum classem haud longius teli jactu ab littore in ancoris stare jubet. Qua tempestate Franciscus Sfortia Guidoni, & per eum Philippo Mariæ, quia ex paterna hereditate magnâ benevolentiâ junctus, maximarum rerum, quæ postea per omnem Italiam gessit, initia feliciter auspicatus est. Pressa in hunc modum terrestri, maritimaque obsidione Neapoli, cùm adversùs tantas vires nulla satìs idonea sperarentur auxilia, Berardinus, ubi præter cetera incommoda ab Infante omni pacto stipendio excludi se videt, impetrata ab Francisco fide publica, Urbe egressus cum omni suo equitatu ad Braccium, cui militabat, est profectus. Candolam verò paribus difficultatibus circumventum occultiùs convenisse ferunt; cùmque in Sfortianos egressus manum sæpius conseruisset, icto demum palàm fœdere, immixti Candolanis Sfortiani in Urbem recipiuntur. Eâ captâ Petrus Infans, & qui superfuerant Alphonso militantes, in Arcem novam confugiunt. Comes Franciscus, Michaël, ceterique Urbem ingressi, Reginali ditioni restituunt, quorum tanta fuit modestia, ut nec publicè, nec privatim molesti quicquam Neapolitanus senserit in tanta rerum mutatione, adeò non militarium in re bellica ducum; sed Legatorum in summa pace speciem præbuere. Quibus gestis cùm celeberrimum jam per omnem Italiam Francisci Sfortiæ nomen esset, & Torrelli testimonio gravissimum famæ pondus adjiceretur, permotus Mediolanensium Dux, judicii præter mortalium consuetudinem oculatissimi, magnis invitatum conditionibus, ex Pontificis ac Reginæ sententia, in sua stipendia ingenti hominum expectatione traducit.

Durabat nihilominus interea Aquilana obsidio. Braccius enim post Sfortiæ obitum fidentior factus, collecto quicquid ubique virium haberet, admotis proximè ad Urbem castris, eam omni exclusam commeatu, tormentis bellicis, & summis denique conatibus quatiebat. Eam rem Martinus Pontifex, Regina, & Mediolanensium Dux minimè negligendam rati, fidelissimis summamque constantiæ laudem meritis Aquilanis opem ferre instituunt. Jubentur igitur Jacobus Candola, Franciscus Sfortia, Michaëlque Attenduli, Loysius Sanseverinas, Ludovicus Columna, ceterique omnes earum partium duces, coacto exercitu ad liberandos obsidione Aquilanos proficisci. Summa dirigendi exercitus propter ætatem, & ne irritaretur inflatus ambitione animus, Jacobo Candolæ demandatur. Pontifex nihilominus Romanæ Sedis Legatum Franciscum Pizolpassum genere Bononiensem, præstantem virum, qui postea in Archiepiscopali Mediolanensi throno collocatus fuit, cum Pontificalibus signis in eadem castra Legatum mittit. Profecti igitur Ecclesiastici duces adversùs Braccium, ducem, ut tum fama ferebat, invictum, suspensos de tanto rei eventu totius Italiæ animos faciebant. Ex eorum enim dextris Romana-ne Ecclesia serviret, an imperaret, ex illis armis Neapolitani Regni ditio omnis, & rerum insuper Mediolanensium Etruscarumque magna contentio, & totius denique Italiæ status, pendere videbatur. Nec omnia utrinque circumspecta magnos audacibus animis aculeos injiciebant. Kalendis Juniis ad Aquilam profecti, haud longius quatuor millibus passuum castra faciunt. Ab hostilibus verò castris non longius duobus, Mons medius altitudinis quidem haud immensæ, ceterùm transitu difficilis castra utraque dirimebat. Ardebant utrinque paribus votis, pari fiducia in pugnam exercitus, & Braccianis præsumta vehementius animo victoria videbatur. Quamobrem imposita magna sui peditatus parte in montis cacumine, quod in hostes spectabat, atque ibi consistere jussâ, id unum maximè Braccius caverat, ne commeatus quoquo pacto per insidias in Urbem deferri posset. Nihilque magìs veritum Braccium ferunt, quàm ne exiguo detrimento fusos hostes profligaret, de Aquilana Urbe parum sibi negotii superesse ratus. At contra Ecclesiastici duces, quo durius sibi certamen adversùs insolentem hostem vident, quod diutiùs proferre supremum Aquilæ discrimen prohibebat, eo magìs summo consilio rem geri, summis viribus decertari oportere intelligunt. Ceterùm in tanta belli mole una maximè difficultas eos deterrebat, quod ex arduo montis jugo descensuros equites in planitiem castra contingentem, angustum iter non ampliùs quàm singulos binosve ad summum una incedere pateretur; exponerenturque aperto periculo primi ordines, qui descendissent, si in eos impetum Braccianæ cohortes fecissent. Dum inter se igitur de pugna conferenda agitant, Ludovico primum agmen ducere forte contigit; proximas partes Franciscus Sfortia sibi desumsit; post eum adscriptos cuique ordines nemo recusare sustinuit.

Postera igitur luce, quæ fuit Veneris, distributa castra sub auroram movent, rejectisque in posterum agmen impedimentis omnibus, instructi ordines in montem conscendunt. Liber inde prospectus in hostilia castra dabatur. Illic hostilem exercitum numerosissimum, Bracciumque instructum, ex adverso aciem cohortantem, videre cuique patens erat. Itaque eos, qui primùm descenderant, fama est non mediocriter trepidasse. Fuit autem in Braccio tanta animi vis, & certa vincendi fiducia, ut cùm in eos primos impetum facere à suis admoneretur, aspernatus sit, cum universo sibi inquiens, ne cuiquam fugæ locus superesset, transgresso montem exercitu congrediendum esse. Cùm plerique jam ordines infimam montis planiciem tenuissent, & reliqui per declive iter pari gressu subsequerentur, circumstantes jam se cohortes, quas parum constanti animo viderat, Franciscus magnanima oratione, ut est ad dicendum aptissimus, erexit. Aperit justas vincendi causas, proposita insuper victoribus præmia ingentia, gloriamque immortalem commemorat. E contra item si loco cederent, aperti discriminis, in quod

quod locorum iniquitate conjecti erant, admonet. Proinde se ducem & militem sequerentur, suo exemplo, quanta vis Sfortianorum in bello in primis esset, eo die comprobaturus. His ubi confirmatos jam eorum in pugnam animos vidit, recta acie ad hostem pergit. Nam ne Aquilam recto inde itinere petere possent, objectus palustris rivus inter eam planiciem, & Urbem prohibebat. Concurrunt ergo pari ardore, fremitu ingenti, pugnacissimi inter se equites, ut qui in ejus eventu pugnæ salutem suam, rerumque omnium suarum rationem utrinque posuissent. Ibi postquam protensas hastas mutuis vulneribus infregissent, ad enses, pugionesque descendebatur. Itaque pugna conteritur atrox, cruenta, & qualem tempestate nostra paucis locis videre contigit. Cùmque omnes undique coiissent ordines, tum demum permixti inter se equites peditesque vulnera cædesque innumeras edebant. Planicies ea omnis cruore & cadaveribus fœdabatur. Ibi Braccius summo adnixus conatu, tanto impetu in ipsa Candolana signa invectus est, ut & illa & Candolam ipsum prosterneret. Cùmque pelli jam Ecclesiastica phalanx cœpisset, quanta vis animi in Francisco esset tum maximè patuit. Is enim periculum conspicatus, ut qui inter primos pugnatores assiduè esset, & cui uni strenuissimæ consertæ manus eo die palma concessa sit, ad suos conversus, quia in tanto armorum strepitu vox exaudiri non poterat, ense, manuque significans suos contrahit; globo ex iis facto acerrimam pugnam instaurat. Dejectis ergo Candolanis signis, Francisci galeam nigrantibus cristis ex paterno funere insignitam, triplicique insurgentem ordine, omnes pro Regio signo conspicati, ardentiùs insequebantur. Is in quamcumque partem se ingesserat, ibi confertissimis cuneis, res gerebatur; ibi veræ virtutis argumenta dabantur; Hunc ergo cùm obvium sibi haberet, quemcumque in locum se ingessisset, Comes Brandolinus inter Braccianos sinè controversia nulli virtute secundus, admiratione captus. Et *quis*, inquit, *hic est pullâ insignitus cristâ, qui tam infestus ante omnes cruento mucrone dimicat? cujus denique incursus nulla per hanc diem parte oculis meis eripitur?* Cùm responsum esset, Franciscum Sfortiam eum esse, vehementer suspirans, *nimirum*, inquit, *hic Sfortiæ filium sese agit*. Cùm esset in eum modum octo ampliùs horis confertissimo pugnatum marte, Bracciani jam loco pelli, & inferiores esse cœperant. Interim Braccii peditatus, conspectis hostium impedimentis, quæ post ordines è monte descendebant, ad ea diripienda procurrunt. Nicolaus item Piccininus, qui opportuno loco in supercilio montis adversùs Aquilanos à Braccio oppositus erat, ut eos ab eruptione prohiberet, fertur & ipse ad ea diripienda convolasse. Quod conspicati Aquilani, facto repente agmine, universi erumpunt, relictos ab Picinino paucos in eo, unde discesserat, loco protinus deturbant, & in Braccianas cohortes delati, magnos tumultus cient. Inclinata jam igitur re, & Braccianis loco ubique cedentibus, Braccius ipse tum demum erroris sui admonitus, quòd minus æquo judicio Sfortianam virtutem æstimasset, imminenti deterritus periculo, conservandæ suæ per fugam salutis, & se in proxima suæ ditionis oppida recipiendi datum consilium capit. Viderat eum rotantem in fugam equum Franciscus, qui ex quo pugna conseri cœpta erat, vigilantissimis eumdem oculis assiduè observaverat. Vehementius igitur permotus suis, qui proximi erant, ut se sequerentur, innuit. Facto agmine obvios quosque proterit, vulnerat equos, virosque prosternit. Ferro per eum modum paratâ sibi viâ vertentem jam terga Braccium assequitur. Ibi Sfortianus eques cognomento Fulignatus cervicem Braccii ensis cuspide trajicit. Ille lethali vulnere accepto, præceps in terram devolvitur. At Braccianus interim exercitus, præter reliquam hostium impressionem, audito etiam ducis sui casu, tum demum quaquaversum funditus profligatur. Instant Pontificales cohortes eodem, quo pugnatum erat, animorum ardore. Itaque cæsorum, captivorumque ingens numerus fuit, præda ubique patens erat. Bracciana signa à se in prœlio capta Flascus Girasius ad Franciscum refert. Pauci denique Bracciani beneficio noctis, quæ instabat, per fugam evadere potuerunt. Ipse Braccius semianimis in castra relatus, quamquam eum Franciscus, seposito (quod victorem decuit) hostili animo, amicis verbis solaretur, & in spem vivendi admota Medicorum ope erigeret, verbum gravante vulnere nullo pacto emisit; nec multo post vitâ occubuit. Ejus verò tantæ victoriæ pretium non solùm Aquilæ securitas, & Reginalis ditionis quies fuit; sed quæcumque in Picenis & Umbris Oppida, Urbesve Braccius subegerat, rebellione concitata, Pontificali ditioni restituuntur.

Cetera desiderantur.

CHRONICON
TARVISINUM

Ab Anno MCCCLXVIII. usque ad Annum MCCCCXXVIII.

AUCTORE

ANDREA DE REDUSIIS
DE QUERO

NUNC PRIMUM IN LUCEM ERUMPIT

EX MSto CODICE COLLALTINO.

IN CHRONICON ANDREAE DE REDUSIIS

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

ERat jamdiu mihi notum, mihique proinde longo ſtudio conquiſitum Chronicon hoc *Andreae de Reduſiis de Quero*, cujus mentionem fecerat Gerardus Johannes Voſſius de Hiſtoric. Latin. Lib. 3. Cap. 9. hiſce verbis. *Claruit & iiſdem temporibus* (hoc eſt circiter Annum 1422.) *Andreas Reduſius Tarviſinus, qui Annales Tarviſinos compoſuit ab Urbis ejus incunabulis uſque ad Annum MCCCCXX. quo vivebat. Exſtat hoc Opus MStum in membranis apud Comites Collaltinos, quemadmodum accepi ex literis doctiſſimi Balthaſaris Bonifacii.* Sed fruſtra conquiſivi; ut enim fert humanarum rerum viciſſitudo, e manibus Collaltinorum Comitum elapſus fuerat vetuſtus ille Codex; & una fortaſſe cum eo totus periiſſet Reduſius, niſi bono fato in Germaniam delatus idem Codex, iterum poſtremis hiſce annis ad manus antiqui Domini perveniſſet. Fuit is Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Vir Antonius Rambaldus Collalti Comes, Venetus Patritius, ac intimus Auguſtiſſimi Imperatoris Conſiliarius; cujus in me ſingularem amorem, uti & meum erga ipſum perenne obſequium cum voluptate nunc commemoro, & olim etiam palam feci in edendis Franciſci Petrarchae Italicis carminibus. Ille nempe literarum amantiſſimus, & cultor indefeſſus, atque ex eo nobili ſanguine ac vetuſtiſſima Familia ortus eſt, cujus in hoc ipſo Libro laudes occurrunt ac mentio plurima. Qui enim nunc appellantur *Comites Collalti*, antiquitus fuere *Comites Tarviſii*, uti Reduſius ipſe non uno in loco habet, atque ante illum teſtati ſunt Albertinus Muſſatus & Cortuſii Lib. VI. Cap. III. de Novitat. Paduae, atque aliis in locis. Ita *Comites Sancti Bonifacii*, diu *Comites Veronae* vocati ſunt, vel poſtquam a Veronenſi Populo aſſumta Reipublicae forma pulſi, non amplius illi Urbi dominarentur. Atque ita *Marchiones*, quibus poſtea *Eſtenſium* cognomen adhaeſit, quamquam e poſſeſſione Marchiae, Mediolani, & Genuae dejecti, illuſtrem tamen ejus ditionis titulum diu retinuere. Itaque literis ego egi apud praelaudatum Comitem Antonium Rambaldum, ut Reduſium mihi, immo univerſae Literariae Reipublicae concedere vellet, quum potiſſimum in antiquiſſimae Familiae Collaltinae laudem collinearet Hiſtoriae hujus editio. Facile voti compos ſum factus a praeſtantiſſimo Procere, qui & alia heic edita ſingulari comitate mihi tradidit.

En igitur Andreae Reduſii Chronicon. Quo tempore Scriptor hic vixerit, & qualis fuerit, ex ipſius verbis accipe, quippe is non ſemel in ipſa Hiſtoria ſe ac ſua ſolertiſſime delineavit. Ad Annum 1376. illi memoratur *Gabriel de Solagna Avus meus maternus*, qui apud Rambaldum Comitem Collalti *fraternaliter tractabatur*. Andreae pater fuit *Thaddaeus*, *Galacius* patruus, quorum ope Veneti eodem Anno Querum amborum patriam receperunt. Fervente bello tunc inter Venetos & Ducem Auſtriae, iidem *Thaddaeus & Galacius de Reduxis de Quero fratres, apud Comitem Rambaldum de Collalto, cui affinitate conjungebantur propter matrem illorum, quae fuerat filia Comitis Manfredi patrui dicti Comitis Rambaldi, ſe & ſua locaverunt atque reduxerunt*. Eorum vero geſta bellica ad ipſum Annum Andreas deſcribit; tum Anno 1380. quid Thaddaeo patri ſuo contigerit apud Franciſcum Carrarienſem ſeniorem, qui Tarviſina Civitate potitus jam erat, fuſe refert. Iiſdem vero temporibus, hoc eſt Anno 1380. Andreas toedio domeſticarum rerum captus a patre impetravit, ut Patavium, ſcilicet ad bonarum literarum emporium, ſtudiorum cauſa mitteretur, ubi *Grammaticae Auctoribus, Rhetoricae, atque Notariae per annos VII.* operam dedit. Patavinae quoque Urbis recuperationi factae per Franciſcum Carrarienſem juniorem Anno 1390. interfuit. Tum Venetis adhaerens una cum Tarviſinis arma tulit in eum-


eumdem Carrariensem Anno 1405. & Bassano in deditionem recepto, ibi a Francisco Bembo dimissus est *Castellanus in minori Castro Leonis*. Jacobus vero illius frater *Jurisperitus* Anno proxime sequenti *missus est per Ducale Dominium pro Capitaneo Dorsi Majoris Vallis Lugani*. Subinde narrat Andreas, Jacobum Comitem Marchiae, maritum Johannae Reginae Neapolitanae, Tarvisium se contulisse: *cum quo*, subdit, *Tarvisii Potestas & Capitaneus, egoque cum illo pluries invitati in mensa fuimus*: quae res dignitatem Redusii satis ostendit. Exarsit deinde bellum inter Sigismundum Imperatorem & Hungariae Regem, ac Venetos; Redusius autem in Venetorum exercitu militavit *cum mille hominibus Tarvisinis*. Praeterea scribit, se, dum *Castellanus* foret *in Bassano Castri majoris Mergnani*, ad ardua negotia fuisse adhibitum a Venetorum Senatu, cui revera industriam ac zelum suum per multa pericula probavit. Et quamquam rei militari operam dederit, & non semel bellicis expeditionibus interfuerit; attamen studia etiam pacis non minori alacritate ac ingenio est prosequutus; ut enim ipse aliis in locis testatur, *Cancellarius fuit Communis Tarvisii*. Anno quoque 1425. vel 1426. a Venetis ad Florentinos & ad exules Genuenses missus est, ut Civitatem Genuensem ab obedientia Philippi Mariae Mediolanensis Ducis averteret. Sed tum praecipue patuit, quanti apud Venetos foret hominis hujus fides, quum oppugnato Castro Magno Civitatis Brixiae, jam de deditione eisdem Venetis facienda ageretur. Tunc, ut ejus verbis utar, *Senatus Venetorum pro me Andrea de Reduxiis de Quero Cive & Cancellario Communis Tarvisii misit, & me arctavit mandato, ut pro Castellano dicti Castri majoris in Monte Brixiae accedere deberem cum paghis LXXXV. balisteriorum* &c. *cum tribus Comestabilibus per me electis, & ad meam obedientiam* &c. *meum mihi salarium limitans pro uno anno Ducatorum CC. auri. Illucque accedens cum paghis praedictis Anno MCCCCXXVII. die X. Januarii dictum Castrum intravi ad statum, custodiam & honorem Ducalis Dominii Venetiarum*. Atque ea etiam tempora fuere, quibus Andreas noster, ne otio hebesceret, se convertit ad scribendam Historiam, nunc mihi evulgandam. Haec de Redusio ab ipso Redusio Lector acceperit. Unum addam, a Johanne Bonifacio in Histor. Tarvisin. ad Annum 1355. tradi, Redusium filium Bartholomaei de Quero, quod contra Hungaros Venetae Reipublicae perquam fidum se praestiterit, a Laurentio Celso Praetore Tarvisii, postea Venetiarum Duce, albo Nobilium agri Tarvisini fuisse additum. Ab eodem Bonifacio Historico subinde ad Annum 1418. commemoratur *Andreas Johannis Antonii de Quero filius, qui octo post annos ad regendum Castrum Brixiae missus est*. Nullum vero verbum de illius Historia habet Bonifacius, qui etiam fallitur in illius patre assignando; teste enim Andrea ipso, *Thaddaeus* illi pater fuit. Subdit Bonifacius, ex Andrea natum Johannem, Francisci Jurisperiti patrem, & ex Francisco genitum Johannem Equitem, qui dum haec Bonifacius literis mandabat, morti vicinus animam agebat. Ita Redusiorum Familia e Quero, hoc est ex vico inter montes ad Anassum sive Plavim flumen sito, Tarvisium translata ac inter patritias cooptata, ibi diu floruit.

Ad Historiam nunc venio, quam nunc primum aeneis typis traditam volo, & luce profecto dignam mecum, ut spero, reputabit, quicumque ad eam legendam accedet. Quippe ejus Auctor perspicue rerum eventus refert, quibus etiam interdum ipse interfuit, & quae potissimum ad posterorum notitiam servanda erant, adnotavit. Se quidem Carrariensi Familiae infensum exhibet; sed haec homini condonanda, qui pro Venetis a Carrariensi aversis, vel suam vitam periculis objecerat. Supra autem vidimus a Vossio traditum, Andream Redusium scripsisse *Annales Tarvisinos ab Urbis ejus incunabulis usque ad Annum MCCCCXX*. Non satis accurate haec Vossio ab amicis nuntiata fuere. Neque enim Annales Tarvisinae Urbis, sed Historiam latiorem, gentiumque diversarum facta simul & dicta, ut ille testatur, literis commendanda sibi proposuit; neque ab incunabulis Tarvisii, sed ab origine terrarum orbis suum opus coepit, atque illud non ad Annum 1420. sed usque ad 1428. perduxit. Atque heic patiatur Redusius, me dum ea, quae ille scripsit, aeternitati commendata cupio, nihil dissimulare apud Lectores veritatis audiendae cupidos. Multo fusiorem Historiam, quam ego evulgarim, reliquit Redusius, atque ampliorem ejus partem improbo labore descriptam ad me detulit Petrus Hercules Gherardius, Orientalium Linguarum Mutinae in Patria publicus Professor, qui pro Serenissimo Duce nostro Vindobonae tunc agens eam incomparabili patientia descripserat. Verum ubi spissum Opus, atque e tam longinquis temporibus deductum, sicuti in Praefatione pollicitus fuerat ipse Historicus, sub oculis habui, e vestigio deprehendi, timendum fuisse Redusio, ne

ipse

ipse aliquando a posteris plagii literarii insimularetur, immo patentissime damnaretur. Norint ergo Lectores, Redusium in Historiam suam integrum invexisse *Pomarium Ricobaldi Ferrariensis*, quod ego jam publici juris feci in Tomo IX. Collectionis hujus. Integrum, inquam, & totidem fere verbis, sed nulla Ricobaldi Auctoris mentione facta, quo furto Historiam perducit usque ad Annum 1297. ibi enim Ricobaldi narratio consistit. Tum Historiam persequitur Redusius ab Anno 1309. converso in usum suum Chronico *Guilielmi, & Albrigeti Cortusiorum de Novitat. Paduae*, eo ipso videlicet, quod pariter supra acceperunt Lectores in Collectione ista editum Tomo XII. Cortusiorum autem penus pari licentia ita expilavit Redusius, ut nihil ferme ex eorum narratione deperire passus fuerit, quod suum non fecerit, iisdem etiam Patavinis Historicis nusquam memoratis, nedum laudatis. Quod heic solum praestitit Redusius, nonnulla interdum ex suo permiscuit, ad Tarvisinam Urbem potissimum spectantia, quae jam Lector accepit in Notis ad eosdem Cortusios. Ubi vero Cortusiorum narratio primigenia Auctorem prodere poterat longe antea viventem atque scribentem, Redusius verba caute mutavit, ne plagium deprehenderetur. Et fortassis eo seculo, quo Codices manu tantum exarati in usu erant, & quamplurimo venibant, facile Redusio negotium fuit imponere Lectoribus, seque venditare Auctorem spissi voluminis, ea dumtaxat monitione praeposita in Praefatione, se *quae juxta alios magnopere diffusa sunt, ut compendiose recognosci possint, a doctissimis suscepta Auctoribus, denotare constituisse*. Verum aliis sideribus regitur Seculum nostrum. Scrinia veterum omnibus exposita sunt; aut in dies diligentius exponuntur, & corniculam ex alienis pennis plausum captantem non jam amplius difficile est detegere, atque in nativum statum restituere.

Itaque ego, dimissis prorsus iis, quae ex Ricobaldi & Cortusiorum officina Redusius nimia confidentia ad se ditandum arripuerat, unum heic Lectoribus Redusium sisto. Non excedit Annum 1358. Cortusiorum Historia, & de ea continuanda minime solicitus fuit Redusius; sed ab Anno tantum 1368. narrationem suam instituit, si tamen sua sunt omnia quaecumque sequuntur. Nam & quum Hieronymi Pragensis Haeretici postrema acta, mortemque describit, plagiarium se rursus exhibet, ut illic adnotavi. Quomodocumque tamen se res habeat, Chronicon nunc mihi edendum, iis abundat dotibus, ut vel me tacente se Lectori commendet. Denique moneo, non frustra Ricobaldi, & Cortusiorum Historiam a Redusio fuisse mihi descriptam: ego enim ad emendandum textum Estensem Pomarii Ricobaldini sum usus hoc etiam exemplari; multaque insuper inde excerpsi ad purgatiorem ditioremque praestandam Cortusiorum Historiam, uti jam Lectores animadvertisse potuerunt. Sed tamdem loquatur ipse Redusius.



CHRONICA

COMPOSITA AB ELOQUENTISSIMO VIRO

SER ANDREA DE REDUSIIS DE QUERO

CANCELLARIO COMMUNIS TARVISII,

DONATA MIHI

ANTONIO DE COLLALTO

COMITI TARVISII,

PER

SER BARTHOLOMÆUM EJUS NEPOTEM,

ET HEREDEM DE REDUSIIS DE QUERO,

Quam ligari & cooperiri feci de menſe Julii MCCCCLX.



Rbis terrarum, gentiumque tam noſtrarum quàm barbararum facta ſimul ac dicta recordatu digna, quæ juxta alios magnopere diffuſa ſunt, quæ ut compendioſè recognoſci poſſint, à doctiſſimis ſuſcepta Auctoribus, denotare conſtitui ego Andreas de Reduxiis de Quero Civis Tarviſinus, ut erudimenta habere cupientibus longa abſit inquiſitio. Verùm mihi voluntas omnia amplectendi minimè fuit. Nam quis totius Mundi acta modi- A cis membranis apprehendere poterit? Te igitur huic principio, penes quem gentium noſtrarum conſenſus maris, ac hujus noſtri climatis eſſe voluit certiſſima ſalus gentis Italicæ, Dux Venetiarum, invoco, cujus cœleſti ac terreſtri providentia, virtutes de quibus dicturus ſum gratioſiſſimè nutriuntur, & vitia ferventiſſimè vindicantur. Quoniam ſi antiquiſſimi Archiloqui à numinibus exteris bene loquuti ſunt, & ab eis vel eorum alio primordia traxere, mea tenuis vena, exileque ingenium eo juſtius ad favorem tuum currerit, quo cetera numina opinione conſecrantur, & quòd præſentium fide nec minus antiquiſſimum & priſcum aliis par videtur, quorum eximio fulgore multum venerationibus noſtris inclyti gaudii acceſſit. Reliqua ſiquidem numina ab externis invitè accepimus: Te autem ſponte jugiter colimus

atque colimus, & in posterum colere incessanter non desinemus. Proinde si quæ eleganter dicta reperies, scito, quòd non ex meo ingenio manarunt. Si quid verò palustre dictum comperies, mihi adscribito. Nec mirum; tenuis est enim ingenii mei vena, & pluribus occupatus ad ea, quæ voluissem, defeci, quasi præcipiti & propero stilo scribendo.

Sex igitur in partes scito præsens Opus esse digestum, ut legens docibilior sis ad totum. Prima namque à temporibus Adam, deinde à Diluvio sub Noë usque ad Nativitatem Abraam, & ultimo Regnorum & Regum successiones per ordinem chronicè loquitur. Secunda ab Abraam Nativitate usque ad Urbis Romæ Conditæ tempora multiplicem Historiam & tempora scribit. Tertia ab Urbe Condita usque ad Christi Nativitatem aliis interfertis succinctè dicit. Quarta Romanorum Augustorum habet Historiam, aliis speciosis annexis. Quinta Orbis Provinciarum descriptiones ponit, quod nonnihil opis affert legentibus Historias ad hauriendum rerum scientiam. Sexta Pontificum Romanorum successiones & tempora ponit, ostendens quid insigne ab unoquoque eorum sit dictum, præposito priùs, quibus in locis quiescunt Corpora Patrum tam Novi quàm Veteris Testamenti. Ultimò ponit Catalogum Pontificum quatuor Ecclesiarum illustrium, videlicet Ecclesiæ Antiochiæ, Ecclesiæ Hierosolymitanæ, Ecclesiæ Alexandrinæ, ac Ecclesiæ Ravennatis. Ecclesiæ autem Constantinopolitanæ Episcopi non ponuntur: nam ea Ecclesia tantum exaltata fuit tempore Constantini, quæ priùs fuit absque aliarum Ecclesiarum primatu.

Anno Domini nostri Jesu Christi MCCCLXVIII. de mense Decembris in Festivitatibus Nativitatis Galeæ XII. Venetorum oneratæ armigeris & peditibus ac marinariis armatæ, diligenter de Venetiis solventes contra Tergestum in altum navigarunt, & per mare & terram Tergestinos obsederunt, bastitam in planicie usque mare construendo, fontes includendo, ut aquarum illis prohiberetur accessus. Et exinde machinas erexerunt, saxa intra Tergestum magno impetu rotantes. Et versa vice ab intra extra demittebantur, donec visum est bastitam supra montem Tergesto dominantem ædificare. Ex qua mirabiliter projiciebantur lapides & spicula intra Tergestum. His itaque diebus scaramuciæ plures factæ sunt, & hostiliter exstitit expugnatum hinc inde, nullis ad mercedem vel captivitatem assumtis, sed gladio crudeliter trucidatis, stante protervia Tergestinorum, qui priùs mortale bellum indixerant. Verùm quia Furlani die noctuque non cessabant Tergestinis impendere auxilia, Dominicus Michaël Capitaneus exercitus terrestris expugnatum misit Castrum Mocholani, quinque millibus passuum à Tergesto distantis in monte per viam, qua itur Forojulium, & id vi in deditionem habuit. Cui præpositus est Nicolaus Delphino quondam Johannis Delphino Ducis Venetiarum filius. Durante obsidione prædicta loco Dominici Michaël Capitanei exercitus terrestris, suffectus est Paulus Loredano. Tergestini, in quorum subsidium occurrerant certi Furlani, quibus, quum pecuniis careret Commune Tergesti, nec posset illis persolvere, certas suas Dominas viduas & divites in compensationem prædictorum nuptui tradiderunt, sperantes illos propterea sibi ampliùs futuros esse morigeros. Interim Astulfus de Tergesto Capitaneus Mochi animadvertens concives suos inedia laborare, se & Castrum in deditionem Venetis dedit, Capitaneatu loci illius tamen in se retento. Guerra illa sic procedente infirmatur: ambo Capitanei maris ac terræ, & loco illorum suffecti sunt Nicolaus Justiniano de confinio Sancti Johannis Bragolæ, loco dicti Pauli Loredano, & tunc reportatum est cadaver Nicolai Trivisano Provisoris exercitus Venetorum. Qui Nicolaus Justiniano viriliter circa obsidionem institit in tantum, quòd Tergestini fame castigati occultè literas miserunt Marquardo Patriarchæ Aquilejensi, & omni Patriæ Forojulii illi deditionem facere promittentes, si de Venetorum manibus se liberare contingat. Quibus literis timore potentiæ Venetorum clarè responderunt, ad quæsita nil facere velle. Quo responso habito Tergestini exquirentes suam quomodo possent libertatem defendere, similes literas Duci Leopoldo Austriæ conscripserunt, ab illo auxilia consimiliter postulantes. Dux ille avidus Terram illam obtinere, eo maximè quòd bona & grandia vina producit, quibus Theotonici frigidi refocillantur, Terram, & homines in tutelam assumsit, promittens quantocyus armata manu fortique brachio illos ab invasione Venetorum liberare. Tergestini his habitis novis cum magno applausu Ducis Austriæ insignia erigunt per plateas & omnes murorum Turres, acclamantes: *Vivat Dux Austriæ Leopoldus*. Quæ nova quum Venetorum Senatus audivisset, mandavit à bastita montis usque ad marinæ bastitam foveis & vallo cum propugnaculis atque belfredis Tergestum præsto cingi, & includi debere, ne illis succursum dare posset Dux ille. Interim dum ista fiunt, Nicolaus Justiniano ad partes Comitis de Duyno gentes armigeras misit, quæ cum spoliis locupletatæ ad exercitum rediere.

Tergestinis inedia laborantibus ecce Dux Austriæ Leopoldus Duynum accessit die V. Novembris MCCCLXIX. cum decemmillibus armatorum equestrium. Astulfus autem prædictus, patriæ proditor, sentiens Ducis adventum cum facto fidem convertit, & mutua vice se & Castrum Duci prædicto obtulit. Incunctanter Dux ille assumtis quampluribus balisteriis equestribus cum stambichiis, quibus talibus territorium illud abundat, & rastris, & uncis ferreis cum scalis præparatis ante lucem per tres horas quodam die Sabbati X. Novembris, armata manu, fortique brachio se ad vallum præsentavit. Et ibi absque mora multi ex nobilibus Theotonicis pro adipiscenda Militia equis delapsi ad terram, insilientes foveas & refoveas, magna cum audacia transgressi, ad vallum attingentes, vi adactis uncis & rastris & scalis erectis, ex eo plusquam XXX. passus solo æquarunt. Custodes valli illorum impetum viriliter sustinentes cum balistis, lanceis, atque lapidibus restiterunt in tantum, quòd belli rumor ad Galearum armatam usque pervenit, & omnem terrestrem exercitum. Tunc confestim maritimus atque ter-

terrestris exercitus in armis occurrit ad locum dirupti valli; & ibi plus quàm credi possit, hinc inde viriliter pugnatum est, & nisi eventus indicaret, non facilè cognitum fuisset, in quam partem belli gloria devenisset. Theotonici siquidem per latera spiculis sauciati vix tamdem à vallo abire compulsi sunt, prœlio illo jugiter durante à tertia hora diluculi usque in secundam advenientis lucis horam. Dux Austriæ conspiciens ex suis multos in foveis jacere peremtos, & alios spiculis sauciatos, inducias petiit ad sepeliendum corpora, quas Veneti concessere. Et tunc creatus est Miles Pileus de Vonico Tarvisinus, qui viriliter eques & pedes adversùs Theotonicos pugnans magnam in illis stragem commiserat. Sequenti namque die Dux prædictus capto consilio cum suis Theotonicis non absque rubore ad suas tendas remeavit. Tergestini de muris & Turribus despicientes recessum Theotonicorum, quorum auxilio speraverant adjuvari, omni fiducia deperdita, unanimiter & concorditer deliberaverunt se & Terram suam Venetis dare; & ad illos nuntiis destinatis illomet die per Paulum Lauredano Capitaneum prædictum cum M. balisteriis Venetis & CCCC. equitibus facta est intrata Tergesti, & Militiam super portis illius Paulus Lauredano prædictus assumsit. Et Terra in deditionem accepta, & in ea cunctis dispositis, visum est Ducali Dominio Venetorum duo Castra in Tergesto fortissima stabilire, unum super Montem ad Sanctum Justum, & aliud ad maris Portum, ut Tergestini causam haberent pacificè Venetis convivere. Qui pro libertate deperdita, & ex eo quòd ad subjectionem devenissent, graviter perferebant. Quibus Castris constructis & in custodiam positis parum fuit quin penitus in MCCCLXXX. Venetis rebellarint.

Quum Dominus Paduæ concepisset ad confinia sua & Communis Venetiarum fortilitia & Castra construere, & in confinio Sancti Boldi Civitatis Belluni, cui Carriger dominabatur, super territorio Valmareni Tarvisini districtus incipere fecisset quamdam Turrim, & Ducale Dominium molestè ferret, ad odium devenerunt. Ex quo MCCCLXXII. die XXII. Februarii clausæ sunt Palatæ intra Venetias & Paduam, ita ut nihil hinc inde deferretur. Quod audiens Rex Hungariæ, cujus Carriger se servitorem exhibuerat, ac Florentini, Pisanique, & Marchio Estensis Oratores proprios Venetias miserunt; qui non se aliter concordare valentes terminaverunt, quod constructa per Carrigerum ad confinia prædicta solo æquari deberent. Et interim interjectis mensibus duobus, acceptisque hinc inde quinque viris pro parte de confinibus disceptaretur, diruptis quoque Castris incassum laborarunt, quòd decemviri discordes remanserunt; & odio procedente inter utramque partem iteratò reclusæ sunt Palatæ, nec quicquam illis temporibus fieri poterat in consiliis Venetorum, quin omnia ad notitiam Carrigeri devenirent propter singulares amicitias, quas ille cum pluribus Nobilibus Venetis detinebat. Pro quibus convicti sunt Leonardus Mauroceno, Aloysius de Molino, Petrus Bernardo, & Marinus Barbadico, & propter eorum demerita per Senatum Venetorum damnati sunt partim ad perpetuos carceres & partim omnibus consiliis suis sunt privati. Exinde verò de mense Julii quidam Nicolaus Tegnosus Ferrariensis, & Gratarias Tarvisinus, octo additis sibi ad instantiam Carrigeri, Venetias commigrarunt, hospitantes in domo filii Gobæ Merzariæ à Tripolis post Sanctum Marcum, cum intentione interficiendi quamplures Nobiles Venetos, maximè odientes Dominum Paduæ, & plus reliquis bellum persuadentes adversùs Carrigerum. De quibus hospes prædictus sicariis illis notitiam facere debebat; qui omnes breviter capti sunt; & quia dictus Nicolaus sub fide Venetorum absque tormento factionis scelus propalavit, per decennium carceribus emancipatus est. Gratarias itaque, & illius socii straxinati, & in frusta confecti, patibulo sunt affixi. Hospes verò intra Columnas laqueo vitam dedit. Quâ quidem justitiâ peractâ omnes Primates Venetorum armis & famulis stipati ad Consilia veniebant, & eo modo domum remeabant, mittentes Ganzarolos Cavarzerum, & per alias fluviorum buccas de Paduano districtu in Lacunis Venetiarum discurrentium, ne illas Ascarani transeuntes Venetias commigrarent, jusserantque Veneti Venetiarum puteos custodiri debere. Is quippe diebus Oratores Regis Ludovici de Hungaria Venetias accesserunt, ut pacem componerent. Sed quia visum est Regem pendere, statuerunt suos Oratores ad illum mittere, videlicet Jacobum Mauro, & Pantaleonem Barbo, cum quibus Floravantus de Bursio Judex Civis Tarvisinus, mandato Ducalis Dominii, accessit, & licentiatis Regis Oratoribus suos miserunt Veneti usque Ragusium, & illac transeuntes perrexerunt Regis præsentiam. Ubi etiam Carrigeri Oratores convenerant, Regis præsentiam singulo die adeuntes. Verùm quia facta in longum protrahebantur, per Senatum Venetorum revocatus est Jacobus Mauro tunc Venetiarum gravissimus Civis, & non multum post placuit dicto Senatui Venetorum exercitum equestrem & pedestrem adversùs Carrigerum præparare, & in Capitaneum Generalem adducere Raynerium de Vaschis in re militari doctissimum. Cujus vices obtinuit Dominicus Michaël, quo advenit. Facta igitur gentium collectione in Mestre, quia Carrigerum potentia superare videbantur, exercitus Venetorum Romanum conducitur, & ibi arcem quondam Ecelini de Romano jam diu solo æquatam erexit ex opposito Bassani residentem; & quia gentes Venetorum nihil facere videbantur, ordinatum est, quòd Thaddæus Justiniano cum toto exercitu Solagnam equitaret, Vicum Bassanensem, intra montes & Brentam fluvium situm, ubi quondam Ler Ortus contra illos de Rusignolis plures cædes intulerat. Qui quum ad locum pervenisset, bastitam Cornoni supra Solagnam positam expugnavit, & Vicum illum obtinuit, & igne succendit, cum domo dicti quondam Ler, quæ Gabrielis erat ex progenie dicti quondam Ler, impugnata solùm remanente Turri Solagnæ supra Brentam ad radices montis, quam gens Carrigeri ad custodiam posita viriliter defensavit.

Raynerius de Guaschis cum gentibus armige-

geris pluribus MCCCLXXII. vigesimo tertio Octobris Venetias vênit. Ubi more solito celebratis honoribus tam Spiritualibus quàm Secularibus, assumto Beati Marci Vexillo, recessit, & Mestre commeavit, & per triduum percunctanter ad exercitum properavit juxta Bassanum castra tenentem. Et nulla facta cunctatione, gubernatione exercitus assumta, illum usque ad Sanctum Georgium in Bosco perduxit, & ibi Brentam vadantes, ad exterminia rurium atque ruralium irruerunt, depopulantes omnia comperta, & igne adacto etiam concremarunt per plana & montes usque dumtaxat ad antiquissimum Aponi locum Paduani districtus. Ubi ordine dato conceperat Raynerius Capitaneus exercitus Venetorum transire Brentellas, quas Carriger multis cum gentibus custodiebat, quod & nempe fecisset, nisi Provisores Venetorum obviassent. Dii boni! quis novit Mundi fraudes? nusquam tuta fides. Ex hoc dissensio oritur inter Capitaneum & Provisores. Capitaneus videns creditum honorem consequi non posse, curavit exercitum ad partes Tarvisanæ usque perducere, cum proposito officium dimittendi.

Franciscus Carriger Dominus Paduæ videns exercitum Venetorum quindecim millium virorum armigerorum constare utriusque militiæ, scripsit Regi Ludovico Hungariæ, cujus se Vassallum constituerat, quòd sibi succurreret. Cui & eodem mense gentes transmisit; quarum adventum sentiens Ducale Dominium, obviam misit Thaddæum Justiniano, & Gerardum de Camino versùs Oppidum Crudignani cum multis gentibus equestribus & pedestribus, ne Hungari supervenientes Liquentiam juxta Sacilum pertransirent. Verùm parum profuit. Nam Ungari horum conscii per Brognariam transiverunt, quoniam Comites illi de Prata Domino Paduæ amicabantur. Qui dum ad Plavim advenissent, innotuit Thaddæo & Gerardo prædictis, qui stimulatis equis cum LXXX. armigeris alias suas gentes præveniendo, venerunt usque ad Hospitale Plavis, & compertis Hungaris DCC. electis, qui jam Plavim vadaverant, deliberavit idem Thaddæus Justiniano, ne sibi posset imputari, quòd timore vel ignavia destitisset, & de illos invadendo procuravit. Tunc quidam ex Theotonicis Nobilis de gente Venetorum acceptis calcaribus illum Militia decoravit, & omni postposita mora Plavim vadantes in hostes irruunt. Contra quos Gerardus de Camino, juvenis tunc & animosus, notabilem stragem fecit. Verùm prædictorum Barbarorum impetum sustinere non valentes capti sunt, & Paduam usque perducti, ac ad Regem Hungariæ penitus destinati sunt.

Venetorum Senatus factis Comitiis super renuntiatione Raynerii de Vaschis Capitanei sui, & illius indignatione comperta, cum Provisorum suorum consilio, qui scripserant eumdem nolle ampliùs Capitaneatus officium exercere, deliberavit alium quærere, Gibertum de Corrigia. Et quia Venetis videbatur Brentellas transire non posse, obstantibus tam sfortio Carrigeri, quàm etiam loci inhabilitate, deliberaverunt aliam quærere viam. Et Platas & Burclos apparantes cum pontibus enodatis, & aliis ædificiis, & bellicis instrumentis, aliò conversi sunt. Ex quo Carriger dubitans loca confinium versùs Paludes munitissimè præparavit. Unde Veneti vafritatem Patavi molestè ferentes, cum Duce Austriæ Leopoldo clam pecuniis tentaverunt de conducendo illum potenter adversùs Feltrum & Civitatem Belluni, Terras tunc subditas Carrigero prælibato. Cum quo dum pacto convenissent, & Dux gentes adduceret, sagax Patavus ille sponte cessit, & jam dictas Terras illi condonavit, hac lege, quòd adversùs se nullatenus arma moveret. De quibus omnibus Veneti perpendentes, ad servitia & stipendia sua conduxerunt Franciscum de Ordelaffis, Johannem de Garzonis Militem, & Ludovicum de la Rocha Militem. Et die XIV. Decembris navibus & ædificiis ordinatis de Venetiis recesserunt Capitaneo armatæ constituto per Venetos Michaleto Delphino. Et navigaverunt ad Turrim Curaminis in confinibus Paduani districtus munitam per Carrigerum Paduanum. Et primo impetu convulsis tribus ordinibus Palatarum, ac humeris subductis naviculis per Paludes usque ad foveas Turris, maximè decertarunt in tantum, quòd Antonius Lupus pro jam dicto Carrigero dictæ Turris Capitaneus non valens resistere, multis armigeris captis, personis & rebus salvis, se & Turrim in deditionem dedit Capitaneo Venetorum prædicto XV. Decembris MCCCLXXII.

Veneti mandant gentes suas apud Tervisium hyemantes Venetias adduci debere, dum applicuisset Franciscus de Ordelaffis Venetias cum gentibus plurimis, & ibi etiam Raynerius de Vaschis Capitaneus Venetorum insignia Capitaneatus deposuisset, & ad propria statim remeasset, Veneti bello vacantes, navigiis dispositis & ædificiis præparatis, ac Venetias Mortatis de Candia transductis, transiverunt juxta Lupam ad confinia Paduani districtus, & ibi per spatium X. horarum in terra bastitam firmaverunt Paduanis invitis. Quod dum Carriger novisset, graviter tulit, & deliberavit foveam aggere munitam tractu longissimo cum sepibus ordinare. Nec multo post facta dictis obsequuntur. Qua quidem guerra sic hostiliter procedente, Rex Hungariæ Ludovicus, audiens Venetos Carrigeri servitoris sui Terras invasisse, ad defcendendum disposuit Vayvodam ex Nobilibus Hungarorum non infimum, cum magna gentis suæ Hungaræ comitiva in subsidium Carrigeri Paduani. Et de Regno suo licentiavit Pantaleonem Barbo Venetorum Oratorem cum reliquis. Qui Venetias applicuit die XIX. Aprilis MCCCLXXIII. Quumque Gibertus de Corrigia in Venetiis applicuisset cum filio & familia militari die XX. Aprilis suprascripti millesimi & Anni, in die Sancti Marci celebrata solemni Missa, per Ducem Venetiarum Vexillum Beati Marci in manibus ejusdem Giberti acceptantis contra Carrigerum Paduanum consignatum est. Et die II. Maii sequentis associatus multis Magnatibus Venetorum & balistariorum non modica turba, de Venetiis recedens ad exercitum juxta Lupam in territorio Paduano impigrè profectus est cum duobus Provisoribus, videlicet Leonardo Dandulo Milite, &

& Petro de la Fontana, cum intentione transeundi foveam, & hostiliter equitandi contra Paduam atque Carrigerum. Unde die XIV. Maji compositis aciebus exercitus Venetorum adversùs foveam se unanimiter dirigit. Carriger verò intra claustra se continens cum gentibus suis, illa mirabiliter defendit, & opportunitate loci & temporis prospecta ad pugnam congreditur, & hinc inde cædes fiunt. Sed tamdem Venetorum exercitus superatur, itaut vix Franciscus de la Turre vexillifer se cum Vexillo Beati Marci potuerit intra bastitam Venetorum surripere. Veneti ex illa hora perpenderunt, aliis viribus opus esse, & deliberaverunt potentiorem exercitum præparare.

Interim quia exercitus uterque in Paludibus versabatur, aëris intemperie multi ex utroque exercitu infirmati sunt, inter quos Gibertus de Corrigia, Franciscus de Ordelaffis, & Ludovicus de la Rocha Venetias navigati non multo post naturæ debitum persolverunt. Guerra itaque procedente die XXX. Junii exercitus Venetorum potentior factus, & paludibus exsiccatis ariditate temporis, quæsivit claustra foveæ prædictæ pertransire à parte inferiori foveæ, ubi vadatis locis foveæ exercitus Venetorum bastitam construxit vocatam Medicinam, quam quia vafritate Jacobi de Medicina Bononiensis Venetorum armigeri facta esset, sic illam Venetis placuit nominare, quo in loco uterque exercitus viriliter dimicavit. Quumque Carriger perpendisset, bastitam prædictam excidio esse toti Plebatui Sacci, & ferè omni districtui Paduano, deliberavit sequenti die, antequam bastita illa perficeretur, exercitum invadere Venetorum. Veneti perpendentes rem bellicam inter utrosque esse oportere, student gentes suas ordinare, & balisterios omnes atque arcerios de Candia quos Mortatos appellabant, in paludibus per costam adversùs exercitum Paduanum locant. Eo namque modo Simon Lupus Marchio Soraneæ Capitaneus exercitus Paduanorum congrediens, Hungaros arcerios per latera ordinat ad excidium Venetorum, ubi aderat Vaivoda Hungarorum Capitaneus. Quibus ita dispositis uterque exercitus ad bella congressus, lanceis gladiisque se mutuis vicibus cædit. Verùm quia belli fortuna non semper uni favet, mutante sententia, exercitus Paduanus in excidium positus tergiversare cœpit, & illum insequitur Venetorum exercitus, in illum non minorem stragem faciens, quam passus fuerat pridem. Capitur Capitaneus Hungarorum Vaivoda, & Miles creatur Petrus de Fontana, qui die illa in hostes se viriliter gesserat. Nec minus à Venetis cœlo extollitur Ludovicus de Exen Marescalchus exercitus Venetorum, qui etiam die illa adversùs hostes pugnans in illos cædes fecerat inauditas. Conflicto exercitu Paduano per Capitaneum exercitus Carrigeri solicitatur dictus Ludovicus de Exen, quòd recedat à stipendio Venetorum, illi factis promissionibus multis. Tamdem pecuniâ victus ipse Ludovicus cum CCC. Lanceis de exercitu Venetorum recedens Paduam ivit, Carrigero se præsentans, à quo pecuniis donatus ad propria ditior factus remeavit, clarè ostentans, quòd

„ *Nulla fides, pietasque viris qui castra,*

neque qui plaustra sequuntur. Hic à Venetis post fugam Venetorum, ad Lupanar atque Cellaria pede unico pictus suspenditur cum cimerio suo. Veneti hujuscemodi victoriâ exultantes deliberaverunt aliam bastitam ulteriorem facere, vocatam Roxamuale, & illico deliberationem exequuti sunt. Verùm quia ex recessu dicti Ludovici de Exen debilitatus erat exercitus Venetorum, Carriger omnibus his motus obviam misit omnes gentes suas, ut dicta bastita perfici non posset, quam dictæ supervenientes ceperunt cum CCC. tam Venetis marangonis, quàm Tarvisinis guastatoribus; & dictam victoriam prosequentes aliam bastitam dictam Medicinam in deditionem habuerunt, machinis & aliis bellicis instrumentis impugnatam, rebus & personis salvis in illa existentibus. Tunc gens Venetorum retrocedens ad pristinam Lupam se continuit. Carriger astutè deliberavit aliam bastitam infra Lupam construere, ne victualia de Venetiis illuc portarentur, & juxta deliberationem sic fecit; nam accitis plaustris, illa bombardis machinisque & aliis bellicis instrumentis oneravit, & ad destinatum locum omni cum sua potentia properavit, & ibi bastitam conceptam construi facere properat. Venetorum ad aures quum ista pervenissent, non fuit necesse plebem advocare; quinimmo his auditis motus est omnis Venetiarum Populus, & in armis positus, neque exspectato mandato navibus confluunt, & locum adire deproperant. Ad quem quum omnis Venetiarum classis esset advecta, nulla est habita mora, sed ad pugnam congreditur. Patavi tantum furorem atque potentiam tolerare non valentes, compulsi sunt dare terga Venetis. Cæduntur, interficiuntur, submerguntur, atque capiuntur multi, & quidquid in ea compertum est, in prædam cessit Venetorum MCCCLXXIII. ultimo Augusti.

Guerra jam prædicta perseverante Marsilius & Nicolaus de Carraria fratres de Padua expulsi apud Venetos immorabantur, & in illorum mentem venit, Franciscum Carrigerum Paduæ Dominum perimere, qui illos infensos habebat. Dumque ista cum amicis exquirerent, Franciscus Carriger astutus ut serpens, illos suspectos habens, se undique custodiebat. Tamdem incidit in magistros factionis, quos & cepit; & aliqui illius conscii fugæ consuluerunt, Venetias commigrantes. Quibus à Venetis benignè susceptis data est spes, quæ tamen irrita mansit, sicut scriptum est: *Nolite confidere in Principibus, in quibus non est salutis spes.* Nicolaus verò Carriger deprehensus est, & in Monte Silice ad perpetuos carceres mancipatus est per Franciscum Carrigerum Paduæ Dominum, qui ob hujus animadversionem factionis suspectos habens Aloysium & Philippinum de Monte Merlo Nobiles, illos pati coëgit judicium capitale.

Veneti die noctuque rem suam examinantes compererunt, quòd propter recessum Ludovici de Exen Marescalchi exercitus sui, & illarum Lancearum CCC. quas ille transfuga secum traxerat, dictus exercitus suus debilis remanserat; & ideo deliberaverunt ad partes Mantuæ mittere Jacobum Mauro & Marsilium de Carraria pro conducendo gentes armigeras de Lombardia. Quod contempla-

plationе Francisci Carrigeri Dominus de Gonzaga Mantuæ facere non permisit. Interim dum Vaivoda Hungarorum Capitaneus Venetias carceribus mancipatus detineretur, Magnates Hungari, quibus ille amicitia & sanguine jungebatur, Regis sui adiere præsentiam supplicantes, quòd Vaivodæ Venetiis carcerati liberatio procuraretur per Carrigerum, cujus gratiâ præsens guerra emanaverat; alioquin nisi ille præfatum Vaivodam ad libertatem restitui faceret, quod omnino intendebant adversùs eumdem Carrigerum bella movere, non curantes de honore vel dedecore Patavi, modò suum Procerem obtinerent. Tunc Rex videns suorum Procerum opinionem, plura ad Carrigerum scripsit, quod & illi Proceres similiter ipsi Carrigero conscripserunt, quatenus quovis modo Vaivodæ liberatio à carceribus procuraretur. Aliter pro certo haberet eorum inimicitias incurrisse. De quibus quum Veneti notitiam habuissent, multa capitula adversùs Carrigerum pacem petentem formaverunt, indubitanter asseverantes, quòd nisi capitulis talibus subscriberet, petitam pacem recusarent. Quo in tempore quidam Patriarcha Gradensis de genere Quirinorum Venetiis sanctitate & moribus coruscabat, qui huic paci mediator obtulit laborare. Et dictis capitulis assumtis cum licentia Venetorum atque Carrigeri Paduam ivit. Cum quo Bonifacius Lupus in stabilienda pace conjectus est; qui ibidem dum pacem tractarent, astutè se gessit Carriger, & assumto filio unico Francisco Novello, illum associatum Francisco Petrarcha Poëta unico atque illustri, Venetias misit ad pedes Ducalis Dominii, pacem omnimodam supplicaturum, quam nullo modo præstitisset, si sibi fortuna obsequens extitisset. Apud quos dum Poëta & Orator eximius pervenisset, in sua Oratione defecit more Alani. Nam viso Senatu Venetorum obstupuit, non minus quàm Cinna ad Romanorum Senatum à Pyrrho destinatus. Et ob hoc in alteram diem Poëtæ atque Oratoris eximii Oratio ad integrum suffecta, vi cujus est pax ipsa formata. Tantam in se continuit venustatem, quòd visu & auditu adstantium ab extra omnes præsentes rancores sustulit & amovit, intrinseca tamen utrimque manente perfidia. Qua pace conclusa Carriger Franciscus juvenis Paduam rediens vidit demolitionem Uriagi, quam Veneti juxta pacta moliebantur, & infremuit non absque animi turbatione monstrata, tum ex prædicta demolitione, tum quia advenerant quinque viri, quibus ex forma pacis commissa fuerat limitatio terminorum inter Ducatum Venetiarum & Territorium Paduanum, ac inter utrosque districtus Tarvisii & Patavii. Qui ad medium Gambararum usque Uriagum terminos lapideos procuraverant plantari debere; similiter atque mandaverunt ultra medium Villæ de Sancto Martino lapides litem dirimentes ad Luparium suffigi & plantari debere. Consimiliter etiam juxta Bassanum, nihil extra Vignale relinquendo, mandaverunt lapides magnos effigie Beati Marci insignitos per viam Fossati inclusivè usque ad lapidem Peroni de Povedo territorii Bassanensis suffigi & implantari debere. Quæ omnia ut mandaverunt adimpleta sunt non absque Carrigeri dolore

A intrinseco. Quibus sic peractis Veneti, ut in pace manerent, se Carrigero obligaverunt hac lege, quòd adveniente guerra adversùs partes vel alteram earum contra communes hostes, quòd Veneti duas partes, & Carriger tertiam expensarum persolvere debeant. Carriger autem venenum pectore clausum tenens clam adversùs Venetos per Ducem Austriæ bellum quærit admovere, & per omnes quatuor annos, quibus in pace constiterat, numquam cessavit Ligam magnam adversùs Venetos exquirere. Et tamdem cum Januensibus, Regeque Hungariæ, & Patriarcha Aquilejensi, & cum Feltro & Civitate Belluni se confœderavit ad exterminium Venetorum.

B Guerra inter Ducem Venetiarum & Leopoldum Ducem Austriæ incœpta diebus Maji MCCCLXXVI. Carrigero texente telam adversùs Venetos cum Duce Austriæ, nuntiis hinc inde per Canale Brentæ currentibus. Et fortè quum Gabriel de Solagna Avus meus maternus, inimicus Carrigeri, occultè Solagnam adisset, & ibi ab affinibus & amicis novisset de adventu Ducis Austriæ ad partes Tarvisanæ, Collaltum reversus Comiti Rambaldo nuntiavit, apud quem dictus Gabriel fraternaliter tractabatur. Qui quidem Comes omni postposita mora Ducali Dominio Venetiarum per suas literas denotavit; nec illi adhibita est fides, nulla dicti

C Ducis præcedente diffida. Et propterea Tarvisinos conscios de prædictis facere neglexerunt. Leopoldus Dux Austriæ tacitus venit, & conscius factus de conjuratione facta per Merlinum de Rusignolis de Bassano, sub tacito nomine Carrigeri Paduani, cum Galeatio & Johanne fratribus de Quero adversùs Venetos, per Clusam Queri descendit Tarvisium cum tribus millibus armatorum equitum. De cujus adventu nil ante cognovit regimen Tarvisii. Qui ipse Dux ventus ad rastra Tarvisii ignem imposuit domui Cagneti à Poxeto; & illius gentes ad prædam discurrentes universa per districtum deprædatione, ferro, igne, & morte, ac

D captivitate vastarunt, & eadem die, quæ fuit XV. Maji, in Villis Paëxii & Villæ se locavit, & suos per dies XXVII. successivè à rapinis non cessans discurrere fecit omne Territorium Tarvisinum, & de illo atque Cenetensi omnia in prædam deducta Feltrum adduci jussit. Et die Mercurii XI. Junii Dux ipse cum gentibus suis ac magna præda motis castris Feltrum usque perrexit, quia jam Veneti gentes utriusque militiæ de hora in horam Tarvisii congregabant. Inter quas annumeratus est Simon Sclavus armiger, qui à Marchione Estensi cum multis profectus advenerat. Et die XIII. Junii Petrus Aymo

E Miles, Tarvisii Potestas, homo sapiens & magnæ experientiæ, habitâ notitiâ qualiter Dux ille recedebat, gentes Tarvisinas ad terga transmisit, inter quas aderant Tabarinus de Colle Musoni, Jacobus de Roverio, Thaddæus pater meus, & Galacius ejus frater cum DC. peditibus, & equitibus CCC. Quorum Capitaneus erat Marinus Superantio. Qui tamdem Querum, ductu dictorum Thaddæi & Galacii fratrum, obtinuerunt, ubi gladio peremtus est Johannes Galacii, qui cum Galacio fratre seditionis causa fuerat. Eademque die sumto prandio Societates bali-

balistariorum Venetorum cœperunt Montem Cornellæ juxta Plateam Queri ascendere, & vi spiculorum per montem ascendentes, gentem Ducis Austriæ ante se fugarunt usque ad bastitam per illos constructam ad apicem montis prædicti, in qua gentes illæ Ducis Austriæ se incluserunt. Tunc Tarvisinis illam impugnantibus, per tramitem Ciladoni Thaddæus & Galacius de Quero iter facientes à tergo dictæ bastitæ cum CCC. peditibus Plebis Queri, à parte superiori montis incesserunt, & hostibus non prævisis vallum rupere, ubi pugna fuit cum cædibus multis; & illâ horâ bombardella parva, quæ prima fuit visa & audita in partibus Italiæ, conducta per gentes Venetorum, casu percussit Rizolinum de Azonibus Nobilem Tarvisinum cum debilitatione Brachii. Interim bastita deprehenditur, & multi habentur captivi, inter quos fuit Galacinus de Quero frater dicti Johannis interfecti, qui principalis fuerat factionis prædictæ. Qui Tarvisium usque perductus non multo post per frusta concisus, & cruci suffixus, & juxta demerita sua debitas pœnas tulit. Post quæ in Venetiis omnes mercatores Theotonici in fontico capti sunt, & quotquot ex eis districtuales vel Cives dicti Ducis Austriæ reperti sunt, carceribus conjecti manserunt. Bastitam namque illam Cornellæ sic captam igne cremaverunt aliqui de carceribus illa nocte evadentes; & illâ taliter concrematâ Marinus Superantio Capitaneus gentium Venetorum inconsultè recedens cum gentibus Tarvisium profectus est.

Gens Ducis Leopoldi cum Feltrensibus & Bellunensibus, quibus Leopoldus dominabatur, habitâ notitiâ, quòd gens Venetorum & Tarvisini recessissent, Querum accesserunt, & duas bastitas fundaverunt, unam supra apicem dicti montis Cornellæ, & alteram super lapide seu saxo in Canali Queri vocato *la Moscheta*. Ad quas iterum capiendas gens Venetorum cum Tarvisinis multum laboravit. Et ex hac causa ad stipendia Venetorum conductus Jacobus à Cavallis Veronensis, gentium armigerarum conductor egregius atque miles, die XVIII. Junii MCCCLXXVI. Tarvisium vênit tamquam Capitaneus exercitus Venetorum. Ubi per decem dies moram traxit, & post illos recedens potentem exercitum, maximè balisteriorum & arceriorum, Vonicum conduxit, & ibi bastitam unam in Arcem Veterem Nobilium de Vonico construi jussit, mittens versùs Querum continuò gentes ad scaramuzandum cum gentibus Ducis Austriæ ibi morantibus. Et quum illæ gentes apud Fenerium viam Canalis foveis, aggeribus, atque spinatis conclusissent, obstantes, ne exercitus Venetorum ultra pertransire posset, Thaddæus & Galacius de Quero prædicti per Monfeneriam pedites, arcerios, & balisterios exercitus Venetorum conduxerunt; quos quum vidissent gentes Ducis Austriæ, relictis fossis atque spinatis illis, fugæ consuluerunt. Nam dicti Thaddæus & Galacius de Reduxiis de Quero fratres, propter priores guerras apud Comitem Rambaldum de Collalto, cui affinitate conjungebantur propter matrem illorum, quæ fuerat filia Comitis Manfredi patrui dicti Comitis Rambaldi, se & sua locaverant atque reduxerant. Qui nisi absentassent, nulla fuisset novitas in prædictis; sed rustici quodammodo suis pastoribus carentes, ceu pecudes in foveam delapsi sunt. Quibus sic peractis exercitus Venetorum Querum pertransit, & ambas bastitas viriliter impugnat, vi tamen bombardarum, quæ ante in Italia numquam visæ nec auditæ fuerant, quas Veneti mirabiliter fabricari fecerunt. Est enim bombarda instrumentum ferreum fortissimum cum trumba anteriore lata, in qua lapis rotundus ad formam trumbæ imponitur habens cannonem à parte posteriori secum conjungentem longum bis tanto quanto trumba, sed exiliorem, in quo imponitur pulvis niger artificiatus cum salmitrio & sulphure, & ex carbonibus salicis per foramen cannonis prædicti versùs buccam. Et obtuso foramine illo cum concono uno ligneo intra calcato, & lapide rotundo prædictæ buccæ imposito & assentato, ignis immittitur per foramen minus cannonis, & vi pulveris accensi magno cum impetu lapis emittitur. Nec obstant muri aliqui, quantumcumque grossi. Quod tamdem experientia compertum est in guerris quæ sequuntur. Quibus quidem bombardis tunc lapides eructantibus homines putabant desuper Deum tonare.

Victis & expugnatis bastitis Cornellæ & Moschetæ in monte & plano Queri, Jacobus à Cavallis castra movit versùs Feltrum; & quia iter totius exercitus excludebatur obstante Clusa Sancti Victoris, jam dicti Thaddæus & Galacius de Reduxiis de Quero fratres modum invenerunt cujusdam viæ, quam strui fecerunt per radices montis oppositi monti Sancti Victoris supra aquam Sonè à latere Queri, nemus & saxa plura incidi faciendo, & aspera in vias planas deducendo igne, sudibusque, ferreis ligonibus, & aliis ferreis instrumentis. Per quam quidem viam aptissimè totus pertransivit exercitus Venetorum, non absque admiratione cunctorum, usque in plano Feltri. Quumque omnis exercitus pertransisset, locavit se Anzudi, & eodem die expugnata est Clusa Sancti Victoris ab intra & foris, Rocha Sancti Victoris alta solummodo remanente in inimicorum custodia cum Castro Ecclesiæ ejusdem Sancti, quod statim per aliquos dies post vi bombardarum expugnatum est, nec non & Rocheta alta, quæ pugna ingenti ad bellum manuale adstricta est in deditionem Venetorum pervenire. Hujus pugnæ datus est honos Gerardo de Camino Nobili Tarvisino, qui illo tempore vi corporis & castrorum potentia plurimum poterat apud Venetos, & Tarvisinos. Mense Augusto MCCCLXXVI. habitâ victoriâ locorum prædictorum, Jacobus à Cavallis generalis Capitaneus exercitus Venetorum castra movens, illa ad Portas Feltri usque perduxit, & ibi suas affigi fecit bombardas, atque machinas erigi contra Feltrum, & partem gentium armigerarum mandavit per omnem districtum Feltri atque Belluni prædatum iri atque crematum. Taliterque Feltrum obsedit, quòd aquas habere nullo modo poterat, nisi gentium Carrigerarum dolus advenisset. Miserat siquidem Carriger Paduanus secundùm pacta inter se habita gentes suas cum exercitu Venetorum. Quæ ubi Feltrensibus usum aquarum prohibere debebant, illis aquas clam subministrabant.

bant. Stabant enim ad custodiam fluvii Cernedæ suburbani. Interim dum ista aguntur, Veneti deliberaverunt in Canali de Quero in loco arctiori intra montem & Plavim Oppidum construi facere, quod iter Cimbrorum abigeret. Sicque factum est, & hodie dicitur Castrum Novum ex opposito Saxi Acus Attaxii.

Dum Jacobus à Cavallis Capitaneus prædictus castra teneret contra Feltrum, voluit persæpe illud vi impugnare, si exercitui Commune Venetiarum pagam duplam, & mensem completum, ac Terram in prædam concessisset. Quod facere recusavit, non quòd illos tæderet pecunias exbursare, sed quòd abhorrebant tantum scelus nedum videre, sed audire (felix Feltrum, quia quod non præstitisses, ab inimicis es consequutum) credens etiam Civitatem obtinere; sed in irritum processit eventus. Nam Dux Austriæ visus est omnino Feltro velle succurrere magna cum potentia Cimbrorum. Quod quum Senatus Venetorum audivisset, mandavit dicto Capitaneo suo, quòd exercitum omnem Tarvisium adduceret, pridem munitis Rocheta, & Castro Sancti Victoris, & in bona custodia relictis. Quæ omnia Capitaneus exequutus est, semper dicens, non bonum esse consilium; sed potiùs illi persuadebat, quòd in loco arctiori, quo Dux Austriæ adveniens habebat pertransire, fabricaretur præsto bastita, ad quam exercitus omnis cum omni apparatu concurreret, & ibi resistere & transitum illi denegare. Quod tribus evidentibus rationibus securè fieri poterat: prima, quòd gentes exercitus Venetorum erant aptiores ad defensam bastitæ, quàm Theotonici ad impugnandum: secunda, quia impedito transitu, per aliquos dies, Dux si magnas secum gentes conduxisset, stare non poterat propter victualium & straminum equorum, ac locorum inhabilitatem: tertia, quia si non multas secum gentes adduxisset, illas penitus cum exercitu suo conflixisset. Quæ quidem rationes si tunc fuissent intellectæ, non minus evenisset quod ille demonstrabat. Fuerunt hæc mense Septembris MCCCLXXVI.

Eo in tempore per gentes Serravallis & Valmareni subditas Ducali Dominio Venetorum victa est Turris Sancti Boldi in Canali Todenæ. Quod quum ad notitiam Leopoldi Ducis Austriæ pervenisset, Cividatum multis gentibus sociatus accessit, & exercitus Ducalis Dominii Serravallum properavit. Quo quum applicuisset, Senatus Venetorum Jacobo à Cavallis, Capitaneo generali totius exercitus sui, mandavit, quòd filium suum, cum quotquot ex gentibus exercitus sibi videretur, ad defendendam dictam Turrim captam mitteret festinanter. Quod ille, sed invitè, exequutus est, quia timebat accidere, quod contigit. Quem quum ad exsequenda emisisset, Dux Austriæ illius adventum sciens, gentes suas ad Turrim usque perduxit, & bellum congressus obtinuit, quia multo plures habebat. In quo captus est filius Capitanei cum C. armigeris, qui omnes equis & armis spoliati sub fide remissi sunt, data fide quòd illinc ad XV. dies Tridenti se præsentarent illis, quibus in captivitatem advenerant. Quod adveniente tempore juxta fidem datam servatum est. Quumque Veneti durante guerra in Hungaria Oratores suos detinerent pro faciendo pacem cùm dicto Duce Austriæ, quam ipse Rex facere simulabat, appropinquante termino bienii treuguæ memoratæ, ipsi Veneti perpenderunt de Liga facta contra eos astutia & vafritate Carrigeri Paduani inter Regem Hungariæ, Januenses, Patriarcham Aquilejensem, & omnem Patriam Forojulii, & Comitem Gerardum de Camino, ac Carrigerum ipsum. Continuò ad Leopoldum Ducem Austriæ Leonardum Dandulo Militem & Petrum Cornario Procuratorem Sancti Marci Oratores miserunt ad formandam pacem seu treuguam transeuntes quo & iverunt. Et die Dominica XVII. Octobris MCCCLXXVIII. reversi sunt Venetias cum literis Ducis Austriæ de bona & fida pace. Quæ quidem pax inter utrosque die XVIII. dicti mensis publicè per omnes Venetiis atque Tarvisii proclamata fuit, facta restitutione dictæ Rochetæ, Sancti Victoris, & Castri, ac Clusæ per Venetos dicto Duci propter pacta pace prædicta introclusa, ac Theotonicis omnibus districtualibus vel Civibus dicti Ducis Austriæ in fontico captis Venetiis ad integrum restitutis cum mercantiis suis, & de carceribus relaxatis, ac in pristinam libertatem restitutis.

Discordias inter Venetos & Januenses describere aggressus, expedit ad anteriora converti. In guerra præmissa omnia sub compendio descripseram; sed quia tempora describendo tempus excessit, ut in multis fieri oportuit propter continuationes guerrarum, nunc conversus ad initium guerræ hujus, non omittendum putavi, quòd currente Anno Domini nostri Jesu Christi MCCCLXXIV. regnante Calojanne in Imperio Orientis, quod Constantinopolitanum nunc gentes appellant, compertum est, illum plures habere filios. Inter quos Chirandronicum habuit, qui machinatus est, patrem & Imperium invadere contra filialem pietatem, auxilio plurimorum suorum contubernalium, & maximè Januensium. Et adversùs Imperium & Imperatorem jam ordinata conjuratione, illum Imperator deprehendit, & absque mora filium capi jussit, & captum mandavit occidi. Sed Venetorum Nobilium aliquorum intercessione ejus vitæ pepercit. Voluit tamen, quòd calefacto bacilo & oculis illius præsentato, luce privaretur. Quod quum factum fuisset, jussit in Peram adduci, & apud aliquos Fratres Claustrales alimentari mandavit. Verùm quia Imperator ille super omnes nationes Venetos amabat, invidia suborta est inter Januenses & Venetos. Qui Januenses dolosè excogitantes, qualiter adversùs Imperatorem, & Venetos possent manus immittere, consilium inierunt mederi facere Chirandronico prædicto, & experiri, an virtute aliqua medicaminis posset ad lucem aliqualiter pertingere; hac lege, quòd Imperium iteratò & Patrem invadere promittat, si in eum medicamina fuerint operata; & quòd Insula Tenedos cum Terra & Oppido ad manus perveniat Januensium ad exterminium Venetorum, qui de cetero prohibeantur in Mare Majus ad Tanam navigare, & alia loca, quibus per illud mare navigant præter Januensium voluntatem. De mense Augusti MCCCLXXVI. convenientibus

tibus Januensibus, qui erant in Pera cum amicis Chirandronici prædicti ad invadendum Imperium accesserunt in Constantinopolim, & atrium Imperatoris invaserunt, Imperatorem & Imperatricem capientes, atque in vincula conjicientes, instantibus semper Januensibus apud Chirandronicum factum Imperatorem, quòd Insula Tenedos cum Oppido in eorum manus exhiberetur. Qui Imperator factus scripsit, quòd dicta Insula & Oppidum Januensibus traderetur. Qui pro accipiendo tenutam, dum illuc navigassent cum II. Galêis, & literas Chirandronici præsentassent, ad illos responsum est per Majores dictæ Insulæ, se illam nulli esse tradituros, nisi Calojanni Imperatori suo, & illo in propria libertate restituto; quum ab illo jam diu mandatum habuissent, quòd si contigeret deponi de Imperio, & illos per se Insulam & Oppidum non posse defendere, quòd illam Venetis, & non aliis tradere deberent. Quibus succurrere non valentibus, eam potiùs Teucris ex opposito dominantibus, quàm Januensibus in deditionem darent. Quibus auditis Januenses recesserunt Constantinopolim remeantes, ubi malè contenti adversùs Venetos cum jam dicto Chirandronico Imperatore facto omnia ministrabant. Marcus namque Justiniano Capitaneus X. Galearum Gulfi notitiam habens de prædictis, & advertens de Galêis Venetorum ituris in Romaniam & ad Tanam, vênit versùs Venetias, ut illis obviaret, quia jam in Romania noverat Januenses habere Galêas armatas, quibus inventis secum navigavit usque in mare majus, & reversus est cum X. Galêis ad Insulam Tenedos, moram illic trahens, donec dictæ Galêæ remigarent. Et quum tempus appropinquaret, vênit Constantinopolim, & illas venientes suscepit, & de societate Tenedos navigarunt. Ubi facto tractatu de dando se Venetis, tamdem convenerunt ad custodiam Oppidi & Insulæ relinquere Donatum Truno Capitaneum Galearum à mercato. Reliqui autem recedentes versùs Venetias navigarunt. Quod quum ad notitiam Chirandronici & Januensium pervenisset, omni postposita mora Chocham unam Venetorum, quam gubernabat Petrus Dodelmario, in Constantinopolim detinuerunt, ac Bailum, & Mercatores de Venetiis, & Petrum Grimani cum mercantiis ibi repertis. Istud intra tempus Marcus Justiniano Capitaneus prædictus cum omnibus Galêis Venetias applicuit, & rem omnem aperuit Senatui suo, diu anxio, an consultè fecisset. Tamdem taliter rebus maritimis atque terrestribus se habentibus, placuit Consilio Venetorum duas armare Galêas, & ad protectionem & fortificationem Insulæ & Oppidi Tenedos illas transfretare; sicque confestim factum exstitit. Cum quibus profecti sunt Marcus Zeno, & Michaël Steno, eorum Capitaneo designato Antonio Venerio, Provisoribus additis sibi Johanne Gradenico, & Petro Cornario. Post quas Veneti etiam alias duas armavere Galêas, quibus præfecerunt Petrum Pisani in tertium Provisorem, & ad Insulam prædictam navigare mandarunt, subinde denuo renovatis aliis X. Galêis Gulfi, quibus in Capitaneum præfecerunt Petrum Mocenigo. Januenses Carrigeri monitu dietim avisati, perpendentes Venetos bella parare navalia, finxerunt cum XV. Galêis venire ad stipendia novi Imperatoris, & antequam applicuissent ad Arcipelagum, Galêæ Venetorum ceperunt Staliminas, & duas Terras Græcorum ruinis æquaverunt. Galêæ verò Januensium deinceps in Romaniam navigantes ceperunt Staliminas, & post in totum paraverunt Galêas XXIII., & in mare majus navigarunt, in cujus partes Januenses plures Civitates & loca habebant, & propterea molestè ferebant Venetos habuisse Insulam Tenedos. Nam oportebat Januenses illac transire, si volebant in mari majori ad sua loca navigare, & deinde Constantinopolim. Ibi accepto Imperatore novo, armatisque duabus Cochis ad Insulam Tenedos pervenerunt, & ibi positâ scalâ exercitum firmaverunt partim in aqua & partim in terra, quotidie prœlia committentes. Tamdem deliberaverunt Oppidum vi impugnare. Et tunc ordinatis gentibus illud aggrediuntur. Quibus obviam accurrit Carolus Zeno, & congressus ad pugnam Januenses fugavit ad naves, & illorum Travacas plures habuit. Ex quo Januenses cum Imperatore nil proficientes Constantinopolim sunt reversi. Et ad Regem Hungariæ Oratores suos miserunt, & ad ceteros Colligatos ad damna & exterminia Venetorum. Veneti namque de hujuscemodi Liga & tractatibus conscii facti paraverunt XX. Galêas, & pro Capitaneo ordinaverunt Victorem Pisani de Sancto Fantino.

Victor Pisani prædictus non impigrè die XXIV. Aprilis solvens de Venetiis cum Galêis XIV. in Cretam navigavit MCCCLXXVIII. quo Veneti pridem jusserant sex corpora Galearum destinari, ut illic Cretensibus armarentur, Provisoribus ibi constitutis Pantaleone Barbo, & Aloysio Lauredano. Quo etiam die Senatus Venetorum Scribam quemdam suum Nicoletum de Clugia cum desida Januam misit. Qui diebus XII. post reversus est. Interim armata procedit, & tamdem diebus pluribus post ad Terras & partes Januæ pervenit, & ibi Pamphilos, & naves diversarum manerierum multas cepit, & spoliatas igne succendit. Sicque omnia ferro & igne reperta consumsit. Nec contenti Veneti prædictorum, alias X. Galêas armaverunt, & in Gulfo miserunt, super eas Capitaneo constituto Petro Mocenigo. Quibus armatis per diversa maria discurrentibus, Aloysius del Flesco Januensis Capitaneus X. Galearum nobiliter armatarum, intendens Constantinopolim navigare, & alias suas Galêas præmissas ibi moram trahentes hominibus & pecuniis refocillare, audivit Capitaneum Venetorum per Januensium Terras plurima damna & grandia intulisse, & esse solummodo cum Galêis XIV. contra quas præsumserat navale bellum inire. Sicque versa vice non minus affectabat Victor Pisani, qui audiverat Januensium Capitaneum cum X. Galêis adventare, quæ onustæ divitiis & pecuniis dicebantur. Tamdem utraque armata in Splaza Romana ad caput Dancæ navigans usque pervenit, & cognitis signis, utraque cum alacritate se parat ad pugnam, & præsto in qualibet armata est Missa celebrata, & benedictione præstata uterque Capitaneus suos alloquitur persuadens,

dens, quòd juxta Populorum suorum antiquissimas probitates perseverare velint, & honorem patriæ defendere, & pro ea si necesse fuerit, mori. Quoniam qui in talibus migrabant, per gloriam vivere semper intelligebantur, allegans unasquasque probitates suorum antiquorum patrum fratrumque ac filiorum, qui in bellis multis contra hostes victorias innumerabiles fuerant assequuti. Et his aliisque verbis illos ad capescendum navale bellum animavit; & fine dato verbis utraque armata se reficit, & datur ordo, quòd ad primum sonum tubæ omnes se arment, ad secundum autem sonum unusquisque proprium locum sortiatur, & ad tertium sonum, juxta ordinem datum quisquis in hostes feriat. Datis signis ventum est ad pugnam, in qua quidem hora tantus de cœlo imber cecidit, & tantus maris fragor incessit, quòd vix absque pugna nautæ evadere potuissent. Nihilominus tanta pugnandi cupido utrisque incesserat, quòd Capitaneorum Galeæ IX. se mutuis vicibus impetentes obviarunt utrisque: aliæ verò propter aëris & maris tempestatem adhærere non potuerunt, durante bello navali per duas horas, quibus balistæ propter pluvias operari non potuerunt, sed in illarum loco succedebant spicula, lanceæ, & ronchoni, nec aberant lapides, quorum tantus fuit jactus, quòd de cœlo pluere videbantur, ex quibus Venetorum Galeæ maximè munitæ erant. In fine Januenses terga dant Venetis, & Aloysius del Flesco Capitaneus Januensium capitur cum V. Galeis, quarum una in Splaza Romana repercutiens, capta absque nautis & aliis defensoribus exstitit. Quatuor autem aliæ fugæ consulentes versùs Januam navigaverunt vela solventes.

Veneti itaque dictas V. Galeas captas expilaverunt, & igne supposito arsere de facto, sola Galea Capitanei remanente, qua dictus Aloysius del Flesco captus Venetias advectus fuit maximo cum dicti Victoris Pisani triumpho, secum etiam advectis XVIII. Nobilibus Januensibus captivatis, & DCCC. inter remiges & balisterios Januenses captos. CCCC. sunt in Creta carcerati, & alii CCCC. Venetias ad carceres usque perducti. Qui verò Victor Pisani Capitaneus prædictus cum parte armatæ in Creta remansit, ferturque in jam dicto bello circa DCCC. Januenses partim ferro cæsos, partim aquis immersos interiisse; neque de Venetis ibi denatus est homo, nisi Zacharias Gixi Venetus spiculo saucius sub brachio, qui statim humanis excessit, magnâ jam prædâ factâ. At Victor Pisani Capitaneus prædictus in Cretam tendens cum X. Galeis circa aquas Modoni invenit VI. Galeas Venetorum, quas illi in Cretam armandas miserant pridem, & illis associatus Modonum venit; & proposito deinde mutato, nam volebat Capitaneus Venetorum cum XVI. illis Galeis compertum ire X. illas Januensium Galeas, & eas navali impetere bello. Sed Provisores aliter sentientes in Cretam voluerunt navigare, & ibi depositis oneribus parare commeatus, & versùs Romaniam navigare usque Nigropontem. Quo quum applicuissent, notitiam habuerunt de dictis Galeis X. Januensium, quas insequuti sunt usque Torpiam. Et quum perpendissent illas non posse appropinquare, de revertendo consilium fuit juxta commissionem Senatus Venetorum.

Mense Junii MCCCLXXVIII. Franciscus Carriger Paduanus pro Rege Hungariæ seque proprio diffidatum misit Commune Venetiarum. Quod & Aquilejensis Patriarcha fecit; innuentes quòd à XXIV. Junii in antea pax rupta intelligatur. Et in die Beati Johannis in Territorium Tarvisinum cucurrere jam dicti, & illa nocte hospitati sunt in Villa Lanzanigi. Die verò sequenti cum præda non modica ad propria sunt reversi. Quorum adjumento fuerunt Gerardus & Guecelonus de Camino, tunc Domini Suligeti, Fregonæ, Crudignani, Mothæ, & Portus Buffoledi, ad damna & exterminia Venetorum, sed veriùs Tarvisinorum. Transactis ferme pluribus mensibus accidit, quòd filius Regis Cypri compertus in Famagosta pro incoronatione sua pulcherrimam inivit Curiam, ad quam multi tam Veneti, quàm Januenses convenerunt inter alias Nationes, festa magna tractantes, odio tamen & astu partis utriusque. Verùm quia Rex ipse videbatur Venetos magìs extollere, crevit invidia, ex qua Januenses clam armati Salam Regis intraverunt, ubi sumto prandio Venetos aggressi sunt. Quod molestum Rex ferens acclamavit: *Vivat Rex & Commune Venetiarum*. Qua voce audita Januenses per ante & post latera gladiis & fustibus cæduntur, quorum aliqui ferro, aliqui per fenestras ejecti interierunt, & pæne omnes dissipati sunt. Et sic pacatus est furor expensis furentium. Ob id namque Januenses, qui supervixerant, compositis rebus suis ad propria sunt reversi, Communi suo jam Famagustæ facta recensentes. Quibus auditis Januenses unanimiter adversùs Cypri Regem conjuraverunt, arma parantes, & Naves atque Galeas plures, quibus paratis vela solverunt versùs Famagostam navigantes. Ad quam quum pervenissent, habito tractatu cum Regina uxore quondam Regis Petri, ut vindictam sumeret de occisore dicti Regis, illam consequuti sunt, ubi aurum, gemmas, & multas opes, quibus mirabiliter affluebat, deprædati sunt contra pacta deditionis factæ ejusdem Terræ Famagostæ. Ex qua infidelitate Regina de se & filio dubitans, ne in Januam ducerentur, fugam cautè subripuit, & ad Terram quamdam Insulæ nomine Nicosiam devenit, Famagostâ in manibus Januensium liberè remanente.

Hoc namque in tempore Mediolani regnabat magnus Barnabos de Vicecomitibus pro indiviso cum Magnifico Galeacio de Vicecomitibus germano Papiæ Curiam tenente, qui tyrannidem totius Lombardiæ potenter in Cives exercebat & accolas. Et quia idem Barnabos plures filios & filias habebat, matrimonia plura contraxerat cum Ducibus & Regibus externis, & inter cetera quum aliam filiarum despondisset Regi Cypri, cum Venetis composuit, quòd ipsi Veneti cum sex Galeis armatis suis sumtibus filiam prædictam suam nuptui traditam dicto Regi Cyprum adveherent, illis pacto promittens, quòd per tres menses cum DC. lanceis, & copia peditum numerosa adversùs Januam & illius territorium hostiliter bellum inferret. Sicque firmatis pactis Barnabos Venetias filiam misit, Nobilibus Domicellis sociatam, aliis-

aliisque Militibus, & generosis Viris in maxima quantitate. Quæ applicuit ad domum Federici Cornario Sancti Lucæ. Nec multo post Venetias vênit quidam Catellanus cum V. Galêis pro associando dictam sponsam, ut securiùs transfretaret propter Januensium & Venetorum guerram. Veneti deliberaverunt VI. Galêas, Venetiis paratas pro eundo in cursum, navigare debere ad securitatem & transductionem dictæ Sponsæ Lombardæ, quas patronizabant Johannes Miani, Franciſchinus à Bocholis, Petrus Quirino, Johannes Barbo, Franciſchinus Foscolo, & Franciſchinus Mocenigo. Nec mora fuit; nam dictæ XI. Galêæ, ultra quam credi vel scribi possit, armatæ & ornatæ vela solventes, & in altum navigantes, paulò post ad Terram Regis Cypri Cirines vocatam sospites cum Sponsa applicuerunt, hac lege inter patronos Venetiis apposita, quòd ex eis singulus omni hebdomada aliis præemineret, MCCCLXXVIII. die VI. Julii.

Reginâ Sponsâ in terram depositâ, Rex cum Venetis pacto convenit, quòd unà cum aliis V. Galêis deberent Portum adire Famagostæ, & illum per vim intrare, multa corpora Chocharum, classiumque diversorum Januensium ibidem permanentia supposito igne cremare, multam illis pollicendo pecuniæ quantitatem. Et in casu quo Terram Famagostæ obtinerent, quod quidquid eriperent prædæ lucrarentur, Terra ipsa in Regem liberè remanente. Adversùs quam ipse Rex promisit cum omni suo exercitu venire, & ipsam tunc pariter per terram impugnare. Quod & factum est. Nam Galêæ ipsæ solventes Famagostam attigerunt, & Portum clausum invenerunt tribus cum Chochis Januensium positis in battajam. Ex quo Portum intrare non valentes, à tergo evulsis saxis, aditum habuerunt in Portum, Chochasque prædictas cremaverunt, & illorum defensores captos vinculis conjecerunt. Cum quibus & alias tres Chochas & totidem Galêas Januensium, dicto in Portu repertas, similiter incendio concremaverunt cum omni classe reperto; & ulterius bello vacantes Civitatis muros aggrediuntur tam enixè, quòd invitis defensoribus illos ascenderunt adactis scalis. Ad quem locum pro subsidio multi occurrerunt Januenses, & dictos Venetos de muris expulerunt, undecim captis, & pluribus interfectis atque percussis. Ad quod advertentes, quoniam Rex, ut promiserat, non multum laborabat ad expugnandam Urbem, sed magìs bella cernebat, Veneti deliberaverunt Galêas adire, & de Portu egredi, & Cerines repetere sponte: quod & Rex fecit. Quibus Cerines adventis, tunc Rex juxta promissa Venetis facta pro parte solutionis capsas Zuchari quammultas illis tradidit, restum quam præsto pollicendo. Veneti naves solventes navigant in Suriam, ubi quamdam invenerunt Chocham vocatam Spinarzam Januensium, quam & ceperunt, illi onus capsarum Zuchari intro ponentes, atque in ea præficientes Hermolaum Lombardo, qui Venetias illam ad salvamentum usque perduxit cum cottonis in ea repertis.

Regrediamur modò ad armatam Victoris Pisani, qui supra Jadram cum dictis VI. Galêis & aliis suis attigerat, præmissis IV. Galêis ad exportandum Venetias captivos Januenses CCCC. Quæ quum Venetias applicuissent, statim per Venetos aliæ IV. armatæ fuerunt, & in eis præfecti sunt Marcus Pasqualigo, Petrus Pasqualigo, Aloysius Delphino, & Marcus Zane. Et cum VIII. illis Galêis de Venetiis solventes & in altum navigantes, omni postposita mora suum adierunt Capitaneum Generalem. Quibus ad Capitaneum prædictum usque perventis, Victor Pisani Capitaneus se habere comperuit Galêas XIX. magnificè armatas. Tunc deliberavit ventis vela committere, & Catharum Dalmaticam Terram invadere. Ad quam quum derivasset, incolis nuntiatum misit, quatenus se Venetis dedant; at illi respuerunt. Quo audito Capitaneus gentes suas instruit, & hostiliter Terram invadit, & eam vi capit, Rochâ exceptâ, quam paulò post in deditionem habuit suam. Terrâ ipsâ opibus spoliatâ, suis in eam ordinatis Magistratibus, atque Blanco de Ripa Rectore dimisso, per unam Galêam significavit Capitaneus Ducali Dominio Venetorum gesta, quæ fecerat.

Gerardo de Camino tunc adversante Ducali Dominio Venetorum MCCCLXXVIII. die VI. Septembris Senatus Venetorum decrevit ad excidium dicti Gerardi exercitum præparare ex gentibus suis Serravallis, Vallis Mareni, & Coneglani cum Magnifico Rambaldo de Collalto Comite Tarvisii, & adversùs Suligetum Castrum dicti Gerardi in Cenetensi Diœcesi mittere, & omnem potestatem exercitus dicto Rambaldo committere. Sicque factum exstitit. Nec ille infideliter gessit, quoniam accito exercitu gentium prædictarum magno cum ordine ad illud accessit, & per vim cepit, interventu Gabrielis de Solagna avi materni mei, qui pugnatores ordinaverat, & in spem erexerat capiundi. Quo capto & expilato Comes Rambaldus loco, proximè illud sibi à Veneris condonatum solo jussit æquari, non immemor injuriarum à Gerardo de Camino illi illatarum, & maximè quia illis contendentibus per anteriora tempora pacis in Aula Ducali Venetiarum, dictus Gerardus Rambaldum Comitem alapâ percussit: quod non plus illi molestum fuit, quàm Gerardo Suligeti destructio. Et qui vidit testimonium perhibet. Et eodem anno de manibus & ditione Gerardi de Camino sublatum est Cessaltum per gentes Venetorum, & bastita combusta. Gerardus de Camino se in Motha conclusit.

Isto namque tempore Capitaneus armatæ Venetorum navigans versùs Saf.....um pro reperiendo XVII. Galêas Januensium, venturas hyematum in Portum Jadræ, ut habiliùs possent dietim discurrere usque supra Portum Venetiarum ad damna & exterminia Classium eorumdem, perpendens curavit obviare. Et ex eo eorum Capitaneus navibus maria sulcans Neapolim accessit, & habitâ notitiâ Galêarum Januensium, quæ recesserant, illas insequutus est. Quæ se alterutram fallentes, quia Januensium Galêæ per maris schenam navigabant, & Veneti ad terram, tum Januenses in Gulfo Taranti pervenerunt, quo commessationis gratiâ dirigebant. At Veneti ad Caput Sanctæ Mariæ profecti sunt, & illic Januensium naves exspectabant, quas regredientes etiam viderunt,

runt, ut in Venetorum Gulfum accederent. Quibus visis Victor Pisani Capitaneus Venetorum confestim se suosque parat ad prœlium, & obviam ire deproperat. Tunc Januenses fugam finxerunt, se armis leviantes; quosque quum Capitaneus Venetorum persequeretur, dubitantes ab illorum manibus evadere non posse, vafritate hac usi sunt: quoniam se immobiles reddiderunt, arma per copertam ferentes, & se ad bella promtissimos ostentantes. Qua de re Capitaneus Venetorum, videns inimicorum persistentiam, quia sui multum fatigati fuerant, substitit, & suos omnes pridem refrigerari concedit, ut generosiùs cum inimicis congredi possent. Quod quum Januenses perpendissent, inermes redditi, & ad fugam habilitati, velis in altum erectis fugam cepere dispositam, versùs Dalmatiam impigrè navigantes. Quos quum Veneti vidissent aufugere, & graves pondere armorum redditi, & inhabiles ad fugandum, retro vela solverunt, in Apuliam navigantes, quia tunc Veneti in Dalmatia nullam habebant tutam stationem propter Regem Hungariæ, qui omnes Dalmaticos Portus possidebat, & illis inimicabatur.

Commemoratione facta Galeæ Henrici Dandulo solventis de Creta ad Venetias ad innotescendum Venetis adeptionem Cathari Oppidi Dalmatici, omittendum non putavi, qualiter Veneti habitis novis deliberaverunt alias V. Galêas armare. Nec moram habet prosperitas. Etenim armatæ sunt. Magìs aviditate prædæ, quàm honoris patriæ, nautæ concurrebant: quod utinam bello id asseverassent, quarum Comiti & Capitanei tunc fuerunt Petrus Gradonico, Michaël Steno, Michaël Delphino, Johannes de Vidoro, & Marinus Capello. Qui omnes cum Galêis ipsis recesserunt de Venetiis pro inveniendo Capitaneum suum totius armatæ; & quum juxta Birifforim advenissent, viderunt III. Galêas Januensium, quæ plurima damna intulerant navibus Venetorum maria illa sulcantibus pro conducendo vina Venetias, ac blada, & alia victualia de Arimino, & Apulia, & Sclavonia. Quibus visis ad bellum se præparant, & obviam remigantes ire festinant; quas aufugientes Veneti insequuti sunt usque Jadram, & retro navigantes applicuere Branditium. Quo cùm applicuissent, habitâ notitiâ de armata Januensium, in dicto Portu se fortes faciunt, & per terram significare festinant Victori Pisani Capitaneo suo, ut illis succursum præbere festinet. Nec defuit quin acceleratè illuc vela contenderet, & illas secum traxit, deliberans post auctum numerum usque in XXXI. Galêas repertum ire armatam Januensium in Portu Jadræ. Quod quum Januenses autumassent, stationem locaverunt suarum XVII. Galêarum de Portu Jadræ in Portum Trahu.

Ad apparatus terrestres Carriger elaborans auxiliis sumtis à Rege Hungariæ, Patriarcha Aquilejensi, & Gerardo de Camino, exercitum ordinavit decem septem millium pagarum inter forenses & terrigenas suos, & illum conduci fecit contra Mestre, ubi castra posuit, constructo Ponte super Canali de Venetiis, quo de Mergaria Venetias navigant, Castris atque bastitis, & belfredis illi adjectis, ne victualia de Venetiis Mestre adduci possent. Et fixis bombardis, ac machinis erectis, die noctuque non cessabat contra Mestre projicere, & è contra illi ab extra. Tamdem gens Carrigeri per vim Burgum Sancti Laurentii obtinuit, multis captis, inter quos exstitit Tabarinus de Collemusoni Civis Tarvisinus. Et habito Burgo absque mora Campanile dictæ Ecclesiæ Sancti Laurentii armatur, & de eo cum bombarda in Mestre projicitur. Isto medio Veneti providerunt de mittendo illuc Nicolaum de Galengano cum gentibus ad defensionem Mestre, & illius in subsidium mittunt etiam Bechum de Pisis, conductores CCC. peditum armatorum usque ad extrema pedum, cum eis paciscendo, quòd secum ferrent intra Mestre unam capsam Veretonorum pro singulo, sive fassum, cum mercede unius Ducati pro singulo, ultra præstantiam & habitum stipendium. Sicque mediantibus guidis in magnum dedecus Capitanei Ligæ atque Carrigeri Mestre salvi cum omnibus intraverunt, ubi Provisor erat Franciscĥinus Delphino, appellatus Sbirso, qui ut alibi jugiter se bene sapienter atque viriliter gessit in honorem & statum sui Communis Venetiarum. Quumque ibi dietim fierent validæ scaramuciæ, & obsidentes intenderent gattos & pontes enodatos instruere ad transeundum foveas & muros impugnandum, ut habiliùs suum possent consequi intentum, illos tamdem paratos in operam adducunt. Et ex opposito intrinseci fracto vallo, ut meliùs defensioni vacare possent, se contraire paraverunt. Tamdem ventum est ad manus, & advectis gattis ad foveas per obsidentes & transjectis pontibus enodatis, loca compugnant. Obsessi verò viriliter obviam accurrentes vim vi repellere concertant, & tali partes bello ad invicem adversantur, spiculis, lanceis, & lapidibus, quibus plurimi sauciati in foveis remansere peremti. Et in fine gens Venetorum gentem exercitus à foveis atque muris vi coërcet, & supposito igne gattos & pontes comburunt. Cum victoria intra vallum se continentes victores exultant. Nec multo post Carriger exercitum evocat, & Paduam adducit, ubi propter aëris illius infectionem multi Nobiles ac Plebeji infirmati diem obiere suum. Ab inde verò citra Veneti curaverunt, quòd singulo anno per Rectores suos illuc euntes, ubi Mestre erat vallo ligneo circumdatum, sic quota sua parte quisque commurare Rector deberet: quod modò peractum est.

Guerra procedente maritima dum Victor Pisani Capitaneus armatæ Venetorum cum armata XXXI. Galêarum ante Portum Jadræ obsideret, ne Galêæ Januensium intrarent, Portum eumdem supervenerunt sex Galêæ Venetorum in cursum destinatæ, per quas Capitaneo innotuit, quòd XVII. Galêæ Januensium erant in Portu Trahu. Et tunc nullâ factâ morâ dictis VI. Galêis additis sibi, modò cum XXXVII. solvens, Trahu navigare deproperat. Sed quum juxta Sibinicum applicuisset, Veneti conceperunt illud vi vel amore surripere, & præmissis III. Galêis nuntiatum Sibinicensibus miserunt, quod se se illis dedant, bonam societatem & defensionem pollicendo contra quoscumque illis adversantes. Quibus Sibinicenses responderunt, quòd nihil cum illis agere vole-

volebant, & quòd si quid adversùs se molirentur, contra ire properarent, reportaturi victoriam, si illam ferro vel flammis fuissent adepti. Quo audito responso, Victor Pisani Capitaneus prædictus habito consilio versùs Terram processit, & intrans Portum ad Terram descendit, illam circum circa obsidens atque impugnans partim cum scalis erectis muris, & partim cum pichis ferreis sudibusque ac uncis muros rumbantibus. Nec usquam desinit à bello, quo ad per scalas, & rumbaturas murorum Civitatis muros ascendit, atque per illos transiens, vi magna illam cepit, magna cum strage utriusque partis. Et vi coacti Cives Palatium intraverunt, quod & extrinseci insequentes per vim obtinuerunt, interfectis multis ex Sibinicensibus ferro, & multis per Palatii fenestras deorsum projectis. Qua Terra sic capta, excepto Castro, ad quod major pars Sibinicensium se conduxerant; qui suorum viso excidio intra se Capitaneum stabilierunt, qui ordinatis gentibus suis versùs Plateam armata manu contra Venetos certare festinat. Quumque congressi fuissent, tanta ibi cædis strages utrimque incessit, quòd vix auditus interciperet. Sibinicensibusque pro majori parte peremtis, Castro adhuc se tuente, Capitaneus Venetorum deliberavit Castrum relinquere, & contra armatam Januensium procedere, ac vetare, ne interim Jadræ Portum obtinerent, mittens Galêam Henrici Dandulo Venetias ad innotescendum Ducali Dominio Venetorum cuncta, quæ fecerat, nec non quòd intendebat Portum Trahu appetere, & Galêas Januensium invenire, & quòd interim Senatus Venetorum caveret de panatica & commessatione illuc destinanda. Quo quum applicuisset Capitaneus Venetorum comperit ex Galêis Januensium partem in Portu & partem in Apuliam frumentatum missam. Verùm quia Trahu duos habet Portus ad unum concurrentes à parte Orientis & Occidentis, per quos & ingredi & egredi naves possunt, quibus in Portis Januenses taliter providerunt; construxere namque Pontem unum Orientis Portum amplexantem usque ad Insulam & terram firmam, ubi adstruxerunt pedem unum Turris immensum, & circa medium Pontis artificiosè construxerunt quemdam belfredum cum paladis in aqua circum circa per modum, quòd unica Galêa tantùm sola vix intrare poterat, Portum autem Occidentis arctaverunt porporis, & immensa lapidum strue sub aquis latentium, taliter quòd illac nisi Liburnæ, sive Fasclæ poterant navigare. Attamen Januensium Galêæ de Apulia redeuntes cum victualibus intraverunt eumdem per Portum. Quod advertens Capitaneus Venetorum armatam suam divisit in partes, bucchis Portuum singulis providendo, & consimiliter de gentibus armigeris fecit, quibus Venetorum Galêæ fulcitæ reperiebantur, & in terram deponendo, & tertium campum ex illis firmando. Qua quidem armata sic consistente, diebus singulis plurimi fiebant badaluchi, quorum dum tæderet Victorem Pisani Capitaneum Venetorum, deliberavit totis viribus inimicos per terram invadere, & datis ordinibus illam aggressus est. Sed in irritum cessit cogitamen. Nam Januenses ab intra defendentes, cum balistis extrinsecos lethaliter vulnerabant, quibus ex vulneribus Venetos cedere oportuit, deliberantes potiùs per obsidionem locum habere. Sed longè evenit, quod putabant. Quoniam propter aëris & maris tempestates nullatenus Veneti exercitui suo maris pane nec victualibus succurrere potuerunt. Quin immo obsidentes inediâ sunt obsessi, & ob id illos oportuit mutare sententiam, & solutis Galêis in Portum Jadræ evadere, & illuc stationem facere. Quam quum firmassent, ex ea continuò in Jadram bombardarum lapides projiciebant. Et interim visum est Capitaneo ad Arbenses mittere X. Galêas, ut se ditioni Venetorum subjiciant, casus aliorum Dalmaticorum recensendo, ad quos quum derivasset oratio, ab aliis sumto exemplo, non credentes posse resistere, quia Arbe immunitior est Trahu, & Sibinico, Capitaneo se dederunt Arbenses nomine Communis Venetorum. Cujus factâ intratâ & notitiâ Venetias destinatâ, illuc pro Rectore miserunt Franciscum Contareno, qui cognomine dicebatur Daldely.

Post ista Senatus Venetorum properè armare jussit alias IV. Galêas, quibus præfecit ex Populo Zaninum de Arduyno, Nicolaum Tayapetra, Nicolaum Raynerii, & Zaninum de Jadra. Et illas cum magnis copiis victualium repertum misit Capitaneum suum armatæ. Cui imposuerunt, quòd immediatè recepto mandato à Jadra discederet, & Trahu ad expugnandum properaret. Sicque factum fuit. Qui quum Trahu applicuisset, comperuit Januenses ibidem factos fortiores tum victualibus, tum loci apparatu, ubi per multos dies tentans locum expugnare non valuit, quoad deficientibus victualibus inhonoratum oportuit ab obsidione discedere. Et ex hoc defectu Capitaneus usque Polam accessit, Ducali Dominio significans de inedia & frigoribus, quibus nautæ nec armigeri convivere poterant, atque supplicans quòd dignaretur armatam totam hyematum venire Venetias. Quod illi fuit denegatum in totius Communis & hominum armatæ damnum & excidium manifestum. Quorum balisterii atque remiges frigoribus & inedia pæne consumti sunt. Et qui remanserant, discrimina fugientes, ad aliena sunt migrati, ut est moris. Verùm iterum dum Venetiis pæne frumenta deficerent, deliberavit Senatus Venetorum pro illis mittere in Apuliam, multas naves hujuscemodi rei causâ præparando & mittendo. Mandans Capitaneo suo prædicto, quòd dictas naves associaret. Sicque factum est, & in Apulia navigatæ vix frumento oneratæ sunt, cum illo Venetias revertentes, armata prædicta in Histria remanente. Ex qua de omni stolo plures inermes Venetias destinavit, sibi deficientibus hominibus & victualibus quibuscumque. Nam per omne tempus hyemis infinita pecunia à Venetis fuerat expensa, & incassum. Et adveniente tempore novo, ubi fortior fieri debuerat armata, diminuta est, & quasi interiit.

Perpendente Ducali Dominio Venetorum rem suam publicam graviter oneratam, maximè deficientibus hominibus armatæ, tam nautis, quàm armigeris, ne in pejus incideret, visum est illi pro reformatione dictæ suæ armatæ alias XI. Galêas denuo armare cum multis navibus & Chochis mittendis in Apuliam ad onerandum frumento & aliis victua-

ctualibus necessariis, ac Supracomites illis ordinare, videlicet Danielem Bragadino, & alios decem Nobiles Venetos. Cum quibus etiam visum est Chocham unam mittere remis & armis onustam pro navigando in Cretam, ubi Galéas armari jusserat Senatus Venetorum mense Martii MCCCLXXIX. Ad quarum securitatem navigantium dum Capitaneus armatæ Venetorum procederet, insurrexit tempestas maris ex transverso suborta ex Illyricis, propter quam dicta Chocha armis & remis onusta in Picœnum delapsa est cum una alia navi grossa, quam patronizabat Antonius Blanco, ubi comperta est etiam quædam alia Chocha Venetorum de Suria proficiscens chotonis onusta, quæ fortè illuc per triduum ante constiterat. Quibus quidem Chochis tempus exspectantibus, ut iter suum arriperent, supervenerunt XII. Galéæ Januensium; quas quum vidissent à longe nautæ Venetorum, deliberaverunt pretiosa quæque intra Civitatem Anconitanam collocare; & homines ad defensionem navium se parare. Quod quum Picœni perpendissent, persuaserunt Venetis, ut non deberent aliqua de navibus removere, pollicentes securitatem omnium rerum & navium suarum in Portu suo tantùm: ad quæ verba Veneti securati manserunt. Continuò Januenses Portum intrant, & in terram descendentes cœperunt illecebris oblectari, & exinde concepto dolo naves proprias ascenderunt, ut impetum facerent adversùs Naves Venetorum. Non perpendentibus Anconitanis de intentione Januensium, ipsi Januenses ad arma currentes, murum & Turrim Portus ceperunt in custodiam, quia Anconitani de Januensibus non dubitabant. Et captis Chochis Venetorum, illas extra Portum conduxerunt, nullâ factâ molestiâ classibus Anconitanorum. De hoc Anconitanis Veneti conqueruntur, quòd eis non fuerint servata promissa, qui dixerunt, non audere contra Januenses arma sumere; nec voluerant, quòd Veneti juxta muros suas Chochas adducerent, asserentes se neutrales intra Venetos & Januenses. Ex quo Januenses dictas Chochas Venetorum extra Portum tractas expilaverunt, & supposito igne illas incenderunt, & illâ exceptâ chotonis oneratâ, quam secum traxere jam dicti usque in Portum Jadræ, & ex illa hora Veneti Picœnos infensos habent.

Regrediamur ad scortam reliquæ classis Venetorum, & ad Capitaneum armatæ, pars classis cujus in Manfredoniam ad onerandum frumento cum eodem Capitaneo remansit, & reliqua pars dictæ Classis in Barletam applicuit. Ubi dum nautæ in terram more solito edendi & bibendi causâ descendissent, evenit quòd inter nautam unum, & terrigenam quemdam, rumor excrevit; & undique concurrentibus tam alienis quàm Civibus, cædes & percussiones mutuæ fiunt. Quibus nisi Rector loci ac Supracomites obviassent, pejus sequutum fuisset. Navibus tamdem nautis impressis sedatus est rumor, & illis oneratis statim recesserunt; à Barletaque solventes Manfredoniam navigarunt, ubi suum invenerunt Capitaneum. Qui ordine dato cum omni navigio illinc solvit, & in altum navigans versùs Venetias mane diei unius Januensium Galéæ XV. mari illuxerunt armatæ Venetorum insidiantes. Quibus visis præfatus Victor Pisani totam ejus armatam ad bellum ordinavit adversùs inimicos jugiter navigans. Et ecce quum per jactum balistæ partes appropinquassent, exonerantur bombardæ hinc inde, & spicula balistis emittuntur. Ex quibus Vicecapitaneus Januensium sauciatus occubuit. Victor autem Pisani Capitaneus Venetorum vita donatus est beneficio unius piroli argentei deaurati, in quem veretonus unus balistæ emissus repercussit, ita ut intra viscera nequivit adire. Januenses à Venetis potentioribus oppressi coacti sunt illis terga monstrare, & Galéis suis Jadram appetere. Veneti quoque duabus rationibus illos insequi dimiserunt: prima, quia Galéæ Venetorum grossiores erant & pigriores; secunda, quia oneratæ erant frumento & aliis victualibus; & propterea ad destinatum iter illis relictis, Venetias contenderunt. Et quum Polam pridem advenissent, naves frumento oneratas Venetias ire securarunt. Quibus Venetiis applicatis, Senatus deliberavit alias V. Galéas armare. Nam noverat omnem Januensium classem apud Illyricos laborare. Sicque illis Galéis V. armatis præfectus est Carolus Zeno, non dissimilis Victori Pisano. Cui per Senatum suum commissum fuit, ut cum illis contra Riperias Januæ navigaret, ad damna & exterminia Januensium die noctuque insistendo. Quod nec minus fecit, quàm sibi imperatum esset. MCCCLXXIX. die I. Januarii dum Polæ Victor Pisani applicuisset cum XVI. Galéis subtilibus & V. grossis frumento oneratis, quæ quidem armatæ erant ad binos per bancum, necessarium visum est oportere aliquas palmizare, quare de præsenti in terram protractæ sunt. Quibus sic manentibus quodam mane apparuerunt XIV. Galéæ Januensium supra Portum illum per milliare, enses evaginatos in altum convibrantes more navalis belli: quo pugna hosti nuntiatur. Posuerant autem Januenses dolosè in excubiis alias X. Galéas post montem non multum à Pola distantem, quæ inscio Ducali Dominio ac Capitaneo Venetorum fuerant à Senatu Januensium in subsidium aliarum apud Illyricos destinatæ. Victor Pisani Capitaneus Venetorum, has apparentes videns, dubitavit de fraude concepta, nec curabat bellum inire, nisi reliquas in terram pro palmizando actas secum haberet. Sed hortatu & persuasione aliorum suorum clamantium, suas illas ad bellum ordinat, & contra inimicos enixè navigans in illos impetum fecit. Qui se retro adducentes, ut excubantibus Galéis appropinquarentur, idem Victor Pisani bello acriter insistens cum sua Galéa ad Capitaneam Galéam inimicorum se conjungens, Lucianum Oria Capitaneum Januensium spiculo transfixum interemit, & superveniens Donatus Zeno dictam Galéam expilavit, & ibi utrinque viriliter pugnatum fuit; donec egredientes Galéæ X. de excubiis, quæ ut supra post montem latitaverant, in hostes viriliter corruerunt. Galéæ verò Venetorum, tam quæ primò processerant quàm etiam aliæ quinque, quæ superfuerant à palmizando, jam bellum ingressæ, videntes dictas X. Galéas Januensium de latebris ad bellum magno cum impetu navigantes, fugæ consuluerunt, Capitaneum suum ibidem relin-

linquentes. Quod Victor Pisani advertens infremuit, suorum fugam detestans, qui se invitum in bello conduxerant. Et intra se cogitans, postquam victoriæ nullam spem vidit, cunctis suis bello admodum fessis, & quia X. illas inimicorum Galêas viderat ad bellum redeuntes accurrere, conceptâ fugâ de medio inimicorum vi se eximens evasit, XV. Galêis Venetis in manus Januensium derelictis, ex quibus aliquæ in terram percutientes homines salvos fecere. Verùm Januenses victoriam assequuti, quamplures igne cremarunt, & reliquas secum in Portum Jadræ victas traxerunt, cum duobus millibus nautis captis ex melioribus Venetorum, reliquis gladio & aquis interemtis, non tamen absque strage Januensium, ex quibus ferè CCC. sauciati interiere, Anno currente MCCCLXXIX. die Veneris VI. Maji. Post quæ in Venetiis superveniens præfatus Victor Pisani armatæ Capitaneus cum illis V. aliis Galêis ad bellum properantibus, quarum Supercomiti fuerant Michaël Steno, Johannes Trivisano, Francischinus Mocenigo, Henricus Dandulo de Candia, & Petrus Præmarino, à Venetis carceratus est, jam dictis quinque Nobilibus additis sibi. His namque diebus Senatus Venetorum alias VI. Galêas paraverat ituras in cursum ad damna & opes suspectorum, qui post conflictum excesserant, mala multa Januensibus inferentes. Et tamdem Carolo Zeno aliis cum Galêis se conjunxerunt, quarum VI. Galêarum armatores nominantur Francischinus à Bocholis, Johannes Barbo, Petrus Quirini, Nicolaus Zeno, Michaël Delphino, & Aloysius Dandulo, X. Junii ejusdem millesimi.

Januenses post victoriam suprascriptam Jadræ applicantes immediatè carceribus mancipaverunt omnes Venetos Nobiles & Plebejos tam balistarios quàm remiges. Ceteros autem Sclavos, Græcos, Dalmaticos, nationumque aliarum Galêis captis imposuerunt, illas ex talibus atque Sclavis & aliis, qui de Janua mittebantur, armantes, ita quòd miro in modo paucis inde diebus aucta est Januensium armata usque ad numerum XLVIII. Galêarum & Galedellorum IV. peroptimè armatorum. Januensium armata validior facta præmisit de Jadra in Histriam XVI. Galêas, quæ pridem Ruignum adventantes, deinde Gradum, & exinde Caurolas, parvo commisso prœlio loca illa in deditionem habuerunt. Ex quibus per omnem guerram præsentem solum Gradi Terra extitit habitata. Subinde verò Galêæ prædictæ videntes Chocham unam de Soria chotonis oneratam maria versùs Venetias sulcantem, omnibus derelictis ad illam animadvertunt. At illa aufugiens Venetias properabat, usque dum distaret à Venetiis per medium milliare Theothonicum, cognovit ventos & aquas non sibi congruas supra Fuxam, & perinde discurrere se permisit supra Mathemaucum juxta terram per unum milliare. Et tunc Patronus in batellum ascendens cum suis marinariis in terram evasit, Chochâ derelictâ, quam Januenses cum tribus ex dictis Galêis appropinquantes, & nullo sibi contradicente ascenderunt, & illam spoliaverunt, ac igne subinde cremarunt Populo spectante Venetiarum, qui pro majori parte ad litus Sancti Nicolai convenerat potiùs ad spectaculum quàm ad Chochæ defensionem, non absque dedecore illius, quoniam si ibi adstantes animo non defecissent, de levi cum barchis armatis dictæ Chochæ succurrere potuissent, quam patronizabat Thomaxius Mocenigo. Quod quidem Venetiis misere contigit in die Paschæ Maji ejusdem Millesimi memorati. Chochâ illâ igne focatâ, dictæ tres Galêæ cum præda ad alias se contraxerunt, quæ insimul navigantes versùs Clugiam applicuerunt Palistinam. Et descendentes ex Galêis, illam igne cremarunt, & in Galêis redeuntes, atque exinde navigantes usque Clugiam processerunt. Quo quum applicuissent, positis scalis in terram Clugiam parvam derelictam intraverunt, & supposito igne cremarunt. Quod videntes stipendiarii Venetorum intra Clugiam positi egressi in hostes bella pertractant. Adversùs quos Januenses in arma erecti bella reiterant. Sic utrinque fiunt cædes & vulnera. Tamdem stipendiarii Venetorum retrogradientes intra Clugiam se continuerunt. Verùm si Januenses Portum agnovissent, dies illa uni victoriam, & alteri excidium peperisset. Sed quia nondum venerat hora ejus, in aliud tempus protractum est fatum. Januenses his actis solvunt, & in altum navigantes, in Marchiam Anconitanam ire contendunt causâ commessationis ac commeatuum sibi deficientium, & insignia Venetorum per aquas pertrahendo, se tamdem cum suis aliis conjunxere Galêis.

Senatus Venetorum videns dietim inimicorum Januensium armatam excrescere, dubitavit illis obviam mittere, Galêis suis Gulfi absentibus, nec non & aliis Galêis Caroli cum aliis in cursum missis. Et capto consilio deliberavit custodire Portum, & Galêas XV. armare, quibus præfecerunt Thaddæum Justiniano ad custodiam Portus. Nec potuerunt Veneti nisi VI. armare, quia Populus Venetiarum illum odio habebat, nec minus gravabantur captivitate Victoris Pisani, qui, ut præmittitur, captivatus detinebatur in Venetiis. Veneti Portum solicitantes, duos bastiones de lignamine grosso unum à dextris, & alterum à sinistris, farcitos balisteriis atque bombardis satis multis construere fecerunt, cum una catena à latere quolibet Portus pertingente, facta grossissimis sandonis de lignamine grosso massiccis in ordine ad parum stantibus, uno ad alium per longum adimplentibus dictum Portum, atque cum tribus grossissimis catenis de ferro contextis per intra dictos sandonos: & quilibet eorum habebat duas magnas anchoras ad singulum caput, ut aqua intrans vel cedens illos movere non posset, cum grosso inde spontono dextro super aquam per quemlibet sandonum ex dictis. Et pro majori securitate Portus Senatus Venetorum jussit tres Chochas ex majoribus armatas adduci supra catenam prædictam imbattajatas, corioque coopertas, & graticciis vallatas ad defensionem ignis & bombardarum, magnâ in illis additâ balistariorum copiâ; fieri mandans etiam unam foveam magnam ad transversum litoris memorati juxta Ecclesiam Sancti Nicolai cum uno grossissimo palancato ex muralis integris, cum multis belfredis desuper, & bombardis respicientibus versùs Mathemaucum, & gentibus ad custodiam infinitis. Et insuper pro ma-

majori firmitate & securitate formaverunt quamdam bastitam ad Portum Mathemauci cum duabus Chochis ad transversum illius Portus imbattajatis ut supra. Et ibi Capitaneum constituerunt Jacobum à Caballis Militem Veronensem cum infinita gente armigera stipendiariorum, ut gens inimica Januensium illac cum navibus suis transire non posset Poneyam, vel Mathemaucum ad inferendum damna Civitati Venetiarum. Interim se firmante Thaddæo Justiniano Capitaneo dictarum Galéarum cum VI. Galéis quandoque in Canali Sancti Marci & quandoque in Portu Sancti Nicolai, quarum armatores erant Thaddæus Justiniano, Marcus Mauroceno, quondam Zufredi, Andreolus Baxilio, Vilielmus Quirini, Aloysius Mauroceno, & Rhemigius Superantio. Ceteras autem plures in Canali Sancti Marci ad Ripam Senatus Venetorum Galéas disposuerat remis & omnibus corredatas, cum munitione de biscoto, & aliis quibuscumque necessariis per multos dies. Quas sic ad Ripas Sancti Marci præparatas retinebant, ut quoties opus esset, illas præparatas ascendere possent.

Regrediamur itaque ad Januenses, qui neque dormientes etiam armatam suam vigilabant versùs Venetos adducere. Unde quum Jadræ dictæ XVI. Galêæ advenissent, semper de cetero Januenses curaverunt cum tota armata illinc solvere, & cum Galêis XLVIII. & Galedellis IV. peroptimè armatis versùs Venetias navigare. Et die Sabbati quodam summo mane VI. Augusti supra Venetias apparuerunt, & versùs Clugiam navigantes, illius Portum intraverunt circa Tertias cum innumerabilibus Banderiis, tanto cum clamore & apparatu, quòd orbis ille totus dissolvi penitus videbatur, jugiter clangentibus atque stridentibus tubis ductilibus & bistortis cum omni genere musicorum. Quorum Capitaneus erat Petrus Auria Januensis, qui in campo se firmavit intra dictum Portum ex opposito terræ Clugiæ per jactum bomdardæ.

Carriger Paduanus Franciscus Senior die VII. dicti mensis accessit personaliter per viam de Castro Caro & Brentæ Veteris usque ad Turrim de Monte Albano per Commune Venetiarum detentam cum L. Ganzarolis armatis insigniter, & omni suo sfortio gentium armigerarum, & guastatorum. Quæ omnia per ante præparaverat, hunc exspectans diem festum, quo se cum Januensibus adversùs Venetias conjungere posset. Quod facere non valens propter dictam bastitam, concepit cum guastatoribus suis de præsenti foveam unam confici facere, & effodi jussit tantum supra eamdem bastitam, quòd balistæ vel bombardæ guastatores suos lædere non possint. Et cum tali fovea Paludes traversavit usque in Canale, quod ducit ad Turrim Nasaroli, causâ per eam ducendi ganzarolos suprascriptos. Et durabat per medium milliare, & in meridie completa est. Qua peracta pars prædictorum iter arripuit ad dictam Turrim Nasaroli, quæ ultro reddita est, erantque in ea XVIII. Clugienses, de quibus aliqui Paduam profecti sunt, & aliqui Clugiam remearunt, qui continuò carceribus mancipati sunt.

Dicta itaque die VII. mensis prædicti Senatus Venetorum adventum sentiens Carrigeri prælibati cum L. ganzarolis armatis & multis gentibus, quemdam Nobilem suum Johannem Ciurano Capitaneum quamplurium barcarum contra prædictum mittere procuravit, ne intrare posset ad armatam & stolum Januensium in aquas salsas. Sicque factum est tota die illa, ut Carriger ingredi non posset. Sed adveniente nocte Ciuranus ille locum dereliquit, & Clugiam dormitum venit. Quo remoto Carriger suas insomnis agens noctes, non curans stertere pulvinaribus, per Canale illud & Paludes salsas aquas intravit impigrè, seque cum securitate conjunxit armatæ Januensium & Januensibus plura exenia recentia contulit. Et subitò nocte illa præparari fecit unum grossum bastionum ad buccam fluminis, sive Canalis illius, ut exitus & introitus sibi ultro citroque patens foret, juxta illud vulgare proverbium Tarvisinum: ***Antiqua vulpes non intrat tanam novam***. Nec mireris, olim quod vulpes ægroto cauta leoni responderit: ***Omnia te adversum, vestigia nulla retrorsum me terrent***. Per quam quidem viam vafer Patavus exercitui suo ac toti armatæ & stolo Januensium de victualibus succurrebat ac omnibus necessariis. Quæ quum ad aures Venetorum attigissent, miserunt acceptum Johannem Ciurano prædictum, & ex causa prædicta quum ad præsentiam Ducalis Dominii fuisset præsentatus, carceribus mancipatus est usque per annum, ac condemnatus in multa pecuniæ quantitate. Ceterùm ex quo armata Januensium illic immorata est, barchetæ parvæ Venetorum noctis tempore per rivulos versùs Castrum Salinarum Venetias properabant, literas & nova portantes, & reportantes. Et isto modo clausis Portibus Sancti Nicolai, & Mathemauci cum bastita fecerunt etiam Veneti claudere Portum Clugiæ, videlicet buccam Canalis tendentis ad terram, construi facientes unum grossum bastionum ex rudibus museolis super siccam juxta Canale tendens in Clugiam, grossâ quadam nempe Chochâ in medio stabilita Canalis ex opposito bastitæ magnopere imbattajata, atque graticciis circumdata & coriis stabilita villosis, nec non & balistariis Venetis atque bombardis infinitis, ordinata cum grossis paladis per transversum Canalis ante dictam Chocham, ita quòd Canale prædictum munitum erat valde. Nec cessabant Galéæ Januensium bombardare, & alia bellica instrumenta adversùs Chocham & bastitam emittere, existente Clugia magnificè stipendiariis ac paraschermis & batellis munita ad defensionem & offensionem faciendam.

Januensibus itaque, ac Carrigero Paduano videntibus hanc Chocham & bastitam per ante fortissimam, dubitabant ipsi illas à parte anteriori posse confligere. Et ob hanc causam deliberaverunt à parte posteriori illam impetere, ut terræ magìs adhærerent. Die verò IX. Augusti Januenses extra Portum Clugiæ adduxerunt XII. Ganzarolos ex illis Carrigeri Paduani usque per medium minoris Clugiæ. Et cum magna quantitate burclorum tragettaverunt omnes gentes armigeras Carrigeri prædicti, & Patriarchæ Aquileiensis colligatorum ad exterminium Venetorum; de Padua proficiscentes etiam ad bastionum per Carrigerum factum, ad buc-

A buccam fluminis Nasaroli applicantes, transvehebantur ad litus minoris Clugiæ. Quumque omnis gens armigera prædictorum translata ut supra, & in terram posita foret, exercitum firmaverunt Januenses in minorem Clugiam, & cum omni adjutorio exercitus terrestris & maritimi Januensium prædictorum per terram vi extrahere cœperunt atque protrahere XII. illos Ganzarolos Carrigeri prædicti ultra litus & monticulos Clugienses mirabilibus cum ingeniis, & illos adduxerunt in Canali magistro Clugiæ, ubi obstabat Chocha & bastionus Venetorum. Quo quum pervenissent XII. illi Ganzaroli pulchrè fulciti, tantis cum instrumentis & clamoribus invadunt, quòd æthera corruere videbantur, non absque gravi cura Venetorum introrsum ad defensionem consistentium. Illa namque die elevati sunt in litore Clugiæ parvæ duo Mangani per gentem Carrigeri & Januensium, rotantes saxa versùs Chocham & bastionum Venetorum per costam. Nec non plantaverunt plurimas magnas bombardas etiam per costam, ut supra lapides corrotantes. Galéæ autem Januensium utique per ante bellantes adversùs Chocham & Bastionum Venetorum concertabant, & cum duabus illis Venetorum, quas Polæ ceperant, armatis, & undique graticciis vallatis, & camatatis per totum cum coriis, & aliis pluribus bellicis instrumentis fulcitis quammaximè ad immittendum ignem, earum armatis arboribus cabiis posticciis. Et has duas Galéas taliter præparatas & grossas præmittebant ipsi Januenses continuò per Canale versùs Chocham Venetorum, & per terram restatores, in fortitudine brachiorum suorum illas per aquas Canalis prædicti deducebant. A parte posteriori XII. illi Ganzaroli Carrigeri Paduani navigantes non cessabant continuè bombardare adversùs dictam Chocham & paraschermos Venetorum. Qui & illi mutuis vicibus bombardabant, & balistis se tuebantur, sed incassum. Nam vi magna expugnata est Chocha illa cum bastita, manganis atque bombardis illa numquam fallentibus, & importunè ac immisericorditer decertantibus. Continuò autem Veneti animadvertentes ibi stare non posse, ut, si quid frugi esse posset Januensibus, non reperiret, supposito igne omnia in cinerem sustulerunt, se ad Ecclesiam Sancti Dominici juxta Clugiam reducentes, & in fortilitiam se ponentes XI. Augusti ejusdem Millesimi atque anni memorati.

Post ista omnes egressi de Chocha & Bastiono reducti Clugiam, sive ad Sanctum Dominicum in Canali juxta Monasterium, armaverunt repente tres grossos Maranos cum multis bombardis & balisteriis, ibi se palatis & aliis se fortificantes. Januensibus cum dictis duabus Galéis grossis præparatis præmissis, & aliis subsequentibus continuò cum bombardis & balistis adversùs Venetos se fulcientes & fortificantes, trahentibus mirabili & cum stridore acclamantibus: *Ah Veneti! destructi & consumti estis, manus Januensium evadere non valentes*, atque illac transeuntibus, ubi Chocha & Bastionus Venetorum fuerant derelicti & igne cremati. Verùm ad custodiam Januensium VIII. vel X. Galéæ ipsorum extra Portum Clugiæ per unum milliare semper excubabant, ne Veneti subsidium vi vel clandestinè Clugiensibus ministrare valerent aliquid. Verùm Veneti & Clugienses videntes exercitum terrestrem Carrigeri Paduani, atque Patriarchæ Aquilejensis retrocessisse, maximè lætati sunt, acclamantes versa vice: *Ah miseri Januenses, Patavi, atque Furlani proditores! ut decuit, in carcerem introistis, nec manus nostras evadetis, quin vitam & cuncta vestra amittatis omnino.* Qua in die exercitus omnis terrestris atque maritimus pugnam ingentem cœpit in capite Pontis versùs Clugiam parvam contra gentem armigeram & balisterios Venetorum, qui Pontem egressi ad pugnam viriliter decertabant. Ubi tamdem excrescente potentia Januensium & aliorum consociorum, Veneti retrocedentes per Pontem revertebantur in Clugiam. Quos tanto cum furore inimici insequebantur, quòd Caput Pontis fortificatum cum fossa & ponte levadorio, atque belfredo, coacti sunt Veneti inimicis suis prædictis relinquere, vellent, nollentque. Interim supervenit à parte Brondoli copiosa hostium acies, qua propinquante hostes ab utraque parte cum tumultu maximo contra Venetos se moverunt. Veneti verò reassumtis viribus atque spiritibus, excellenti cum vigore, atque spe & virtute in eos taliter irruerunt, quòd hostes dare terga, & ignominiosam fugam per Pontem quærere coacti sunt. Veneti insequuntur eos morte, & captivitate hostium prædictorum; sed Ponte confracto ex hostibus & Venetis aliqui in aquam absorpti armati & inermes, aliqui capti sunt, circa CCCXL. vel circa in mari suffocatis, nonnullis gladio peremtis, & plurimis sauciatis. Inter alios perierunt in mari Thomas de Goano Capitaneus gentis armigeræ Januensium, & aliqui patroni Galéarum, & aliæ personæ Nobiles. Et ni Pons diruptus fuisset, Veneti simul cum Januensibus Civitatem intrassent. Quo die subsequenter tres Januensium bastitæ per Venetos captæ sunt.

Januenses suorum confusionem cernentes, relicto Brondulo igne supposito, nec non in XI. suis Galéis subitò recesserunt. Quod miraculosè dicitur evenisse; quum quidam vir habitu & persona honestus parte Victoris Pisani Capitanei maris Federico Cornario Supracomiti ad custodiam Sancti Blaxii existenti nuntiaverit nocte sequenti ignem in signum elevari, quo viso Victor Pisani inscius est miratus, & Januenses de Brondulo recedentes in Clugiam transmigrarunt. Nec miretur quis, quum & in consimilibus similia miracula prodierint, ex quorum magno numero referam tamen duo. Nam apud Lacum Regillum quum Aulus Posthumius Dictator, & Tusculanorum Dux, & Manlius Octavius magnis inter se viribus concurrerent, & neutra acies aliquandiu pedem referret, Castor & Pollux Romanarum partium propugnatores visi hostiles copias penitus fuderunt. Quod & Aragonum Regi Christianissimo accidisse clarè constat in bello, quod habuit adversùs Valentiæ Regem tunc Maurum, titubantibus Christianis propter Maurorum multitudinem, in quo bello pro Christianis Beatus Georgius visus est potenter & viriliter dimicare: ex qua dimicatione absque ulla sanguinis effusione Regnum prædictum à Christianis obtentum est, & præ-

præsentialiter obtinetur. Quid attinet dicere? Januenses & Patavi intra Clugiæ mœnia sunt inclusi, ita quòd nec mittere, nec recipere nuntios possent, ni fortè à Carrigero, qui & raro ad illos nuntios misit vel recepit. Nec profuit, quòd Galeæ Januensium per tres vices numero XXXVII. in succursum se præsentassent, stante unita potentia Venetorum, atque consilio & virtute sui Ducis Andreæ Contareno. Ecce die XXI. Junii MCCCLXXX. Tisius Cibo Januensis Capitaneus, & aliqui alii Nobiles Januenses, spe omni privati ad Venetiarum Ducem prædictum accedunt, illi sponte restituentes Civitatem & personas suas, & alterius cujusque nationis ad numerum quinque millia ad carceres, & bona eorum ad prædam. Dux Venetorum, cunctis dispositis tam ad ordinationem Clugiæ, quàm etiam ad insequendum hostem Paduanum, & alias Galeas Januensium, Venetias cum lætitia & triumpho maximo est reversus, & in suo Palatio magnificè sociatus, priùs solutis votis ac gratiis Omnipotenti Deo, Beatoque Marco apud Altare magnum Beati Marci, ductis ad carcerem Capitaneo Turris Bebiarum, quam Januenses detinuerant, Ambrosio de Auria, & sociis existentibus in eadem. Quo scito qui erant Januenses ad bastitam Molendinorum utrorumque Clugiæ, & ad Turrim Nasaroli, igne supposito, relictis omnibus fugerunt.

Post factam pacem inter Venetos & Januenses, ac eorum complices & sequaces, totamque magnam Ligam apud Turinum per Comitem Sabaudiæ, cujus filius modò Sabaudiæ Dux intitulatur, re publica utriusque Communitatis assiduis guerris graviter conquassata, Veneti vacuefacti pecuniâ, intendentes vacare mari, cujus beneficio Venetiæ ex parva casula insignis Ducatus evaserat, consilio capto deliberaverunt Terram firmam relinquere, hoc est Civitatem Tarvisii, quam ferè annis XL. possederant, cum universo territorio Tarvisino atque Cenetensi, & illam Leopoldo Duci Austriæ genero Barnabovis de Vicecomitibus de Mediolano dare atque transferre, non pecunia, præmio, vel precibus, vel amore, sed ut cum inimicis suis de inimicis suis vindicarent. Ex qua causa Oratoribus hinc inde destinatis res ipsa perficitur. Cujus fama per Orbem circumvolat incunctanter. Quo audito Carriger dolet, & æmulus Barnabos è contrario conlætatur. Hinc inde adstruuntur insidiæ. Leopoldus Dux Austriæ se parat Tarvisii possessionem accipere. Carriger se illius fingit amicum, & undique laqueos parat. Et inter ceteras fraudes Theotonicum quemdam viatorem atque monoculum parat cum insignibus Ducis Austriæ, per quem Rambaldo de Collalto Comiti Tarvisii viro magnæ præstantiæ atque virtutis literas Bulla dicti Ducis Austriæ falsò bullatas & subscriptas mittit, quibus Leopoldus Dux Austriæ videbatur illi scribere, quòd venturus ad capescendum omnem potestatem Tarvisii sibi à Venetis traditi, intendebat ejus consilio uti ad destructionem & exterminium Carrigeri Paduani, cui capitaliter inimicabatur, ut noverat. Nuntius monoculus Collaltum evolat, quem quum animadvertisset Gabriel de Solagna cum insignibus Ducis Austriæ

A Rambaldum Comitem appetentem, concepta fraude illum misit ad Comitem, quia Castrum illi erat in custodia traditum. Nec moratus, custodiâ in præsenti relictâ, transit ad Comitem, & illum nuntio prædicto applaudentem invenit. Ad quem quum Comes visum inflexisset, Gabriel oculi nutu in nuntio fraudem ostendit. Nuntius jussu Comitis recreatum mittitur, & Comes ad Gabrielem ait: *Quid mali huic inesse suspicamini?* Tunc Gabriel: *Magnifice Comes, hiccine est intellectus tuus? qui cuncta soles penetrare consilia; num ne tam obæsus & crassus, ut tot & tantis temporibus retroactis nondum Carrigeri percipis fraudes, quibus molitur semper cunctorum consilia denudare, cunctis suo semper aliis*

B *incognito? Quid scis, an iste hic nuntius, licèt talibus exornatus insignibus, verus sit, an fictus? Cave, & iterum tibi dico cave, quoniam nisi fidaveris, decipi non potes*. Comes aliàs astutissimus in se reversus, quia

------ *aliquando bonus dormitat Homerus*,

dubitavit, an fraus intercessisse potuerit, & nuntium ad se vocatum licentiavit, respondens, quòd ad Ducem Austriæ per proprium nuntium respondere curabit. Nec multo post Leopoldus Dux Austriæ Feltrum & Civitatem Belluni tunc dominio suo suppositam accessit. Qui Comes Rambaldus obviam pergit, & ab illo in Civitate Belluni, ac Civibus Gibellinis & Guelfis etiam, est magnificè

C susceptus. Dumque illi præfatas literas ostendisset, de illis ignorare confessus est; & omnibus accitis Cancellariis ab eis exquisivit, an ex sua Curia tales emanassent literæ ad Comitem Rambaldum destinatæ, nec usquequaque comparuit, quòd ex se manassent. Tunc Dux multa animadvertere adversùs Carrigerum professus est. Qui tamdem Tarvisium veniens intratam fecit cum XII. millibus equis, illudque invenit quasi Civibus destitutum propter continuas & longas guerras, quæ interpolatim per XVI. annos actæ erant, & penuriâ maximâ fatigatum. Nam Sextarium frumenti tunc vendebatur

D Libr. XXIV. Plaustrum autem vini non minus quàm CL. Libr. denariorum parvorum. Qua quidem intratâ sic factâ, & dominio conquisito, in Civitate magnus insurgit applausus, & ad illam undique sui per aliena dispersi concurrunt Cives, & ruricolæ per aliena fatigati, nec non & alienigenæ multi, de gratia supplicantes ejusdem Civitatis concives fieri. Et in ea Magistratus ordinantur tam in Foro, quàm in Curia Antianorum, juxta ritus antiquos longo jam tempore destitutos. Loco guerrarum atque penuriæ tanta insit quies cum omnium ubertate victualium, quòd ab inferis credidisses ad superos evasisse. Verùm ubi modus & ordo rei pu-

E blicæ non obsequuntur, ut debent, de ruina jam creditur;

Non duraturæ conspecto sole pruinæ.

Comes insuper Rambaldus Tarvisii compertus, Proceribusque sociatus ad Ducem accedit. Comes satis domesticè vestiebat, videlicet tunicas longas juxta medium cruris de beretino pulcherrimo, stragulatas pellibus hædinis, vel alio panno secundùm tempus, cum gironis à latere, & desuper clamydem, cum quatuor tays panni floris pomi usque ad talaria. In capite autem Caputium alterius dictorum pannorum gestabat, sub

sub gula inaspilatum cum chordulis siricis ejusdem coloris, quibus infra brachia Caputium per spallas emissum conligabat, bireto desuper imposito panni dictorum colorum parvulo admodum. Caligas ferebat panni beretini vel bruni, breves cum longis alucis, & subtulares de curamine nigro uncto, desuper scissos, cum bragis & interulis magnis. Fuit homo rigidus in aspectu, auriculas habens magnas, sed mitis & affabilis cunctis amicis & domesticis suis. Verùm contra inimicos severus erat; mediocris staturæ, & in scientia doctissimus. Numquam edens vel bibens, nisi in prandio, vel in cœnis, uno tantùm semper contentus ferculo. Nec vina sumebat pura, nisi pro tertio fuissent exaquata. Pomiferis frugibus libenter vescebatur. Qui aliquando à Medico suo reprehensus, quòd illis nimis uteretur, petebat per quantum tempus illis ex frugibus usus, antequam commoreretur. Audiens à Medico quòd per decennium, respondebat: *Postquam evadere non possum quin semel moriar, nolo propterea has naturæ delicias ex toto relinquere, quo ad vivo*. Dux Austriæ illecebris illum multum amplexatur, de illo audiens, quòd dives foret, & ait ad Proceres suos: *Volumus visitatum ire Castrum hujus nostri Comitis Rambaldi?* Ajunt: *eamus*. Comes *utique*. Sed in fine dum multo seriò verbis finem dedisset, Dux se excusavit, & multi Proceres ibi adstantes similiter. Solùm quinque Milites, vel sex Bohemi de Societate Ducis Comiti dixerunt: *Si Dominus Dux & isti alii refutant, nos acceptamus. Et die Dominica proxima intendimus vobiscum in Castro vestro Collalti in cœnis esse & hospitio*. Tunc Comes ad illos: *Vos egregiè suscipiam*; & ordine in dictam diem dato Collaltum accesserunt sex Milites Bohemi prædicti cum LX. equis. Qui quidem Milites de mandato Imperatoris eumdem Ducem Austriæ associaverant usque Tarvisium. Dux autem Tarvisii remansit; & illis equo delapsis collatio parata est. Et ut brevibus me expediam verbis, collatio cœnam manducavit, qua collatione facta choreis vacant. Ibi enim omnes convenerant Dominæ nobiles & ignobiles in Logia juxta Plateam. Interim de cœna fit sermo, & aliud oportuit habere cogitamen. Nihilominus vulgare verbum est: *Massaria plena citò cœnam parat*. Instauratur, atque restauratur coquina, etiam in quadruplum habita proportione de collatione ad cœnam. Et ob id cœna usque in mediam noctem protrahitur. Qua superveniente, à choreis revocati discumbunt, epulantur, & variis atque multiplicibus ferculis & saporibus præter usum Comitis prælibati saginantur. Nec vina exquisita deficiunt, quibus Comes ille pretiosis semper abundabat. Tunc Milites in vina erecti, bibendo & rebibendo, non minus faciem rubent, quàm calcaria faciebant militaria. Nocte & cœna quasi in lucem protractis ad ignem surgentes, ova sorbilia quærunt, pro quibus Curia, Castro, & Suburbiis exploratis impleta est corba, quam duo ex familia Comitis humeris sustulerunt suis. Et ibi positis subselliis unusquisque ex suis proprio Militi servire contendit: ova per circumferentias prunarum distinguunt famuli, in mandatis habentes, ut quamprimum sudor emanasset, ad se darent, remota desuper paululum cortice ovi, ut illa faciliùs valeant infundere ventri. Mandata obsequuntur famuli. Item vina neque defuere post cœnam, ita ut Virginis verbo opus non esset dicentis: *vina desunt*. Quid vaco verbis? breviter corba & urcei omnes vacuefacti cellario reponuntur. Atqui alter infit: *Credo honestum fore, ut cubitum eamus*. Adducuntur Milites ad Zironum Curiæ, & ad cameram magnam Turris, ubi latè strata erant pulvinaria, & desuper operimentum siricum auro miro in modo contextum, igne in camera jugiter rutilante. Quibus dum Pincerna Comitis alias sibi contiguas cameras vellet ostendere, ut intra se pro libito collocarent singuli, bini, vel terni, dixere: *Sumus omnes consocii, & hujuscemodi pulvinar ingens est; sedeamus ergo in eum*. Et positi in rugam vix medium pulvinar impleverunt, calcaribus numquam repositis aureis, sed ad talaria rutilantibus suo more barbarico. Hi autem: *Heic optimè stabimus omnes sex: eatis omnes per vestra cellaria, nobis priùs exhibitâ phialâ unâ pro singulo ex Grespia Comitis*, quod est vinum phaleratum, suavissimum, pulchrum, & amœnum. Quibus præsentatis unusquisque Militum accepta sua illam ori propinavit. Et dum biberet, phialæ sonum ori & gutturi allidebat facientes *cloc cloc*. Quo sono Milites applaudebant. Nec ante illas deposuerunt, quin similes redderentur aliis è fornacibus modò convulsis; quibus exhaustis divino judicio soporati sunt milites eo in modo, quo pulvinari primò consederant, dormientes usque ferè in VI. horam diei. Qua hora excitati, vestitique, ac calcaribus coaptati, bella ceperunt pedestria, tamdiu se alterutrum calcaribus percutientes; sed operimentum magis ac sæpius, illud pæne in frusta laniarunt. Quo bello commisso descendunt in Curia, quibus Comes fit obviam. Illum de collatione priùs alloquuntur, quàm de sacro Missæ Officio. Fit collatio. Equos exposcunt. Adducuntur. Insiliunt, & ad Ducem Austriæ deproperant, avidi bella recensere, quæ fecerant. Dux auditis his, & illorum moribus conscius, illecebras agit, & illis applaudit, exspectans Comitis adventum, secum de gestis oblectari intendens. Comes re nuntiata Tarvisium equitat. Advenienti illi Dux ridet, & explorat de actis Militum, ad quem ait Comes: *Si vestri quidem hi Milites de cetero ad me diverterentur, pulvinar coopertum andromade præparare faciam*. Quo audito, Dux & Milites applaudunt magno cum boatu. Tunc celeberrimum festum pro die Dominica proximè ventura in Palatio ordinatur, ad quod Nobiles & ignobiles Dominæ invitantur, edicto jam facto, & foribus affixo Palatii, pro illa tamen die, quòd nemo nisi Militia fulserit, ad Choreas intret. Ubi dicta die festi DC. Milites connumerati sunt plurium Nationum, qui ad festa confluxerant.

Dux Leopoldus Austriæ prædictus Tarvisii apud Episcopatum moram trahens, Carrigerum exposcit, quòd aut Turrim per ante factam supra Silerem ex opposito Prati Nundinarum Tarvisii ad obsidionem, destruat, Asilumque, & Castrum Franchum, nec non & Anoaium cum Moscheta Queri, tempore guerræ illius & Venetorum capta, dimittat, vel exercitum suum circa Paduam exspectet. Ad

Ad quæ Carriger humiliter respondens dicebat, illa ab inimicis suis bello fuisse vindicata, & quòd illa justo bello poterat retinere; non sinens propterea cum Proceribus illius concordium inquirere atque tractare in tantum, quòd dato ordine de invadendo cum exercitu territorium Paduanum, ventum est in contrarium, & ad partes Asili, Castri Franchi, & Anoalis populatum discurrunt ad damna Tarvisinorum, quibus opem debuerant atque promiserant, si illi, Dominusque suus Dux Austriæ promissa observare voluissent. Qui namque Dux Leopoldus pridem tempore sui introitus super Eucharistiam in Ecclesia Sancti Petri de Domo ad Altare maius sacramento firmaverat atque promiserat Tarvisinis dubitantibus, ne illos in manus Carrigeri tamdem relinqueret, quod numquam Tarvisium illi vel ulli daret. Quòd si in contrarium faceret, posset meritò in posterum per frusta minutim incidi. Carriger videns Proceres dicti Ducis de die in diem recedere, & ad propria remeare, nullâ etiam obtentâ licentiâ, quia dicebant, non obstringi debere nec posse ultra terminum, quo Duci servire debebant, cœpit rescipiscere, & loca capta reformare, & gentes conducere armigeras, quæ dietim Tarvisium currebant. Tarvisini hoc videntes, Ducem stimulabant, quòd provideret. Ille relicto Comite de Duino pro Capitaneo Tarvisii in Castro dictæ Terræ, ac Bertholdo de Spilimbergo Potestate, Terram in manibus illorum ac Civium derelinquens, ad propria remeavit, promittens in brevi cum majori potentia adversùs Carrigerum bella parare. Et ad defensionem dictæ Civitatis Tarvisii ordinavit DC. equites Bohemorum, qui illic remanentes, plus mali quàm boni fecerunt. Gentes Carrigeri ad Turrim existentes, quotidie ad Portas discurrebant; similiter & aliæ suæ gentes Anoalis, Castri Franchi, & Asili currebant. Propter quod Tarvisini Turrim invadunt. Hinc inde spicula emittuntur: sauciantur, ac perimuntur quamplures utriusque partis. Nec tamen Turris capitur. Durante hac guerra ferè per triennium, Tarvisini perpendunt, quòd Comes de Duino tractat Civitatem Tarvisii dare Carrigero, & Oratores suos parant ad Ducem Austriæ. Inter quos fuere Jacobus Petonus de Azzonibus, Francischinus de Bursio Jurisperitus, Franciscus de Raymundo Notarius, Covolatus de Suzinaro Notarius, & alii plures circa XXIV. uniuscujusque Collegii atque Artis. Qui euntes & redeuntes verba dederunt, atque receperunt. Tamdem post multos tractatus tacitos & occultos factos per dictum Comitem de Duino, Vallis Mareni Castrum, quod dicitur Castrum Costæ venditum est Jacobo Spiritello de Civitate Belluni pro Libris XXXII. millibus per dictum Ducem Austriæ. Qui Jacobus dives & Civis existens, ut altiùs ascenderet, paternum capitale distraxit, & quum supplere non posset ad pretium conventum, oportebat incedere per mendicata suffragia. Et Comitem Rambaldum de Collalto sibi vicinum requisivit, ut sibi de certa pecuniæ quantitate succurreret. A quo non obtinens quod poscebat, comminatus est illi. Rambaldus Comes vir magnanimus, proavorum suorum vestigia imitatus, ad illum scribi fecit: *Innotescat tibi, Jacobe, quod olim Corvo notum exstitit, dum ad Pavonum aspirasset consortium. Nec obliviscaris magno constare solere pellem induere virorum illustrium. Tunc enim, Jacobe, tuis comminationibus expavescam, quum tanto tempore tu & descendentes tui tenueritis Castrum Costæ, quanto ego meique proavi Collaltum tenuimus.* Profectò, Magnifice Comes, cum securitate hoc dicere potuisti, quum progenitores tui ab excidio Trojæ citra in Collalto, quod tunc Colaudum dicebatur, sedem habuerint, ut in Chronica Veteri Paduana, quæ intitulatur *Palus*, clarè percipitur. De pretio siquidem conventum exstitit inter Ducem Austriæ, & Carrigerum, proxeneta existente Comite de Duino, qui pro LXXX. millibus Ducatis Civitatem illi venderet Tarvisinam atque Districtum, per ipsum Ducem possessam atque possessum. Quibus solutis, atque traditis etiam ultra prædictos XX. mille pro mercede & labore personæ prædictæ, dictus Leopoldus contra juramentum prædictum Civitatem Tarvisii & Districtum Francisco Seniori de Carraria vendere atque tradere fecit, & in vacuam illum possessionem inducere. Sed væ tibi Dux, quia pretium fuit sanguinis tui. Lento enim gradu divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat. Nam Dux habitâ dictâ pecuniâ paravit exercitum contra Svaiceros. Qui dum contra illos hostiliter perrexisset, ipse & sui omnes à prædictis fuerunt trucidati, & per frusta concisi.

Carriger magna cum lætitia, suum tamdem videns desiderium adimplevisse, Franciscum Novellum filium suum magna cum comitiva equitum atque peditum misit Tarvisium ad tenutam capescendam. Cui Populus Tarvisinus, lætitiam simulans, obviam pergit, & in Civitatem associatur, & in Castrum Tarvisii descendit, & per plures dies per Civitatem equitavit, & deinde Paduam rediit, relicto Potestate Francisco Docto Milite atque Doctore Legum, & Comite Morando de Prata pro Capitaneo Civitatis Tarvisii. Carriger Senior Nobilibus Tarvisii applaudens cœpit illos ad officia & provisiones advocare. His enim illecebris homines capiuntur, qui naturaliter honoribus & utilitatibus inhiant. Mittens Galetum de Straxio Feltrum, Tolbertum de Sinisforto Montem Silicem, Gerardum del Merlo (qui primus & ultimus domus suæ nobilitatem Tarvisii obtinuit) Serravallum, Jacobum Petonum de Azzonibus, quem militiâ decoravit, Paduam, Bonsemplantum de Vonico Opitergium, omnes pro Potestatibus dictorum locorum cum provisione decenti, & alios plures Nobiles & ignobiles per plura alia officia Tarvisinæ demandavit. Frumenta atque denarios Civibus Tarvisii concessit gratis ad seminandum, atque possessiones suas incultas reformandum. Nec quicquam omisit, quòd crederetur ad complacentiam cedere Nobilium atque ignobilium Tarvisinorum. Quumque fortuna in omnibus morigera Carrigero esset, & illi blandiens obsequeretur in totum, ad illum undique Cives & districtuales magnis cum applausibus confluebant. Inter quos Comes Rambaldus cum equis XX. Paduam accessit, quærens illius adire præsentiam. Cui nuntiatum exstitit, quòd ad hospitium iret; & quum vocaretur, ad Dominum acce-

accederet. Et audito verbo Comes fremens adivit Angeli hospitium, ibique quum triduo fuisset moratus, adveniens Carrigeri nuntius, illum accivit ad Dominum. Ad quem patre meo Thaddæo de Reduxiis de Quero sociatus, & aliis pluribus, Curiam pergens intravit. Quumque ad Portas Palatii attigisset, nuntiari fecit ostiariis, quòd Rambaldus Comes foribus adesset Domino loquuturus. Carriger sciens illum ad se venire, voluit reperiri magnificè sociatus omnibus Militibus, & Doctoribus tunc Paduæ repertis, atque aliis quibuscumque Nobilibus Paduanis, cum illis deambulans per podiolos ita studiosè, ut quum Comes illum adiret, jam ipse Carriger portam aditus pertransisset. Comes portæ fixus stetit, donec cuncti sequentes podiolos deambularent, & ex alio capite Carriger ventus ad portam diversorii sui illam intravit, cum quo & reliqui. Tunc Comes non exspectans, ut amplius vocaretur, illuc ingreditur, & Carrigerum videt sedentem in medio. Ad quem salutem & omnium suorum illic adstantium dixit, subjungens, quòd maximè lætatus esset, eumdem suum, & omnium Tarvisinorum Dominum advenisse, eo maximè quia potens, illustris, & sapiens foret, quæ & Principi & Populo præcipuè congruunt ad rem publicam quamlibet gubernandam, quæ profectò melius & nobilius sub uno Principe regitur & gubernatur, quàm sub pluribus, si modò contingat talem rem publicam gubernare, quia juxta Philosophi sententiam *pluralitas Principum mala est*. His & aliis dictis concludens dixit: *Te confiteor, veneror, atque amplector læto animo in Dominum, & protectorem, & tibi vitam, meque, & res meas, ac Castra committo. Et ecce claves. Jube, ut libet, quum tuum sit, & bene merito, imperia regere, meum autem jussa exsequi tua.* Ad quem stantem severus Carriger sedens respondit: *Tu malè veneris inimice noster; ut quid ausus es nostram adire præsentiam?* Ad quem ille: *Putaveram ad Carrigerum sapientem, & non iratum, venisse.* Tunc ille: *Mentiris, quòd ulla nostra lætitia gestiaris; nec claves ullas tuas oblatas nunc volo. Sed quum libuerit, tibi absque tuis clavibus Castra surripiam. Nec volo, quòd dicere possis, nobis sponte illas tribuisse.* His dictis mandavit, viatorem illum, qui sub insignibus Ducis Austriæ pridem ad eumdem Comitem cum literis destinaverat, ad sui præsentiam advocari. Qui illic præsto fuit. Tunc Carriger ad Comitem: *Agnoscis ne hominem?* at ille: *Agnosco. Hic mihi quondam Ducis Austriæ literam præsentavit, per quas adversùs te me quærebat adjutorem. Quid ex hoc?* At Carriger viatori: *Tu dic, qualiter te hic tunc suscepit.* Ait: *Comes iste, dum illi literas Ducis Austriæ præsentassem, per quas illum ad tui exterminium requirebat, me complexus est illecebris multis & ineptiis.* Comes neglecto viatore ad Carrigerum erectum inquit: *Non intelligo factum, nisi tu, quod non credo, tantam commisisses falsitatem in falsificari faciendo literas alterius tanti Domini.* Quo audito, nullum deinceps ad materiam verbum est habitum. Comes Carrigero licentiatus abscessit, & ad propria remeavit, patre meo Thaddæo Paduæ relicto.

Thaddæus de Reduxiis de Quero per Comitem Rambaldum de omnibus avisatus, & qualiter à Carrigero malè fuerat susceptus; nec non advertens qualiter quidam Johannes del Teyo de Faventia Capitaneus Castri-Novi Queri Galatium fratrem ejus à partibus Tridentinis proficiscentem cum pluribus paribus bovium, ut suas possessiones positas in Orgnano, Scorzadis, Sancto Ambrosio de Gryono, Galexio, Vascono, & in Plebe Montis Belluni, ac in Quero steriles & incultas propter guerras elapsas ad culturam redderet, malè & ineptè susceperat, & continuò ex territorio Plebis Queri licentiaverat, asserens, prædictos fratres Collalti commoratos numquam voluisse venire ad obedientiam Domini sui Carrigeri, qui jam diu Plebem Queri ante habitum Tarvisium tenuerat atque possederat, atque mandans dicto Galatio, quòd sub pœna crucis nec ipse, nec frater, vel alius de domo sua in Plebem Queri auderet accedere; ruricolis similiter præcipiens, quòd de possessionibus illorum illis non respondeant, sed tantum sibi, ad quem Carriger omnia illorum bona condonaverat: propterea conceperat dictus Thaddæus Paduâ non discedere, donec Carrigeri præsentiam adiret, ac ab illo intelligeret, quid de eo & domo sua tota mandaret. Et sic per tres dies post Comitis recessum Paduæ immoratus est, à Curia singulo die non recedens, ut tempus Dominum adeundi habiliùs inveniret. Et à casu per Curiam deambulans, incidit in Remundinum de Valcamonica quondam stipendiarium Carrigeri pedestrem apud Civitatem Belluni, ubi multas per fas & nefas opes conflaverat. Cui dictus Thaddæus de Quero temporibus retroactis multa grata contulerat. Ad quem ipse Remundinus audito casu Comitis Rambaldi dixit se dolere. *Sed ut quid tu heic es?* At ille: *Vellem siquidem Dominum adire, & ab illo scire, an vellet me fratremque meum ad propria remeare.* Et tunc ille respondens ait: *Hodie convenire debeo pransum cum Jacobo Turcheto. Illi recensebo de factis tuis, quæ mea reputo.* Sed non defuit propterea Thaddæus à Curia. Qui tamdem visus est à Carrigero, speculæ Prætorii incumbente, & ait ad Jacobum Turchetum ibi tunc repertum: *Nonne hic est ille Thaddæus de Quero, qui jam diu te verbis illis impetiit?* At ille: *Magnifice Domine, sic: quin immo Remundinus servitor vester mihi hodie in prandio dixit exorans, quatenus Magnificentiæ Vestræ illum recommissum facerem, sed aliis occupatus oblivioni tradideram.* Tunc Carriger nullâ habitâ morâ jussit illum vocari. Qui accitus Carrigeri præsentiam adivit, procidens capite discooperto, ad quem Carriger: *Exsurge*, dixit, *nam factus es canus. Dic quod vis.* Thaddæus subridens ait: *Magnifice Domine: potentia tua me canum fecit.* Subrisit & Carriger dicens: *Si mihi obtemperasses, non tibi & aliis sic evenisset.* Ad quem Thaddæus: *Et si legales viri tui sunt accepti dominio, sat mihi est, tamdem nunc ad te venisse, gaudenti, atque tuis applausibus rebusque secundis gestienti.* Carriger, miratus viri animum, atque prudentiam, & intelligens illius honestam requisitionem, petentis se, fratremque suum, & suos ad propria posse de ejus gratia & mandato reverti, & in quiete & pace res suas & bona ac possessiones possidere, non obstante mandato Capitanei supradicti, qui contra ejus velle & scire

ſcire prædicta fuerat exequutus, mandavit Jacobo Turcheto, quòd literam patentem Plauſtro ſigillatam ad Cancellariam ſuam ſcribi faceret, in qua contineretur, quòd nec Poteſtas, ſive alius quiſquis eſſet in officiis Tarviſii & Tarviſanæ, de perſonis, factis, & rebus dicti Thaddæi de Reduxiis de Quero, & Galacii ejus fratris, vel alterius cujuſcumque de eorum familia ſe deberent impedire. Quæ omnia in ſe ſolummodo reſervabat. Mandans inſuper, quòd ad propria deberent remeare, & quòd cuncta ſua bona & poſſeſſiones liberè & expeditè poſſidere deberent. Et tali litera facta juſſit, quòd ad ſe reverteretur. Nec ulla eſt habita mora. Dixit, & facta eſt. Ad quem Thaddæus cum litera reverſus eſt, immenſas illi gratias referens. Quo audito illi inſit: *Habeſne à me quod poſtulaſti?* at ille: *Ampliora certè. Vis ne aliud?* inſit adhuc: *Nihil*, reſpondit, *niſi gratiam tuam ſemper. Ego*, tunc ait, *aliud te expoſco. Quid*, ille ait, *eſt? quid amplius? quoniam jube. Promittis?* ait Carriger: *Promitto*, dixit. *Mando atque te poſco, ut de factis Comitis Rambaldi de cetero non te impedias, neque ad illum accedas amplius*. Quibus auditis obriguit Thaddæus, neque volens loqui auſus eſt, illius reminiſcens: *Noſtro namque tempore obſequium amicos præſtat, veritas odium parit*. Carriger aſtutus, callidèque cunctis inſiſtens, conſideranſque, quàm difficile ſit homini à vera honeſtaque & antiqua amicitia diſcedere, terga convertit, & quaſi illachrymatus eſt. Poſtea ſe ad illum revolvens ait. *Promittis?* qui conſtrictis humeris & voce ſubmiſſa *Promitto* reſpondit. Et datâ licentiâ receſſit & abiit Querum. Nec auſus fuit propter promiſſa Collaltum accedere. Sed uxorem ſuam Archam filiam Gabrielis de Solagna, meque, & alios filios ſuos acceptum miſit. Ad quem acceſſimus incunctanter. Qui domos ſuas per Carrigerum quondam diruptas, pro faciendo fabricare Moſchetam in Canali Queri, cœpit reparare, & illis intendere, meque, & quondam germanum meum Georgium ab iſtis taliter fatigabat, quòd ubi literas ſcire deſpexeram, mutatâ ſententiâ ſponte me patri obtuli velle Paduam ire, & ſtudio vacare. Qui ait: *Perficiamus primò incœpta*; non quod ita vellet, ſed ut me tentaret. Et ego illi: *Volo ſtatim*. Sicque exequutioni mandatum eſt, licèt pauca noverim. Nocte verò quadam intempeſta Rambaldus Comes unico tantùm famulo ſociatus Querum acceſſit, & uſus domus noſcens clam oſtium cameræ manu pulſat, Thaddæumque excitat, qui pulſationis actum agnovit intra ſe dicens: *Hic eſt Comes*. Et aſſurgens oſtium cameræ aperuit, & illum clam introducens excepit dicentem: *Thaddæe, moriebar, niſi ad te veniſſem, poſtquam ad me venire non audes*. Et ibi multis intra ſe diſceptis tamdem concluſerunt, unum ſolum eſſe, propter quod in gratiam Carrigeri venire poſſet, ſcilicet elaborare cum omni patientia, ut quæcumque juberet, acceptum & gratum ferret, quibus ita concluſis, hac illa nocte Collaltum remeavit, ibique operam dedit ordinatis intendere.

Carriger per Civitatem Tarviſii & diſtrictum Officiales ordinans, jubet Thaddæum de Quero vacare exactionibus Mudarum Queri, & illis intendere; & ita fecit per annum & ultra. Verùm conſiderans ipſe Thaddæus, quòd in ſenium pergeret, & dubitans, ne morte præventus occumberet, & illius bona, filiis ſpoliatis, in Camera ſive Fiſco Carrigeri deducerentur, ceu de ceteris morientibus tunc ſervabatur, deliberavit ſe ab his curis eximere. Et tamdem multo cum labore officio prædicto exoneratus eſt. In quo quidem tempore accidit, quòd Jacomellus Zanchanio de Venetiis, patria ſuis demeritis exul, de Alemannia, ubi Caſtra quædam pretio acquiſiverat, Paduam conſcendit, & ad Carrigerum divertit, cui multum amicabatur, à quo Carriger ſtuduit ſcire, quid & quantum Commune Tarviſii de introitu haberet. Nam ille tempore Ducis Auſtriæ Tarviſii introitus gubernaverat. Tunc ille Carrigerum de omnibus informavit. Et quum ad Canale & Buccam Queri narrando deveniſſent, conſuluit illum Carriger, quem ibi poſſet præficere. At Jacomellus Thaddæum de Quero nominavit. Carriger reſpondit: *Non eſt modus quòd ille Montanarius voluerit ſe noſtris in Officiis permanere, quin immo illis modicum immoratus quæſivit omni cum ſtudio ſe ab illis abſentare*. Quam quidem rem Jacomellus in Alemanniam regrediens Thaddæo retulit, quem per ante cognoverat, & illi amicabatur. Nec ab inde citra Thaddæus ſecurus vixit; ſed planè convivens, & poſſeſſionibus ſuis vacans, mihi Paduæ ſtudenti in Grammatica, Auctoribus, Rhetorica, atque Notaria per annos VII. alimenta miniſtrabat.

Carriger non contentus Padua, Tarviſio, Feltro, & Civitate Belluni, quærit Forojulii Patriam invadere oppreſſionibus atque tractatibus multis, habens ad ſuas proviſiones Comites de Prata, de Purziliis, Brognaria, ac Nobiles ad Valvaſono, qui operam die noctuque dabant, ut Carriger Patriam intraret Forojulii. Cui etiam obſequentes Cives Civitatis Auſtriæ contra Utinum oſtentabant. Quod advertens Ducale Dominium Venetiarum, Utinenſibus favebat, & maximè Friderico de Sovergnano, qui quaſi Dominus Utini videbatur, mittendo illis in ſubſidium per mare baliſterios, & gentes armigeras, quas Veneti de ſuis pecuniis per tempus omne contentas faciebant, ne Carriger ipſis viam mercantiarum de Fontico præcluderet. Quibus Carriger intentus exercitum ſuum Sacilum mittit, & locum illum vi bombardarum expugnat, & ad ulteriora bella procedens multa loca deprehendit, & habuit poſt varias belli fortunas inter partes ſequutas. Nam ex gente Carrigeri plures apud Spilimbergum & Sanctum Vitum capti & interfecti fuerunt. Tamdem omnia partim vi, partim concordia citra Tayamentum obtinuit. Et in brevi omnes ferè Caſtellani Patriæ Forojulii cum Carrigero fuere concordes, excepto dicto Friderico de Sovergnano, qui Utinum defendebat. Contra quem Carriger Facinum Canem, Ugolotum Blancardo, & Antonium Baleſtracio Conductores gentium armigerarum, & alios multos cum gentibus equeſtribus, ac Cirmiſonum de Parma Conductorem proviſionatorum pedeſtrium cum D. proviſionatis, & aliis multis Comeſtabilibus pedeſtribus miſit, qui apud Utinum caſtrametati ſunt, damna multa inferendo, & di-

discurrendo usque in Aquilejam, omnia spoliando tam temporalia quàm spiritualia, & etiam sanctimoniales stuprando. In quibus diebus & cavalcatis factis per dictas gentes ad partes illas, etiam multas balas mercium conductas per Theotonicos de Fontico Venetiarum pro adducendo in Alemaniam deprædati sunt. Cum quibus aderat Comes de Carraria naturalis filius Carrigeri Senioris, qui usque ad id tempus Paduæ in Decretalibus studuerat pro aspirando ad Pontificatum dignitatis Patriæ Archiepiscopalis Aquilejensis, ut quod vi pater adimplere non poterat, saltem fraude consequeretur. Verùm aliter evenit cogitamen; nam Comes de Carraria dimisso studio effectus est armiger, qui post annos multos in Marchia, Patrimonioque, & in Regno Apuliæ multa armorum facta gessit.

Heic aliqua desiderantur.

A Tyrannis diu oppressâ Italiâ & maximè Lombardiâ, non parva Italiæ manus, quæ gemino Tyrannorum jugo tyrannidem passa est apud Mediolanum Papiamque Bernabovis de Vicecomitibus & Galeaz fratris ejus, unius in Mediolano, & alterius in Papia, qui ambo reliquas Lombardiæ Civitates & Oppida suæ subegerant tyrannidi. Verùm ut fit inter canes rabies dominandi, singula omnis excogitabat, accidit quòd Galeaz de Vicecomitibus Papiæ moritur relicto unico filio legitimo & naturali Johanne Galeaz ætatis nubilis. Cui Barnabos multos habens filios clam insidiabatur, quia pro dimidia in Mediolano, & ceteris Civitatibus Lombardiæ, jus habebat solus. Nec alium honestiorem modum videns tractavit quamdam filiam suam matrimonio illi copulare cum dispensatione Summi Pontificis, qui illis licentiam tribuit, ut inter eos pax & quies foret. Johannes Galeaz, Juvenis sagax, non minus se cavebat traducta uxore, quàm ante. Unde adveniente tempore dictus Johannes Galeaz animo concepit prævenire patruum socerumque, quàm ab illo præveniri, fingens annis & mensibus maximam sanctitatem in eleemosynis, jejuniis, & orationibus, & inter ceteras devotiones suas magnas cum humilitate finxit velle visitare Sanctam Mariam in Monte supra Mediolanum per XL. milliaria. Et aggregatis duobus millibus equestribus pro custodia sua, associatus Jacobo del Verme Veronensi Milite famosissimo, factionis conscio, iter arripuit. Barnabos patruus & socer audito adventu nepotis & generi, nullâ factâ morâ, illi obviam processit, præmisso semper Medicina Curiali suo, qui præiens visis ordinibus adductis, & Galeaz aciebus ordinatis, quia non visum est sibi hoc esse Indulgentiarum iter, sed aliud prætendere, retrocurrit ad Barnabovem & illi rem aperit, dicens, rem sibi videri suspectam, & propterea consuluit, quòd personæ & statui suo caveret. Barnabos animosus truffatus est Medicinam, & his non obstantibus iter processit suum, manu baculum gestans, dominium repræsentans. Qui cum Jacobo del Verme militi priùs obviasset, de manu extirpato baculo per dictum Jacobum, captus est dicens: *Captivus es*. Et introivit Galeaz Mediolanum, & Barnabovem carceribus Trecii mancipari jussit, absque quòd illum videre vellet vel audire. Ubi tamdem per plures annos post mortuus est. Johannes Galeaz autem Mediolani ventus, ubi pro dimidia, nunc autem in solidum dictæ Civitatis factus est Dominus, nullo alio interveniente rumore. Nam Mediolanenses malè à Barnabove tractabantur, & pejus à filiis, videlicet à Luisio Domino Cremonæ, Carolo Domino Pergami, Rodulfo Domino Laudi, & Mastino minore filio Domino Brixiæ. Contra quos exercitum mandavit ire debere. Nec multis post interjectis diebus aliquos ex eis cum Civitatibus in deditionem habuit, qui carceribus mancipati mortui sunt, exceptis Carolo & Mastino, qui illius manus evadentes Mundo vagantes, ut exules fato functi sunt, ex Carolo relicto superstite Johanne Picinino ejus filio, qui moriens Ducem Sabaudiæ heredem instituit. Interim verò Johannes Galeaz, capto Barnabove cum filiis suis prædictis, in solidum factus est Dominus totius Lombardiæ. De vita, moribus, & Barnabovis hæc est norma. Ætatis enim erat annorum, quum vitâ excessit, LX. Sapiens enim fuit, præterquam in fine, & dum non maneret furor; cui accidit, quòd dum per districtum transiret, & Sacerdos quidam recusaret quemdam pauperculum sepelire, exploratâ causâ, quia pecunia carebat, jussit foveam fieri, & Sacerdote pridem vivo in foveam conjecto, deinde jussit desuper pauperculum sepeliri. Fuit equidem Bernabos tantæ proceritatis, quòd apparentia ejus imperio digna erat, & in ea ac filiis non Priamo absimilis.

Dicto de Lombardia, ad non minus oppressam Marchiam Tarvisinam revertamur, in qua Tyrannorum duplex nidus cornibus elevatis bella movere gestivit, videlicet Franciscus de Carraria Senior, Paduæ Dominus, Venetorum capitalis inimicus, & Antonius de la Scala Veronæ Dominus, Johanni Galeaz Lombardiæ Domino non minus invisus, quàm Venetis Carriger Paduanus. Post novitates Vallis Suganæ in montibus Tridentinis bella capescentes ad Novalias Vincentini Districtus conversi pluries bella fecerunt, propter aquas Bachioni ibidem clausas per Scaligerum, solitas Paduam discurrere, Carrigero adversùs Scaligerum dicente: *cur prohibetis aquas? cursus communis aquarum*. Et ob hanc causam exercitum suum adversùs Turres Novalearum, quibus aquæ Bachioni arcebantur à Padua, tunc admovit, & multis fixis bombardis grossis, illam tamdem vi bombardarum quasi solo æquatas in deditionem habuit. Ad quas præparatas, & in custodia positas, abinde exercitu remoto Carrigeri, accedebat exercitus Scaligeri non minore potentia quàm præmissus, & adactis atque plantatis bombardis prægrandibus, & itidem machinis illas impugnans rehabuit; & aquas demissas subitò clausit, & sic ter vel quater pro parte parvo in tempore actum est. Donec exercitus ambarum partium facti fortiores alterutrum discurrentes se campestribus comperiunt ad pugnam provocantes. Et primò dum Scaligeri exercitus Brentellam transivisset non longè à Porta Sanguinarolæ, illi obviam processit exercitus Paduanus, cujus erat Capitaneus Johannes Azzo de Ubaldinis. Et in primo congressu belli exercitus succubuit Paduanus. Sed astutiâ Ca-

Capitanei prælibati, qui electiores armigeros à parte repositos conservarat, adjuta est potentia Paduana, quia dum Scaligeri putantes Paduani vires contritas ad prædam & offensionem discurrunt, nullo ordine servato, dictus Johannes Azzo Capitaneus Carrigeri, aptitudine temporis & loci ac rei deprehensa, reservatos illos armigeros introducit ad pugnam strictissimè conglobatos, & illos ad Scaligeri banderias capessendas nullo medio acceleravit. Quas quum pauci ad illarum defensionem remansissent, cepit, & per terram illas mandavit, inimicas gentes Scaligeras persequens per totum, ex quibus unus repertus est Zavarisius Comes de Cæsana solitus pridem habitare in Villa Sancti Viti Valdobladini Tarvisini districtus. Qui dum Paduanos usque ad Portam Sanguinarolæ fuisset insequutus, in reversione, ubi crediderat illos cepisse, interceptus est, atque in facie percussus. Tamdem magna commissa strage, hinc inde multis sauciatis atque peremtis, Carriger Paduanus victor evasit. Et intra Paduam hostibus conductis expavit Carriger, quum plures essent victi quàm victores. Propter quod Carriger ille per Ferrariam & invias alias partes captivos relaxans, ex forensibus tantùm, ad nonnullas partes pergere destinavit, ne materiam haberent ad Scaligerum divertendi.

Tria acciderunt ex hujus belli causa memoratu digna. Primum est, quòd dum Nobilis quidam Theotonicus juvenis, persona magnus sex pedum cum dimidio communis, aliàs Carrigeri stipendiarius, & per plures ante dies cassus, quum repatriare concepisset, equis & armis superfluis venditis, rogatu Carrigeri ad dictum bellum voluit interesse, unde equo destrerio magno fulcitus, & armis ac famulis à Carrigero condonatus, die illa bellum ingressus, & inter reservatos expositus, ultra quàm credi vel scribi possit, adversùs Scaligeros & eorum Banderias operatus est, in tantum quòd Scaligeri Banderias de manu Vexilliferi pertractas in terram expandit. Quo in loco dum tot & tantos expugnasset defensores earumdem, tamdem lanceâ per viseriam transfixus est caput, & cum Scaligeri Banderia prostratus ad terram potenter decertans exspiravit. Quem Carriger ibi Militem creavit, & mortuum deploravit, jubens illum Paduam honorificè portari. Ubi postera die cum armigeris atque Nobilibus cunctis sociatum fecit magnificè sepeliri, & ad parentes suos scripsit, quot & quanta bella gerens Miles exspirasset, ac magnificè sepultus permansisset, qui non minora festa celebrarunt, quasi vivus domi applicuisset. Secundum est, quòd Carriger apud se habens in Studio Paduano Blaxium Pelacanum Parmensem, in Mathematicis nullum per Orbem totum consimilem habentem, ante adventum belli scire voluit, qualis futurus foret eventus. Ad quem Blaxius, contemplato cœlo & aliis ad rem facientibus, dixit: *Tali hora pugnam incipere facias, nec dubites, quia cœlestia tibi favent*. Quumque pugnam illâ horâ sui fuissent ingressi, & prima facie in conflictu positi, fama pervenit ad Carrigerum. Carriger Mathematicum inspicit. Mathematicus Dominum perhortatur finem exspectare. Quidam autem de adstantibus Nicolaus de Curtarodulo conviciis Mathematicum aggreditur, ad quem Blaxius: *Insanus es: aut quod dixi erit, aut cœlum cadet*. Et his dictis Nuntius alius advenit, significans victoriam consequutam. Et ab illa hora citra magnus est habitus apud Dominum, donec cœli mutatâ sententiâ ab illo recessit. Tertium est, quòd Scaligeri ferè in duplo plures à paucioribus Carrariensibus superati sunt. Qua ex re compertum est, meliorem esse expertam paucitatem in bellis, quàm indoctam multitudinem.

Nec multo post dictum bellum Scaliger vires recipiens fortiorem paravit exercitum. Et dum apud Castegnariam in territorio Paduano suum demandasset exercitum, Carriger etiam impigrè suum illuc accelerare mandavit, sua ad stipendia nuper conducto Johanne Acuto omnium Italiæ Capitaneorum peritissimo. Qui quamquam inferior esset gentibus, tamen adversi exercitus videns imperitiam, locum, atque tempus, placuit bellum inire, nam illi commissus erat Capitaneatus totius exercitus; & præmissis aliquibus bellum inchoare mandavit, & inimicos ad certum locum usque perducere. Quos quum adductos conspexisset, ex transverso per alios suos mandat infestari. Ille autem facie ad faciem inimicos cædens, ad Paludem quamdam impegit, in qua absorti & victi sunt omnes, magna in utraque parte strage commissa, non absque magna gloria dicti Johannis Acuti Capitanei, ac etiam Johannis Azzo de Ubaldinis, qui etiam mirabiliter se gessit in bello illo. In quo Schenella de Collalto Comes Tarvisii juvenis est à Carrigero Militiâ decoratus, quia viriliter se in bello probavit. Qua nempe partâ victoriâ Capitaneus exercitum Paduam cum captivis adducit, ubi Carriger de inimicis triumphavit. Fuit tamen dissensio inter Carrigerum, & Johannem Acutum. Causa non est propalata, nisi quòd si amicitia Florentinorum non intervenisset, Carriger illum decapitari fecisset.

His oppressus infortuniis Scaliger, & bene merito, nam Bartholomæum Scaligerum ejus fratrem, juvenem valentem, & armis vacantem, nocte quadam interfici fecit in camera; & mortuum deferri ad domum juxta portam cujusdam Dominæ, cum qua rem habebat, fecit pro excusatione sua. Habens siquidem plus animi, quàm virium, pacem à Carrigero oblatam respuit. Quod advertens Carriger, se cum Johanne Galeaz Comite Virtutum colligavit, & invitè, timens potentiam Venetorum sibi infensorum & propinquorum, qui etiam favebant Scaligero. Hac tamen adjecta pactione, quòd expulso Scaligero de Verona, dictus Johannes Galeaz, Dominus Mediolani & totius Lombardiæ, habere debeat Veronam & omnem ejus districtum, & ipse Carriger Vicentiam cum districtu: quod minimè expulsione sequuta servatum fuit. Quin immo per ambarum partium gentes factâ guerrâ adversùs Antonium Scaligerum, Veronæ atque Vicentiæ Dominum, Veronâque cum Vicentia captis & districtibus suis, dictus Johannes Galeaz tamquam potentior utrasque in deditionem assumsit, fingens Vicentinos Vicentiam Comitissæ consorti suæ condonasse, & propter hoc

hoc more leonis illi partem fecit. Carriger adversùs illum potentiâ uti non posse animadvertit, sed literis diffamatoriis eum apud Imperatorem, Reges, Duces, Marchiones, & Comites, ac alios Dominos, & Potentes magnopere diffamare curavit. Nec verba profuerunt, illius non recordatus,

„ *Ne fortem societ fragilis vult pagina præsens.*

Ventum est ad manus, nec destitit Comes ille Virtutum cum Venetis se confœderare adversùs Scaligerum pro expellendo ipsum de Tarvisio, Padua, Feltro, Civitate Belluni, & majori parte Patriæ Forojulii detentis per ipsum. Veneti autem abhorrentes potentiam Comitis Virtutum cautè quæsiverunt per medium Marchionis Estensis de essendo in concordio cum Carrigero, quòd Sacilum & Patriam Forojulii tantùm relinqueret, & cetera possideret. Nec ante cum Comite Virtutum se colligaverunt, quàm clarè novissent Carrigerum nil facere velle. Qui ex hoc deceptus mansit. Nam in mentem Carrigeri numquam cadere potuit, quòd Veneti ante se licèt inimicum non vellent, quàm se potentiorem. Sed in irritum excessit cogitamen, quoniam Veneti visâ protervià dicti Carrigeri rem aggrediuntur implacidam, & cum Comite Virtutum se colligarunt adversùs Carrigerum. His equidem pactis intra se firmatis, quòd expulso Carrigero Dominus Mediolani Paduam deberet obtinere cum toto districtu, Uriago & certis Castris ad confinia Venetorum in Paduano districtu positis statim solo æquandis. Veneti autem obtinere debeant Tarvisium, & Cenetam cum suis districtibus, Feltro, & Civitate Belluni, ac Bassano etiam cum suis districtibus, debentibus pervenire in deditionem præfati Comitis Virtutum, Saciloque ac omni Forojulii Patria liberè remanentibus in Patriarchatu suo Aquilejensi. Qua quidem confœderatione sic facta, gentes armigeræ Johannis Galeaz, quarum erat Capitaneus Jacobus del Verme, territorium Paduanum invaserunt. Tunc Carriger in agonia positus Franciscum Novellum filium suum legitimum & naturalem Dominum fecit, ac dimisit in Paduam, & Tarvisium accessit, priùs decapitato Albertino de Peraga in Poyolo Palatii Paduæ, & aliis multis Paduanis straxinatis & crucibus affixis, quos dicebat adversùs se conjurasse. Nec multo post Carriger juvenis deditionem Paduæ & Comitatus fecit Jacobo del Verme Capitaneo Comitis Virtutum, & Mediolanum adductus est. Interim dictus exercitus Tarvisium ire deproperat. Populus autem Tarvisinus, numquam amicus Carrigerorum, sciens Paduam redditam esse, in arma prosiluit, & Terram cucurrit in vigilia Beati Andreæ Apostoli. Cujus initium dicitur fuisse quemdam per voltum Palatii à Platea Herbarum in Plateam Carubii accurrentem, & alta voce clamantem apertis brachiis: *Vivat Populus Tarvisinus, & moriatur Carriger iste, qui nos & nostra semper derobavit.* Quo audito, nulla est habita mora, in Plateam cum armis conveniunt omnes circa XVII. millia, qui omnes una voce clamabant: *Vivat Beatus Evangelista noster Sanctus Marcus Venetus.* Carriger Senior in Castro latuit, qui audiens voces Populi nominantis Sanctum Marcum, auriculas obturabat suas, clamansque dicebat: *Dicite potiùs: vivat Dæmon infernalis.* Quis autem fuerit ille, qui currens priùs vocem emiserat, numquam sciri nec cognosci potuit. In Civitate tunc mortuus fuit à Populo quidam Pirinzolus, qui dicebatur tempore primæ guerræ mulieres capere Tarvisinas, & illarum pannos tenus inguina succisos, ad propria remandare. Et aliquorum Officialium dicti Carrigeri, sed non omnium domus spoliatæ sunt.

Carriger videns non posse tueri, se & Castrum reddidit Jacobo del Verme Capitaneo exercitus nomine Comitis Virtutum, dubitans in manus incidere Venetorum, uno hoc solo se consolans, quia meditatus est, quòd Comes Virtutum non magìs Venetis promissa servaret, quàm illi fecerat de Vicentia. Nec irritum exstitisset cogitamen, si Populus Tarvisinus ita illum appetissent, quemadmodum Vicentini. Sed longè aliter animus stetit, nec umquam Populus Tarvisinus adduci potuit, quòd illum acclamare voluerit, ut diceret: *Vivat Johannes Galeaz.* Quinimmo unanimis semper acclamabat: *Vivat Sanctus Marcus.* Tamdem persuasionibus Guilielmi Quirino, Johannis Miani, & aliorum plurium Nobilium Venetorum, qui Tarvisinis venerant in succursum, Populus cessit, & à Plateis se absentavit, & in Cimiterium Sanctæ Margaritæ Ordinis Eremitarum transiliens, se reduxit, donec gens armigera dicti Domini Mediolani in Platea actus suos expediret. Nam intendebat ipse Dominus Mediolani primò dominium Civitatis Tarvisii in se converti, & exinde secundùm pacta Venetis consignare. Verùm dum in Plateis acclamaret: *Vivat Johannes Galeaz Dominus Mediolani, Tarvisii* &c. Populus reclamabat: *Vivat Sanctus Marcus & Commune Venetiarum.* Ex quo iratus Ugolotus Blancardus de Parma, Conductor certarum gentium armigerarum dicti Domini Mediolani, invito Jacobo del Verme intravit quamdam Marzariam in Calle majori, & assumtis pluribus passibus chordæ multos laqueos fieri fecit, & cum gente sua ad Sanctum Martinum properavit pro transeundo ulterius, ut ex Populo quamplures suspenderet, aut vocem mutarent. Populus autem Pontes ligneos destruxerat, ut ad se gens illa currere non posset, & super Ponte Sancti Martini lapideo se plaustris & sbarris taliter clauserat, quòd illac nullus poterat pertransire. Ad quem locum ventus Ugolotus voluit vi pertransire. Populus illi obviam fit, & contra illum balistis & clavarinis impetuosè trahunt. Quod videns reversus est in Plateam, & ibi actibus suis intenderunt, Populum à parte relinquentes. Paucis verò diebus deinde interceptis dictus Dominus Mediolani per literas intelligens, qualiter tantopere Populus Tarvisinus appetebat dominium Venetorum, promissa mandavit adimpleri debere per Jacobum del Verme ejus Capitaneum Generalem. Qui Venetos in vacuam possessionem dominii Civitatis Tarvisii, & Castrorum, ac totius districtus, Cenetæque & Cenetensis misit. Et his factis recessit exercitus prædictus, secum adducens Franciscum de Carraria Seniorem, pejus contentum, quòd audisset Tarvisium dari Venetis, quàm quòd illud amisisset. Cui data est mansio in Cumis Civitate Lombardiæ, apud quam

quam mortuus est tamdem post plures annos & menses. Filius verò ejus Franciscus de Carraria junior, qui pridem datâ Paduâ fuerat etiam in Lombardia conductus, videns sibi illudi, & quòd numquam potuerat adivisse præsentiam dicti Johannis Galeaz, ante mortem patris eius deliberavit aufugere, sicque fecit, Mundo errans annis, mensibus, & diebus, quo ad ad propria remeavit.

Istis nempe temporibus, more suo solito Bononia titubante, accidit, quòd Johannes Bentevojo Civis ejusdem Civitatis, ex Avo macellatore satus, præsidio fultus Civium & districtualium plurimorum, Prætorium ingressus Dominus est factus Generalis, expulsis Gozadinis, & aliis pluribus sibi adversantibus. Nec multo post Franciscus Novellus Carriger per Alemanniam rediens, associatus Comite de Duino Theotonico, & certis aliis Nobilibus tam Theotonicis, quàm etiam Furlanis, fama potentiori quàm gentibus, Venetis illius adventum persuadentibus, quum potentiam Comitis Virtutum Domini Mediolani sibi proximam suspectam haberent, Paduam invasit, & illam satìs citò de manibus surripuit Lombardorum, intrans per Businellum, per quem aquæ dilabuntur in foveam Porciæ, tractatu tamen aliquorum Paduanorum, ex numero quorum per ante Paduæ multi fuerant crucibus affixi. Castrum autem Paduæ multis diebus se tenuit, in quo Capitaneus Paduæ Luchinus de Rusconibus, & Potestas Bercetus de Vicecomitibus se reduxerant, & alii omnes Officiales Domini Mediolani. Qui si viriliter restitissent, numquam ad id ventus esset Carriger Paduanus, quum plures in Padua gentes armigeras haberent, quàm dictus Carriger intrans, qui fuit multis rusticis & districtualibus sociatus. Quum autem illum nominari audivissent, ad illum confluebant, quemadmodum formicæ ad triticum. Et qui vidit, testimonium perhibet. Et ego ille. Fuerant certè Patavi tam Cives quàm districtuales malè ab Officialibus Domini Mediolani per ante tractati, & inedia pæne consumti, quum omnes bladorum munitiones Venetis vendidissent, atque Venetias destinassent. Ceterùm quia Verona illo in tempore Domino Mediolani rebellare cœperat, impeditus est succursus Castri Paduæ, quod in totum fuisset succursum, & Padua redemta, nisi rebellio illa factum impedisset. Ad quam redimendam dum Ugolotus Blancardus Capitaneus Veronæ pro Domino Mediolani egressus de Cittadella illius intendit, Castrum Paduæ redditum est Carrigero, rebus salvis atque personis. Et sic totius Civitatis & districtus factus est Dominus Generalis. Paduâ per juniorem Carrigerum Franciscum conquisitâ, notum fit Johanni Galeaz Domino Mediolani, qui ut de aliis Carrigero Seniori apud Cumas degenti notum facit, quòd per filium suum Padua vi redemta erat, petens ipsum an putaret illam tenere atque tueri posse. Qui respondit: *quod sic*. Interrogatus: *quomodo*? ait: *Si fecerit, quod ego numquam facere volui, nec facerem de præsenti*. *Quod* rogatus, dixit, *se amicum & servum facere Venetorum*. *Quod si fecerit, nec tu, nec potentia ulla etiam, quantumcumque major tua, numquam illum amplius de domo expellere poterit*. Gens etiam dicti Domini Mediolani tunc in Tuscia contra Florentiam laborabat, & jam usque ad Portam Sancti Galli decurrerat, igne, ferro, & depopulatione omnia devastans, & transiens adversùs Vallem Nebularum ductu Jacobi del Verme Generalis Capitanei gentium illarum, conflictum passa est. Et in certo arduo loco peremti sunt ex peditibus dictarum gentium ultra DC. pedites, gentibus armigeris fugatis, quæ erant duodecim millia equorum per Collem Dominarum versùs Lucam.

Dux Lancastri Angliæ bannitus per Regem de Regno Angliæ per C. annos, I. mensem, & I. hebdomadam, atque diem, Venetias applicuit, & ibi à Venetis realiter susceptus, petiit velle ire visitatum Limina Sancti Sepulchri. Cui Veneti ad omnem illius requisitionem parare jusserunt Galêas, & cuncta illi necessaria pro viatico. Qui in altum navigans iens Sanctum visitavit Sepulchrum, & rediens vênit Tarvisium, & hospitatus est apud Sanctum Franciscum Ordinis Fratrum Minorum; cum quo erant plures Milites, & Pagani Anglici, inter quos unus erat magnus statura, non Miles, sed Paganus. Ad quem visitandum sæpenumero ibat Aluisius Mauroceno tunc Tarvisii Potestas & Capitaneus. Qui cum Duce repertus in Galêa Brolii Fratrum Minorum intra Butinigam sæpe introducebat Antoniacium de Verona Comestabilem pedestrem in Tarvisio ad præsentiam Ducis. Et quia in omnibus non absimilis erat dicto Pagano, Dux & Potestas illos provocabant ad certa solatia, & virium suarum experientias. Inter cetera luctarunt ad brachia. Qui quum luderent, Paganus ille Ducis se nudum spoliabat, exceptis serabulis. Antoniacius verò demissis caligis ac vestibus nudatus, solò cum zuparello manebat. Et quum inter eos conventum esset ad brachia, dictus Paganus à largo persistens pedibus tantum laborabat, & actitans Antoniacium agilibus actubus prostrabat in totum. Tunc Antoniacius irrubuit, & voluit se illi strictè brachiis amplexari. Ille recusavit, nec voluit, nisi largè abrazare. Quod videns Antoniacius, *en altera vice per fidem tuam amplectemur, ut vis*, ait. Ille non recusavit. Sed cum se fuissent amplexati, Antoniacius exspectans, quòd ipsum simili actu conluderet, prostratus succubuit, quia alia arte usus est ille. Tunc iratus Antoniacius, dum caderet, manu amplexatus est illius brachium, & taliter rotavit eumdem, quòd per passus duos repercussit in arbore quadam. Vix resurgere valens, dum de illo conquereretur, alter dixit: *Ego verò actus tuos expertus sum: tu verò vires meas nondum fueras expertus*. Et adductis lanceis, pavesis, & pomis cutognis, multas manu unica experientias fecit in erigendo lanceas, & pavexios, atque cotoneos projiciendo. De quibus ille expertus nullam facere potuit. Dux ille per menses & dies Tarvisium immoratus, recedens versùs Franciam properavit, & transiens per Lombardiam maximè honoratus est per Comitem Virtutum Dominum totius Lombardiæ. Et exinde opportunitate capta loci & temporis, transivit in Angliam, dum Rex Rizardus Angliæ in Irlanda Castra posuisset. Cui Duci Lancastri accurrerunt multi Proceres & Populi Regni, à quibus de multis avisatus, capto dominio Londræ & aliarum Civitatum, pro-

processit contra Regem, & illum quasi destitutum comperiens cepit, & morti tradidit, ac se Regem universorum fecit. Quem non multo post Dominus leprâ percussit. Ipse verò doctus in multis, & præcipuè in Mathematicis & Musica, compertum habebat, quòd Hierosolymis mori debebat. Et propter hoc mirabatur considerans, quo anno Hierosolymam transire ampliùs non posset. Sed pro aliquali suo refrigerio huc & illuc per Regnum se transferebat. Quumque certo in loco graviter afflictus consedisset, considerans mortem sibi proximam, mente volvebat, quòd tamen Hierosolymis mori deberet. Et hoc aliis patefacto secreto, comperuit à quodam Nobili illius loci antiquissimo, quòd locus ille quondam antiquis Regibus visitatus, dictus erat Hierosolyma. Et de hoc Privilegia antiqua à Regibus tradita præsentavit, quibus Rex ambiguitate solutus dixit: *Ecce heic est finis noster*. Et accito unico filio suo primogenito ad illum Rex ait: *Fili, ecce morior, & te Regem substituo, & Regnum & Proceres, Nobiles, ac Plebejos, & cunctos Regni tibi recommitto, & super omnia, quòd Deum timeas, atque Ecclesiam Catholicam suam venereris, contentusque maneas hoc isto Regno, quum magnum latumque sit, & potens ac dives. Quod si feceris, bene tibi erit, & diu vives & senex in fine prospero in statu morieris. Sin autem, citò deficies, Regno hominibus atque divitiis spoliato*. Et his dictis amoto à se Regii pulvinaris coopertorio aureo, illi ostendit ulcera lepræ, quibus ad mortem ducebatur, dicens: *Hæc mihi contulit Dominus meus Jesus Christus, cujus Sepulchrum visitavi, non propter id, sed propter superbiam meam. Cave, quia ille ipse est, & anni illius non deficiunt, sicut & nostri*. Ad quem filius: *Quid sim facturus nescio. Sed quum ad Regni fastigium ascendero, quod mei sanguinis dignum videro, faciam*. Rex in alteram partem respiciens, Confessorem advocavit, & ibi confessus est peccata sua, ordinans, quòd in Sala illa vocata Hierosolyma tribus ordinatis altaribus tres dederent Missæ solemniter celebrari. Et quòd dum Corpus Christi elevaretur, ad se communionem præsentarent. Quibus omnibus paratis, dum Sacerdotes Corpus Christi ad altaria conlevarent, & ipse Eucharistiam assumeret, Sacramento percepto illico obdormivit in Domino. Comes Virtutum Mantuam aggreditur, & nisi Veneti cum Galêis, & Carriger per Comitem Carrariæ, ac Florentini succurrissent, illam obtinuisset.

Perseverante livore inter Florentinos, Pisanos, Lucanos, Senenses, atque Perusinos per omnem Tusciam, Johannes Galeaz Dominus Mediolani repentè paravit exercitum grandem quindecim millium equorum, & totidem peditum, & ad Gubernationem illius præfecit Jacobum del Verme Capitaneum Generalem. Qui favore Lucanorum, Senensium, Perusinorum, atque Pisanorum, omnes Terras cum districtibus suis in Tuscia præter Florentiam & alias suas Terras & districtus, dicto Johanni Galeaz acquisivit atque vindicavit, & earum omnino factus est Dominus. Quumque Senenses vellent illudere Florentinos convicinos suos, per suas literas illis nuntiatum miserunt, quòd se nupserant, & quòd illos ad nuptias invitabant. Qui & illis per alias suas responderunt, quòd gau-

A debebant eorum nuptiis, de nullo dubitantes, sed hoc uno maximè conlætantes, quòd primi etiam forent futuri. Quæ quidem fuerunt post bellum habitum apud Castrum Sancti Petri territorii Bononiæ, favore locorum Comitis Albrici in Romagna. Quod fuit causa guerræ detentæ in Tuscia per annos duos. Propter quæ omnis Italia Johannem Galeaz Virtutum Comitem & Mediolani, ac tot & tantarum Civitatum Dominum extollebat ad cœlum, exceptis Venetis, atque Florentinis Italicæ libertatis defensoribus, nec non & Rege Ladislao Apuliæ, qui in Regno illo tamdiu oppressus rescipiscere cœperat, ac Francisco Juniore Carrigero, qui paulò ante Paduam de manibus dicti Johannis Galeaz Comitis Virtutum sustulerat, & se amicum & recommissum fecerat Venetorum.

B Nani Gozadinus Bononiensis exul, perquirens qualiter repatriare posset, & Johannem Bentevojo Dominum Bononiæ de dominio expellere, tractatum habuit cum Checho de Bove, & filio ejus de surripiendo Castrum Plebis Centi territorii Bononiæ per hunc modum. Videlicet quòd ipse Chechus cum filio debebant fingere, quòd cum plaustro suo hora tali noctis talis de Bononia onerato venirent, & petere quòd introducerentur, ne in manus inimicorum inciderent; & quum Pontem declinassent intrinseci, atque Portas

C aperuissent, ipsi ambo pater & filius tantùm Ponti cum Plaustro debebant insistere, quòd dictus Nani associatus Marquardo de la Rocha cum DCCC. equis & totidem peditibus gentium Comitis Virtutum, extra latitans juxta Portam, cum prædictis Pontem ascenderet, & Castrum introiret. Quod non minus exstitit factum, quàm fuerat ordinatum; nam Nani prædictus cum dictis gentibus Castrum per modum assertum intrans, nomine Comitis Virtutum cepit, ut habiliùs suum consequi posset intentum ad ineundam Bononiam, quam Comes prædictus in deditionem jam diu latenter habere exquisiverat.

D Imperator Paliologus Constantinopolitanus multis cum Nobilibus Græcis pro implorando auxilio adversùs Baiseth Teucrorum Regem, qui tunc omnem pæne Græciam suo subegerat dominio, & jam diu minabatur Romam usque venire, & Ecclesiam Sancti Petri in pomorum custodiam ponere, Venetias navigans applicuerat. Et exinde ad Papam, ad Reges Franciæ, Angliæ, Aragonum, & ad alios Principes, & Dominos ivit, per omnem Christianitatem auxilia postulans penitus necessaria. Et reversus Venetias ac Constantinopolim nihil præter promissiones, quæ verba fuerunt, reportavit. Verùm omnipotens Dominus noster Jesus Christus absque

E auxilio malorum Christianorum Imperatorem prædictum & Græcos omnes adjuvit, mandans ab ignotis partibus Mundi infidelem quemdam Teucro potentiorem, qui illum cepit, & gentem suam, & per hunc modum vindicatus est Dominus de inimicis suis cum inimicis suis.

Sublato Castro Plebis Centi Bononiensis districtus, absque mora per Comitem Virtutum Dominum Mediolani &c. grandis paratur exercitus adversùs Johannem Bentevojo Dominum Bononiæ, de equis XVI. millibus & XX. millibus peditibus. Cui exercitui præfecit Jacobum del Verme Militem gloriosum, in

in quo quidem exercitu aderant Comes Albricus de Barbiano, appellatus Magnus Senescalchus Regni Apuliæ (quem carceratum apud Comites de Sancto Severino intendentes vel illum emori facere, vel quòd se redimeret XL. millibus Ducatis, nec esset solvendo, Comes Virtutum redemerat dictis XL. millibus Ducatis, nihil præter personam & senium habentem) Carolus de Malatestis de Arimino, Malatesta de Cæsena, Pandulfus de Fano, omnes Domini & fratres dicti Caroli ex prosapia de Malatestis; Franciscus de Gonzaga Dominus Mantuæ, & multi alii Domini diversarum Terrarum & locorum. Exercitu autem prædicto vento Caxalechium juxta Pontem Reni, ubi ad defensam tunc reperiebatur Bernardonus Anglicus, Capitaneus gentium armigerarum Florentinorum, qui illum illuc miserant in subsidium dicti Johannis Domini Bononiæ, nam tunc mortuus erat morte naturali apud Florentiam Johannis Acuto Anglicus Capitaneus Florentinorum, qui suis temporibus in Italia tribus & viginti vicibus, Capitaneus existens gentium armigerarum, in ordinato bello acie contra inimicos congressus pugnaverat, & semper victor evaserat, nisi ex illis vice una, qua victus est. Qui namque Bernardonus secum habebat octo mille equos, & sexdecim mille pedites, associatusque erat Francisco III. Carrigero Paduano, Jacoboque de Carraria, fratribus & filiis dicti Domini Paduæ, ad defensionem dicti passus Pontis prædicti. Unde hinc inde structis aciebus non est repertus, qui primò Pontem vellet impetere, nisi audax Miles Galeatius de Mantua, qui illum ascendit, ubi fiunt vulnera & cædes multæ, utraque parte suis in adjutorium accurrente. Tamdem multis captis & occisis pugnam & pontem obtinuit exercitus Lombardorum Mediolani, fugatis gentibus Florentinorum, atque Johanne Bentevojo Domino Bononiæ, captis dictis Francisco & Jacobo de Carraria, qui captivi fuere Domini Mantuæ, à quo paulò post Mantuam conducti, rupta fide Paduam accesserunt.

Interim Veneti concordium quærunt inter Johannem Galeaz Comitem Virtutum, & Franciscum Juniorem de Carraria Dominum Paduæ, & ob hanc causam Oratores miserunt ad dictum Comitem Virtutum. Qui jam construi fecerat Pontem magnum Brentæ apud Bassanum cum XXIV. Portis, quæ se levabant, atque demittebantur, quando Brentam de suo alveo removere volebat, & illam flui facere versùs Sandricum territorii Vicentini in flumine Timavi, ne Paduam flueret. Et quando illam fluere volebat Paduam, dictas Portas elevabat. Quod quidem opus fieri fecerat in mensibus duobus, super quo singulo die festo & non festo laborabant continuè ad firmum XXXII. millia Operarii, qui omni sero pro suo victu habebant solidos V. monetæ Lombardæ pro singulo; & ibi victualia cuncta illis, tamen sine datio, vendi poterant. Mirabile unum vidi in manibus Benedicti de Sancta Cruce Notarii doctissimi de Bassano, quaternum computi expensæ lignaminum & ferramentorum solùm dicti Pontis, quæ summatim erant in Ducatis LX. millibus auri, totque ille juramento affirmabat expensos in illis duobus tantùm. Ad quam quidem pacem quum Comes Virtutum descendere nollet, ita ut Oratores nullum aliud remedium cernerent, ad ultimum quod sibi fuerat impositum devenerunt, nam ex parte Communis Venetiarum eumdem Comitem Virtutum diffidarunt. Quo audito putavit, illos arte facere & ait: *Estne hæc opinio Dominationis vestræ?* Qui dixerunt: *An credis, quòd ista tibi diceremus, nisi nobis commissum foret?* Et tunc nullo alio cum suis consilio habito dixit: *Ite, & dicite fratribus & amicis nostris, quòd in hoc faciant quidquid volunt, modò honor meus sit illis recommissus.* Et datâ licentiâ de pace facienda inter eum & Carrigerum, illos licentiavit. Ab uno autem tantùm illorum petiit, quare sic esset, quòd Veneti eum abhorrerent, qui respondit: *Veneti penes se consueverunt malle impotentiorem, quàm potentiorem habere.* Quo responso Comes Virtutum subrisit, qui licentiatis Oratoribus prædictis cum licentia concordandi Carrigerum secum modo præmisso, ad Consiliarios suos conversus, omnia aperuit, quæ secum egerat. Qui illius tamen subitam responsionem arguerunt, quòd contra honorem suum fecisset. Ad quos ille: *Nescitis quidquam. Ego certè concepi non movere, nec habere guerram cum his, qui Ducatos fabricant.* In fine Veneti Carrigerum cum dicto Comite Virtutum concordaverunt pro certa Ducatorum millium quantitate annua persolvenda per Carrigerum dicto Comiti Virtutum usque ad X. annos. Et sic Herodes & Pilatus facti sunt amici ab extra tamen, veteris inimicitiæ vestigia interius occultantes.

Comes Virtutum Johannes Galeaz Dominus Mediolani, & tot atque tantarum Civitatum, per omnem Italiam magnificè exaltatus, filiam nuptui traditam Duci Orliensi fratri Regis Franciæ, & pro dote ultra millia millium Ducatorum Civitatem Asti divitiis opulentam dicto consignavit Sponso in dotem. Ad quam transducendam ad maritum, illam associari fecit per Franciscum de Gonzaga Dominum Mantuæ, qui pro sui societate plures advocavit Nobiles Marchiæ Tarvisinæ, & inter alios præcipuè carum habuit Schinellam de Collalto Comitem Tarvisii Militem, vivente patre Hensedixio de Collalto Comite Tarvisii, qui informatus de moribus Francigenarum filio consuluit, quòd secum apportaret Privilegium Caroli Magni Imperatoris per illum concessum Domui de Collalto, confirmantem ad fastigium dignitatis Comitalis, in quo Privilegio inter ceteros testes introsertos erat Rolandus ex duodecim Paribus, ut quum in Curiam Regis sens cum Domino Mantuæ reperiretur, & interrogatus quisnam esset, & qua auctoritate se Comitem diceret, id clarè posset ostendere. Nec in irritum processit cogitamen. Quia dum quadam die in Curia & Sala Regis Parixii de societate Domini Mantuæ invitati ad prandium cum Rege Franciæ, ubi tunc aderat Rex ipse, & frater ejus Dux Orliensis, Dux de Bari, Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, Comes Marchæ, & multi alii Duces, Marchiones, Comites, Domini, Milites, & Barones Regis Franciæ, dum Pincerna Regis adstantes discumbere & ordinare vellet, dictum Schinellam Militem adivit, & interrogavit, si Comes esset, & qua auctoritate. Qui ad se vocatum

tum Antonium Fedrici de Sancto Salvatore Cancellarium suum, & extrahere & præsentare dictum Privilegium antiquissimum Caroli Magni cum bulla aurea magna, in qua Carolus Magnus equo insidens sculptus erat, cum literis more Imperatorum, fecit, atque monstravit. Pincerna hac visa antiquitate Privilegium magna cum reverentia sumtum Regi præsentavit. Qui audita serie facti hujus, dictum Privilegium manu assumtum capiti suo imposuit, & extraxit, & in manibus Archiepiscopi Cancellarii sui illud publicè legendum tradidit. Quo audito omnes adstantes genibus flexis illius audientiam venerabantur. Post ista Pincerna discumbentes ordinavit, Regem Franciæ solum, Duces cum Ducibus ad aliam mensam, Marchiones cum Marchionibus ad aliam mensam, & Comites cum Comitibus ad aliam mensam, cui mensæ Schinella sedens Comes discubuit, honoratior in mensa quàm Dominus Mantuæ, licèt illo ditior atque potentior, quia sic consuevit Curia Regis nobilitatem, quàm potentiam venerari.

Hic Schinella Comes hac ex causa in Curia Regis venerabatur, & propterea studebat moribus illorum assuefacere, & per nuntium familiarem suum emtum misit certum genus Subtilarium mirabiliter laboratorum, quo genere Comites Francigenæ utebantur. Nuntius perquirens, ex illis reperire non potuit, nisi unam in statione tantùm. Ad quam vadens emere postulavit. Magister videns illum esse Lombardum, interrogavit, cujus esset famulus, & ille dixit; tunc Magister stationis: *Revertere ad eum, & dic ei, quòd non erubescat huc venire, quia & omnes Comites, quando his opus habent, ad me veniunt*. Nuntius ad Schinellam reversus verba illius nuntiavit, & ultra qualiter Magister ille videbatur non Cerdo, sed maximus mercator, cathedra in statione sedens, nilque manibus agens, sed ore disponebat centum discipulos, qui in eadem arte mirabiliter laborabant. Schinella hoc audito equum ascendit cum omnibus XII. famulis suis, & ad locum properavit, & viso Magistro illum salutavit. Magister accurrens illi & magna cum reverentia rogavit, ut descendere dignaretur. Quem quum descendisset, sciens Magister, quid posceret, rogavit, ut antequam illi subtelares daret, vellet domum suam visitare. Comes hujus videns comitatem, obsequio cessit, & intrans aliam à statione domum in quadam Sala magna cortinis de raza atque tapetis stragulata obviam habuit uxorem Magistri, & duas filias virgines, & domicellas vestitas pannis sericis pulcherrimè laboratis ad instar Francigenarum, quæ quodammodo humanam formam transcendere videbantur, & in Angelicam commutatæ. Quæ quum ad Comitem pervenissent, flexis genibus manibusque porrectis dixerunt: *Gratias tibi, Magnifice Comes, qui patris nostri domum visitare dignatus es. Omnipotens te conservet, & domum tuam cum honore & sospitate feliciter permittat attingere*. Et collatione parata nobilibus vinis atque confectionibus aliqualiter pitiscerunt, & collatione facta virgines illæ dixere: *Magnifice Comes, nobilitatem tuam rogamus, quòd digneris aliquantisper nobiscum choreas agere*. Schinella nihil moratus, inter utrasque saliens; manibus cepit, quæ amœniter & perdulciter canentes ingenuè corizarunt; factisque choreis, & collatione reiterata, illæ virgines domicellæ Comiti abeunti patrem recommiserunt suum. Pater adduci fecit laboreria nobilia calceamentorum, & Comiti largitus est, & ait: *Magnifice Comes, non respicias, quòd sim Cerdo. Ego verè possideo avere plusquam quinquaginta millium Ducatorum. Si vis apud Regem pro me intercedere, quòd me eximat ab hac arte, atque nobilitet cum filiis meis, ego tibi ex nunc dare promitto sex millia Ducatorum*. Schinella Comes Cerdoni atque filiabus de honore impenso laudem dicit, & suum posse & scire promittit circa petita, & equum ascendens hospitium solitum repetiit, & Domino Mantuæ rem aperit. Dominus ridet, & Comiti dicit: *Experire*. Comes quadam die in Sala Regis & ad Regis præsentiam ventus stabat, respiciens Regem. Rex viso Comite ad se vocavit, & petiit, an aliquid vidisset Parixii sibi placitum. Schinella sumtâ audaciâ, Cerdonis honorem & rem totam sibi aperit. Rex arrisit, & convocatis omnibus adstantibus palàm dixit: *Hic Comes noster hac in Civitate & Regno à Cerdone quodam Parixii magnificè susceptus est, & rogatus Majestati nostræ supplicat, quòd Cerdonem ignobilem & divitem à Plebe segregatum dignemur nobilitare cum filiis*. Tunc Francigenæ Magnates exspuerunt in terram dicentes: *Absit à Majestate Tua, quòd in Regno tuo tales aggregentur Nobilibus Regni tui*. Tunc Rex Schinellæ applaudens ait: *Videsne, quàm honesta sit supplicatio tua!* Ad quem Comes ille flexis genibus omni cum reverentia mercedem poposcit. Rex illum manu erigens ait: *Comes mi, heic ut apud Italos nobilitates non mercantur*.

Johannes Galeaz de Vicecomitibus Virtutum Comes, advertens potentiam suam, diu animo conceperat id agere, ut titulus ditioni conveniret. Et apud Regem Ladislaum Bohemiæ, qui Imperator dicebatur assiduè tenens aut Georgium à Caballis, aut Conradum ejusdem prosapiæ, modis omnibus exquirebat, ad Ducatus Mediolani apicem aspirare. Tamdem vi pecuniæ, quia apud illum omnia venalia erant, Ducatus Mediolani dignitatem obtinuit à dicto Imperatore, qui quamquam coronatus non esset, ad illius instantiam Oratores atque Procuratores & Syndicos de Bohemia Mediolanum misit ad ornandum Johannem Galeaz de Vicecomitibus Comitem Virtutum Ducem Mediolani. Tunc Comes dato die festo Biretationis sui Ducatus, omnibus Proceribus, atque Dominis Italiæ, & Communitatibus notum fecit, & illos ad suum festum invitavit, diebus octo continuis illud celebraturus. Ad quod omnes confluxerunt, vel suos Oratores destinarunt, inter quos repertus est Gentilis de Camarino, non minus animo quàm vestibus ab aliis differens. Qui quum die prima convivii pannosa veste indutus ac caputio accessisset, tamquam abjectus fuit in mensa inhonoratus. Alia verò die iteratis conviviis splendidissimè accessit indutus atque biretatus, & in mensa fuit magnificè veneratus. Qui discumbens bavarum à famulo petiit, & ad collum posito comedens, fercula per bavarum spargebat. Ait Dux novus ad illum: *Ut quid hæc facis?* qui ait: *Heri dum in Curia tua pannosus accessissem, abjectus fui, & vili in loco*

loco confessus: modò autem deauratus accessi, & ecce eminenter locatus sum. Et quia non mihi, sed vestibus honor exhibitus est, propterea cum vestibus fercula partior.

Dux Burgundiæ associatus Jacobo Comite de la Marcha, qui post multa tempora vocatus fuit Rex Apuliæ, prout infra videbis, & aliis multis tam de Burgundia, quàm de Francia, per Tarvisium transiens, ivit ad Regem Hungariæ, qui à Teucris tunc infestabatur, ut illi auxilia ministrarent. Et ad illum ventus Regem infestabat, ut suum exercitum præpararet, & quòd adversùs Teucros arma conferret. Exercitu præparato fit adversùs Teucros transitus. Teucer istorum adventu conscius, quum ad bellum propinquaret, præmisit gentes infinitas inutiles, ut Francigenæ & Burgundienses primo impetu in istos omnes vires effunderent, & ad finem electos milites reservavit. Francigenæ & Burgundienses injussu Regis se primos in hostes immittunt, & sanguine illorum ac nece debacchantur. Teucrorum Rex tempus eligens ineundi, illos aggreditur, & in conflictum ponit, & illi Hungaros fugientes impetunt, atque frangunt. Rex exercitu fugiente ad mare convolat, & Galéas Venetorum ascendit, & in hunc modum evadit. Dux autem Burgundiæ & ceteri Proceres à Teucris capiuntur, & in vinculis conjiciuntur, magna strage hinc inde sequuta, qui nisi mediantibus mercatoribus pecuniis fuissent exemti, adhuc captivi servarentur. Verùm exemti Venetias advecti sunt, & exinde Tarvisium migrantes, in Episcopali Palatio Dux, Comes Marchæ apud Sanctum Nicolaum, & alii apud Sanctum Franciscum pluribus diebus permanserunt. Et quadam die Franciscus Carriger Junior Paduæ Dominus, dum ad illum visitandum properasset, usque ad cameram procedens, illum sedentem compertum salutavit, qui proinde se movit, ac si quædam ad illum privata persona convenisset. Carriger illo visitato præsto discessit, murmurans, & nescio quid intra se frendens Paduam remeavit. Ille autem cito discedens cum aliis suis ad propria remeavit.

Albricus Comes in Apulia magnus Senescalchus nominatus, ubi plurima armorum facta nobiliter gesserat, per Comitem Virtutum tunc appellatum, & modò Ducem Mediolani vocatum, de carceribus redemtus, apud Castraque sua Bagnacavalli, Zagonariæ, & aliorum locorum suorum in Romandiola armigeras gentes tenens ad offensionem Hestoris de Faventia, quia Comes Johannes de Barbiano frater suus, armiger strenuus, & alii quamplures fuerant per Bononienses decapitati, illum Faventiæ invaserat, & graviter obsidebat, quoad Otto de Tertiis Miles, atque terribilis armiger, Hestori in succursum missus est, & manibus consertis cum gentibus magni Senescalchi, compulit illas ab obsidione discedere. Tunc Comes Albricus infensum habuit Ducem Mediolani, qui Ottonem de Tertiis in subsidium Hestoris inimici sui miserat, & gentes suas juxta Pontem Sancti Proculi fuderat. Rebus cunctis Duci Mediolani ritè succedentibus, de illius mandato exercitus adversùs Bononiam restauratur potentior, quàm primo. Finaliter dum circum circa Bononiam castra teneret exercitus Ducis Mediolani, pars Nani de Gozadinis exulis in arma surrexit adversùs Johannem de Bentevojo Dominum Bononiæ, cui consultum fuit quòd fugæ consuleret. Dictus autem magno cum animo instabat amicis, dicens: *Me Dominum fecistis Bononiæ, & ego utique Dominus mori proposui.* Sicque tamdem evenit. Nam fatis declinantibus fides speratorum defecit, & ipse tamdem in Palatio à Bononiensibus est per frusta divisus, & ad furorem Populi intra vocatus est Dux & Dominus Mediolani, dominio ad integrum consignato.

Vanitas vanitatum, & omnis homo vanitas; & ceu flos mane flos mane florens arescit in sero, sic dies hominis ut umbra pertranseunt. Johannes Galeaz de Vicecomitibus de Mediolano, quondam exul à patria, Mediolanum ventus factus est Dominus Papiæ, & exinde Virtutis Comes per Comitatum quondam matris. Deinde Dominus totius Lombardiæ, & pæne omnis Marchiæ Tarvisinæ, Romagnæ, & Tusciæ, & quasi major Dominus per omnem Romanum Imperium factus est, majorem ferè Italiæ partem habens; nec altera fraudatus exstitisset, si fuisset immortalis. Quo etiam in tempore Baiseth Rex Teucrorum ditioni suæ pæne omnem subegerat Græciam, & quasi Budam Hungariæ veniens, omnia sibi illa Regna vindicaverat. Ex cujus potentia tota tremebat Italia, quia Teucri nihil ferè aliud concupiscere videbantur, nisi Romam accedere, & Ecclesiam Beati Petri in pomorum custodiam ponere. Sicque procul dubio evenisset, nisi Dominus noster Jesus Christus filius Dei vivi & veri, misericordiâ motus, de ignotis partibus per Persica regna Tamberlanum quemdam immensum Dominum adversùs Teucrum suscitasset. Qui multa Regna & Imperia transgressus, per Syriam vênit in Damascum cum XI. Tumenis gentium armigerarum equestrium & pedestrium. Qui quidem numerus cum numero supputatus constituit unum millionem, & centum millia armatorum, Nationum plurimarum nobis incognitarum. Ad quam quidem Civitatem quum applicuisset, illam repente cepit, spoliavit, atque destruxit, quemadmodum veniens de aliis fecerat, & nisi Desertum illi obstitisset, ad Cairum properasset. Qui cum gentibus retrocedens, & adversùs Regem Teucrorum deproperans omnes Civitates in itinere destruebat. Ad quod quum Rex Teucrorum animadvertisset, facto omni sforcio suo cum ducentis millibus equorum ad quemdam montem medium inter Syriam & Asiam paludibus obsitum, qui videbatur passus, per quem in Turchiam descendere posset, perrexit impigrè. Quo quum applicuisset, antequam Tamberlanus adveniret, super dicto monte castrametatus est, passus & vias præscire & posse claudi jubens atque faciens. Quo etiam in loco quum Antiguardum gentium Tamberlani per L. milliaria pervenisset, ante accessum Tamberlani montem illum atque paludem circuivit undecumque, ita ut nemo circumclusus ullo modo posset aufugere. Baiseth ista videns miratus est de tanta potentia, & quæsivit cautè fugæ consulere. Quod & reliqui Teucri perpendentes facere voluerunt. Sed illorum omnium irrita vota sunt facta, quoniam usque ad unum per

per dictas gentes Antiguardi Tamberlani capti sunt, & priùs dicto Tamberlano Baiseth Rex Teucrorum exstitit captus & præsentatus, quàm novisset illum fuisse captivum. Tamberlanus suo in papilione tunc fortè conludebat ad scacchos, nec propterea ante se movit à ludo, quin illum explevisset; quo completo & adstante Baiseth cum gentibus suis captis ait ad illum: *Canis ex genere canum, habuisti animum contra potentiam nostram arma sumere?* Et catenâ illi ad collum injectâ, cavea quadam ferrea illum includi jussit, & in triduo omnem Turchiam cum gentibus suis cucurrit, & illam igne, ferro, mortibus, & depopulationibus ex toto consumsit, præter multos, qui illius crudelitatem aufugientes ad marinam venerunt, & naulizatis navibus atque Galêis à Januensibus, Catalanis, Græcis, atque Venetis illic repertis cum maximo pretio & mercede in Græciam transfretarunt. Quo quum Tamberlanus applicuisset, novit residuum Teucrorum mare transfretasse super navibus Christianorum, de quo miratus est valde, dicens: *Ego de finibus Mundi huc perrexi ad destructionem Regis Teucrorum inimici Christianorum, & ipsi propter avaritiam inimicos suos salvos fecerunt! Verùm nisi me oporteret ad propria remeare, pejus Christianis inferrem, quàm Teucris*. Et veniens ad locum Smirnarum, Oppidum vidit Christianorum detentum per Fratres de Rhodio, Cruce non intrinsecè sed extrinsecè signatos. Dixit ad Baiseth: *Porce, ut quid in Regno olim tuo Castrum istud inexpugnatum istis tuis inimicis reliquisti usque nunc?* Ad quem ille: *Nec ego, nec pater meus, avusque, & proavi mei umquam potuimus illud obtinere propter portum maris & locum inexpugnabilem, ac viris fortissimis defensum*. Unde Tamberlanus eo trufatus ait ad illum: *Volo, quòd videas, quantum interest inter te & me*. Et vocatis Proceribus suis circa locum Smirnarum, sagittam unam suam auream intro projici fecit, mandans illis, quòd ante Solis occasum, dum venatum perrexerit, portum muniant totum, & arcem vincant, ita ut quum redierit, omnia solo æquata conspiciat. His dictis verbis non minus facta sequuntur. Conveniunt undique gentes illæ cum lapidibus, lignis, & sarmentis. Ante sextam horam Portum maris implent, & muniunt ita, ut nullus ibi cerneretur umquam portus constitisse. Quo munito arcem aggrediuntur, & vi illam occupant, muros artificibus, & foveas transcendendo, quam spoliatam succendunt, & solo æquarunt in totum, antequam Tamberlanus venatu rediret, & Sol in oceanum caderet.

Hoc in tempore Cometa visum est Oriente in Occidentem vergens, & etiam Stella visa est in cœlo Solem præcedens in die & Lunam in nocte, quæ diebus & noctis pluribus patuit visum habentibus. Quam quum Dux Mediolani vidisset, dixisse fertur: *Mortuus sum, nam pater noster moriens nobis secretè revelavit, quòd pro ut ab Astrologis & Mathematicis omnibus citra & ultramarinis habuerat, tempore nostræ mortis per octo dies ante signum hoc apparere debebat*. Nec eum fefellit indicium, quia subitò infirmatus, diebus paucis postea vitâ excessit humanâ. De cujus humanitate unum silere non debeo. Hic verò dum viveret, Papiæ residens, ad eum accessit quidam Civis Mediolani, qui annis mensibus & diebus litem habuerat & habebat cum alio Concive Mediolani, cui Duchexa favebat, & propterea causa sua non poterat expediri. Cui quum alloqui vellet, Dux ipse, aliàs fortè turbatus, non curabat illum tunc audire. Ille verò instabat, ut audiretur. Tunc Dux irâ accensus dixit: *Sta retro proditor*. Ad quod verbum expavens Civis ille recessit, & excessit è Curia. Dux Cameram intravit, & paulò post in se reversus, ad semet ait: *Malè fecisti hunc tuum Civem fidelem talibus conviciis lacessere*. Et advocans Camerarios dixit ad illos: *Ad me præsto advocate talem*. Qui repertus vênit ad Ducem. Dux interim Consiliarios & Curiales suos assistere mandaverat, & illo viso eum nomine proprio compellavit dicens: *Ad nos hodie venisti, & quia aliis eramus turbati, audientiam nostram tibi denegavimus; & dum insisteres, tibi turpiter convicia diximus, te proditorem nominando. Et quia mentiti sumus, quæsumus ut nobis parcas, & volumus ut heic nobis quod vis dicas*. Ille clementer pepercit, & causam suam apud Ducem peroravit. Causâ intellectâ Dux Cancellarium vocat, mandans quòd scribat Consilio suo Mediolani, quatenus visis præsentibus talem causam expediant inter tales & tales; scientes, Ducem concepisse numquam edere nec bibere vel dormire, donec per illorum responsionem noverit causam esse juridicè expeditam, *& literam Civi isti meo properanter da, & tu illam celerius porta, atque reporta, si vis, ut vivam*. Hic habitâ literâ equum ascendit, & Mediolanum accedens Consilio præsentavit. Qua lecta subitò pro Cive isto sententiam tulit, & responsionem illi per literas suas traditam consignavit. Ille renovato equo Papiam properavit ante tertiam horam noctis, & Duci præsentavit, ac illi summas gratias egit de tanta clementia & humanitate versùs eum servata.

Tamberlanus autem cum exercitibus suis destructâ Turchiâ perrexit ad Thanam, cujus adventum sensere Mercatores Venetiarum, Januæ, Catelognæ, & Bischajæ, & alii diversarum nationum, qui ibi tunc reperiebantur, & ad invicem congregati consilium inierunt quid facturi sunt in adventu istius. Finaliter concluserunt, melius esse Oratores suos illi obviam mittere, ac illi aliqua pulchra conlargiri, & de gratia supplicare, quòd illos & merces suas affidaret. Et unum pro singula natione eligunt ituros ad Tamberlanum cum donis & exeniis deputatis. Inter quos fuit Petrus Miani Venetus pro natione Italica, à quo pluries audivi, quòd ipse & socii recedentes à Thana, iter facientes adversùs castra Tamberlani, quum ad illius castra pervenissent, ab exercitibus sciscitatum est ab eis quinam essent, & quo iter accelerabant. Et ab illis audientes, quòd ad Tamberlanum commearent, honorificè habiti sunt apud eos, & associati usque ad illius præsentiam distantis tunc à primis exercitibus repertis ferè per XL. milliaria. Nam is semper in medio gentium suarum se locabat, eundo, & stando; & per hoc comprehendi potest, quòd exercitus illius occupabant LXXX. milliaria territorii. Ad quem quum tamdem pervenissent, eumdem Tamberlanum invenerunt in quodam suo papilione, auro & sirico mirabiliter labo-

borato, in similitudinem unius Civitatis circumdantis milliaria tria, apud quemdam fluvium vado pervium, habente tria claustra, unum ante aliud, in modum murorum merlatorum, cum tribus Portis una ante aliam, per quas euntes ad illum & redeuntes introibant & regrediebantur. Pro custodia verò primi claustri & Portæ primæ erant procul dubio centum millia armatorum, à vertice usque ad plantas pedum cum lanceis & aliis armis offensoriis atque defensoriis non minus in puncto quàm per Italiam bella gerentes. Pro custodia autem secundi claustri, & Portæ secundæ, erant centum millia peditum diversimode armatorum levibus cum armaturis. Ceterùm pro custodia tertii claustri, & Portæ tertiæ, erant innumerabiles Eunuchi cum CCC. mulieribus, una pulchra, & altera plus, ætatis vividæ, atque venustate mirabili, quæ quodammodo Nymphæ vel Deæ videbantur, vestitæ more Reginarum Persiæ, & ad supplendam ejusdem Tamberlani libidinem satìs multæ. Insuper in medio dicti papilionis, altiore in loco quàm alibi, posita erat antenna ligni mirabilis & incogniti mirando cum opere erecta, in cujus pinna frondosa & aurea arbor eminebat artificiosis cum foleis aureis, & ramis, innumerabilibusque operibus contexta & laborata. Quam quum ventus impeteret, fiebant tinnitus, & causabatur mirabilis armonia. Qua quidem cum antenna lignea totum id diversorium sustentabatur, zalois de raza, & mirabilibus tapetis stratum, & parietibus obsitum aureis, variis cum picturis laboratis cum gemmis, margaritisque & pretiosis lapidibus insignitis. Quo in diversorio, etiamsi nox esset, dies semper rutilans videbatur. Ad quod quum Oratores advenissent, depositis calceamentis atque caputiis, sive biretis, locum illum intrantes ter genuflexiones fecerunt, ad terram procidentes, terram sive tapeta osculantes pariter & dicentes: *Ave Rex Regum, & Dominus Dominantium*. Et oblatis muneribus, quæ secum portaverant, ex parte Francorum, quia sic in illis partibus Christiani nuncupantur, illos majestati suæ recommendant, pro munere & gratia supplicantes, quòd securi in stationibus suis Thanæ stare possint, emendo & vendendo, pro ut jugiter per omnem Orbem mercatoribus concessum est. Ad quos Tamberlam cathedra insidens aurea in throno majestatis suæ, à latere suo habens duos Fratres antiquos Ordinis Minorum Regulam Beati Francisci observantes, quos libenter audiebat, ait: *Et vos bene veneritis, à me libenti animo accepturi quæ postulastis, & multo ampliora*: Subinde subjungens se illos illuc ire visum cum proposito de vendendo illis de suis rebus, & ab illis emendo ex suis. Et quòd de eo vel gentibus suis in nullo dubitarent super caput suum. Quibus verbis factis collationem parare fecit, in qua dicto Tamberlano paratus est scyphus unius lapidis pretiosi, quem nos Carbunculum dicimus, capacitatis V. metretarum, plenus mero. Ex quo factâ illi credentiâ quum gestasset Tamberlam, ad Oratores propinari fecit, & illi ex eo hauserunt. Hausto verò mero petiit illos Tamberlam, an apud Francorum Imperatorem vel Reges tale jocale posset inveniri, & quanto pretio

A vendererur. At illorum unus, qui sapientior videbatur, flexis genibus respondit, quòd non, nec apud Francos emtor posset reperiri, qui solvendo esset. Et ille dicto illius applaudens dixit: *Nec ego umquam simile vidi nec audivi*. Et illud se habuisse dixit ab Imperatore Persarum. Sumtâque licentiâ Oratores Thanam sunt reversi cum uno ex Proceribus Tamberlani, qui cum illis in itinere & ad Thanam magnam simulavit humanitatem, & voluit videre omnes Galeas, naves, & merces mercatorum, & ex illis aliqua emit, & de suis jocalibus aliqua vendidit illis. Quibus omnibus visis atque loco explorato ad Tamberlam remeavit. B Qui paucis post diebus adveniens, omnes repertos deprehendit, & merces deprædatus est, aliquibus in mari descendentibus mercatoribus cum navibus & mercibus suis, qui dicto Tamberlano confidati non sunt. Qui postea aliquos captos pecuniâ redemerunt; & sic barbarus ille Tamberlam dictis mercatoribus fidem barbaram comprobavit. Unum, quod audivi mirabile à quodam Johanne Andrea Januense, per ipsum visum & auditum est: quòd dum dictus Tamberlam esset in partibus Thanæ, ad eum properavit homo quidam nuntius cujusdam maximi Imperatoris, quem quum Tamberlam vidisset, se reponi jussit ante illum genibus C flexis: erat enim Tamberlam retractus, nec se tibiis poterat adjuvare. Tunc ille nuntius, ostenso signo illius Imperatoris dixit: *Tibi mando ex parte Domini tui Imperatoris, ut illi mittas censum suum præteriti temporis, alioquin te præpara, quod te repertum veniet*. Tamberlam cum magna reverentia respondit, quòd jam annis V. erat extra Regnum suum ad debellandum Teucrum, & alias Terras Soldani, & quòd præsto esset ad eum facturus, ut mandaret.

Post aliquos menses dum fama de dicto Tamberlano in Italia magna esset, & Johannes Miani pro Communi Venetiarum Potestas & Capitaneus esset Tarvisii, non D absque solicitudine filiorum trium, quos habebat apud Thanam cum XII. millibus Ducatis (nam ferebatur Tamberlam Thanam adiisse) & sederet sub logia parva juxta curtivum, illi missæ sunt literæ, qualiter Tamberlam Thanam spoliaverat, & omnes tres suos filios habuisset captivos. Quibus intra se lectis, manus ad cœlum levavit. Tunc Nobiles & Judices Tarvisii secum in scanno sedentes dixerunt: *Estne quid boni vel mali*? at ille ait: *Nunc scio, me apud Thanam tres filios & duodecim mille Ducatos amisisse*. Tunc omnes conquesti & dolorati sunt. Ille autem in nullo mutatus, horâ qua solitus E erat, Palatium intravit, in nullo deficiens ex adversitate prædicta. Verùm per plures dies post, dum ipse Potestas, & Capitaneus Tarvisii eodem sederent in loco supra nominato, ecce prospiciens versùs Ecclesiam Sancti Laurentii, vidit omnes tres filios suos, quos putabat amissos ad se venientes, & in cœlum manus erigens Dominum collaudavit. Ad quem Nobiles secum scanno sedentes dixerunt: *Quid est, Domine*? At ille filios suos venientes ostendit, ex quo omnes sibi congratulantur. Filii verò equo delapsi ad patrem veniunt, damna & pericula recensentes non absque singultibus, & cadentibus

bus lachrymis. Pater scanno non se movens suo, nec vultu, ad illos ait: *Ut quid doletis amissionem pecuniarum? Ego autem illas parvipendo, postquam mihi vos Dominus restituit. Qui si mei fueritis filii, animum habebitis satis plures acquirere. Ite, & Dominum laudate, qui vos redemit, & vos matri vestræ præsentate, fingentes non vos bene habere, ut lætitia dolore permixta mater vestro adventu gestiens non exspiret.* Sicque fecere prædicti. Ipse autem scanno assidens, non se illuc movit, nisi adveniente hora, qua singulis diebus assurgere consueverat. O vir magnæ constantiæ, qui nec adversis, nec prosperis immutatus es! Dignus es memoria sempiterna.

A

Advertant Reges, Duces, Marchiones, Communitates, & Domini Italiæ, quot, quales, & quantas conductas suis exhibeant armigeris in guerris suis, quoniam ut inferius videbitis, exemplo poteritis effici cautiores. Mortuo namque Duce Mediolani Johanne Galeaz prædicto, Otto de Tertiis Miles Parmensis ex Conductoribus gentium armigerarum dicti quondam Ducis Mediolani, qui equos M. habebat de conducta, audita morte dicti quondam Ducis Mediolani, proposuit in Lombardiam accedere; nam tunc reperiebatur Assisii, in cujus arce ipse nomine quondam Ducis prædicti quemdam Bigarinum Castellanum sive Capitaneum posuerat, qui intellecta morte prædicti Ducis tractatum cœperat de dando arcem & Assisium Paulo de Ursinis, Mostardæ, & Suzzo de Paderno Conductoribus sive Capitaneis gentium armigerarum, qui intra se fecerant societatem, & pro Ecclesia militabant. Qui quum dicta de causa illuc accessissent ante recessum dicti Ottonis, & ipse adventum illorum novisset, obviam illis occurrit hostiliter usque ad Sanctam Mariam ab Angelis, extra & prope Assisium, ideo sic appellata, quòd dum Beatus Franciscus de Assisio illic oraret, Episcopus loci audiens famam sanctitatis prædicti introspexit, & vidit eumdem ab Angelis à terra per duos cubitos elevatum. Distat enim Ecclesia prædicta ab Assisio per unum milliare, ubi dictus Otto locum eligens habiliorem cum illis congressus est, licèt inferior gentibus foret, pedites suos locans in aggeribus viarum; & ex inimicis plures cepit, atque gladio trucidavit propter peditum adjutorium, qui armigeros sauciabant, nec ab illis poterant sauciari. Et est bellum usque in sero protractum cum honore dicti Ottonis, qui tamdem ad colloquium ventus amicatus est illis. Non curabat autem illic multum stare.

B

C

D

Hoc tempore filius naturalis Regis Portugallensis cum LX. equis transiens per Lombardiam vênit Tarvisium, & illinc recedens ivit in Hungariam, & transgressus illa Regna Hungariæ atque Polanæ, per terram visitatum ivit Sepulchrum Domini apud Hierosolymam. Et Tarvisium est reversus, secum de societate habens quemdam vocatum Arborem de Mira, non Militem, sed Paganum, hominem utique fortem, qui stans genu flexo sub porticu domus anguli Plateæ de Domo juxta domos quondam Advocatorum veterum, projiciebat duos palos ferreos insimul ligatos usque ad ostium Domus Battutorum in eadem Platea versùs Royam; & pedibus stando rectus projiciebat unam gavarinam à dicta porticu usque in Curiam domus anguli Plateæ de subtus versùs Curiam Episcopalem.

E

Isto medio tempore Ugolinus Cavalcabò Miles Cremonensis, & Johannes Ponzonus ex composito Civitatem Cremonæ invaserunt, & in ea vi amicorum se Dominos fecerunt. Sed quia non capit Regnum duos, etiam quantumcumque latum, dictus Ugolinus consocium veneno necat, & in solidum Cremonæ factus est Dominus. Qui non contentus dominio illius Civitatis, Minerbas invadit oppidum Brixiense. Apud quem locum à gentibus armigeris Johannis Mariæ Ducis Mediolani, primogeniti dicti quondam Ducis præmortui, captus est, quem dictus Dux interfici fecisset, nisi intervenissent preces Andreaxii Militis Cavalcabò alumni dicti Ducis, qui inter eos composuit, quòd Cremonam relinqueret ipsi Duci Mediolani. Cabrinus Fondulus de Soncino Servitor illorum de Cavalcabobus, præsentiens de prædicta compositione, simulata fidelitate, & adulationibus multis, Castro Cremonæ clam præmunito, ad cujus custodiam dictus Ugolinus Cavalcabò, interventu dicti Cabrini, quemdam affinem Cabrini, & ex illius parentela, præfecerat ad custodiendum, convitavit præfatos Ugolinum, Andreaxium, Antonium, & Jacobum omnes Milites de prosapia & genere Cavalcabobum de Cremona, aliis decem de dicta prosapia additis sibi ad arcem Macastorne, in qua ille morabatur, tamquam vellet in prædictis consultare quid agendum. Et cœnâ prædictis lautè ministratâ dixit: *Cras mane intendo vobis aliqua dicere pertinentia ad rem vestram.* Qui veniente hora cubitum euntes dormiebant. Cabrinus namque intendens nefas conceptum prosequi, associatus pluribus sicariis similibus sibi, clam cameras, in quibus Proceres illi dormiebant, intrans, cunctos mactavit, mactarique fecit, & in latrinas corpora projecit illorum. Quo facto Cremonam pergit, & intrans Castrum mane summo pro se cucurrit Cremonam, & illius se Dominum fecit generalem. Proh Judas, & plus quàm Judas! Dominos tuos perimis, nec erubescis, nefande rustice, Dominorum tuorum corpora tali mandare sepulchro? Exspecta paulullum; & ecce transivi, nec te, nec locum vidi. Vade ad inferos furcifer.

Post quem Zaninus de Vignali Laudensis machinatus est scelus. Et habito tractatu cum Antonio de Fixarago Milite Partis Guelfæ Castellano Rochæ Laudi, illum falsis cum promissionibus induxit ad deditionem sibi faciendam dictæ Rochæ; qua habita Civitatem Laudi cucurrit, & in ea se Dominum fecit generalem. Et ut se pollicitationibus eximeret, continuò dictum Antonium de Fixarago Militem & Castellanum aliàs dictæ Rochæ emori fecit in exemplum aliorum, qui magìs de cetero fidei & honori suo vacent, quàm pecuniis & promissionibus ullis. Quid enim aurum fidei potest prævalere? Ah miseri homines! In vos, in vos dictum congruit: Nullum Oppidum fortè posse consistere, ad quod asellus auro onustus non possit accedere.

Subinde namque non multum distulit post prædicta Georgius Benzono de Crema, qui confœderatione facta cum germano utique

Benzono de invadendo Cremam, contra illum egit, & se Dominum Cremæ fecit.

Istis accensus Johannes Soardus Pergamensis, quo valde fidebat Dux quondam Mediolani, magìs proditoriè egit. Qui habito tractatu cum Pandulfo de Malatestis, Conductore gentium armigerarum dicti quondam Ducis Mediolani equorum duorum millium, posito ad custodiam & gubernationem Brixiæ, illi Pergamum vendidit XXX. mille Ducatis. Qui namque Pandulfus jam sibi Brixiam vindicaverat, quam paulò ante Carriger Paduanus de societate novi electi Roberti Ducis Bavariæ in Regem Romanorum invaserat, & omnia præter Cittadellam novam nondum factam, sed intra veterem contentam, in qua gens armorum Ducis, paulò ante obitum Johannis Galeaz intrans illam viriliter defendit, & supervenientibus Ottone de Tertiis, Facinoque Cane, & aliis multis Conductoribus Brixiam redemerunt, expulsis Imperatore novo electo, atque Carrigero cum gentibus suis. Qui per Tridentum retrocedentes in Forojulium pervenerunt, & deinde Tarvisium, & Paduam; ubi diebus pluribus immoratus, videns se à Florentinis atque Carrigero illusum, per viam Venetiarum reversus est domum, ubi mortuus est.

Franciscus Rusca revocatus à Pisis, quas pro Duce rexerat Mediolani, missus est Cumum ad gubernationem dictæ Civitatis, quam pro se statim surripuit. Credo id Comici suspicatum: *Melius sibi est bene esse, quàm alteri; aliàs malè sibi bene esse, quàm alteri*. Et quia Gibellinus erat, continuò Dominus factus partem Guelfam spoliavit.

Civitatibus ferè omnibus dicti quondam Johannis Galeaz Ducis Mediolani rebellantibus, Gabriel filius naturalis dicti quondam Ducis Mediolani factus Dominus Pisarum tempore patris, fidens Bucicaldo Francigenæ, qui pro Rege Franciæ regebat Civitatem Januæ, ivit Januam, ubi à dicto Bucicaldo captus est, & decapitatus. Ex qua morte factus est Dominus Pisarum Petrus de Gambacurtis Civis Pisarum, qui demeritis Archiepiscopi Pisarum Loti de Gambacurtis, & aliorum fratrum suorum, occisus est cum filio à Jacobo de Plano ejus Cancellario & à filiis suis. Qui Jacobus del Plano factus est Dominus Pisarum, adversùs quem processit adveniente tempore Episcopus Tarvisii, Loth prædictus de Gambacurtis.

Otto de Tertiis prædictus Conductor gentium armigerarum Ducis Mediolani, recedens à Brixia, iter versùs Parmam direxit, & per Guastallam transiens venit Monteclum districtus Parmæ. Ubi notitiam habuit de adventu Gerardi de Adelgeriis quondam Capitanei Bassani, à quo revocatus missus fuerat Pisas; sed nimium distulerat ire. Conductor equorum DC. gentium armigerarum quondam Ducis prædicti, veniens de Castro Franco territorii Bononiæ, ubi se locaverat, equitavit ad locum, & dictum Gerardum de Adelgeriis improvisum aggressus est, & illum & socios equis & armis spoliavit, & jussit dictum Gerardum de Adelgeriis ad Castrum Guardaxoni distantis à Parma per VII. milliaria conduci debere. Quem illuc conductum non multis interjectis diebus crudeliter mori fecit. Fuit hic verè Scutifer magnæ præstantiæ super omnes Scutiferos Lombardiæ.

Quum pæne tota Italia bellis & armis laboraret, nec mare evasit imbelle, Bucicaldo pro Rege Franciæ Januam gubernante. Qui dum ibi & in mari debuisset omnia tranquilla cum pace gubernare, in cursum cœpit navigare. Qui quum Venetis & aliis mercatoribus plura damna intulisset, nec dietim cessaret inferre, visum est Ducali Dominio Venetiarum pro obviando prædictis Carolum Zeno virum magnæ experientiæ atque virtutis, Capitaneum Gulfi ordinare cum XIII. Galêis. Qui in altum navigans, postquam Venetiis discesserat, Modonum applicuit, ubi sciscitans intellexit armatam dicti Bucicaldi totidem Galêarum reperiri super aquas Modoni. Qua re comperta, obviam illi accurrit, & utraque armata alterutri appropinquante, belli navalis præludium inchoarunt. Carolus Capitaneus armatæ Venetorum, cernens bello procedente victoriam dubiam esse, confestim Modonum unam remisit Galêam, mandans regimini loci illius, quòd Galêas duas grossas cum mercibus in portu præsentialiter existentes exonerari faciat, & illas apud nautas suis propriis hominibus Modoni ex melioribus rearmare, & ad se præsto transfretare. Sicque confestim factum est. Quibus ventis ad locum armatæ, & aliis unitis ex composito Carolus Zeno Capitaneus prædictus cum armata Venetorum Bucicaldum Capitaneum armatæ Januensium aggreditur, bello navali decertans. Quod quidem bellum duravit à prima hora diei usque in horam sextam. Ita usque in illam horam utrique parti dubius fuerat belli eventus. Verùm Francigenæ Galêam Caroli Capitanei pugnantes jam ascendere cœperant. Tunc Comitus Galêæ Capitaneæ illam ad alterum flexit latus ad bandam, ex qua flexione dicti Francigenæ armis omnibus onusti tot quot ascenderant, mari immerguntur, ita ut nullus eorum Galêæ substiterit. Tunc dicta Galêa Capitanea respirans in hostes irruit. Hostes Venetis insistunt, & illi illis; vulnera & cædes utrinque fiunt balistis, lapidibus atque bombardis. Tandem Carolus Zeno sex Galêas Bucicaldi comprehendit. Bucicaldus, videns victoriam belli navalis in partem Venetorum cedere, meditatus est fugæ consulere, & velis in altum erectis cum sex Galêis, quæ sibi restaverant, per altum navigans aufugit, victoria Carolo Zeno remanente. Bucicaldus Januæ conquestus est de Venetis, quòd ipsi contra pacta facta inter Januenses & eos, venissent, & quòd per hoc pacem rupissent. Veneti non sic esse asserebant, quin immo dicentes, quòd non contra Januenses insurgissent, sed contra Bucicaldum tamquam maris piratam, qui Venetis & aliis navigantibus multa & magna damna contulerat, & ab illo & Communi Januæ petebant multa millia Ducatorum pro restauro & pro pœna, in quam inciderat Bucicaldus illorum Capitaneus. Tunc ad requisitionem utriusque partis res commissa Florentinis. Ad quam causam perorandam Florentiam accesserunt Oratores Venetorum Bartholomæus Nani, Barbonus Mauroceno, Venetiarum Nobiles, Franciscus de Zabarellis de Padua Juris utriusque Doctor eximius, & Albertus de Petra-Rubea Juris peritus, magis

gis facundiâ & audaciâ confisus, quàm scientiâ, Civis Tarvisinus. Ubi per plures menses moram traxerunt. Et re infecta tamdem Venetias sunt reversi, quoniam Florentini Pisis intendentes timuerunt Januensibus displicere. Iterato autem partes ad controversiam dispositæ convenerunt ad invicem, quòd Dux Sabaudiæ causam ipsam cognosceret, & fine debito terminaret. Quod magnis cum laboribus & expensis factum fuit. Nam in Turino Dux Sabaudiæ sententiam protulit contra Januenses, & illos condemnavit ad dandum & solvendum Venetis per certos terminos centum millia Ducatorum pro restauratione damnorum mercatorum suorum, & ab expensis utramque partem absolvit propter justam causam litigandi.

Otto de Tertiis prælibatus, accensus cupiditate dominandi, se confœderavit Petro de Rubeis Principi Parmensi, & aggregati simul Civitatem Parmæ ab obedientia Ducis Mediolani removerunt. Nec istâ tamen contentus Otto, Placentiam aggreditur, & illius se Dominum facit, à qua reversus Parmam, dictum Petrum de Rubeis cum omni parte sua de Parma expulit, & in solidum Parmæ dictus est Dominus.

Facinus Cane de Castro Santuaxii in confinibus Montisferrati, Conductor gentium armigerarum quondam Ducis Mediolani plusquam duorum millium equorum, perpendens dietim, qualiter facta filiorum quondam Ducis Mediolani succedebant, se confœderavit cum illis de Becharia Nobilibus Papiæ, & ut uterque socio confidere posset, ad invicem sanctam Communionem sumserunt, ad conservationem status Philippi Mariæ Comitis Papiæ filii quondam Johannis Galeaz Ducis Mediolani, sibi ad invicem promittentes, non se derelinquere, & in omnibus opitulari. *Verùm*, ut ajunt, *si violandum est jusjurandum, illud regnandi causa*: Facinus contra juramentum veniens, paulò post se Papiæ Dominum fecit, & Alexandriam, Novariamque, & multa alia Castra & Terras in territorio Papiæ, Alexandriæ, atque Novariæ sub ditione sua posuit. Et Castellinum de Becharia cum aliis pluribus ex dicta parentela persequutus est, fingens se favere Philippo Mariæ in Castro Papiæ tunc existenti prædicto.

Duchessa filia quondam Bernabovis, & uxor quondam Johannis Galeaz Ducis Mediolani, post mortem viri Mediolanum vênit cum Johanne Maria primogenito suo, dicto *Duce Mediolani*, relicto Philippo Maria secundogenito suo, dicto *Comite Papiæ*, in Castro Papiæ. Et dum ad se vocasset Commissarios viri quondam sui Ducis præmortui, Carolum de Malatestis, Jacobum del Verme, & alios plures ad regendum Statum filiorum suorum, & dicti Commissarii intra se divisi potiùs viderentur factis propriis vacare, quàm Ducis, cœpit illa sævire, imputans aliquibus Nobilibus de Aliprandis, & aliquibus Nobilibus de Porris ex Majoribus Mediolani, quòd illam asseruissent prægnantem ex Francisco Barbavaria, olim magno Secretario quondam Ducis Mediolani. Et ad se vocatis separatim in Castro Portæ Zobiæ Mediolani, caput illorum cuilibet truncari jussit in Camera sua, illis ante decapitationem dicens; *Vos me prægnantem fecistis. Certè parere intendo, & onus deponere prægnaturæ*. Nec multo post mortua est dicta Duchexa. Qualiter autem, non bene sciri potuit, sed tamen exstitit divulgatum, Malatestas illam mori ac strangulari fecisse, quia adhærentes affinibus decapitatorum, quærebant dominium usurpare, nisi Mediolanenses perpendissent. Sed ut omnibus obviaretur, factum est, quòd Carolus Malatesta quamdam filiam Malatestæ de Malatestis præmortui Johanni Mariæ tradidit in uxorem, quæ Mediolanum transducta est. Johannes Maria Dux Mediolani consilio Caroli de Malatestis ad se vocat Facinum Canem. Qui dum Mediolanum ad illius præsentiam accessisset, & ex aliquibus actibus perpendisset se debere intromitti atque restari, concepit aufugere. Veniensque equester ad Portam Curiæ quondam Domini Galeaz, illam clausam comperit; & avisatus à quodam provisionato Curiæ de quodam postico, locum adivit, jam currentibus satellitibus ad illum intromittendum. Ubi nullam moram fecit, & equo currens per posticum egressus est. Quo equo solus, & absque sella, non currens egredi non potuisset. Quod omnibus mirabile apparuit. Ipse autem Facinus potuit dici secundus Alexander. Quem ego juvenem vidi, nec meo recordatu quemquam alium melius nec pulchrius equitantem vidi. Pervenitque Papiam, & ab inde citra insidiatus est Duci Mediolani. Et facto concordio cum omnibus inimicantibus dicto Duci, Alexandriam perrexit, dato ordine cum prædictis de Becharia de faciendo interficere Philippum Mariam Comitem Papiæ in Castro commorantem, & aliquando per Civitatem equitantem, nec non & cum aliis Mediolani de interficiendo Johanne Maria Duce Mediolani una die & hora. Quod quum ad aures pervenisset Antonii Ansoxi de Novis Castellano Castri Papiæ, eumdem Philippum Mariam edocuit, ne egrederetur, quia mortuus esset. Ille verò juvenis egredi omnino volebat; sed dictus prohibuit, & illi comminatus est, nisi parêret. Restitit enim Comes, & à Castellano novit, qualiter Carmignola armiger ipsum prævisum fecerat, quod egredi non permitteret, quia mors ejus ordinata esset, & fratris. Interim procedente tractatu de morte prædictorum, Johannes Maria Dux Mediolani in Capella sua, in qua Missam audierat, ab Andrea de Bayo, Ambroxio de Triulcis, Parochino de Mayno, & Ottone de Vicecomitibus, & aliis pluribus interfectus est gladio. Cujus morte audita Castellinus de Becharia instabat, quòd Philippus Maria de Castro & Civitate descenderet spatiatum, fratris mortem ignorans. Et tunc Carmignola in Castro existens conviciatus est dictum Castellinum de Becharia, objiciens quòd proditor esset Domini sui; per medium cujus Carmignolæ, armigeri quondam Ducis veteris Mediolani, Philippus Maria Comes Papiæ, & dicti quondam Ducis filius, mortem evasit.

Mortuo itaque dicto Johanne Maria Duce Mediolani, ecce insurgit Hector Miles de Vicecomitibus, vocatus *Miles absque pavore*, filius naturalis quondam Bernabovis de Vicecomitibus quondam Domini Mediolani, factione amicorum cum pluribus Civibus Mediolani & Modoëciæ, cui tunc Hector dominabatur, Mediolanum intravit, se Dominum vocans. Qui ut debuit vigilare ad rem status

tus sui, in choreis die noctuque supra corpus Ducis interfecti versabatur. Facinus Cane audiens, qualiter facta successerant atque succedebant, & quòd superstes adhuc vivens foret Philippus Maria Comes Papiæ, qui à majori parte Civium Mediolani requirebatur, adhæsit dicto Philippo, & sub nomine dicti Philippi Mariæ cum gentibus suis Mediolanum intravit, & Terram cucurrit pro dicto Philippo Maria, & ex hoc Hestorem oportuit ire Modoeciam. Et dictus Philippus Maria in Castro Portæ Zobiæ Mediolani intravit, & sub protectione Facini Canis se annis & mensibus gubernavit. Nam Facinus Cane per medium illius videns se Dominum Mediolani, quum filios non haberet, curavit, dum viveret, illum custodire, ut Populo Mediolani complaceret. Qui Facinus veniens ad mortem, Agnexinam Canem ejus uxorem vocavit, & illi consuluit, quòd moriente ipso, dicto Philippo Mariæ Duci nuberet, quia sibi omnia relinquere cupiebat. Et vocato Philippo Maria Duce Mediolani, illi consilium suum aperuit. Ille autem juvenis & solus applaudit, & in puncto mortis Facini Philippus Maria dictam Agnexinam desponsavit. Nec multo post prospera succedente fortuna ipse Philippus Maria Dux Mediolani dictam Agnexinam decapitari jussit. Causam puto quum impar esset matrimonium, juxta illud

„ . . . . *si vis rectè nubere, nube pari.*

Ante cujus decapitationem Alexandria à Palea per Facinum possessa se rebellavit factione Ambroxii Lanzavecchia Alexandrini, qui cum gentibus Marchionis Montisferrati Civitatem illam fecerat rebellare. Ad recuperationem cujus dicta Agnexina virago unà cum Carmignola armigero cum gentibus quondam Facini Cane equitavit, & illam recuperavit, atque spoliavit, & novo marito Philippo Mariæ Duci Mediolani subegit.

Pars Gibellina Asculum suæ parti vindicat. Johannes autem Massi caput partis Guelfæ se reduxit ad arcem, & continuò ad se vocavit Mostardam Capitaneum & Conductorem equorum MD. gentium armigerarum Ecclesiæ, & se & arcem illi nomine Ecclesiæ dedit cum hoc, quod Civitatem intraret, & illam nomine Ecclesiæ in deditionem acciperet; hac siquidem lege, ut omnes Gibellinos spoliaret, & ab Asculo juberet exulare: nec quicquam defuit ad exequutionem promissorum.

Paulus Ursino tunc in Sutri erat cum M. equis, cui inimicabantur Broya Miles Alexandrinus, & Brandilinus de Bagnacavallo, fratres jurati. Qui Brandilinus per ante habuerat à Duce veteri Mediolani Castrum Zumelarum districtus Belluni, Comitatum antiquum quondam Dominorum de Camino, & cujus corpus Tarvisii jacet in Ecclesia Sancti Francisci Ordinis Fratrum Minorum. Et ex composito contra prædictum Paulum processerunt, ut illum compellerent Sutrium derelinquere. Quos quum Paulus illuc accessisse vidisset, cum illis viriliter est congressus, & à mane usque sero continuè prœliatum est ancipiti pugna. Tamdem Broya & Brandilinus cum gentibus suis retrocesserunt. Paulus autem Sutrium obtinuit, non absque ambarum partium damno notabili.

A Sartus de Ravenna Capitaneus Populi Romani cum equis DCCC. & peditibus sex millibus egressus Româ, obviam perrexit Alberto Ceresole socio Bernardoni Conductoris gentium armigerarum, adversùs se venienti cum equis DC. Qui Albertus videns præfatum Sartum cum favore Populi Romani temerariè pugnam invadere, prærogativâ loci ac Solis adhibitâ, antequam Populi furor adveniret, cum prædicto congressus est, structis & ordinatis aciebus, & illum penitus confligavit, & adversùs inordinatum Populum bello accurrentem animosè invadit, quos ad impetum primum fugere compulit, ex eo Populo CC. à talea captis, quos secum Sutrium captivos adduxit,
B & pecuniis redemi fecit.

Ladislaus filius quondam Regis Caroli à Pace fuit Rex Apuliæ. Qui Carolus dum Hungariam adivisset, & Regni illius Rex factus fuisset post mortem Ludovici Regis Hungariæ, ibi à magno Comite Hungariæ mortuus fuit; & post mortem dicti Caroli parvulus amodo latuit apud Gajetam Apuliæ, & à Gajetanis nutritus, & homo factus, animadvertit, qualiter ad Regni fastigium Apuliæ diu lacerati per Reginam Zuannam, & Ducem Anglaviæ, ac Proceres, & Barones, nec non & gentes armigeras à tempore mortis citra quondam Roberti Regis, posset
C ascendere. Et non videns alium habiliorem modum, statuit ab se abdicare uxorem suam filiam Manfredi de Claramonte, cujus auxilio & pecuniis multas terras Regni in deditionem jam habuerat suam, & Madamam Mariam Taranti Principessam viduam impetere, cum qua erat Franciscus Ursino Capitaneus MC. equorum, quos imaginatus est, quòd cum inter suos quatuor millia, quos habebat, induceret, Rex Apuliæ de facili posset evadere. Habebat enim secum Comitem de Troya, Gentilem de Monte Grano, Jancolonam, & Martinum de Faventia infra utrumque mare inferius & superius.
D Quam quum fuisset aggressus, & illam cum dictis gentibus in obsidionem teneret, Principessa Maria videns, quòd illius manus evadere non poterat, cum Ladislao composuit, quòd abdicata à se uxore sua, filia Manfredi de Claramonte, & ipsa in uxorem suscepta, illi avere suum, & Terras omnes, & gentes, quas habebat, tribueret in dotem, & per hunc modum totius Regni & Dominus & Rex evadere poterat. Ladislaus nil ultra moratus ad se vocat uxorem, & illi anulum de digito surripuit, dicens: *Amodo non intendo, quòd amplius sis uxor mea, sed in virum tibi trado hunc Nobilem Militem adstantem*: Mandans Militi, quòd illam anulo subarrharet. Tunc Miles læto animo jussa
E exsequutus est. Ad quem illa ait: *Exsultare Miles, quia nocte hac dicere poteris, quòd uxorem Regis tuam habebis in concubinam*. Ladislaus verba flocci pendens, suum est propositum insequutus, dictam Mariam Principessam anulo desponsans, omne Regnum obtinuit, & ab illa hora citra in solidum integro Regno dominatus est Rex.

Bellis undique per Italiam serpentibus, in qua nihil solidi erat, præter Ducale Dominium Venetiarum, cujus Senatus consilia sua convocavit, & comitia fecit super bello nuper moto per Franciscum de Carraria Junio-

niorem Dominum Paduæ. Qui armata manu adversùs Veronam, in qua Ugolotus Blancardo Miles Parmensis jam diu pro Duce Mediolani regebat, castra movit, per medium Guilielmi de la Scala naturalis tantùm, longis temporibus Venetiis immorati, filii quondam Canis de la Scala Domini Veronæ. Qui causâ depositi facti per eum in Venetiis Guilielmus prædictus à Venetiis jugiter provisionem annuam continuè susceperat, quem de futuris admonitum Veneti cautum reddiderunt, ut ab insidiis Carrigeri præcaveret. Nec valuit consilium, quia Carriger processit, & Veronam invasit, associatus Marchione Estensi Nicolao genero suo, & ab aliis multis Nobilibus & armigeris cum equis MM. & totidem peditibus bene armatis. Et habito tractatu cum intrinsecis Veronæ, putantibus Guilielmum de la Scala prædictum in Dominum futurum, Civitatem intravit, acclamantibus cunctis: *Vivat Guilielmus de la Scala*; qui à veneno jam præventus Civitatem æger ad mortem intravit, dicente Carrigero: *Apage te: hic est Dominus vester*. Et ad Guilielmum conversus illum videbatur hortari, ut confortaretur, & bono animo esset, qui illa die exspiravit. Cujus filios Brunorium & alios Carriger continuò cepit, & illos in Pendicem captivatos misit. Et habitâ praticâ cum Veronensibus factus est Dominus, & Castra, Rochas, Portas, & Pontes munivit, ac loco sui in Dominum constituit Veronæ Jacobum ejus secundum filium, pluribus creatis Militibus ex Veronensibus in collatione dominii; nec non & Cruci suffigi jussit Guilielmum de Lischa Militem, qui partem filiorum Guilielmi de la Scala sequutus est. Et ad ulteriora procedens Carriger prædictus, qui jam noverat Venetos ex causa prædicta sibi infensos, Colognam oppidum in deditionem habuit, & Franciscum III. primogenitum suum cum gentibus ad obsidionem Vicentiæ misit, qui apud Vicentiam castra admovens, dominium illius Civitatis petebat. Vicentini verò antiqui Paduanorum inimici, ne in manus inciderent prædictorum, atque Carrigeri, consilium inierunt, ut Venetis Vicentiam traderent cum districtu. Et Oratores suos clam Venetias miserunt, & juxta consilium exsequuti sunt. Veneti namque, nullâ habitâ morâ, aliquos suos Nobiles Vicentiam mittunt cum insignibus Beati Marci, quæ de præsenti super Turribus Vicentiæ levata sunt. Quibus elevatis propter rubrum in albo radians aliquibus Patavis visum est insignia Plaustri Vicentinos elevasse, & currentes Paduam accesserunt Carrigero nuntiantes, qualiter Vicentini se illi dederant, & jam sua insignia levaverant. Sed re in contrarium comperta, dum Nobiles Venetorum clam Vicentiam ingressi post sibi traditam Civitatem dicto Francisco III. filio dicti Francisci de Carraria Junioris sive Novelli Paduæ Domini per tubetam Tarvisinum illis associatum nuntiari fecissent, quòd Civitas Vicentiæ cum districtu deditionem fecerat Venetis, qui illum precabantur tamquam Venetiarum Civem & amicum, quòd ab obsidione discederet, furore repletus Carriger ille Franciscus III. proavorum vestigia sequutus, contra legem nuntiorum, qui nihil mali audire vel suscipere debent, pauperculum tubetam Venetorum nuntium jussit per frusta concidi.

Veneti intellectis, quæ faciebant, ac jam facta erant per Carrigerum, illum requisiverunt, quòd Colognam per eum captam expeditam relinqueret, & quòd ab obsidione discederet. Qui in altum elevatus propter prospera, quæ sibi successerant de Verona, ad Ducale Dominium misit Matthæum tubetam suum, ut nuntius, ad exponendum quid intenderet, sed procul dubio non minus, ut simili modo tubetæ Tarvisini concisi, etiam per Venetos in frusta concideretur. Qui ingressus est Venetias cum insignibus Plaustri. Quem videntes Marinarii multi & Populares Venetiarum post illum abierunt, ut in illum vim facerent, ceu Vicentiæ factam audierant tubetæ Venetorum. Tunc certi Nobiles suspicantes, quid intenderent Populares, illum intra se suscipiunt, & plicatis insignibus Plaustri ad Palatium citò perducunt, & obseratis Portis, illi ad Serenissimum Ducale Dominium aditus conceditur. Qui illuc ventus suis explicatis insignibus ait: *Vos diffido ex parte Domini mei Domini Paduæ*. Ad quem Dux respondit: *Tu bene veneris. Diffidam hanc læto animo suscipimus, sperantes, quòd Omnipotens Deus, qui superbis resistit, & mala consilia Principum dissipat, illum propterea disperdet, & à primis sedibus exulabit, nisi forte infernas adierit, quas pater suus demeritis possidere jam credimus*. Quibus expeditis Ducale Dominium mandavit nuntium illum de novo vestiri, & sub fida custodia Paduam remitti. Felix tubeta, qui propitiores habuit inimicos quàm Dominum, cui jam XX. annis servierat! Miror quòd Carriger statim factâ diffidâ non cucurrerit per omne territorium Tarvisinum, sibi & patri satis notum. Sed non putaverat res ultra procedere.

His sequutis, res cunctæ ad bellum parantur. Veneti gentes armigeras equestres & pedestres undique per Italiam exquiri & conduci faciunt, quibus præstantiæ fiunt magnæ, & die noctuque stipendiarii conscribuntur Venetiis. Et per Ducale Dominium Antonius Mauro, Procurator postea Sancti Marci, Civitatem Belluni, cum quo accessit Antonius Zuchato Communis Tarvisii Cancellarius, & Bartholomæus Nani Feltrum, cum quo Bonsemplantus de Vomico, & ego accessimus cum cernitis hominum Tarvisinorum, mittuntur. De quibus per Antonium Mauro fit intrata in Civitate Belluni, & per Bartbolomæum Nani Feltro, Castro tamen Feltri reservato pro Duce Mediolani, quo ad per Ducale Dominium habitum est Bassanum. Interim mittor ego Zumelas, & ad Scalam ad inveniendum modum, quòd Castellani locorum prædictorum Castra illa dent in manibus Venetorum, postquam illa pro Domino quondam suo Duce Mediolani jam mortuo custodire non poterant, ne in manus Carrigeri devenirent inimici quondam Domini sui & filiorum suorum. Quos tamdem peroravi, & ad deditionem compuli faciendam absque expensa Venetorum. Postquam evocor à Feltro, & cum Francisco Bembo Milite glorioso mittor Bassanum, ubi jam pridem aderat Antonius Bragadino associatus Brandilixio de Apignano Notario Tarvisino, secum portans XII. millia Ducatorum. Qui Franciscus Bembo Miles de Tarvisio

visio recedens secum portabat decem octo millia Ducatorum, de quibus super equo meo portavi sex mille, associatus Guielmino Comite de Prata, & Tristano de Sovergnagno, ambobus de Patriarchatu Aquilejensi, habentibus pro singulo lanceas C. gentium armigerarum. Et ivit die secunda Bassanum, & compositione facta cum Frignano de Sexo illic Capitaneo pro Duce Mediolani, nec non & cum Bitino Bigone Castellano Castri superioris Bassani, ac cum Johanne de Curte Capitaneo Castri minoris à Leone Bassani, & cum Antonio de Ponte Curono Comestabili ac Capitaneo Pontis Novi Brentæ, & unicuique prædictorum juxta illorum stipendia partitus est vigintiduo millia Ducatorum, sexcentumque, & vigintiduos. Qua solutione sic facta prædictus Fregnanus Capitaneus Bassani unà cum Castellanis & Comestabilibus prædictis & aliis deditionem fecit de Terra Bassani, Castris, & Pontibus dicto Francisco Bembo Militi Provisori Ducalis Dominii Venetorum. Cum quo mansi per VII. menses, quo ad revocatus ivit in exercitu contra Paduam, & ego remissus fui pro Castellano in minori Castro Leonis.

Nicolaus Marchio Estensis, gener Domini Paduæ, adhærens socero suo, Rhodigium, Lendenariamque, & Abbatiam Terras possessas per Commune Venetiarum invadit, & illas ab obedientia Ducalis Dominii Venetorum, consentientibus incolis, dimovit. Propter quod Veneti indignati tres exercitus frequenter parant: unum cum Galêis & navibus, barchisque adversùs Ferrariam: alterum ad Gambararias apud Plebatum Sacci; & alium adversùs Paduam. Nec prædictis tribus contenti, etiam quartum festinant contra Veronam demandare. In quo quidem exercitu contra Veronam erat Capitaneus Jacobus del Verme Miles famosissimus, associatus Francisco de Gonzaga Domino Mantuæ, altero ex Commissariis quondam Ducis Mediolani, ac Ottone de Tertiis, cum aliis probis armigeris circiter equis sex millibus & totidem peditibus. Cum exercitu verò contra Paduam primus Capitaneus fuit Malatesta de Malatestis de Pesaro; deinde secundus fuit in eo Capitaneus Paulus Savello unus ex Principibus Romæ; tertius autem Capitaneus fuit Galeaz de Mantua Miles fortissimus, qui aliàs in Francia singulari certamine lacessitus à quodam Rubino Novello Anglico (qui Parixium accesserat, ut contra unumquemque, qui viribus pugnare secum vellet, campum assignaret, & ut tunc ibidem ferebatur, dictus septies singulari certamine impugnans victor exstiterat, & à nullo victus usque in diem illam, cui nullus Francigena audebat obviam ire) secum descendit in pugnam pedestrem, tamen de Regis voluntate. Quumque ad manus ventum esset, dictus Rubinus vir magnus & potens in viribus, quàm in agilitate, cum quadam aza ferrea magna in dictum Galeaz anhelans impetum fecit. Ipse Galeaz ad illum oculum habens, agilitate levatus à parte prosiluit, & ille aza illa terram percussit. Ex quo antequam se posset erigere dictus Galeaz in eum saliens post occiput taliter aza percussit sua, quòd illum terra prostravit, quem victum Regi condonavit adstanti, à quo dum vixit habuit annuatim de provisione Ducatos DC. auri, donec lacessitus à Bucicaldo Francigena, cum illo convenit singulari pugna certare. Qui non valentes in Curia Ducis Mediolani campum obtinere, de illo apud Dominum Paduæ convenerunt. Ad quem locum quum ad terminum præfixum applicuissent, paratus est locus per dictum Dominum Paduæ in Platea Curiæ suæ ab extra. Ubi Dominus Paduæ, & Dominus Mantuæ personaliter astiterunt, ad spectaculum undique concurrentibus Venetis fortè ultra numerum D. Nobilium Venetorum. Bucicaldus verò die stabilito ab uno Plateæ sibi papilionem panni sirici & auri mirabiliter contexti præparari fecerat, & omnibus armis necessariis communiri. Ex adverso verò Galeaz Miles prædictus capannam in modum tugurii construi fecerat necessariis armis repletam. Qui horâ stabilitâ ambo cum famulis suis & armis ad Plateam quum applicuissent, locum pugnæ clausum, Crucis signo facto, soli intraverunt cum ambobus equis suis. Et ad diversoria sua accedentes, se armare fecerunt. Et egrediens Bucicaldus de papilione, armatus omnibus armis, scuto & lancea exceptis, absque eo quod pede staffam attingeret, equo insiluit suo. Quem Galeaz armatus de capanna egressus, equum trahens manu, quum vidisset, equo relicto cum lancea contra prædictum irruit absque scuto, belli guanto projecto. Tunc Bucicaldus non minus agiliter equo transilivit, scuto in partem projecto, & cum lancea in manu Galeacio obviam vadit. Qui quum se simul & semel lanceis investissent, dicti Dominus Paduæ, & Dominus Mantuæ à Rege Franciæ rogati sic facere, ad illos transvolant, & unusquisque unum capit, nec permiserunt ultra facere, sed æqualiter procedentes, ita ut unus ante alterum pedem dimovere nollet, ad concordium unicuique suo honore servato conduxerunt.

Procedentibus exercitibus suprascriptis, Capitaneus armatæ Venetorum in Pado taliter Ferrariam obsessam arctavit, quòd inedia debellatus ac coactus est Marchio ad pristinam Venetorum amicitiam redire. Cui profuit multum Michaël Steno Dux Venetiarum, qui illum de sacro Fonte levaverat. Aliàs Veneti illum à dominio Ferrariæ abire coarctassent. Sed in pristina amicitia assumtus, Ducali Dominio se præsentavit, & loca pridem capta restituit, cum promissione de restituendo in posterum expensas factas sui culpa in guerra Padi prædicta. Jacobus verò del Verme cum exercitu contra Veronam XII. millium armatorum taliter Veronam adstrinxerat, quòd Jacobus Carriger associatus Paulo de Leone Milite Paduæ coactus est Veronam deserere, & fugæ consulere. Quibus aufugientibus, astutiâ Jacobi del Verme Capitanei exercitus prædicti capti sunt in Salogna juxta Lignagum, & sub fida custodia Venetias destinati, & ibi carceribus mancipati sunt. Nec post habita mora, nam Veronenses dictam Civitatem Veronæ Ducali Dominio Venetiarum coacti sunt dare, & sub illius dominio se conferre cum omnibus Castris, Locis, ac Terris territorii Veronensis, exceptis Castro de Ripa Lacus Benaci, quod traditum est Episcopo Tridentino, Castroque Pischeriæ, Hostiliæque, & aliis, quæ

quæ in deditionem Francisci de Gonzaga Domini Mantuæ jamdiu pervenerant.

Factâ intratâ Veronæ & omnium Castrorum & Rocharum Veronensis districtus per Ducale Dominium Venetorum, & illis in bonam custodiam ordinatis atque dimissis, ecce omnis exercitus adversùs Paduam cum alio fortiori facto se congregat, & Paduam invadunt, quæ inedia & epidimia miserabili in extremis laborabat. Nec minus omnia Castra Paduani districtus invadunt, ex quibus jam Cittadellam, Castrum Sancti Petri, & Plebem Sacci, cum Stiano, & Uriago obtinuerunt Veneti. Paulus verò de Leone Miles Paduæ cum Jacobo de Carraria captus, & Venetiis carceratus, creditus est consuluisse Lucæ de Leone fratri suo Capitaneo arcis Montis Silicis pro Domino Paduæ, quòd in deditionem veniret Venetorum. Re comperta, qualiter honore suo servato posset id facere, videlicet *quòd fulminante Jove ignis munitionibus clam supponatur, quas cum loco combustas fulmine prohibebunt homines; tunc de casu fulmine occurso ad Dominum scribatur, ut paret subsidium atque victum, qui quum impotens sit, in sententiam deditionis compulsus venies*. Sicque observatum fuisse fama est; quæ si in illo falsa est, in hoc tamen verius proverbium comprobatur: *Nullum Castrum, oppidumve, vel Rocham fortia esse, ad quæ asellus auro onustus non possit accedere*.

Carriger audito negotio, & tot tantisque quassatus cladibus, infremuit, & de fuga cogitavit. Sed quia Nicolaus Marchio Estensis ejus gener jam amicatus erat Venetis, & illis Rhodigium & cetera Castra ablata restituerat, quæ per Venetos jam custodiebantur, videns se ab omnibus destitutum, & cunctis inimicari circumstantibus, restitit, donec Burgus Sanctæ Crucis habitus est per exercitum Venetorum. Et tunc currens ad Portam Turrisellarum, unico puero Æthiope sociatus, ibi comperuit quamplures Paduanos cucurrisse. Quibus persuasit, ut murum & Turrim ascenderent ad defensionem Civitatis. Ad quem unus illorum respondit: *Descende de equo, & vadas tu, qui te & nos in tantum exterminium conjecisti*. Quo audito Carriger, inclinato capite abiit, & Castrum intravit, & ex illa hora concepit Civitatem dare Venetis, dubitans à Civibus interfici, quibus odio erat. Et propterea ad exercitum nuntium misit, ut sibi locus fidus daretur eloquendi. Quo nuntio audito, & loco sibi credito, tamdem ductus est Venetias cum filio suo Francisco III. Et Civitas à Paduanis unanimiter tradita est Ducali Dominio Venetiarum, nullis aliis adhibitis pactis, quoniam epidimia & inedia moriebantur ut canes. Et ex tunc plusquam triginta duo millia Paduanorum peste illa defecerant. Unum advertant cuncti potentiæ Venetorum invidentes, quòd illis temporibus Ducale Dominium Venetiarum quinque habuit exercitus, quatuor in Marchia Tarvisina, & quintum in Albania. In quibus exercitibus habuit ultra triginta sex mille pagas inter pedestres & equestres ac nautas, quibus per decem & octo menses continuos de stipendiis providit, ac victualibus, nec non & pavit Venetias, Paduam, atque Veronam cum Ferraria, & earum Castris & districtibus, quibus nisi de victualibus providisset, actum erat de salute omnium.

A Captivis in Venetiis existentibus ambobus Franciscis Carrigeris, scilicet Novello patre, & Tertio filio, ac Jacobo fratribus, filiis dicti Francisci Novelli de Carraria filii quondam Francisci de Carraria Senioris, diu in Comitiis Venetorum consultum est, quid foret de illis advertendum. Quidam ajebant in exilium mittendos apud Cretam; quidam consulebant, quòd deberent in carceribus quamdiu viverent retineri; quidam, quòd fabricari deberet in loco fortissimo una cavea de lignamine, & continuè per vigilantes custodiri, quidam secundùm opinionem Jacobi del Verme judicabant dicentes, quòd si quondam Dux Mediolani il-

B lum mori fecisset, quando eum captivum habebat, quòd non sibi Paduam surripuisset: ex quo exemplo Veneti redditi cautiores poterant judicare, quòd morerentur omnes tres, quia sic expediebat, ne tota Plebs Paduana deficeret, & quia isti non erant aves, quæ deberent caveis detineri, recordando, quòd numquam auditum est, hominem mortuum aliquibus facere guerram. Hoc quoque tamdem obtentum est, ad patrem priùs destinato Fratre Johanne Benedicto de Venetiis Ordinis Prædicatorum, ut animæ suæ consuleret, & Confessionem faceret de peccatis. Qui Frater nisi cautè processisset,

C Carriger illum trucidasset, sperans quòd sumtis vestibus illius posset carceribus liberari. Franciscus autem III. filius illius, misso ad illum Sacerdote, ut animæ suæ consuleret, & confiteretur de peccatis, illum audire recusavit, & libenter Sacerdos secessit ab illo. Jacobus verò de Carraria frater prædicti, & filius dicti Francisci Novelli olim Domini Paduæ, viso Sacerdote, illumque ejus mortis nuntium esse perpendens, flexis genibus, manibusque conjunctis magna cum contritione & lachrymis omnia sua peccata Sacerdoti confessus est, & Communionem magna cum devotione suscipiens dicebat: *Domine Jesu Redemtor meus miserere*

D *mei. Patres enim mei uvas comederunt acerbas, & dentes mei stupefacti sunt, & ita lingua faucibus adhæsit meis, ut vix tibi debitam possim ore laudem confiteri*. Communione jam sumta, ecce Satellites juxta ordinem datum per trinos carceres morituros invadunt Carrigeros; qui quum ad Patrem fuissent ingressi, nil aliud habens, quo salutem suam tueri posset, nisi palustrem cathedram, qua insidebat, illa illos impetiit, & præeuntem fortiter percussit; sed armatus evasit illæsus, & illum vi captum ad terram projecerunt mugientem, ut bos, quem fune suffocarunt. Alii itidem ad Franciscum III. venti more patris se tuentem, ac superos & inferos ad

E vindictam acclamando projecerunt in terram; & eodem genere mortis, quo pater, tendit ad inferos. Reliquis ad Jacobum de Carraria introeuntibus, more agni coram tondente obmutuit, & cervicem præbuit, ac flexis genibus manibusque conjunctis, voce, mente, & oculis suspiciens cœlum, dicebat: *Miserere mei Domine, quoniam unicus factus sum & pauper, nec est, qui mei misereatur, nisi tu Domine, qui pro crucifigentibus te orans dixisti: parce illis Domine, quoniam nesciunt, quid faciunt*. Tunc satellites moti compassione hærebant; nec erat, qui in illum manus injiceret, quum illos exoraret, dicens:

cens: *Viri fratres, per viscera misericordiæ Jesu Christi vos sustinete me paululum, quo ad manu mea propria dilectæ Consorti meæ finem meum notum faciam.* Et pietas ei illos morigeros fecit, quum non sit tam immite animal, quod non blanditiis mitescere possit. Tunc Jacobus scribit in hæc verba: *Dilecta Consors mea. Infelix tuus Sponsus Jacobus de Carraria, tuæ hac hora pietatis intuitu, quòd mihi gratius fuit, quàm reliquum tempus elapsum, morte disturbor, donec tibi manu mea propria ista conscribo, quæ quum scripsero, scito me excedere vita. Vale, & consolare, nec desinas precor Omnipotentem orare pro me, quem in vita hac amplius videre non poteris, visura profectò inter Martyres Candidatos apud eum, qui regnat trinus & unus in secula seculorum.*

Isto tempore Jacobus de Reduxiis de Quero frater meus Jurisperitus missus est per Ducale Dominium pro Capitaneo Dorsi Majoris Vallis Lagani territorii Veronæ cum salario Ducatorum CCXL. in anno. Et anno sequenti Tarvisii in vigilia Sancti Petri horâ XXI. de mense Junii ab Occidente suscitatus est imber tanto cum turbine, & vi ventorum, quòd omnes pæne domos & arbores ad ripas Sileris maximè superiores à Quinto inferius evertit, & frumenta cum paleis, & finè, conglobata per aëra tulit. Et Tarvisium adventans Turrim Sancti Theonisti in coopertura destruxit, tegulas & lignamina in aërem elevata ferebat, murumque dividentem inter Moniales Sancti Theonisci, & Fratres Prædicatores Ordinis Sancti Dominici, & Conventus Sancti Nicolai de Tarvisio à summo usque deorsum confregit, & omne tectum, ac cooperturam dictæ Ecclesiæ Sancti Nicolai destruxit, nec non & Bibliothecæ, cum ferè omnibus tectis dicti Conventus. Et ulterius perflans per omnem contratam illam, Sancti Nicolai & Sancti Stephani domos discooperuit; & quum ad domum quondam Auliverii Forcetæ Fundatoris Hospitalis Sanctæ Mariæ de Battutis de Tarvisio, positam in illa Contrata, & Parochia Sancti Stephani, in qua ego tum morabar, illam à summo usque ad solarium inferius penitus destruxit, in qua tunc erant inter mares & fœminas XVIII. qui nisi inferiùs aufugissent ad canepam, suffocati essent ruina dictæ domus. Domus siquidem Zanantonii de Brixia à latere murum aperuit, & itidem fecit domui illorum de Runcinellis, nec non & domui de Lavazola. Et tendens ulterius per supra Silerem pervenit ad locum Sanctæ Margaritæ Ordinis Eremitarum, & murum portæ claustri primi versùs Cimiterium prostravit portis convulsis, illud ad ordinem destruendo usque ad viam publicam supra Silerem. Similiterque destruxit murum totum dividentem inter viridaria Conventus prædicti, & Monialium Sancti Pauli de Tarvisio. Deinde flans & perflans junxit ad barcas in Silere ad ripam positas, & quascumque oneratas, vel non, extra aquas projecit ad terram cum fundis superinversis, quarum aliquibus erant multæ vegetes vino plenæ pro navigando Venetias. Et insuper attingens ad murum Civitatis per supra Silerem, incipiendo in capite Palatæ, illum usque in fundum destruxit, quem fieri fecerat Carriger Senior, dum Tarvisii dominaretur. Aliaque plura incredibilia operatus est ventus ille. De quibus duo tamen recensere constitui. Primò Antonium quemdam de Sancto Angelo, mihi notum, in domo sua de extra & prope Tarvisium immorantem, illius domo penitus prostrata, cum puero quodam suo parvo, quem ulnis susceperat suis, ne ruina domus suffocaretur, in aërem elevatum per duos campos terræ portavit, & tamdem illum cum puero in quodam fossato illæsos dimisit; & ab inde citra in spatula sinistra apparuit foramen profundum, quemadmodum cum griffo ungula perforasset, usque dum vixit. Secundùm est, quòd dum illa die domum habitationis meæ prædictam ivissem, & illam taliter ruinatam conspexissem, ad Plateam sum reversus pro inveniendo portitores, & manuales plures, quorum operâ lectos & supellectiles meas ruinis injectas eximerem, quemdam Sclavum magnum Albanensem, jam diu solitum Tarvisii bastaxare, poposci, ut mercede sumta me juvaret; qui totus cœno delibutus ait: *An ne vides qualiter persisto?* & iterum sciscitatus, mihi rem aperuit totam: qualiter ista hac hora diluvii de Platea de Domo assumtus, & in aërem elevatus portatus est per supra Castrum Tarvisii usque per medium milliare à Civitate Tarvisii, & in quodam cœno dimissus, ex quo vovit mendicus Limina Beati Jacobi visitare, si sospes evaderet. *Evasi, & sospes domum pergo, iturus solvere votum*, ait ille.

Fato functo Carrigero cum duobus filiis secum fata trahentibus, & illis Venetiis traditis sepulturæ apud Ecclesiam Sancti Stephani, superstites evaserunt alii duo filii jam dicti Domini Paduæ, videlicet Ubertinus & Marsilius Fratres, quos pater per ante Florentiam miserat, ex quibus non multo post prædicta mortuus est Florentiæ dictus Ubertinus. Marsilius autem usque in hodiernum diem vivit apud Januenses, cum quibus matrimonium & affinitatem contraxit. Creditum tamen est Florentiæ per nonnullos, quòd adhuc Jacobus de Carraria suprascriptus viveret, factione cujusdam Vieri Guadagni Civis Florentini, apud quem quondam Carriger Novellus prædictus deposuerat XL. millia Ducatorum, ut se deficiente, filiis adjumento essent. Qui Vieri Guadagnus, ut depositum disturbaret magìs, quàm Venetis incommodaret, operam dederat cum quodam Gasparo à Lignamine de Padua in omnibus & per omnia simillimo dicto quondam Jacobo de Carraria, ut se Jacobum diceret Carrariensem, & depositum peteret, ac illud se acceptum diceret. Quo facto fama increbuit, quòd Jacobus Carriger viveret, & quòd morte simulata à Venetis evasisset. Verùm quia *nihil occultum, quod non reveletur*, finaliter cognita est fictio, & agnitus est Gaspar. Eo anno Loth de Gambacurtis Episcopus Tarvisii, & ante & post Archiepiscopus Pisarum, & Johannes frater ejus Civitatem Pisarum, quam de manibus illorum del Plano, atque Vicecomitum Mediolani, abstulerant, avaritiâ ducti, non tamquam Cives, sed tamquam patriæ suæ hostes illam vendiderunt Florentinis inimicis capitalibus ab antiquo Pisanorum. Tunc Florentini facti sunt Domini Pisarum, & in eis usque in hodiernum domi-

minantur, & sic expulsis canibus dominantur & lupi [illegible]

His aliisque multis in Lombardia & Tuscia agitatis, Ladislaus Rex Apuliæ, multis ex Regni Principibus ad mortem conductis, ut magìs tutè Regno dominaretur, & ad majora conscenderet, magno congregato exercitu misit contra Romam Petrum Comitem de Troja Capitaneum factum totius exercitus. De cujus societate fuit JanColonna, fuitque Gentilis de Montegrano, item & Martinus de Faventia Miles, ac Batista Savellus cum omnibus Savelleschis, ad numerum decem millium equorum, non de Alemannia, Hungaria, vel Valachia, sed de Apulia tantùm. Numquam enim sunt visi tot Nobiles, & tot equi hujuscemodi razzæ; & sex millium peditum, quorum erant Capitanei Frater Morialis, Florentinus Gobus, & Marcus de Venetiis. Qui castra moventes venerunt ad Portam Sancti Spiritus, & rumbatis ac fractis muris Civitatis Urbem intraverunt; & Turrim Portæ prædictæ ascenderunt aliqui, dum residuum gentium Regis bello contenderent adversùs Paulum Ursino, qui cum M. equis & multis ex Populo Romano obviam processerant acie decertando. Verùm ante lucem gens Regis posita est in conflictum, quæ per dictam Portam egressa est. Sequenti namque die iterum in Urbem intravit exercitus per eamdem Portam, & acquisitis multis ex Contratis Romæ, sive Regionibus, superveniens Paulus jam dictus cum Populo Romano præfatum exercitum in Roma debellavit; qui nisi dictam Portam in sui custodiam retinuisset, non evasisset homo. Ceterùm JanColonna, Nicolaoque Colonna, Jacobo Ursino etiam nepote dicti Pauli, Rizardo de la Molara captis, illos pecuniâ redimi fecit, Castra & Terras, quæ tenebant, dicto Paulo dimittendo, inter quæ vel quas JanColonna dimisit Agalexium Paulo Ursino prædicto, si ab eo sospes evadere voluit. Post quæ per sex annos dictus Ladislaus Rex Apuliæ viribus aggregatis cum XX. millibus equitibus gentium armigerarum, & totidem cum peditibus adversùs Romam castra admovit. Paulus autem Ursino, cui Populus Romanus favebat, sentiens adventum Regis potentissimè advenientis, Roma secessit. Ad quamquum Rex applicuisset cum exercitu prælibato, totus Romanus Populus illi placatus est, illum in Dominum & Regem suscipiens. Ubi dispositis rebus statuit adversùs Florentinos castra movere, fidens aliquibus eorum, quibus amicabatur. Et veniens Perusium, illud in deditionem suscepit, & exinde Cortonam, quam & similiter habuit. Quibus factis graviter infirmatus est, & Neapolim rediit, ubi non multum post fato functus occubuit, sed veneno, ut dicebatur, à Florentinis illi propinato, ut verificaretur illud: *Venenum in auro bibitur*. Felices vos, qui fictilibus bibentes utimini.

Zuanna Secunda Regina, soror Ladislai Regis Apuliæ præmortui, quondam nupta Guilielmo Duci Austriæ apud Viennam Alemanniæ, sola de Domo Regia Regina remansit in Regno. Cui adversari cœperunt Thomas Comes de Sancto Severino, cum aliis suis complicibus atque Consortibus, & alii multi Nobiles de Regno. Et ex hoc Regina confidentibus suis adhibitis in Consilio, quid factura esset, consuluerunt, ut alicui illustri de Regia Domo præcipuè Franciæ nuberet. Consilium placuit. Exploratum est de viro Jacobo Comite Marchæ, nato ex Domo Regum Francorum, homine juvene atque venusto, in quo sibi bene complacuit. Scribitur illi, atque peroratum mittitur, ut Neapolim velit accedere, non gente Francorum stipatus, sed dumtaxat familiaribus & domicellis sociatus, atque pacificus. Ille verò re intellecta, per Lombardiam descendens, Venetias accessit, ubi à Venetis magnificè susceptus est, & illi provisum de Galèis II. quibus veheretur in Regnum. Et illas ascendens Manfredoniam navigavit. Quarum Dux fuit Hermolaus Lambardo. Adventus cujus quum Proceribus innotuisset, omnes ad illum contendunt. Nec propterea motus est Rex, donec Petrus Comes Trojæ accessit unà cum Cichulino de Peruxio, & Julio de Capua Milite. Quibus visis dictus Jacobus Marchæ Comes, & modò Rex vocatus, de Manfredonia recedens Beneventum equitavit, omnibus Regni Proceribus sociatus. Quo quum applicuisset, personaliter detineri jussit Sfortiam Conductorem equitum D. gentium armigerarum, & carceribus mancipari, illius societate equis & armis spoliata.

Jacobus Comes Marchæ vocatus in Regem Neapolim vadit, & ab omnibus magnificè susceptus est, & maximè à Regina. Quæ quum illum vidisset, in Regem vocari jussit, & postquam illam anulo subarrhaverat, per triennium habitus est Rex, & Dominus totius Regni Apuliæ absque ulla novitate bellorum, sed solùm Reginæ amplexibus consequutus. Verùm dictus Rex per Procerum virgines Domicellas lascivire cœpit, & sponsas. Quod quum Proceres scivissent, illum odio habere cœperunt. Similiter & Regina, cujus intererat, quam Rex jam diebus pluribus videbatur habere fastidio, objiciens quòd senio confecta flatus oleret. De quo Regina admonuit eum, ut se caveret à talibus, si Regno volebat insistere. Qui ampliùs lasciviens, edicto Reginæ Regio nomine spoliatus est, & prisco nomine Marchæ Comes appellatus. Quo viso Jacobus Comes Marchæ Castrum intravit Capuanum, & paucis post diebus consensu Reginæ de Castro prædicto recedens ivit Nuceriam, parva comitatus societate, & exinde Tarantum. Ubi invento navigio in altum navigans Venetias vênit. Et statim post Tarvisium accedens, apud Fratres Minores Ordinis Sancti Francisci per annum ferè immoratus est, & à Tarvisinis magnificè visitatus. Cum quo Tarvisii Potestas, & Capitaneus, egoque cum illo pluries invitati in mensa fuimus. Ipsa verò Regina, ceu quondam aliàs, sola Regno Apuliæ dominatur, quod absurdum est, & monstro Ægyptiaco simillimum, ab omnibusque fastidiendum. Non propter me dico, qui tam procul inde absum, sed propter Regni fastigium.

Dicta Zuanna Regina regnante, sicuti in Curiis Regum & Dominorum persæpe accidit, livor inter Curiales, & Principes, ac Stipendiarios suboritur. Ex quo aliqui Aloysium Regem quondam Ducis Anglaviæ procurabant in Regno conducere. De quo timens

mens Regina amicis consuluit, quid agendum. Et deliberatum est inter eos, quòd Regina adoptaret in filium Regem Aragonum, virum juvenem sapientem atque potentem. Consilium placuit, & vocatus ad Regnum Neapolim applicuit multis cum navibus atque Galcis, gentibusque armigeris, nec non & cum pecuniis infinitis, quibus & ultra prædictas gentes etiam conduxit Brachium de Montono de Perusio Capitaneum in Italia equorum MMM. gentium armigerarum, & totidem peditum Italorum. Aloysius Rex, vocatus *sine Regno*, tamen cognoscens impotentiam suam, Romam migravit ad Papam, Rege Aragonum & Regina per annos duos Regnum Apuliæ pacificè regentibus. Et quia ut persæpe visum est, Regnum non capit duos, dictus Rex Aragonum dubitans, ne tractaretur ceu Comes Marchæ, istis potissimè rationibus, & quia etiam mulieres judicantur inconstantes, deliberavit Reginam capere, & eam navi Cathelognam vehi. Regina ad omnem ventum trepidans, ad se Sfortiam vocavit Capitaneum gentium armigerarum in Regno in Castro Capuano. Ad quam veniens Sfortia, obviam habuit gentes Regis Aragonum, qui fuerat prævisus de adventu illius, & omnino statuerat secum congredi. Quumque ambæ partes apud Sanctam Catharinam extra Neapolim se comperuissent, structis hinc inde aciebus, ad manus devenerunt, & per utramque partem viriliter pugnatum est. Verùm Cathelani non æquè bene armorum magistri Italis cesserunt, & in conflictum positi sunt per dictum Sfortiam & gentes suas. Ex quibus Sfortia plures cepit Milites & Proceres Regis Aragonum. Tunc Sfortia victor Neapolim intrat, & Terram omnem pro Regina cucurrit, & per octo dies illam obtinuit, exceptis Castro Novo, & ab Ovo, in quibus Rex Aragonum suas gentes apposuerat. Castrum verò Sancti Heremi Neapoli ad requisitionem Reginæ detinebatur. Quibus atque diebus octo transcursis, ecce per mare Regi Aragonum succursus emittitur, & in terram positis scalis de navibus egrediuntur gentes armigeræ equestres & pedestres. Et aciebus dispositis, Brachioque prædicto ad prædicta vocato cum gentibus suis, adversùs Sfortiam & alias gentes Reginæ magno cum impetu ruunt, & dictum Sfortiam atque Reginam de Neapoli abire compellunt, Civitatem atque Neapolim igne ferroque discurrunt, omnibus omnes spoliando, cunctasque Dominas, nuptas, viduas, domicellas, & virgines tam laicas quàm sanctimoniales capiunt, & ad naves prædictas in Cathelognam jubet transfretari, ita ut à juvene cupido nulla credatur reddita virgo; quæ, si quæ adhuc vivunt, in Cathelogna miserabiliter serviunt.

Regina Zuanna per Sfortiam extra Neapolim est conducta per duo milliaria in locum dictum ad Molendina. Et exinde consilio multorum adducta est in Castro Versæ, nam illius Castellanus Sfortiæ dederat nomine Reginæ. Et propterea omnis Civitas pro Regina cucurrit. Quibus peractis per medium Sfortiæ facta est pax inter Regem Aloysium Romæ moram trahentem, & dictam Reginam Zuannam, his adjectis conditionibus, quòd Regina adoptet eumdem Aloysium in Regem & filium, ita ut donec Regina

A vixerit, Regno non utatur. Sed illâ defunctâ integrum Regnum transferatur in eum. Consilium & pacta Regi Aloysio placuerunt, & ab illa hora cum Sfortia in campum vênit, pro Regina laborans & statu ejus. Jacobucius Caldoro Miles intelligens dictam pacem, deliberavit ab obedientia Regis Aragonum discedere, & Reginæ confœderari, atque Aloysio Regi, cujus & ipse, & Domus ejus tota, semper partialis exstiterat in Neapoli, & eamdem Neapolis Terram pro Regina currens, illam ab obedientia Regis divertit. Qui Rex ista conspiciens, arctatus Castrum Novum intravit, ac Castrum Ovi Neapolis in mari, in quo se introclusit cum gentibus

B suis Cathelanis, nullo alio loco in Regno sibi permanente præter Regium in Calabria, quod cum prædictis & ille retinet de præsenti. Qua quidem Civitate Reginæ restituta, Sfortia Capitaneus gentium armigerarum à Terra Laboris divertens, Beneventum migravit in Apulia, & se sociosque suos armis, equis, denariisque fulciens, in Abrucium vênit juxta Lanzanum, ubi tunc aderat Brachius Capitaneus gentium armigerarum, pro se, Regeque Aragonum laborans in armis. Quem Sfortia de Lanzano Civitate, & aliis multis, ac de Abrucio expulit trans Pischariæ flumen. Et quia more Cæsareo nihil eidem Sfortiæ

C actum videbatur, donec ad agendum aliquid superesset, persequutus est dictum Brachium apud Baroniam Ducis Atriæ, qui volens faucem dicti fluminis juxta mare transire, ut Brachium incautum impeteret, illic in fauce fluminis, bibulisque in arenis, suffocatus est, nec usquam ipse vel equus suus est repertus.

Brachius de Montono Perusinus, suis fortunatus temporibus ultra quoslibet Italiæ Capitaneos, qui postquam fuerat ad stipendia Carrigeri Senioris Domini Paduæ in guerra præmissa, quam habuit cum Antonio Scaligero Domino Veronæ, cum tribus lanceis tantùm, illi favente fortuna, apud Johannem Galeaz Ducem Mediolani succrescens, &

D apud Bononienses ac Ecclesiam in altum levatus, recessit Capitaneus MM. equorum & totidem peditum, & versùs Perusium iter admovit. Carolus autem de Malatestis cum MMD. equis & peditibus MMM. invidens fortunæ illius, concepit illum prævenire Perusium, & non longè à Perusio, dum se Carolus pransum posuisset, dictus Brachius Carolum invasit, & illius gentem in conflictum posuit, ac eumdem cepit, & reliquos, post Angelum à Pergula Conductorem equorum M. qui videns ineptias dicti Caroli, aufugit cum gentibus. Qua victoriâ habitâ Brachius Carolum de Malatestis Perusium introducit,

E & se illius Dominum fecit, ac Assisi, & aliarum multarum Civitatum & Castrorum Tusciæ. A quo si recedere voluit, oportuit exbursare XL. millia Ducatorum, quos de ossibus suorum Civium Arimini & aliarum suarum Terrarum Marchiæ miserabiliter exstirpavit. Hisque & aliis multis victoriis erectus Brachius prædictus, Romam quæsivit intrare; & sic sibi factum vênit, & ibi dictus est Romæ Gubernator. Et ad ulteriora procedens Aquilam obsessum ivit, quam omni cum suo exercitu circumsedit. Papa siquidem Martinus, qui priùs dictus est Oddo Columna, timens Brachii prosperitatem, cum Regina

gina Apuliæ se deliberavit unire, & Aquilæ succurrere, ne in Brachii deditionem veniret. Quam Antoniucius ab Aquila Comes & fratres ejus gubernabant, & per XVIII. menses, quibus continuò Brachius illam obsederat, defensarunt. Tunc Papa & Regina Apuliæ unanimes facti in succurrendo Aquilæ, Jacobucium Caldoro Militem associatum Comite Francisco filio quondam Sfortiæ, Micheleto de Cudignola, & aliis pluribus, cum equis V. millibus, & peditibus decem millibus, mittunt contra Brachium. Qui appropinquans Aquilæ, compositis gentibus, quemadmodum Brachium debebant impetere, per procliva montium in planitiem quamdam descendens, obviam habuit Brachium prædictum. Qui aliquibus ex suis positis ad Portam Aquilæ, ne quisquam ingredi vel egredi posset, cum reliquis in planitie illa se contulit. Qui dum per aliquos ex suis avisaretur, quòd illos descendentes de monte ante aggrederetur, quàm in planicie descendissent, facere recusavit, dicens: *Permitte, veniant: omnes volo, non partem; & si quis vestrum fortè timet, aufugiat. Ego certè hodie vos faciam esse victores, si mandata mea servaveritis, & volueritis more solito decertare; & præ ceteris Italiæ armigeris vos faciam ditiores magis, quàm famosos.* Et his dictis acies suas ordinat. Hi autem, qui ad custodiam Portæ Aquilæ missi erant, ad prædam delapsi sunt. Tunc Antoniucius cum toto Populo Aquilæ Civitatem egreditur. Et dum pugna jam accensa foret, Brachium invadit ad terga. Jacobus verò Caldoro, qui postremus advenerat, viso Antoniucio à tergo, non minus ante decertat. Brachius videns Jacobucium Caldoro, quem non putabat adesse, irâ accensus huc & illuc discurrens per acies suas, quas quum declinare conspiceret, hortabatur, ut fortiter & viriliter prœliarentur, asserendo, quòd si hoc bellum obtinerent, omnem Italiam essent possessuri. Exules quidam Perusini, bello laborantes contra Brachium, perpenderunt de his, quæ Brachius exercebat; & omnibus aliis relictis, sequuti sunt illum, quem lanceis aggredientes transfixerunt, & equo delabi fecerunt, nec se ab illo absentarunt, donec spiritum emisit in pugna. Quo mortuo gens Bracescha pro armis calcaria sumunt, & fugæ se tradunt. Victoriâ obtentâ, & Brachio mortuo, illius corpus Jacobucius jubet sepeliri, quod levi est traditum sepulturæ. Et nisi fama falsa est, mane facto repertum est supra terram, tamquam indignum sepultura, quia nusquam in Ecclesia aliqua visus est, nisi fortè spoliandi causâ.

Hoc in tempore suborta est discordia inter Regem Franciæ, & Regem Angliæ, propter maximas discordias ortas inter filios Ducis Orliensis, & Ducem Burgundiæ, qui patrem dictorum fecerat trucidare. Cujus vindictam sequutus Delphinus de Vienna, primogenitus Regis Franciæ, ut ulcisceretur de morte patrui, eumdem Ducem Burgundiæ gladio peremit. Causa horum homicidiorum dicitur fuisse, quia Dux Burgundiæ objiciebat Duci Orliensi, fratri Regis Franciæ infatuati, licèt aliquando haberet dilucida intervalla, quòd ipse concubuerat cum uxore Regis fratris sui, & quòd illa ex eo prægnans pepererat Delphinum de Vienna, qui quamquam diceretur primogenitus Regis Franciæ, erat filius dicti Ducis Orliensis. Innuens propter hoc, quòd Delphinus prædictus, tamquam spurius, non debebat moriente Rege ad Regnum admitti, & per consequens ad eum pervenire dicebat. Quæ quidem consequentia potiùs armis, quàm legibus, vel Dialectica, erat approbanda. Hisque talibus discordiis suscitatis, Rex Angliæ adhærens Duci Burgundiæ & complicibus suis, multa post bella, terrâ marique tractata atque confecta, in Regnum transivit Franciæ navibus multis, & tamdem Parixium intravit, morte jam consumto Rege Franciæ. Cui Universitas Parixii paruit, atque paret de præsenti. Verùm parum tempus post mortuus est Rex Angliæ, relicto filio uno masculo ex filia Regis Franciæ, quam à patre habuerat in uxorem.

Sigismundus Rex Hungariæ dictus Imperator, nondum tamen coronatus, sed per multum temporis electus, post novitates Venetis factas in Marchia Tarvisina ac in Histria, Civitatem Belluni vênit, ubi per aliquot dies moram traxit. Et dum Sponsa quædam in Civitate duceretur, præsumserunt Gibellini illum invitare, ut sponsam dignaretur sociare marito. Qui sic fecit. Et dum illam in domo Sponsi posuisset, ipsa ex capite suo sustulit sertum suum, & illud capiti Imperatoris apposuit. Et hæc est corona barbari Imperatoris nostri. Sed audi, quid ex hoc sequutum est. Sponsa illa ex hoc tantum elata est, quòd numquam in domo Sponsi quidquam facere voluit præter amœna. Nollem siquidem, mihi contigisset hic honos, quo & Sponsus ipse usque in hodiernum diem maximè gloriatur talem esse uxorem assequutum. Verùm Imperator hic recedens de Civitate Belluni, Feltrum vênit; nam tunc loca illa Rex ipse tenebat. Et dum ibi etiam moram duceret, ad eum accessit Franciscus Foscari de Venetiis, ut Orator Ducalis Dominii Venetiarum. Cujus ambasciatam audire voluit in Platea Feltri, tunc adstante cum Rege & Imperatore prædicto, Friderico Duce Austriæ. Qua quidem ambasciata audita, Rex eumdem Oratorem honoratus est, & hospitio fecit illum associari. Et quum ab eo recessisset, dixit: *Hic est sapientior Venetus, quem umquam viderim vel audiverim.* Et de Platea Feltri recedens unà cum dicto Duce Austriæ ibant brachiati, & quia Dux vestem habebat velluti nigri longam ad terram, Rex secum transiens videbat in via lutum, & Ducem interloquendo cum veste ducebat per lutum. Dux verò quum ulterius pertransivisset, manu veste plicata crura Regis percutiebat, & illius caligas luto vestis deturpabat. Rex enim tunc vestitus erat diploide velluti de carmisino ad medium crus; & per hunc modum eorum ambo, antequam ad eorum diversoria diverterent, se mutuis vicibus deturpaverant: quod fuit signum, licèt non intelligerent, dissidii, quod postea ad Concilium Constantiæ accidit inter eos. Ceterùm Rex de Feltro recedens, & per Lombardiam transiens, ivit Cremonam, in qua Cabrinus Fondulus dominabatur, & ibi convenerat Papa Johannes, qui primò vocatus est Baldesar Cossa, quem Rex videre & audire cupiebat, recordatus dicti cujusdam antiqui Florentini ad se dicti apud Utinum Patriæ Forojulii, dum illic esset quondam.

Et fuit, quòd quum in circulo Florentinus ille reperiretur in Platea Utini, & ad Imperatorem quum multi loquuti essent, accidit, Florentinum dicere, multa se per Mundum circuisse, vidisse, & audisse, & ad plures Reges, Duces, Marchiones, Comites, & Dominos in colloquiis fuisse, & cum eis de multis agere habuisse, de quibus omnibus sibi videbatur æquè satis bonos effectus percepisse, exceptis duobus, quos numquam comprehendere potuit. Tunc Rex ad illum: *Dic precor, qui sunt isti duo*. Ille dicere recusabat, fingens tamen. Finaliter per Regem precatus dixit: *Tu ex illis unus es*: At ille: *quis alter*? Florentinus respondit: *Papa Johannes alter est*. Rex ad illum. *En te precor dicas, quis nostrum tristior tibi videtur*? Tunc Florentinus dixit: *Papa Johannes mihi te aliquanto tristior videtur ex hoc uno, quia caput expilatum habet*. Rex arrisit; & ex post in Concilio constantiæ dictum facto probavit. Item & convenerunt Oratores Venetorum, videlicet Thomas Mocenigo, qui postea dum illic esset, creatus est Dux Venetiarum, & Antonius Contareno à Digito, ambo Procuratores Sancti Marci. Causa autem, propter quam illic reperiebantur, esse dicebatur propter tollendum Schisma Ecclesiæ, quod annis XXIV. duraverat cum Papa à Luna ultramontano, & de dando locum ad Concilium iniendum, ac etiam ad tractandam pacem inter Regem, & Ducale Dominium Venetorum. Qui omnes apud dictum Cabrinum immorati, & multis ibi intra se habitis colloquiis, tamdem in illorum mentem incidit, quòd apud infidum hospitem reperirentur, & deliberaverunt insalutato hospite abire quàm præsto, & ad propria remeare. Sicque factum est. Rex ipse versùs Cumum iter facit, cujus recessum observabat Philippus Maria Dux Mediolani, & ad illum supplicatum misit, quòd se alloqui dignaretur. Et in campania quadam se viserunt, gentibus armigeris Ducis Mediolani à longe stantibus. Quas quum vidisset Rex, dubitavit ne caperetur. Nihilominus per Philippum Mariam Ducem Mediolani magna cum reverentia ad illum adeuntem, tribus solummodo comitatum, assecuratus est, dando illi intelligere, quòd non sui causa sed inimicorum suorum circumstantium, gentes illas pro custodia suæ personæ adduxisset. Tunc in partem tractis, ipsi intra se visi sunt esse concordes, & magna cum amicitia unus discessit ab altero. Et fertur, Regem dixisse post recessum Ducis Mediolani: *Mihi dabatur intelligere, quòd Dux iste puer erat. Certè, si Itali pueri tales sunt, multo magìs seniores sapientissimi sunt*.

Nec bellorum immunis exstitit his temporibus Alemannia. Quam Duces Bavariæ intra se diffidentes plura & acerrima bella tractaverint, confecerintque; nec minora suborta sunt apud Squaiceros, & Fridericum Ducem Austriæ, quum dicti Squaiceri multas Terras & Castra sustulerunt: quod tamen creditum est evenisse consensu Sigismundi Regis Hungariæ Imperatoris, tunc existentis Constantiæ, ubi diebus illis factum est Concilium. Ad quod accessit Papa Johannes transiens per Veronam, qui Papa creatus fuerat post mortem Alexandri Papæ, qui dictus fuerat Petrus Filardus de Creta Insula Græciæ, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, Archiepiscopus Mediolani, homo magnæ scientiæ atque consilii; qui Papæ Gregorio successerat primo vocato Benedicto Cornario Episcopo Venetiarum; qui & successerat Innocentio Papæ; qui & successerat Bonifacio Papæ. Ad quod Concilium omnes Mundi nationes Christianorum suos misêre Legatos, convocatis undique Cardinalibus, Episcopis, Patriarchis, Abbatibus, & aliis quibuscumque Prælatis, ac Dominis, & Proceribus Christianorum. Ubi etiam adfuit Carolus de Malatestis Arimini Dominus, qui quodam die à Sigismundo vocatus in prandio assidentibus etiam diversis Proceribus Regnorum diversorum, unoquoque prædictorum suum Regnum elevante atque magnificante, Imperatore cum illis pariter illorum potentiam & divitias numerante, atque dicente: *Tale Regnum tot millia millium equorum facit*, & sic de singulis. Qui quum dixissent, ait Rex ad Carolum de Malatestis nihil dicentem: *Et tu quid ais de Regno Italiæ? quot millia equorum facit?* at ille: *Trigintaduo millia equorum in quadraginta millia*. Imperator quasi deludens ait: *Ut quid vos Italici ita superbi estis, quum sitis fœx Mundi? Audistine, quot millia equorum unumquodque aliud Regnum facit?* Carolus elevato bireto ad illum respondit: *Ego siquidem, Illustrissime Rex, loquor de illis talibus, qui quondam omnia nominata Regna vicerunt*. Ad quod verbum nullum est responsum adhibitum, sed omnes se mutuis vicibus aspicientes ad alia diverterunt. Illo itaque Concilio dum Papa Johannes perpenderet Imperatorem contra se sentire, concepit fugam arripere, solùm de hoc conscio Friderico Duce Austriæ, sub cujus fide Papa Johannes Concilium adierat. Nescio enim, utrum Imperator hoc concepisset, an ut contra dictum Florentini senis cautior Papa Johanne & tristior appareret, an quia dum multa semel in Concilio agitarentur, Imperator indignatus dixerat: *Vos Italici omnia vestro modo vultis incedere. An creditis, scientiâ potentiâque alios excellere? Certè meo judicio vos estis fœx Mundi*. Ad quem Papa Johannes, ceu bonus Italicus, ait: *An credis, Rex, mecum scanno assidere, quia ex prosapia de Lucimburgo ortus sis, vel quia Rex Hungariæ habearis? Certè nisi Cæsar vocareris, & Rex Romanorum, ad nostros pedes confessum venisses. Et hunc honorem tibi defero tamquam Italico Regi, & non tamquam barbaro*. Tamdem Rex cautior & tristior Papa Johanne compertus est, quia illum aufugientem cepit, & custodiæ tradidit Ducis Bavariæ. Qui Papam captivum habuit, donec dimissus est, & Martinus creatus est V. qui dictus est Oddo de Columna Romanus. Johannes autem Papa dimissus, ad pristinum est restitutus nomen, & vocatus est Baldesar Cossa Neapolitanus. Cui & galerum Cardinalatus restitutum est, & in pristinam est redactus dignitatem, & est carceribus relaxatus. Auctoritate cujus Concilii Johannes Hus Bohemus, vir magnæ scientiæ, præstantiæque atque virtutis prius, item & Hieronymus ejus discipulus, in omnibus non absimilis magistro, igne cremati sunt Constantiæ tamquam Hæretici, & in Concilio reprobati. Quorum mortibus omne Regnum Bohemiæ, quum ambo illi de natione illa Bohemi dicerentur, turbatum est, & contra Re-

Regem insurrexit. Nam Rex suus, frater Regis Hungariæ, qui modò Imperator dicitur, jam mortuus erat, qui pridem Imperator dicebatur. Et propterea Imperator illos invasit, nec quicquam facere potuit, procurans illos verbis placare. Qui usque in hodiernum diem ab illius obedientia separati bella secum gerunt, & omnia Regia in Regno destruxerunt, usque ad sepulchra Imperatorum, quorum ossa confractis sepulchris in cœno & viis seminarunt, & pedibus conculcarunt. Invadunt enim & illi persæpe Moraviam Duci Alberto de Austria Viennæ commoranti, & Regis genero traditam per Imperatorem, discurrentes per Alemanniam usque Viennam ad damna & excidia Alemannorum. Qui contra illos sæpe nomine Imperatoris arma sumserunt, licèt parùm quoadusque illis fecerunt, se excusantibus illis, Imperatorem pati non velle illorum videre destructionem. Quæ Septa si regnaverit, quod Deus avertat, futurum est hinc ad modicum tempus, quòd tota Alemannia in eumdem cadet errorem, si error est, ut afferunt Sacerdotes, qui illorum Hæresiarcham Johannem Hus, quod interpretatur *Ocha*, & Hieronymum, ut præmittitur, comburi fecerunt. Cujus Hieroymi licèt fuerit vita damnata, libet mores (*) attingere, quamquam & alia plura de illis ambobus scribi possent.

Hoc in Concilio Constantiæ apud Alemanniam cœpta est agi causa Hieronymi, quem hæreticum ferunt, & quidem publicè. Hanc verò posteris recensere institui tum propter rei gravitatem, tum maximè propter eloquentiam hominis & doctrinam. Fateor, me neminem umquam vidisse, qui in causa dicenda, præsertim capitis, magis accederet ad facundiam priscorum, quos tantopere admiramur. Mirum est vidisse, quibus verbis, qua facundia, quibus argumentis, quo vultu, quo ore, qua fiducia responderit adversariis, ac demum causam peroraverit, ut dolendum sit, tam nobile ingenium, tam excellens, ad illa Hæresis studia divertisse, si tamen vera sunt, quæ sibi objiciebantur. Neque enim mea interest tantam rem dijudicare, quia cœcus malè judicat de coloribus. Acquiesco eorum sententiis, qui sapientiores habentur. Neque enim existimato, quisquis Lector accesseris, me in morem Oratoris vel Oratorum singulatim causam referre. Longum id esset, & multorum dierum opus. Pertingam quosdam locos illustriores, quibus viri doctrinam Lector possis inspicere. Quum multa in hunc Hieronymum congesta essent, quibus arguebatur Hæreticus, atque ea testibus firmata, tamdem placuit, ut singulis, quæ sibi objiciebantur, responderet. Ita in concionem deductus, quum juberetur ad illa respondere, diutius recusavit, asserens se priùs debere causam suam agere, quàm respondere maledictis adversariorum. Itaque se priùs pro se dicentem audiendum esse asseverabat, tum ad æmulorum sua probra in eum congesta deveniendum. Sed quum hæc conditio sibi denegaretur, tum stans in medio concionis: *Quænam est hæc iniquitas*, inquit, *ut quum CCCXL. diebus, quibus in durissimis carceribus fui, in sordibus, in squallore, in stercore, in compedibus, in rerum omnium inopia, adversarios atque obtrectatores meos semper audieritis, me unam horam nolitis audire? Hinc est, ut quum illis singulorum aures patuerint, atque in tam longo tempore vobis persuaserint, me Hæreticum, hostem Fidei, Ecclesiasticorum persequutorem, mihi autem mei defendendi nulla facultas detur. Vos priùs mentibus vestris me tamquam improbum hominem judicaveritis, quem qui fuerim, poteritis agnoscere re. Atqui*, inquit, *homines estis, non Dii, non perpetui, sed mortales: labi, errare, falli, decipi, seduci potestis. Heic Mundi lumina, heic orbis terrarum prudentiores esse dicuntur. Maximè vos decet elaborare, ne quid temerè, ne quid insulsè, ne quid præter justitiam faciatis. Equidem ego homuncio, cujus de capite agitur; nec pro me hæc loquor, qui mortalis existo. Verùm mihi indignum videtur, sapientiam tot virorum aliquid adversùs me statuere præter æquitatem, non tamen re quantum exemplo nociturum*. Hæc & multa præterea ornatè disserens, strepitu & murmure plurimorum sermonem ejus interpellante, tamdem decretum est, ut ad errores primum, qui in eum conferebantur, responderet. Deinde loquendi, quæ vellet, facultas daretur.

Legebantur ergo ex publico singula capita accusationis. Tum rogabatur, an quid vellet objicere. Deinde testimoniis confirmabantur. Incredibile est dictu, quàm callidè responderet, quibus se tueretur argumentis. Nihil umquam protulit indignum bono viro, ut si id in Fide sentiebat, quod verbis profitebatur, nulla in eum nedum mortis causa inveniri justa posset, sed nequidem levissimæ offensionis. Omnia falsa esse dicebat, omnia crimina conficta ab æmulis suis. Inter cetera quum recitaretur, illum Sedis Apostolicæ detrectatorem, oppugnatorem Romani Pontificis, Cardinalium hostem, persequutorem Prælatorum, & Cleri Christianæ Religionis inimicum, tunc surgens queribunda voce & manibus porrectis: *Quo me vertam*, inquit, *Patres Conscripti, quorum auxilium implorem, quos deprecer, quos obtester! vos ne? At isti persequutores mei mentes à mea salute alienaverunt, quum universorum hostem me esse dixerunt eorum, qui sunt judicaturi. Nempe arbitrati sunt, si etiam quæ in me confinxerunt, levia viderentur, tamen vos vestris sententiis oppressuros communem omnium hostem atque oppugnatorem, qualem me isti falsissimè sunt mentiti. Ita si eorum verbis fidem dabitis, nihil est quod de mea salute sperandum sit*: Multos salibus perstrinxit, multos lædoriis, multos sæpe in re mœsta ridere coëgit. Quum rogaretur, quid sentiret de Sacramento, inquit: *Antea panem: in Consecratione, & post verum Christi Corpus, & reliqua secundùm Fidem*. Tunc quidam: *Atqui ajunt te*

(*) Infra quoque Redusius, narrata Hieronymi Pragensis morte, subdit, se hæc scripsisse: *nihil enim agens, dum custodiæ vacarem Castri magni Brixiæ, aliquid agere volui &c.* Sed parcat Redusius, si eum plagii postulo hoc etiam in loco. Quæ ille habet de Hæretico Pragensi, totidem verbis descripta per illum fuere ex Epistola Poggii Florentini ad Leonardum Aretinum, jamdiu non semel edita. Erat honesti Scriptoris, verum Historiæ Auctorem, clam expilatum, detegere; & narrationem non sibi, sed Poggio, tribuere. Itaque heic audis Poggium scribentem, & quidem stilo, quem æquare Redusius minimè gentium poterat.

te dixisse, *post Consecrationem remanere panem*. *Apud pistorem*, inquit, *remanet panis*. Cuidam ex Ordine Prædicatorum acrius invehenti ait: *Hypocrita!* Alteri per conscientiam suam contra se juranti: *Hæc*, inquit, *tutissima est ad fallendum via*. Quemdam præcipuum adversarium numquam nisi *canem*, aut *asinum* appellavit. Quum verò propter criminum multitudinem ac pondus res eo die transigi nequiret, in diem tertium dilata est. Quo die quum singulorum criminum argumenta recitata essent, ac subinde plurimis testibus confirmarentur, tunc surgens, inquit: *Quoniam adversarios meos tam diligenter audistis, consequens est, ut me quoque æquis animis audiatis*. Data tamdem multis perstrepentibus dicendi facultas. His primum adeò exorsus, deprecatus est, eam sibi mentem dari, eam dicendi facultatem, quæ in commune bonum, ac salutem suæ animæ verteretur. Deinde *Scio*, inquit, *Viri Doctissimi, plures fuisse excellentes viros indigna suis virtutibus perpessos, falsis oppressos testibus, iniquissimis judiciis condemnatos*. Incipiens autem à Socrate, injustè à suis damnatum retulit, neque quum posset, evadere voluisse, ut duorum, quæ hominibus asperrima viderentur, metum demeret, carceris scilicet & mortis. Tum Platonis captivitatem, Anaxagoræ, & Zenonis tormenta. Multorum præterea Gentilium iniquas damnationes, Rutilii exilium, Boëtii simul, & aliorum, quos Boëtius refert, indignam mortem commemoravit. Deinceps ad Hebræorum exempla transiit. Et primùm Moisem, illum liberatorem Populi, & legumlatorem, sæpissimè à suis calumniatum esse dixit, tamquam seductor esset ac contemtor populi. Joseph insuper à fratribus venditum ob invidiam, post ob stupri suspicionem in vincula conjectum, recensuit. Præter hos Isaiam, Danielem, & ferme Prophetas omnes tamquam contemtores Dei, tamquam seditiosos iniquis circumventos sententiis. Hinc etiam Susannæ judicium, multorumque præterea, qui quum viri sanctissimi exstitissent, injustis tamen judiciis perierunt. Postea ad Johannem Baptistam, deinde ad Salvatorem nostrum descendens, falsis testibus, falsis judiciis condemnatos inquit omnibus constare. Deinde Stephanum à Sacerdotum Collegio interfectum. Apostolos autem omnes morti damnatos, non tamquàm bonos, sed ut seditiosos, Populorum concitatores, contemtores Deorum, & malorum operum effectores. Iniquum esse damnari injustè Sacerdotem à Sacerdote, & id factum fuisse docuit; iniquius à Sacerdotum Collegio, & id exemplo, quoque probavit; iniquissimum verò à Concilio Sacerdotum, atque id etiam accidisse monstravit. Hoc disertè etiam magna cum omnium exspectatione disseruit. At quum omne causæ pondus in testibus situm esset, multis rationibus docuit, nullam his testibus fidem adhibendam, præsertim quum non ex veritate sed ex odio, malivolentia, & invidia omnia dixissent. Tum odii causas ita explicavit, ut haud procul fuerit à persuadendo: ita enim erant verisimiles, ut excepta Fidei causa parva illis fides testimoniis adhibita esset.

Commotæ erant omnium mentes, & ad misericordiam flectebantur. Addiderat enim sponte se venisse ad Concilium ad se purgandum. Vitam suam & studia exposuerat officii plena & virtutis. Dixerat hunc morem priscis doctissimis viris ac sanctissimis fuisse, ut in rebus Fidei invicem sententiis discreparent, non ad pessumdandam Fidem, sed ad veritatem Fidei enucleandam reperiendamque. Ita Augustinum & Hieronymum dissensisse; neque solùm diversa sensisse, sed etiam contraria, nulla hæresis suspicione. Exspectabant omnes, ut vel se purgaret objecta retractando, vel erratorum veniam postularet. At ille neque se errasse asseverans, neque se retractare aliorum falsa crimina velle ostendens, tamdem descendit in laudes Johannis Hus, quòd interpretatur *Anser*, ludum ad ignem damnati, virum bonum, justum, sanctum appellans, & illa morte indignum. Se quoque paratum quodvis supplicium adire forti animo & constanti, seque inimicis suis cedere, & testibus illis tam imprudenter mentientibus, qui inde quandoque coram Deo, quem fallere non poterant, essent rationem eorum, quæ dixissent, reddituri. Magnus erat circumstantium animi dolor. Cupiebant enim virum tam egregium salvari, si bona mens adfuisset. Ille autem in sententia perseverans, ultro mortem appetere videbatur. Laudans Johannem Hus, ait, illum nihil adversùs Ecclesiæ Dei statum sensisse, sed adversùs abusus Clericorum, adversùs superbiam, statum, & pompam Prælatorum. Nam quum Ecclesiarum patrimonia deberentur primò pauperibus, tum hospitibus, deinde Ecclesiarum fabricis, indignum illi bono viro videri disperdi illa meretricibus, conviviis, equorum aut canum saginæ, cultui vestimentorum, aliisque rebus indignis Religione Christi. Hic autem maximi ingenii fuit. Quum interrumperetur sæpius oratio sua variis rumoribus, lacesseretur que à nonnullis ejus sententias captantibus, neminem eorum intactum reliquit, pariterque omnes ulciscens vel erubescere coëgit, vel tacere. Surgente murmure silebat, turbam quandoque increpans, postea orationem prosequebatur, orans atque obtestans, ut eum loqui paterentur, quum se non essent ampliùs audituri. Numquam ad eos rumores expavit mente firma atque intrepida. Illud verò admirabile memoriæ argumentum. CCCXL. diebus fuerat in profundo Turris fœtidæ atque obscuræ, cujus asperitatem ipsemet questus est, asserens se, ut virum fortem decet, non propterea ingemiscere, quod is ea indignè perpessus esset, sed admirari hominum adversùs se inhumanitatem, qui in loco nedum legendi, sed ne videndi quidem ullam habuit facultatem. Mitto anxietatem mentis, qua oportuit illum quotidie agitari, qui omnem memoriam excutere debuisset, tamen tot doctissimos ac sapientissimos viros in testes suarum opinionum allegavit, tot Doctores Ecclesiasticos in medium protulit in sententiam suam, ut satis superque satis fuisset, si hæc tempore summo in otio, summa quiete, sapientiæ studiis operam dedisset. Vox ejus suavis, apta, resonans erat, quadam cum dignitate gestus oratorius vel ad indignationem exprimendam, vel commovendam commiserationem, quam tamen neque postulabat, neque consequi cupiebat. O virum dignum memoriâ hominum sempiter-

ternâ! Non laudo, si quid adversùs instituta Ecclesiæ sentiebat. Doctrinam admiror rerum plurimarum, scientiam, eloquentiam, dicendi suavitatem, & argutiam respondendi. Sed vereor, ne hæc omnia in pestem suam sibi fuerint à natura concessa.

Datur deinde spatium pœnitendi biduo. Multi ad illum accessere viri eruditissimi, ut ipsum suâ sententiâ dimoverent, inter quos Cardinalis Florentinus Franciscus Zabarella Patavus eum adiit, ut illum ad rectam flecteret viam. Sed quum pertinacius in erroribus perseveraret, per Concilium hæresis damnatus, & igni combustus. Jucunda fronte & alacri vultu ad exitum suum accessit. Non ignem expavit, non tormenti genus, non mortis. Nullus umquam Stoicorum fuit tam constanti animo tam forti mortem perpessus, quàm iste appetisse videtur. Quum venisset ad locum mortis, se ipsum exuit vestimentis. Tum procumbens flexis genibus veneratus est palum, ad quem ligatus fuit; primùm funibus madentibus cum catena nudus ad palum constrictus fuit. Ligna deinde circumposita pectus tenus, non minuscula, sed grossa, paleis interjectis. Quum flamma adhibita, canere cœpit Hymnum quemdam, quem fumus & ignis vix interrupit. Hoc modo vir præter fidem egregius consumtus est. Qui vidit hunc exitum & singulos actus inspexit, mihi testimonium perhibuit, & ejus testimonium verum est. Sive perfidiâ, sive pertinaciâ id egerit, certè ex Philosophiæ schola interitum viri descripsisses. Longam tibi cantilenam narravi otii causâ. Nihil enim agens, dum custodiæ vacarem Castri Magni Brixiæ, aliquid agere volui, & res tibi Lectori describere parum absimiles historiis priscorum. Nam neque Mutius ille tam fidenti animo passus est membrum uri, quàm iste universum corpus. Neque Socrates tam sponte venenum bibit, quàm iste ignem suscepit. Sed hæc satis. Parce verbis meis, si longior fui. Res tamen ampliorem narrationem poscebat: sed nolui esse nimium loquax.

Ceterùm quia summa petit livor, Sigismundus Rex Hungariæ, electusque Imperator & Romanorum Rex, intelligens Venetos omnem sibi Marchiam Tarvisinam vindicasse, nec minus dolens, quòd per ante Jadram Civitatem Dalmatiæ caput Regni sui Hungariæ à Ladislao Rege Apuliæ illam tenente, etiam ipso invito, pecuniis conquisivissent, jam diu cœperat cogitare, qualiter ulcisci posset. Veneti siquidem minimè dormientes, de voluntate Regis conscii, versa vice de remedio cogitantes, se colligarunt cum omnibus Castellanis Forojuliensis Patriæ, illis de certa provisione providentes, & maximè illis de citra Liquentiam. Quibus per Cameram Tarvisii fecit de limitatis provisionibus respondere, quibus amodo bis susceptis, ac receptis balistis multis, bombardisque, atque pulveribus cum multis aliis munitionibus à Ducali Dominio Venetorum pro defensione Castrorum suorum, intellecto adventu Regis Hungariæ inimici ejusdem Ducalis Dominii, à societate & fidelitate promissa repente recedentes, Forojuliensem fidem, quam gremio antiqui ferre dixerunt, bene comprobarunt. Interim Pipus de Scolaribus origine Florentinus, tunc apud Regem Hungariæ factus Ban, qui linguâ nostrâ *Comes* sonat, unus ex Principibus suis Hungariæ, cui Rex magis fidebat, mandato Regis cum XVII. millibus equis Hungarorum à Regno discedens, Italiam petiit adversùs Commune Venetiarum. Qua re intellecta Veneti providerunt de custodiendo flumen Liquentiæ, levando passus & vada vastando, ad hoc ut Hungaris transitus negaretur. Ad cujus defensionem mandaverunt Cernitas districtualium fieri per omnem Marchiam Tarvisinam, debentium illuc se cum armis transferre. Quibus ventis ad flumen Liquentiæ Capitaneum constituerunt Bertolinum Zamboni Cremonensem, virum aliàs armis expertum, cum CC. equis. Quod quidem malum consilium fuit, duabus præcipuè rationibus. Prima quia impossibile erat tam longum tractum fluvii non magni Liquentiæ custodire, quin die vel nocte quadam potuerit ab inimicis pertransiri, & cum minori expensa sua Castra tutè poterant custodiri. Secunda autem, quia si Furlani etiam habuissent animum perseverandi in societate prædicta, quem numquam habuerunt, ex hoc solum illos fecerant cæspitare, quia non valentes Hungari pertransire, necesse habebant omnem Forojuliensem Patriam subvertere, quod unusquisque invitè patriæ suæ videt accidere. Capitaneus verò prædictus pro Ducali Dominio Venetorum cunctis Cernitis per ripas & vada Liquentiæ dispositis & ordinatis, ad custodiam die noctuque vigilabat, ne dicti Hungari, qui jam in Patriam venerant Forojulii, pertransirent. Qui jam à Furlanis docti, quòd iter facere debebant, & quà pertransire, studentibus illos à se removere, ne illis damna inferrent, supervenientes, per guidas Furlanos iter monstrantes, transiverunt ultra Liquentiam flumen juxta montem, à quo flumen deducitur illud. Quà quum transivissent Hungari, pavor Cernitas rusticorum invadit. Nec mirum, quia degeneres animos timor arguit, & ceu lepores ad umbram concipiunt fugam. Capitaneus Venetorum acclamat subsistendum esse; obaudiunt. Tunc cernens suorum fugam, & rebellionem Furlanorum, & quòd Sacilum, in quod intrare conceperat, Canipa, & Pulcinicum se Hungaris dederant, gentes armigeras, quas pridem habebat, & supervenientes de hora in horam circa equos CCCC. Coneglanum adduxit, illic se firmans ad defensionem loci illius cum prædictis. Rustici autem Cernitarum, per itinera sua volantes ad propria, omnem ferè Marchiam Tarvisinam in terrorem adduxerunt, ex eo maximè, quia dicebant Hungaros omnia Oppida quantumcumque fortia vi obtinere, & manus resistentibus detruncare. Post quæ tantus cunctos invasit timor & tremor, quòd nisi de deditionibus cogitabatur apud multos, qui Venetos servabant infensos, objicientes ex odio, quod exorbitante consilio ruinam super eos advocassent.

Pipus de Scolaribus Comes, Capitaneus Hungarorum, non sapientior Hannibale, qui dum apud Cannas Romanorum potentiam conquassasset, victoria uti nescivit, ad ulteriora non procedens, adversùs Terram Serravallis proximam Diœcesis Cenetensis, exercitum conduxit, & illam malè custoditam atque munitam inveniens intravit, cepit,

pit, spoliavit, & captivando discurrit, ubi miserabiles vagitus puerorum ac virginum, ululatusque & planctus mulierum, nuptarum, atque viduarum cœlum penetrantes audisses, quæ omnia in prædam venerant barbarorum. Ex acervo quarum miserabilium Dominarum unam Margaritam filiam Sandri de Mussonibus Nobilis Civis Feltrensis, & uxorem Petri Careta filii Ser Zanini Careta de Serravalle, dominam non minus moribus & honestate clarissimam, quàm formâ corporeâ rutilantem, non absque lachrymis & compassione audientibus atque deinceps legentibus, recensere disposui. Quæ dum in hac miserabili præda in manus venisset barbarorum, pudicitiam suam quibus potuit viribus defensavit; quam suo sponte barbarus habere non valens, illam vi habitam servis prostituit, & de illa lupanar miserabile instituit, corpus dehonestans, sed non animum. De qua quum ad miserabilem patrem atque matrem fama pervenisset, omnibus aliis postpositis curis, nuntios destinantes curaverunt illam pecuniis eximere de manibus barbarorum. Quæ tamdem redemta, & Feltrum in domo patris & matris adducta, quum unica illorum & sola proles esset, modis omnibus exquisierunt illam consolare. Ex interventu stupri & pudicitiæ corporis corrupti, numquam adduci potuit, ut consolaretur, lachrymis, singultibus, atque suspiriis semper vacans indefessè, donec vixit, semper exclamans: *O misera Malgarita! Quid Creatori & Redemtori tuo Jesu Christo fecisti Deo tuo, ex quo in tantam miseriam incidisti? Tu Deus meus novisti. Sciant cœli, sol, luna, stellæ, terra, maria, homines, & quicumque cœli ambitu continentur, miserabilem Malgaritam animo nec corpore peccasse, nisi quatenus mihi vis major illata est corpori, animo intemerato usquequaque consistente.* Sic ista hujuscemodi planctibus & querelis vacans, à cibo & potu semper abstinens ac somno, vitâ excessit humanâ. Quam non solùm pater & mater lachrymantes ad sepulturam comitati sunt, sed omnis Civitas Feltrensis, dominabus cujus hæc est, & erit indelebile exemplum honestatis atque pudicitiæ. Spoliatâ Terrâ miserrimâ Serravallis, apud Hungaros tot & tantæ sunt divitiæ compertæ, quòd Pipus Capitaneus prædictus solùm ab Hungaris pro decima Capitaneatus habuit LX. millia Ducatos. Verùm hujus Terræ exterminium revera fuit aliarum Marchiæ Tarvisinæ ingens conservatio. Quoniam Hungari prædicti, divitiis atque opulentiis saginati, quibus in paupere Regno suo carent, victoriam sequuti non sunt, Hungaris ipsis Serravallis immarcescentibus opulentiis, ceu quondam Hannibal apud Capuam. Guilielmus itaque de Prata Comes & Miles ex hac rebellione à Venetis discedens, dictus est deinceps Regis Hungariæ magnus Consiliarius, per Salvestrum de Canipa & alios complices suos solicitare fecit Civitatem Belluni & Feltrum, quòd ab obedientia Venetorum discederent, & in deditionem Imperii se transferre vellent; nec minus Terras sibi vicinas videlicet Motham, Portum Buffoledi, Crudignanum, Opitergium, & Castrum Costæ Valmareni. Quæ omnia Oppida ab obedientia Venetorum semota deditionem Regi fecerunt. Feltrenses siquidem & Bellunenses immediatè Castra Zumellarum, & Schalæ ceperunt, & ut rebellionem aggravarent etiam Castrum Novum, quod rebellare fecerunt, quod Feltrensibus nomine Regis tradidit Johannes Girardus de Venetiis illic Capitaneus, & Antonius Bonetus etiam, illic Comestabilis ex piscatore Tarvisii factus, quos tantus invaserat timor & tremor, quòd numquam videre videbantur horam, qua Feltrensibus nomine Imperatoris de dicto Castro deditionem facerent; & ex post facto illos pœnituit, & conati sunt omnem culpam in homines Queri transferre, quorum aliquis in dicto Castro non erat, nec ad illius custodiam ullus deputatus fuerat, ut omnibus notum fuit.

Veneti his implicati curis, quærunt & exquirunt per omnem Italiam gentes armigeras, equestres & pedestres, & inventas ad sua stipendia frequenter adducunt, ut Terras suas Marchiæ Tarvisinæ valeant defensare, nec non Histriam, atque Dalmatiam, apud quas etiam cum Hungaris bellum erat. Ex quibus gentibus paulatim conductis modò huc, modò illuc per omnes suas Terras Veneti plures mittebant ad illarum protectionem. Quibus interim factis fortioribus tam gentium quàm munitionum, dictus Pipus tamdem castra movit & vênit contra Tarvisium, & ibi omnes Tarvisinos unanimes comperit ad defensam Civitatis pro honore Dominorum suorum Venetorum. Et ne sibi fieret, ceu factum constabat Serravallensibus spoliatis, atque requisiti ab inimicis extravagantibus, quòd Civitatem traderent Imperatori, respondentes acclamaverunt: *Regem non habemus nisi Ducem & Commune Venetiarum. Et cum Venetis nati sumus, commori illis intendimus, nec hujus Terræ cuipiam deditionem facere. Ite, ite, quoniam Tarvisini, non Furlani, neque Bellunenses, vel Feltrenses sumus, qui fidem gremio gestare comperti sunt.* Hungari auditâ Tarvisinorum pertinaciâ, nec non & exercituum Venetorum famâ adventantium, quorum Capitaneus Generalis dicebatur Carolus Malatesta de Arimino, qui in hac ista expeditione plus fama quàm opere laboravit, de agendis capiunt consilium abeundi, & Forojulium repetere. Ceterùm Carolus factus Generalis Capitaneus exercituum Venetorum, de Venetiis solvens, Tarvisium advenit, ubi cuncta disponit, commeatus ordinat, & instrumenta bellica plurium manerierum disponit, rem visu omnium grandem moliens. Quid credis? Certè terra tremuit, natusque deinceps est ridiculus mus. His & quampluribus aliis factis provisionibus, potiùs supervacuis quàm utilibus, Magnificus ille Capitaneus pede plumbeo tamdem Tarvisio motus, Pulcinicum accessit, & capto loco magno cum boatu ultra progreditur, & damna multa circum circa Utinum intulit, & egressus Motham, ubi castra fixit, nil aliud adversùs Utinum moliens, contra quod grandia fuerat comminatus, & dum circa Motham diu mansisset, nihil proficiscebatur, spreto consilio Petri Lauredano Nobilis magnæ præstantiæ atque virtutis, cui si moriger extitisset, bello captam in deditionem habuisset. Exercitu in obsidione Mothæ permanente, nullâ factâ custodiâ, quin immo quum Carolo pluries dictum fuisset, Hungaros advenire, dicentes despiciebat, dicens: *Sinite*

eos

eos venire. Et ecce Hungari notitiam habentes de mala custodia Caroli, & illius negligentia, quodam mane ex composito veniunt septem mille in octo mille Hungari equites, & tacitè exercitum aggrediuntur, inscium de prædictis. Et per eum discurrentes unumquemque repertum cædunt usque ad Caroli tentoria. Clamor fit grandis. Omnes ad arma concurrunt. Sed jam Hungari prædatum eunt, & Carolum Capitaneum capere contendunt plurimi, qui cum aliquibus intra tentoria se defendunt. Exercitus Venetorum plurimi Conductores fugiunt per Pontem ultra Liquentiam factum super barchis, putantes Capitaneum captum esse. Quos quum Aloysius de Campanea aufugientes vidisset, cucurrit ad dictum Pontem, & illum solvit atque destruit. Ad quem quum Rugerius de Perusio Conductor equorum DC. accessisset pro arripiendo fugam, & illum videns confractum supersedit, & ibi multi aufugientes sub illius Stendardo recollecti sunt, sciscitantes quid de Capitaneo esset. Et audito, quòd adhuc intra tentoria se defenderet cum multis, ex composito cunctos ordinans sub Stendardo suo strictè bellum ineuntes contra dictos Hungaros, Carolum impugnantes, aggrediuntur per modum, quòd dicti Hungari coacti sunt à tentoriis recedere. Tunc Carolus egressus tentoria sonipedem ascendit, & hostes insequitur, magnam in illos stragem faciens usque Sacilum, ex illis multis captis, & plusquam mille interfectis. Tunc Hungari de Stochetis Italorum per ante trufati, illos mirantur, & enses suos magnos detestantur, experientiâ facti certiores, quia dum illi Italos armatos ensibus percuterent, nil mali inferebant, sed ab Italis Italico transfigebantur pugione.

Postquam bellum prædictum actum est, Veneti exercitum parant contra Castrum Novum Queri, ubi pro Feltrensibus nomine Regis erant Capitanei duo, scilicet Mons, & Jacobus de Costa. Capitaneus autem exercitus Venetorum constitutus est Rugerius de Perusio superius nominatus cum MM. equis & totidem peditibus. In quo etiam exercitu fui cum M. hominibus Tarvisinis. Qui castrametatum venit contra Castrum-Novum, & illud in obsidione disposuit, bombardas tres magnas figi faciens, quæ die noctuque contra Turrim magnam projiciebant, & murum dictæ Turris versùs Querum confregit. Ex quo intrinseci Capitanei ad pacta devenerunt cum Nicolao Barbadico Provisore in exercitu prædicto, quòd per diem venturam Feltrum mittere possent nuntium ad exposcendum subsidium. Quod nisi præstassent, & succursum, quòd in deditionem venirent Venetorum. Factis pactis nuntio illorum Ego salvum conductum feci unico illo die tantùm valiturum. Qui iens post Solis occasum, reversus est. Et dum vellet Castrum-Novum accedere, illum capi feci, & Provisori prædicto præsentari ex eo quòd die transacto venisset, juxta illud: *Quando Sol est super terram, dies est*. Hoc feceram, quia alter Capitaneus duorum prædictorum Castri-Novi pater erat hujus talis nuntii, dicens Provisori: *Si simulaveritis velle istum cruci suffigere, nisi Castrum reddat Communi Venetiarum, cui Feltrenses abstulerant, videbitis, quod dabit*. Consilium placuit Provisori, & crucem subitò mane facto affigi fecit in fronte Castri-Novi, & patri altero ex duobus Capitaneis dicti Castri nuntiatum misit, quòd nisi usque ad Tertias Castrum-Novum sibi nomine Ducalis Dominii reddiderit, filium suum salvum conductum transgressum, ac literas portantem, captum cruci suspendi faciet sinè mora. Pater videns filium ligatis manibus cum laqueo ad collum plorantem, cum socio suo modum tenuit de reddendo Castrum, cujus tenutam accepit Nicolaus Barbadigo prædictus pro Ducali Dominio Venetiarum. Rugerius autem Capitaneus gentium armigerarum cum exercitu versùs Feltrum properavit, & in Villa de Thom & de Sereno se locavit, captâ priùs Clusâ Sancti Victoris, & ibi per plures dies castrametatus est, qui dum me relictum in Castro-Novo petiisset ad se venire, mane facto equum ascendens ibam ad illum; & dum Ponti Sonæ applicuissem, vidi rusticos de Lunico Vicentini districtus aufugientes, Clusam deserendo; & accurrens illis obviam factus sum, dicens: *Quò ruitis lepores?* At illi: *Heic est magnus exercitus Hungarorum, & jam exercitum nostrum aggressus est*. Ad quos dixi: *Revertimini ad locum commissum, quia post me sequuntur CC. balisterii pro manutenendo hanc Clusam. Non dubitetis de aliquo, nam exercitus noster victoriam obtinebit*. Isti reversi sunt, & Ego cum illis Clusam intravi, & vidi acies Hungarorum & Feltrensium ad manus cum exercitu Venetorum, quem adire non poteram nisi per medium hostium. Tunc firmatis rusticis ad Clusam fingens obviam balistariis prædictis ire, ad Castrum-Novum properavi, & Provisori prædicto factum exposui, qui suo more Veneto trufatus est. Ego verò qui id, quod evenit, cogitabam, quum accuri, circa XL. cum grapelis & securibus ac armis suis misi ad montem Thomi, illis imponens, quòd si à casu Exercitus Venetorum ab alio latere Thomi versùs Feltrum foret conflictus, & ad montem aufugeret, aufugientibus adjuvarent in ascendendo montem, & valles transeundo cum equis & armis suis, ne rustici Belluni, & Feltrenses fortè illos insectantes caperent. Quo dicto paruerunt. Ego verò Castrum-Novum reversus alterum ex Conductoribus exercitus comperui, qui de manibus Hungarorum evadens, dicto jam Provisori conflictum recensuerat. Nec certè manus inimicorum evasisset ille talis, qui Grassus de Venosa dicebatur, nisi ad Clusam prædictam, qua evaserat, rusticos illos invenisset & locum defensantes, quo ad ulterius pertransivit. Illi autem ad montem missi plusquam CCCC. equos & pedites multos de montibus & vallibus extractos à manibus persequentium inimicorum liberaverunt. Bernardus Diedo Provisor exercitus captus est, & Jacobus Tertio de Parma armiger, Nicolaus de Somaya, Jacobus de Mantua Comestabilis peditum, & alii plures, ac Feltrum per Hungaros & alios conducti sunt captivi. Quo die belli per multos ex gentibus armigeris Venetorum tam equestribus quàm pedestribus visus est quidam Miles equo decertans ex parte Feltrensium atque Bellunensium contra gentem Venetorum ita fortiter atque mi-

mirabiliter, quòd in quamcumque aciem se dirigebat, omnes fugabat. Cui secundùm opinionem gentium Venetarum dari potuit atque in eum solum transferri gloria belli. Qui autem fuerit ille, nusquam compertum est. Dicunt autem Feltrenses & Bellunenses illum fuisse Sanctum Victorem, intercessorem atque protectorem suum, quem etiam semper omnes de Domo mea venerati sunt, nec ab re; Nam dum semel Avus meus paternus Reduxius de Reduxiis de Quero veniret de partibus superioribus Querum per Canale illud Sancti Victoris, ter vocem audivit dicentem: *Reduxi, revertere, nec hodie vadas Querum*. Ipse autem retro respiciens neminem vidit, nisi Ecclesiam Sancti Victoris, ex qua sumsit auspicium, quod vox Sancti fuisset Victoris, & reversus est Feltrum. Nec multo post Sicarius quidam moriens confessus est, duobus additis sibi illamet die in Canali prædicto eum Reduxium de Quero observasse, ut illum interficerent, ac spoliarent, quia dives erat, & denarios persæpe dorso ferebat mercandi causâ.

Insuper Veneti laborantes suos exercitus accrescere, tentaverunt Pandulfum de Malatestis fratrem dicti Caroli de Malatestis de Arimino, Dominum tunc Brixiæ cum gentibus suis armigeris ad sua habere stipendia. Mihique Andreæ de Reduxiis de Quero mandaverunt, qui tunc Castellanus eram in Bassano Castri Majoris Mergnani, quòd illi cum literis Ducalibus sibi directis & mihi traditis obviam occurrerem per montes Vicentini districtus in Vallem Lagari descensuro. Et sibi literis præsentatis persuadere deberem, quòd juxta dictarum literarum tenorem gentes suas conduceret versùs Roveredum; nam Hendrigetus de Castro Barcho Dominus Roveredi Venetis infensus habebatur; & expeditus de Roveredo, quòd per Vallem Suganam gentes deinde deduceret in Vallem Feltri & Belluni, omnia igne, ferro, & spoliationibus conterendo. Et his factis Forojulium accedere, & se fratri conjungere Carolo de Malatestis apud Motham castrametato. Quo mandato habito, mecum assumtis quinque equis, ascendimus per Valstagnam; Axiagum ascendimus, ad Furnos descendentes, & exinde per Vallem ascendimus Cubalum, & transeundo montes pervenimus Folgariam, atque Bexenum, & illac transeuntes pervenimus Petram oppidum Venetorum, & ibi apud Johannem de Crespano Castellanum illa nocte hospitati sumus, & ab illo exquisivi de dicto Pandulfo, an in Vallem Lagari descendisset. Qui mihi respondit: *nondum, sed bene de eo fama erat*. Mane autem facto recedens, vêni Roveredum, & illac transiens incidi in prædictum Hendrigetum Dominum Roveredi, qui me interrogavit, quinam essem, & quò ibam. Ad quem me dixi Andream mercatorem pellium. Et in Vallem illam descenderam, ut de illis invenirem. Et ulteriùs progrediens Alam vêni, & per Clusam usque Veronam, ubi novi, Pandulphum de Malatestis Aticem transgressum apud Montorium esse locatum. Ad quem accedens Literas Ducales præsentavi. Et quæ mihi commissa fuerant, illi viva voce suggessi, illumque tamdem magno cum labore Veronam usque perduxi apud Nicolaum Venerio tunc Veronæ Potestatem, & Franciscum de Molino Capitaneum, ac Albanum Baduario Provisorem, inter quos multa & varia colloquia habita sunt, dicto Pandulfo super itinere faciendo in contrarium laborante, viarum discrimina recensendo. Sed revera, ut jam Rectores Veronæ doctos feceram, à Duce Friderico Austriæ fuerat invitatus. Quod advertens instabam, ut Rectores saltem illum infestarent, quòd recto tramite Motham accederet, nobis omnibus insciis, quid apud Motham Carolo acciderat. Jamque Aloysius de Campagna armiger dicti Caroli aufugiens Tarvisium venerat denuntiatum, qualiter Carolus ipse captus & conflictus esset ab Hungaris, sic credens ex eo quòd ut præmittitur, Pontem destruens properanter ad Pandulfum significatum occurrebat, & nocte sequenti jam Bassanum advenerat, sciscitans, ubi Pandulfum posset reperire. Die verò illa, quæ noctem præcesserat, habito in tibia sinistra equino calce inter gentes Pandulfi, (qui tamdem meis persuasionibus de Montorio discedens Monteclum applicuerat) Bassanum accesseram dolore tibiæ febribus aggravatus. Quo audito de Aloysio prædicto illi nuntiavi, quo Pandulfum inveniret. Qui recedens ad illum properavit, & dum illi conflictum & captivitatem fratris nuntiaret, ecce caballarius Ducalis Dominii cum Ducalibus literis ad Pandulfum directis, rem aperientibus aliter processisse pervenit, & illas illi exhibuit. Quibus lectis Deo laudes dixit pro conflicto Carolo fratre suo victoriam reportasse; & tunc Aloysius de Campanea erubuit ac miratus est, qualiter potuerit ita converti. Pandulfus motis castris Motham ad Fratrem properavit, qui nullâ habitâ morâ Venetias accessit, & inde solvens in altum navigavit Ariminum, Pandulfo per Ducale Dominium Capitaneo Generali constituto exercitus Venetorum.

Pandulfus itaque prædictus post fratris recessum constitutus est Capitaneus gentium armigerarum, ut præfertur, Venetorum, & de præsenti castra movens exercitum duxit ad Utini Portas, & illic se præsentans plurima damna intulit toti Patriæ Forojulii: ex quo rumor pervênit ad aures Sigismundi Regis & Imperatoris prædicti (qui cum gentibus suis omnem Histriam discurrebat, illam spoliando) eorum quæ fiebant in Patriarchatu Aquilejensi Patriæ Forojulii. Et tunc confestim Rex Pipum prædictum de Scolaribus cum XVI. millibus equis Hungarorum transmisit ad partes Marchiæ Tarvisinæ, & quòd ad cunctas illius Civitates & Terras se deberet præsentare, accepturus illas nomine Imperii; ad quas ipsi Regi firmatum fuerat per Brunorium de la Scala, & Marsilium de Carraria, quòd si contingeret, per ipsum Regem ad illas gentes destinari, favorem Populorum haberet, & quòd in ejus deditionem confestim venirent. Tunc Pipus mandata accelerans, dimisso Tarvisio, quoniam sciebat non oportere illuc accedere, Tarvisinis omnibus existentibus unius moris in servitium & fidelitatem Dominorum suorum Venetorum, versùs Cittadellam duxit exercitum Hungarorum, & per Villam Comitis transiens pervênit ad Vicum Aggeris juxta Paduam, ubi intellexit, quòd Pandulfus

dulsus Malatesta Capitaneus gentium armigerarum Venetorum cum equis VI. millibus & totidem peditibus Paduam intraverat, & se illi obviam venire parabat. Nam compensatis utrinque rebus mœrore lætitiaque concretis iter conficere & Hungaros prævenire ad unamquamque Venetorum Civitatem in dicta Marchia Tarvisina constituit, ne desperatis fortè rebus Civitates Marchiæ à Venetis deficerent. Quibus quidem non exspectatis, retrocedens Pipus cum omni suo exercitu versùs Bassanum dirigit gressus suos, putans sibi claves præsentari, sed irritum exstitit cogitamen. Nam Petrus Miani ibi Potestas & Capitaneus, Egoque Castellanus in Castro Majori illos bombardis, balistisque, & fundis viriliter suscepimus, illosque floccipensos abire coëgimus; qui inde recedentes Hungari Brentam vadarunt ad Theotonicorum vadum, qui modò Hungarorum dicitur; & in territorio Vicentino apud Marosticam se locarunt. Pandulfus illorum vestigia observans misit Martinum de Faventia Militem cum MM. equis usque Marosticam, & ipse cum residuo gentium Vicentiam properavit. Marosticani namque, quorum animus sincerus non habebatur, eumdem Martinum intra Marosticam admittere recusarunt, fingentes timorem, ne per se & illius gentes spoliarentur; sed animus aliò se vertebatur eorum. Martinus non valens Marosticam intrare, cum dictis gentibus in Caribolio & Moluena se locavit. Interim de Bassano exploratores meo consilio in campum mittimus Hungarorum, per quos habetur de progressibus illorum, & ad quæ videbantur intendere. Qua reperta, notum fecimus Potestati ac Provisori illic existentibus, quòd nisi Martinum cum gentibus Marosticam introducant, actum erat de Marostica, atque Martino, quem per nostras literas & nuntium proprium docuimus apertè, quòd nisi nocte futura se intra Marosticam & suos continuerit, mane summo Hungaros habebit adversos. Qui namque Martinus literis nostris inspectis, cum decem equis tantum Marosticam acceleravit, & habito colloquio cum Potestate atque Provisore, Porta Terræ secretè in bona custodia posita, jam gentibus suis clam admonitis, illas sinè strepitu intra Marosticani perpendissent, in qua tota nocte armati immorati sunt. Et ecce apparente diluculo Pipus cum toto exercitu Caribolum transvolavit, & sedibus vacuis repertis illusus se Marosticam præsentavit. Ubi Martinus, impigrè depositis pontibus, Marosticâ tamen sub bona custodia dimissâ, impetum fecit adversùs Hungaros per quamdam arctam viam fossatis magnis clausam, & illos vellent nollentque in campaneam usque fugavit, ex eis multis captis & occisis, quoniam in arcto Hungari Italorum lanceas pati non possunt, quia inermes sunt armis defensoriis tantum, nec sagittis nisi in loco lato uti possunt. Ad quem campaneæ locum quum Hungari ipsi pervenissent, persistunt. Martinus tunc jubet tubas receptui reboare, seque cum suis arcto congloborat, & Marosticam suas gentes cum captivis adducit, maximo cum gaudio Venetorum & fidelium suorum, si qui erant illic habitantes. At Pipus cum Hungaris districtum Vicentinum discurrens, Vicentiam versùs castra admovit, quem Martinus accelerato gressu est insequutus, & Vicentiam illum ante prævenit, & Pandulfo rem pandit, quo ordine se habuerit, & adventantium Hungarorum progressum annuntiat. Qui statim post sequuti sunt. Pandulfus & Martinus cum gentibus armati exspectant quid faciant. Illi ad muros provecti claves Civitatis postulant nomine Imperii & Brunorii de la Scala Domini sui. Vicentini obaudiunt. Tunc apertis Portis, Pontibusque dimissis, Pandulfus cum Martino adversùs Pipum & Hungaros in arcto ad pugnam congreditur in via, quæ ducit Veronam. Hungari armis suis uti non valentes, locum retrocedentes quærunt, quo adversùs Pandulfum & Martinum ac gentes suas armigeras uti possint. Pandulfus & Martinus instant, & illos lanceis & pugionibus impetunt, & ex eis capiunt, vulnerant & occidunt. Quibus visis Pipus cum gentibus Hungaris à loco illo divertit, seque & suos campestribus advexit.

Pipus de Scolaribus Capitaneus Hungarorum prædictus, non utique contentus ex his, quæ contigerant, ad se jubet venire Brunorium de la Scala, & Marsilium de Carraria, quibus assistentibus ait: *Hæccine hæ sunt claves, quas Domino meo Regi Hungariæ & Imperatori dixistis vobis offerri, quamprimum contigisset vos nostris gentibus sociatos has ad partes accedere?* Ad quem illi: *Non refert*, ajunt, *nam amici nostri præventi à gentibus Venetorum re nequiverunt ostendere, quod corde conceperant.* Persuadentesque dicebant: *Eamus impigrè usque Veronam. Genus ibi est hominum audax, solitum semper Dominis gaudere secundis.* Ad quos Pipus: *morem vobis geram, licèt jam diu mihi visum sit incassum tempus terere.* Et cepto itinere Veronam usque pervenit, quo jam ante prævenerat Pandulfus de Malatestis Capitaneus Generalis gentium armigerarum Venetorum, Martino etiam & gentibus armigeris sociatus. Et mane facto Pipus cum toto exercitu suo Veronæ Portis incumbit, Claves expostulans & obedientiam ad Regiam Majestatem, Brunorio persuadente, ut vellent Sacro Imperio deservire, & se à Venetorum jugo & obedientia subtrahere. Ad quos ullum verbum non est factum, sed spiculis, bombardis, & sudibus responsum est illis. Et deinceps patefactis januis, & demissis pontibus Pandulfus sonipede armatus insidens, egreditur cum Martino & toto exercitu, & ibi ante rastra congredientes plurimæ lanceæ utrinque sunt confractæ, ita ut solidè comprehenderet Pipus has non esse claves, quibus claustra possent aperiri, quin immo fortiùs reserari. Pugna jugiter fit intra suburbia Civitatis, parte utraque viriliter impugnante, nusquam in partem inclinante fortuna. Quod sagax Etruscus Pipus Hungarorum Capitaneus mente revolvens, iteratis sermonibus Scaligero atque Carrigero infit: *Ut quid? hæne sunt, ut prædixeratis, claves, quas Domino meo Regi obtulistis?* Et per triduum ibi manens, deinde ab obsidione discessit, omnes bastitas in territorio Veronensi habitas relinquens; & retrocedens per territorium Vicentinum se iterato Bassanum præsentavit, non ampliùs prosperans, quàm per ante receptus exstiterat. Rebus ritè recteque compositis atque for-

formatis per Nicolaum Marcello tunc Baſſani Poteſtatem & Capitaneum, nec non & me Caſtellanum, qui tunc aderam Caſtellanus dicti Caſtri Majoris, à quo quidem loco dictus Pipus caſtra movens, Aſilum petere videbatur. Quem locum Pandulfus Capitaneus prædictus unà cum Martino jam bene gentibus communierat, ita ut advenientibus Hungaris nil aliud reſtare videretur, niſi illos adeuntes obſervare, & quemadmodum tutè ſecum congredi poſſet, inſpicere. Hungarorum exploratores præcedentes in veſtigia incidunt equorum Aſilum præmiſſorum, per quæ comprehendunt auxilia jam præmiſſa. Et ad Pipum reverſi veſtigia nuntiaverunt. Qui infra pertranſiens Cornutam uſque pervenit, & exinde Petram Rubeam, ubi ruſtici baſtitam tutabantur egregiè, circa quam caſtrametati ſunt Hungari, & per bis ſenos dies ter baſtitam monti conſtructam, ubi dicitur Penavara, quondam arx antiqua, bello aggreſſi ſunt. Nec illam obtinere potuerunt. Quin immo ex Hungaris C. & ultra ſunt baliſtis, fundis, bombardis, ſudibus, atque lapidibus obruti, & quamplures ſauciati à ruſticis illius loci ſe viriliter defendentibus. Quibus revera niſi de Baſſano miſiſſem capſam unam mille veretonorum, defenſionem talem facere non poterant, & ad Hungarorum manus penitus deveniſſent. Verùm Scalabrinus de Tarviſio armiger & Conductor equorum D. de ſocietate Pandulfi, qui ab ineunte ætate vagans per Italiam, Tarviſii quodammodo incognitus habebatur, quia ortus ex damnato coitu Sacerdotis, cupiens ad partes ſuas aliquid probi armis conficere, concepit Hungarorum exercitum aggredi, & poſitis inſidiis ad pedes montis Rochæ Cornudæ, & intra Mulipardum, quo deliteſcere Martinus de Faventia ſpoponderat, cucurrit ipſe uſque ad Fontanellas Petræ Rubeæ, & acceptis aliquibus equis Hungarorum, retro feſtinans ad inſidias properabat. De quo Hungari perpendentes, confeſtim ad perſequendum confluunt, & ex eis, qui præceſſerant, bellum ineunt cum Scalabrino. Ipſe verò Scalabrinus, præmiſsâ prædâ, cum ſociis reſiſtebat, unum modò, modò alterum lanceis aggrediendo; uſque quo ad primas inſidias ſub Rocha Cornudæ juxta Eccleſiam Sancti Victoris in arcto viarum Hungaros ipſos adduxerat. Et ibi ſe retro volvens facie ad faciem lanceas cum enſibus eſt expertus, & Hungaros retrocedere compulit, pluribus captis, atque lanceis transfixis. Quo in loco pæne omnis exercitus Hungarorum confluxerat. Scalabrinus pedetentim reſiliens Mulipardum properat feſtinare; nec impigrè Hungari illius veſtigia ſequebantur. Ex quo Scalabrinus juxta ordinem datum putans illic Martinum deliteſcere cum gentibus ſuis ſe firmavit in arcto, rem bellicam adversùs inſequentes mirabiliter agens. Verùm quia jam nox aderat, & excubiæ jam Aſilum conceſſerant, nullo, ut ſperabat, adjutus adminiculo, Scalabrinus cogitavit fugam maturare, & ſe de manibus Hungarorum eximere confluentium ad pugnam, quemadmodum in ſegetes locuſtæ concitantur in globo. Qui dum versùs Aſilum iter faceret, ecce ſub eo delapſus eſt equus, & ibi à ſupervenientibus Hungaris eſt deprehenſus. Hungari verò mane ſequenti recedentes ab obſidione baſtitæ, prædictum Scalabrinum Utinum uſque duxere, & in fundo Turris fortiſſimæ carceribus manciparunt. Qui cum aſſide quadam Turrim uſque ad fundamenta ſuffodit, & nocte quadam evaſit, vênitque Tarviſium: quæ fuit res mirabilis cunctis videntibus, aſſerentibus uſque etiam XX. hominibus effoſſum id ſuffeciſſe.

Pipus ergo in contrarium expertus eorum, quæ Scaliger & Carriger Domino ſuo Regi Hungariæ promiſerant, Patriam Forojulii ſibi tutiorem conſedit, & depoſito exercitu ad Regem properavit, qui apud Hiſtrios dicebatur caſtra tenere, duobus cum millibus equis ſociatus. Ad quem quum perveniſſet, rem omnem ſerioſè denuntiat, & inter cetera, quòd loco clavium præſentandarum Italicas lanceas atque mucrones acutiſſimos fuerat expertus. Rex auditis, quæ dicebantur, infremuit; & tamdem poſt aliquos dies compoſitis induciis quinquennalibus cum Ducali Dominio Venetorum concors fuit. Quod quidem Regi melius ceſſit, quàm Venetis. Nam ſi Veneti cum gentibus ſuis guerram fuiſſent proſequuti, victoriam habuiſſent, Hungaris recuſantibus amodo cum Italicis, quos per ante experti fuerant, amplius congredi, vel quovis modo bella tractare; & profectò amiſſas Terras recuperaſſent in brevi, quas completis induciis magno cum labore & expenſis recuperavere jam dicti.

Philippus Maria Dux Mediolani iſtis in temporibus aliqualiter ſublevatus, cupiens paternas quondam Civitates Lombardiæ & Marchiæ Tarviſinæ poſſeſſas recuperare, die noctuque mente volvebat, qualiter inire poſſet ad illarum recuperationem, & inter ceteras adeundas curavit laqueos Brixiæ parare. Ad quam tuendam Pandulfus cum Martino & Scalabrino, qui jam à carceribus Utini Tarviſium evaſerat, acceptâ licentiâ à Venetis feſtinanter Brixiam accedit, munire procurans Pergamum, atque Caſtra illius, & territorii Brixienſis. Mantuæ tunc novitas habita eſt, nam Franciſcus de Gonzaga Dominus Mantuæ, infenſum habens Carolum Militem & Comitem Prati Tuſciæ, Gubernatorem Curiæ ipſius Domini Mantuæ, Comitemque Franciſcum fratrem dicti Caroli Capitaneum gentium armigerarum dicti Domini, ac Comitem Stephanum etiam fratrem prædictorum Poteſtatem Mantuæ, & inſuper quartum fratrem prædictorum ſocium dicti Domini Mantuæ, capi, & ſimul & ſemel detineri fecit, & carceribus mancipari, qui carceribus mortui dicuntur omnes præter Carolum, qui ut dicitur, in compedibus adhuc miſerabiliter vivit.

Dux Mediolani Philippus Maria rem ſuam intendens, Parmam vindicat de manibus Nicolai Eſtenſis Marchionis Domini Ferrariæ, qui illam abſtulerat Ottoni de Tertiis ſupraſcripto ejus compatri ad colloquium ſecus Ruberiam invitati à Regio diſtantem per ſeptem milliaria. Quo quum perveniſſet Otto prædictus inermis, per Sforzam armigerum Marchionis armatum illi obviam accurrentem eſt occiſus. De cujus carne per inimicos quamplures eſum eſt, quum ipſe per ante amicis nec inimicis umquam pepercerit, credens ex hoc Parmæ in futurum liberius dominari. Et parum poſt Carmignola armiger factus

factus Capitaneus gentium armigerarum Ducis Mediolani prædicti Placentiam cepit, fugato Philippo de Arcedo Comite, qui illam ditioni suæ pridem subegerat, vivente Bartholomæo Comite ejus fratre, quem dictus Carmignola, durante guerra prædicta, ut Placentiam redderet, cum filio quodam unico dicti Philippi laqueo suspendi fecerat diebus ante transactis, antequam Philippus Comes prædictus Placentiam ipsam reddere vellet Duci Mediolani; qui Philippus tamdem fugæ consulens, ad stipendia se contulit Venetorum. Post quæ idem Carmignola Laudem vindicavit Duci Philippo Mariæ prædicto de manibus Johannis de Vignali prædicti, qui dolo & astutia, quibus Laudem invaserat, ad præsentiam dicti Ducis Mediolani perductus suffixus est cruci. Quibus quidem Terris sic brevi in tempore conquisitis, Dux ipse Philippus Maria amicitiam simulat singularem cum Georgio Benzono Domino Cremæ, & in Curia sua vocat Venturinum filium dicti Comitis Georgii, illum fraternaliter & amicissimè pertractando, & causam quærens, bellum parat adversùs Pandulfum de Malatestis Dominum Brixiæ & Pergami. Adversùs quem mittit Carmignolam Capitaneum suum prædictum. Qui modico tempore taliter eumdem Pandulphum bello adstrinxit, quòd Pergamum, & Castra ejus relinquere coactus est, & ulterius exquirere, quòd Veneti illi subvenirent. Qui per ante à dicto Pandulpho decepti, obaudivere prædictum, donec ipse Pandulphus Venetis deditionem Brixiæ, Castrorumque suorum facere vellet, cunctis Brexanis ad hoc convenientibus, & Dominio Venetiarum pollicentibus, quòd si Brixiam vellet assumere, & procurare illius defensionem, ne in manus incideret Ducis Mediolani, contentabantur ipsi lanceas CCCC. suis propriis sumtibus ad custodiam Brixiæ conducere & retinere. Nec tamen Ducale Dominium Venetiarum in hoc voluit Duci Mediolani displicere. Quam si tunc, quum poterant, fuissent assequuti, non tot & tantis gravibus expensis illam in futurum vindicassent, pro ut inferius videbis expensum iri. Ex quo Pandulphus, vellet nolletque, dictam Civitatem Brixiæ, & omnem districtum ejus, Duci dimittere Mediolani coactus est, post tamen conflictum habitum in campanea Montis Clari, dum Ludovicus Miles Dominus Firmi Capitaneus conductus ad stipendia Pandulphi cum MM. equis in succursum illius Brixiam vellet accedere; adversùs quem Carmignola Capitaneus gentium armigerarum Ducis Mediolani cum MMM. equis occurrens, bello contriverat, & captum Mediolanum adduxerat, qui adhuc Mediolani taliter est honoratus, quòd de cetero illi in cunctis moriger exstitit.

Facto fine rebus Pandulphi, & Civitatibus Brixiæ & Pergami cum districtibus earum in manus Ducis Mediolani ventis, ipso Pandulpho ad propria jam migrato, Philippus Maria more Cæsareo nihil fecisse putans, donec sibi aliud factu restaret, manus vertit ad Cremonam, fœdera habita cum Cabrino disrumpens, quum sic ars arte deludatur. Loci & temporis opportunitate percepta, Carmignolam Capitaneum gentium suarum armigerarum adversùs Cabrinum Fondulum tunc Dominum Cremonæ mittit, qui videns barbitonsorum manibus se incidisse, cautè Ducali Dominio Venetiarum quæsivit Cremonam subjicere. Quam Veneti assumere recusarunt, ut Duci Mediolani molesti non essent. Nec talis urbanitas profuit utrisque; quia nec Cabrinus, nec Veneti propterea votorum suorum compotes exstiterunt. Sicque Cabrinus omni spe exutus, cum Duce Mediolani transigendum iri putavit de dando illi Cremonam & districtum, præter Castrum Leonem, quod in se retinere disposuit, & cuncta sua mobilia cum filiis illuc transferre. Quod tamdem fœdus percussum exstitit inter partes. Cremonam cum districtu dimittens ipse Cabrinus, deditionem illius facit Duci Mediolani, & se & sua cum filiis Castro ingerit Leoni. Quo non multo post, dolo & arte, quibus Nobiles Cavalcabovum occiderat, per compatrem suum Oldratum de Lampugnano scelerum Ducis Mediolani exsequutorem irretitus, captusque est, dicto Oldrato fingente secum ire obviam velle Carolo de Malatestis Domino Arimini, & est Mediolanum conductus & carceribus mancipatus. Verùm ne aufugeret, ut quondam evaserat tempore prisci Ducis Mediolani, jussit Dux ipse, quòd illius caput ab humeris truncaretur, filiis dicti Cabrini per ante ab illo Senas transmissis, & ibi fœnoris mensam detinerent, cunctisque aliis suis bonis in Castro repertis prædicto, quæ multa erant, spoliatis, sicut par fuit.

His neque contentus successibus Dux Mediolani Philippus Maria, juxta sententiam Alexandri Macedonis, qui contra Darium Regem Persarum adductus fœdus oblatum filiæ & dimidii Regni sui recusavit inire, deliberavit Georgium Ponzonum Dominum Cremæ dicto dominio spoliare. Et tractatum habens cum Castellano Rochæ Cremæ, rem ipsam aggreditur. Quod advertens dictus Georgius Benzono Dominus Cremæ, cum Venetis exquisivit auxilium. Et finaliter in illorum deditionem obtulit Cremam. Qui illi recusarunt auxilium conferre, nec Cremæ dominium habere voluerunt, ut Duci Mediolani innotesceret illius amicitiam, & fraternitatem sibi cariorem esse, quàm Cremam.

Dux Mediolani Philippus Maria totius Lombardiæ amodo Dominus factus, strenuitate & operibus Carmignolæ Capitanei suarum gentium armigerarum, eumdem benemerito propterea nobilitare curavit, & per Privilegium authenticum insignibus Vicecomitum Mediolani roboratum in suam familiam de Vicecomitibus, ac illustrem Domum transtulit pariter & admisit, jubens de cetero anguiferum Anguem suis comportare stendardis, vexilloque parili, & eadem omnia in posteros transferre suos. Quem Franciscum cognomine Carmignolam agnomine de Vicecomitibus, Comitem Castri Novi Lombardiæ per advenientem tunc Imperatorem creari & illustrari atque confirmari fecerat, magno cum applausu totius Populi Mediolani, apud quem Comes ipse suis exigentibus meritis lætè videbatur, magna cum amicitia cunctorum tam Populi Mediolani, quàm aliorum, qui viderant quot & quanta ille pro Duce Mediolani modico in tempore jam fecerat. Verùm quia

„ Sum-

" *Summa petit livor, & perflant altissima venti*; suspicio Duci fit Mediolani, adversa ipsi Comiti atque sinistra. Ex qua laquei ponuntur, ut justum capiant. Qua re adversus se comperta per eumdem Carmignolam, postquam à gubernatione Januæ Mediolanum advenisset, ille relicto Mediolano ac Duce Philippo Maria, licèt insignem domum Mediolani construi fecisset sumtibus viginti millium Ducatorum, ad propria ultra montes migravit in Carmignolam, à qua dictus est Carmignola.

Tristanus de Sovergnano Miles pro Communi Venetorum infestans Utinum, quum ordinavisset de dando vastum circa Utinum, & in exequutionem prædictorum accederet Carolus de Cavalcabobus, & quidam Nobilis Amileo Bresanus cum aliis armigeris, ac Capelletto de la Fossa Conductore peditum, & dicti juxta ordinem datum ire debuissent ad vadandum Tayamentum, iverunt Bandum juxta Tayamentum propter pluvias & imbres tunc maximè ingruentes. Ubi multa olei comperta quantitate castra posuerunt. Quorum inertiâ superveniens diluculo Nicoluxius de Prata Comes, associatus Nobilibus de Spilimbergo, de Porciliis, multis de Sacilo cum MMM. peditibus, ab improviso præditorum exercitum Venetorum congrediens aggreditur, & ex eis CCCL. gladio peremerunt. Verùm quia non respondent, usquequaque ultima primis, per menses duos post, dum Thaddæus Marchio Estensis, Conductor gentium armigerarum Venetorum, cum equis CCC. & peditibus XL. Avianum cucurrisset, & illinc abstulisset ingentem prædam animalium brutorum, & irrationabilium, illamque abduceret, & ad suum exercitum properaret apud illas partes castra tenentem, accidit quòd Nicoluxius de Prata suprascriptâ victoriâ assuetus & elatus, & Antonius de Octobono de Sacilo, & Federicus de Purciliis cum equis XL. & peditibus D. montem quemdam iter Marchionis mediantem ascendunt in campanea Fontis-Frigidi situm, in tuto inimicos venientes expectando. Thaddæus autem Marchio ab Antiguardo Saccomanorum cautior redditus de prædictis, structa acie superveniens, illos viriliter aggreditur ita enixè, quòd illos deterritos posuit in conflictum, ex quibus partim ferro, partim siti caloreque, CCCC. mortui sunt, & capti non minori excidio quàm paulò ante passi erant.

Dum Dux Mediolani Philippus Maria sub ditione sua totam subjugat Lombardiam, Veneti interim transacto quinquennio, intra quod induciæ fuerant celebratæ, ad sua conducunt stipendia Philippum de Arcedo Placentinum, de quo supra mentio habita est cum lanceis CC. Qui Tarvisii scribens intra Civitatem ad Hospitium Bovis, habuit pro lozamento suo domum Michilini de Valle Sugana in medio Burgi Sancti Thomaxii sitam. Scriptis namque sociis suis stipendiariis per Petrum Zachariam Potestatem & Capitaneum Tarvisii, & Fantinum Zeno Provisorem, datus fuit ordo, quòd die Dominica sequenti fieret recensus in dicto Burgo Sancti Thomaxii; & illo completo, quòd Philippus cum gentibus armigeris suprascriptis Civitatem ingrederetur, per illam cum gentibus & provisoribus equitans, ut ad ini-

A micos fama pertingeret de gentibus ad stipendia conductis. Et veniente Dominica die, stabilita omnia juxta ordinem datum comparata erant, ita ut clangentibus tubis nil aliud restare videretur, nisi ut recensus fieret gentium conscriptarum. Ad quæ conspicienda jam omnis Civitas confluxerat, & in Burgo prædicto, ubi fieri debebat, aderat omnis turba, vacua remanente Civitate. Ecce Petrus Zacharia Potestas & Capitaneus Tarvisii, & Fantinus Zeno Provisor Burgum accedunt, & ego utique cum illis tunc aderam, ut Civis & Cancellarius Communis Tarvisii. Qui videntes quòd illuc confluxissent omnes, & maximè ambo Castellani Castri Tarvisii, quibus mandatum fuerat, quòd
B in Castro remanerent, donec prædicta complerentur, animo turbati sunt, & maximè quòd injussu Rectoris Castellani custodiam Castri reliquissent. Ad quos clarè demonstravi maximum statui suo imminere periculum, quum Civitas & Castrum absque defensoribus permansissent, stante Conductore isto cum gentibus armato, cujus fidem fuerat experta Placentia patria sua originalis; consulens quòd bonum foret Cives admonere & Castellanos, quòd intra Civitatem se reciperent, & quòd Porta Civitatis & aliæ in bona custodia observarentur. Placet consilium. Rei cura mihi committitur. Illi pro-
C cedunt ad monstram, & ego Andreas de Quero Cancellarius Communis Tarvisii in Porta consisto, & custodes ordino, atque receptui clam Castellanos & Cives advoco, & illis rem aperio, qui consilio acquiescunt. Quumque Potestas & Provisor lozamento Comitis applicuissent, notum faciunt Comiti. Ille per famulum respondet, quòd vadant ad ulteriorem Portam Burgi, quoniam illuc recenseri vult gentes. Illi pergunt, & locum parari jubent. Et ecce Comes Philippus equo insiliens lozamentum excedit, & gentes intrat suas, & ubi iter erat ad Portam Burgi in contrarium iter est versùs Rastrum Portæ
D Civitatis. Quod videns Capitaneus Portæ, hortor ut neminem intromittat absque Rectore, sicuti illi mandaveram illius parte. Qui Comes Philippus videns Rastrum clausum, Pontemque ac Turrim munitos, retrocessit usque ad medium Burgi, quo quum pervenisset, illico versus & retro cum omnibus gentibus suis, & ad Capitaneum dixit: *Aperi, aperi*. Ille admonitus nihil fecit. Tunc jussit sibi dari bastonum unum de adstantibus illis lignis, quo per dentes rastri porrecto, facie immutatus retrorsum pergit ad factum. Ego verò his signis habitis ad Potestatem & Provisorem clam dici facio, qualiter in facto Comes se habuerat, prop-
E ter quod factâ monstrâ desiverunt gentes per Civitatem adducere. Meo siquidem judicio Comitis opinio fuit, Civitatem invadere, & sibi illam submittere ad se clamando inimicas Venetorum gentes per circumstantes Terras Forojulii, Civitatis Belluni, ac Feltri, & Serravallis, cum aliis immorantes quam libenter ad prædam occurrissent. Quod si evenisset, actum erat de Padua, Vicentia, atque Verona cum omnibus districtibus suis.

Ceterùm non multùm post parato exercitu Venetorum, itur contra Feltrum, non obstante Clusa Sancti Victoris, quam Feltrenses rebelles Ducali Dominio Venetorum tunc deti-

detinebant. Viâ factâ industriâ mei Andreæ de Quero per supra Sonam à latere montis Thom, per quam aliàs mei progenitores exercitum duxerant Venetorum tempore suprascriptæ guerræ Ducis Austriæ, & discursis territoriis Feltri, & Civitatis Belluni, superveniente nive præmaxima, de Valle prædicta exercitum duxi per Sambucam. Ex quo Feltrenses & Bellunenses, putantes exercitum fugere Venetorum, exeuntes atque per Clusam Sancti Victoris, ad revolutiones montium exercitum aggrediuntur; & ibi mortui & capti sunt quamplures ex eis, ceteris usque ad Clusam fugatis. Tunc exercitus in plana descendens Tarvisinæ, ad hyemandum est conversus, & Februarium prope venturum exspectans, iteratò Feltrum adducitur, captâ Clusâ Sancti Victoris; & circa Feltrum castra posuit sua, nec ante discessit, quàm confracta Turris Portæ Anuriæ, & vi bombardarum solo æquata dilaberetur, & Civitas in deditionem veniret Venetorum. Quibus, ne spoliarentur, Ducale Dominium indulsit, quòd solverent decem mille Ducatos auri. Et ex illis Civitas evasit periculum spoliationis acclamatæ. Exercitus itaque Venetorum, expeditus de Feltro & omnibus suis fortilitiis, tam ab intra, quàm ab extra, Civitatem Belluni conducitur, quæ diu laboravit, ne in manus veniret Venetorum. Verùm bombardis, machinisque, & aliis bellicis instrumentis expugnata, tamdem ad fidem est conversa Venetorum, & utique pacto persolvit decem millia Ducatorum, ut periculum evaderet spoliationis similiter acclamatæ. Post quæ descendit exercitus prædictus post Pascha Resurrectionis, & castra posuit juxta Crudignanum, ubi mensibus & diebus laboravit, donec Ducali mandato mittor ego Andreas de Reduxiis de Quero Communis Tarvisii Cancellarius illuc cum quampluribus, quos conducere possem ex districtualibus Tarvisinis, & aliis, quos reperire possem, dando Ducatum unum de præsenti pro quolibet volente mecum accedere Crudignanum. Et quum illuc applicuissem, alium habere deberet Ducatum pro singulo. Et intra triduum vocatis ad me attinentibus pariter & amicis tam de Solagna, & Pedemonte Bassani, ac Asili, & Queri, aliisque locis Tarvisanæ in monte & in plano, atque Mestrinis, societatem comperui DC. peditum electorum. Qui recedens de Tarvisio cum equis sex, dictisque peditibus Crudignanum accessi festinanter, & me cum prædictis Comiti Philippo præsentavi. Et interim me sequutus est Johannes frater meus cum aliis CCCC. peditibus, meque illuc accedente, & viso per homines Crudignani, ad pacta descenderunt, sperantes per me se posse salvari, ne illorum bonis spoliarentur, & confestim Castri deditionem fecerunt Ducali Dominio Venetorum. Bohemus autem quidam cum suis in Rocha sive Palatio dicti Castri se continens, etiam in deditionem vênit Venetorum, pacto quòd personæ & res suæ salvæ forent, licèt ineptè illi servatum exstiterit. Qui dum Rocham reddidisset, & licentiatus fuisset cum equis & armis, antequam Serravallum accederet, quo tendebat, per famulos dicti Comitis omnibus spoliatus est, & sibi in capitale adducere potuit, quòd fuerit vita donatus.

A Uladislaus Rex Poloniæ, Lithovaniæque Princeps supremus, & heres Russiæ, MCCCCXXIII. Venetias ivit, satìs domesticè vestitus, cum multis Nobilibus illarum partium. Cui à Venetis paratæ sunt Galêæ in altum naviganti, ut Sepulchrum Domini Jesu Christi nostri magna cum devotione visitaret, ceu jamdiu asserebat sibi cordi fuisse. Quo Sepulchro visitato in reversione Ragusium descendit, & ad sua Regna terra remeavit, magno illi honore exhibito à Venetis in Venetiis, & per omnes alias suas Terras, & mari, licèt per quemdam Fulchum Contareno quidam Regis Miles fuerit in Corfuto sauciatus in gravem Regis displicentiam, B quæ esse potuit causa, quòd Rex ille in reversione Venetias non accessit.

Expedito exercitu Venetorum de Crudignano, ascendit Canipam, & exinde Sacilum, quæ Castra præsto se Venetis reddiderunt, & in illorum ditionem pervenerunt. Deinde Opitergium ivit, & Portum Buffoletum, & Motham, & illa tria Oppida obtinuerunt Veneti de præsenti. De quibus exercitus expeditus castra versùs Pratam movit, & ibi mensibus & diebus locum obsedit, quem Nicoluxius Comes de Prata tutabatur. Et licèt locus natura & arte fortissimus reperiretur, coactus est tamen dictus Nicoluxius Comes Pratam reddere Venetis, perso- C nis & rebus salvis. Quam nemo præter Venetos capere potuisset, qui de præsenti illam solo æquari mandaverunt, recordati injuriarum multarum, quas persæpe Domus illa Comitum de Prata Venetis intulit in Terris suis per omnes guerras, quas terrâ habuerant, juxta augurium Cardinalis de Prata, qui persæpe Guielmo Comiti de Prata adversanti Communi Venetiarum dicebat: *Tanta facies, quòd tamdem eris destructio Domus nostræ, quum durum sit contra stimulum calcitrare*. Sicque ventum est. De lapidibus Pratæ diruptæ factum est à Venetis Castrum sive Rocha in Terra Sacili.

Civitas siquidem Austriæ in compositio- D nem & deditionem vênit Venetorum, nullis tamen ex suis ordinibus commutatis, sed intra se Cives Terræ regimen, sicut ante, conservarunt.

Pergit exinde exercitus Utinum, & ibi sua posuit Castra per menses & dies. Tamdem aquâ privatum compulsus est in deditionem venire Venetorum, certis pactis & conventionibus intra se habitis, quæ illis usque in præsentem diem observantur, mittentibus Venetis singulo anno Virum Nobilem Venetiarum ad regimen Utini, & totius Patriæ Forojulii, qui dicitur Locumtenens.

E Castellani omnes Patriæ Forojulii propterea in deditionem & gratiam venerunt Venetorum, confœderatione facta & homagio illis jam præstito fidelitatis, sicuti Patriæ fuere temporibus retroactis.

Post quæ nulla est habita mora, quòd dictus Philippus de Arcedo Capitaneus exercitus Venetorum exercitum conducit ad partes Histriæ, ubi rebellaverunt à Venetis plura Castra, & in deditionem venerant Regis Hungariæ. Quæ quidem presto ad manus devenerunt Venetorum. Quibus omnibus fine dato, ecce Philippus de Arcedo Comes & Capitaneus exercitus Venetorum fato functus interiit. Mo-

Moritur interim & Comes Ludovicus de Barbiano, cujus filius Comes Albricus ad stipendia Venetorum apud Utinum moram trahebat. Et recedens, quia de morte audierat patris, illum Duci Mediolani, atque Marchioni Ferrariæ recommittentis, domum remeavit; & cum Marchione controversiam habuit, in qua Dux Mediolani medius fuit componens, quòd Rocha de Conselexe per ipsum Ducem & Marchionem mutuis vicibus custodiretur, & quòd per unumquemque Commissariorum, qui ipsi erant, mitterentur duodecim pro parte. Quo facto Bonzantrotus de Alexandria armiger Ducis Mediolani cum electis armigeris undecim per Ducem Mediolani, & alii duodecim ex rusticis Ferrariensibus per eumdem Marchionem ad custodiam dictæ Rochæ missi sunt. In qua quum ambæ partes introissent, dictus Bonzantrotus cum suis rusticos duodecim Marchionis abire coëgit, & in potestate solùm Ducis Mediolani dicta Rocha remansit.

Dux Mediolani Philippus Maria pacis impatiens, quam cum Florentinis jam diu fecerat, conditione adjecta de non se impediendo in Romagna ullo modo, conditione, vel causa, contra pacta veniens aggreditur, ut se Forlivii Dominum faciat; quia eum Georgius de Ordelaffis veniens ad mortem suum Commissarium reliquerat, & unici filii sui, quem habebat, gubernatorem, natum ex uxore sua, filia Ludovici de Aleduxiis Domini Imolæ, unà cum dicto Ludovico socero suo. Qui videns Ducem Mediolani potentiorem, ac dubitans, quòd scelere prærepto se Dominum faceret Forlivii, cujus ipse fortè libentiusque fecisset, nisi Cives Forlivii odientes Ludovicum impedissent, adhæsit Florentinis. Qua stomachatus re Dux Mediolani, modum invenit, quo dicti Ludovici Domini Imolæ ulcisci posset. Nam ad Angelum à Pergula Conductorem gentium armigerarum confugerant duo provisionati dicti Domini Imolæ, quorum unus vocabatur Guelfus Placentinus, & illi dixerant, quòd si vellet, illis promittere & liberè consignare duas domos, quas scirent eligere & nominare in Imola ad spoliandum, ipsi promittebant arcem Imolæ dare dicto Angelo, quoniam illâ captâ poterat Imolam capere, & omnibus spoliare. Et hoc nuntiato, Angelus prædictus conscium fecerat Ducem Mediolani, qui illum cum gentibus suis in Romagnam misit. Cum quo dicti provisionati rem tractant dicentes: *Sequimini nos hac nocte, & vos in Rocham introducemus*. Subitò Angelus impigrè gentes suas parat equestres & pedestres, advenienteque nocte clam cum prædictis accedit ad foveas Rochæ de Imola, & illas intrat, quia propter frigus intensum gelatæ erant, & glacies desuper magna. Et usque ad muros perducitur, quibus adjectis scalis ad murorum mensuram fabricatis per illas illi duo provisionati, & reliqui muros ascendunt, ubi noverant per ante nullas excubias detineri. Et quum Rocham intrassent, accesserunt ad locum excubiarum, & custodias capiunt, & Turrim ascendunt, ubi morabatur Capitaneus Rochæ vocatus Venetus cum unico socio tantùm, quos & ceperunt. Et apertis Portis, ac Pontibus Rochæ dimissis, gentes armigeræ Angeli intrant, & rumor maximus fit. Qui quum ad aures Ludovici Domini Imolæ pervenissent, voluit ad Arcem confugere, ad quam quum pervenisset, illam captam comperuit, ad regressus ad Cives rem aperit. Cives illi consulunt, quòd fugiat. Ille autem recusavit dicens: *Volo pacisci cum Angelo à Pergula in Rocha existente, ne Terra tota spolietur*. Et inconsultè ad Arcem tendens captus est, & in Rocha carceratus. Et statim Cives, quia nec etiam aliter facere poterant, Imolam Duci Mediolani cum districtu liberè tradunt. Et dictus Ludovicus per ante Dominus Imolæ Mediolanum adducitur, & Duci Mediolani præsentatur. Qui dicto viso dixit, se liberatum ab infirmitate, qua per ante dixerat detineri, subdens quòd liberari non poterat, nisi vulpem unam rubeam deprehendisset. Is quoque Ludovicus totus rubeus naturaliter erat: & sic solutum est ænigma dicti Ducis Mediolani, mandantis illum captivari; & in captivitate moratus est, quo ad Dux Romagnam tenuit. Sed illâ relictâ in manibus Papæ dictum Ludovicum relaxavit, & Romam missus est.

Expeditis omnibus præmissis, Guido Antonius de Manfredis Dominus Faventiæ ex adhærentibus Ducis Mediolani, illoque turbatus, quia juxta promissa sibi facta CC. lanceas de conducta dare recusaverat, ab illius amicitia & societate recessit, & Florentinis adhæsit. Hoc tamen accidit per medium Nicolai Picinini Conductoris gentium armigerarum ad stipendia Florentinorum militantis, tunc capti, & Faventiæ detenti. Florentini visis, quæ fiebant per Ducem Mediolani in Romagna contra pacta pacis secum facta, Carolum & Pandulfum de Malatestis fratres ad sua stipendia conducunt, & dictum Carolum Generalem suum Capitaneum constituunt, conducto etiam Comite Albrico de Barbiano cum C. lanceis, qui à gentibus Ducis Mediolani tunc in Zagonara obsidebatur. Ad quam succurrendam Florentini deliberaverunt exercitum & Capitaneum suum destinare, qui in toto dicebatur sex millium equorum, & decem millium peditum. Carolus autem Capitaneus exercitus præsto adducit tenus exercitum Ducis Mediolani, qui erat de quatuor millibus equis & V. millibus pedibus, cujus Capitaneus dicebatur Angelus à Pergula. Juxta quem exercitum quum pervenisset Carolus Capitaneus Florentinorum, voluit altero die pugna congredi, & inconsultè. Erat siquidem exercitus Florentinorum longo itinere fatigatus, & etiam quia nocte præterita tota in armis & via constiterat. Quibus non obstantibus, Carolus structis aciebus Angelum aggreditur. Putaverat Carolus, quòd Dominus Angelus à Pergula, quia Vassallus suus, sibi cederet. Sed irritus fuit eventus. Angelus verò astutus, & in armis longo jam tempore versatus, agnoscens Caroli animum & pertinaciam, exspectavit, ut illum intra sua castra reduceret per certas buccas in plano perductas, ut intrantes sua arte colligeret. Et non minus accidit, quàm fuerat machinatus. Nam suo cum ordine ab ante & per latera obviam illi pergit. Armigeri partis utriusque se mutuis vicibus lanceis impetunt. Verùm & homines & equi exercitus Ducis Mediolani recentes, & magno cum ordine procedentes, magnam vim inferunt contrario exercitui Florentinorum, quem non multo cum labore in conflictum ponunt gen-

gentes Ducis Mediolani, licèt numero inferiores essent, Carolo capto, & Pandulfo fugato, qui fugiens Ravennam accessit, & per aquas Ariminum navigavit. Ex quibus gentibus Florentinorum pauci evaserunt; & plures capti sunt nocte à rusticis & mulieribus etiam aufugientes, quàm in bello. Carolus autem in papilione Angeli à Pergula captivus adductus, dum audivisset compedes sibi apponi debere, conviciis multis dictum Angelum impetiit, dicens: *Rustice cænose: ego enim plus amicor Duci Mediolani, quàm tu.* Comitem autem Albricum denuntiavit proditorem, objiciens, quòd si extra fortilitiam suam cum suis gentibus fuisset egressus in subsidium Florentinorum, ceu promiserat, sicut contrarium fecerat bellum, obtinuisset quod perdidit. Triduo autem post Carolus de Malatestis prædictus Mediolanum usque perducitur. In cujus adventu Dux Mediolani obviam pergit extra Mediolanum; & quum ad illum applicuisset, ait: *Bene venerit pater noster*. Fuerat enim unus ex Commissariis quondam Ducis veteris Mediolani. Ad quem Carolus respondit: *Citò perpendemus, quàm bene huc advenerimus*. Dux illum maximè veneratus est, & in eundo extra & intra Mediolanum illum semper ante posuit, & ad latus superius semper. Et tamdem equis, canibusque, ac avibus à Duce Mediolani veneratus abiit, amicior Duci factus, quàm Florentinis.

Facta confœderatione inter Florentinos, & dictum Dominum Faventiæ, ecce Dux Mediolani conducit de Apulia Comitem Franciscum quondam Sfortiæ, qui in Apulia diminutivè *Contesellus* dicebatur, cum MCC. equis, peditibusque CCCC. Revera numquam numerum complevit adscriptum. Sed pratica & ostentatione Ducis Mediolani reputabatur flos gentium Italicarum armigerarum; sed exitus aliter comprobavit. Venit itaque in Romagnam, & ex eo Contesello dictus est Comes Franciscus, & multa proba facta armorum facientem adversùs Faventiam, eum dici & appellari fecit Dux Mediolani per omnes suas gentes, & cum exploratoribus etiam per omnem ferè Italiam, *Comes Rolandus hic est*. In qua quidem expeditione exercitus Ducis Mediolani tunc erant Angelus de la Pergula, Seccus de Montagnana, Belmamolus, Fabritius, Zambonus Troto, Pirinus Turcho, Guido Torellus, & alii multi Conductores, & armorum viri illustres cum equis VI. millibus & ultra. Quibus ad obsidionem Faventiæ laborantibus occurrerunt Dominus Faventiæ prædictus, Fornainus, Nicolaus Picininus, Comes Nicola, & alii multi Conductores gentium armigerarum Florentinorum, illustres armorum viri cum equis VII. millibus & ultra, sed non revera æquè bonis ad rem militarem, quantum ex equitatu, armis, & peritia. Et extra Faventiam per medium milliare, Contesello, modò Comite, præmisso, qui ex hac pugna Rolandus Comes evasit, uterque exercitus structis aciebus tam peditum quàm equitum bello congressus est, & nusquam tanta est comperta pugna inter utramque gentem, licèt fama una plus altera laboraret. Verùm dum Comes Nicola Romanus intra hostes tantum se adduxisset, quòd equus suus ad propria tentoria illum reducere nequivisset, captivus remansit. Nec multo post natura vel arte fato functus humanis exilivit. Qua ex captivitate coacti sunt reliqui intra Faventiam se continere, campo exercitui Ducis Mediolani relicto, non tamen absque æquali belli fortuna.

Florentini videntes omnia in contrarium illis cedere, post infinitas expensas factas usque bis decem quinque centum millia Ducatorum, pugnasque deperditas tam in Romagna quàm in Tuscia cum gentibus Ducis Mediolani, quæ in quavis parte intenderent, omnium votorum compotes factæ resultabant, apud Ducale Dominium Venetorum suos miserunt Legatos, Laurentium scilicet Decretorum Doctorem, Pallam de Strozis Militem, atque Marcellum ejusdem prosapiæ viros Florentinos, auxilium implorantes, tamquam, nisi præstent, futurum sit libertatem Italicam deperire. Veneti propter consimilia aliàs expetita, & à Florentinis neglecta, de dicta guerra se intromittere recusabant, nullo modo intendentes Florentinis morem gerere de petitis. Tunc Pallas de Strozis Miles doctissimus, & unus ex Legatis Florentinorum ita infit ad illos. *Vos Domini Veneti meo videre intenditis Ducem Mediolani Regem facere Lombardiæ, quem si feceritis, & nos Florentini, quod facere recusabamus, illum ad Regnum Romæ & Imperii fastigium sublimare curabimus; Vos videritis*. Quibus auditis, omnis Venetorum Senatus obstupuit, & in diem sequentem inducias postularunt ad concludendum, quid intenderent in præmissis. Qua in die Comitiis habitis omnis Senatus deliberavit Venetorum Ligam cum Florentinis inire adversùs Ducem Mediolani, priùs tamen dicto Duci significando, quòd ab incœptis desisteret, aliàs inter se captum esse de Liga cum Florentinis facienda, quia sua intererat, paries dum proximus ardet. His siquidem Duci Mediolani denuntiatis, elatus noluit propterea ab incœptis desistere, quum sibi videretur Florentinos habere irritos, nec falso erat. Tunc Veneti præmissâ diffidâ ad bellum se parant contra Ducem Mediolani & Terras suas. Et suarum gentium Capitaneum constituunt Generalem Franciscum dictum Carmignolam de Vicecomitibus Comitem Castri-Novi, per ante Capitaneum gentium Ducis Mediolani, qui pluribus exactis mensibus & diebus ad inimicitiam illius conversus aufugerat in Carmignolam ultra montes, & ab illa recedens ac per Alemanniam transiens Tridentum, Feltrum, Querumque, pervenit Tarvisium, & exinde Venetias, pro ut ex præmissis habetur.

Verùm quia ex pactis Ligæ inter Venetos & Florentinos stabilitum fuerat, quòd Florentini in adjutorium Thomæ de Campo-Fregoso olim Ducis Januæ ac Domini, fraude Ducis Mediolani patriâ expulsi, qui per adhærentiam contrariæ partis se Dominum Januæ fecit, propitiantibus sibi Grimaldis, Montaltis, Adornis, & aliis multis, deberent equos M. & pedites MM. forenses retinere in Riperia Januæ, ut ipsa Civitas Januæ ab obedientia Ducis Mediolani discederet. Ad quæ solicitanda & reducenda missus fui Ego Andreas de Reduxiis de Quero Civis & Cancellarius Communis Tarvisii apud Florentinos, & dictum Thomam de Campo-Fregoso quondam Januæ Ducem & Dominum, qui in Sarzana & Arce dominabatur, nec non ad Jo-

Johannem Aloysium del Flescho, & Antonium del Flescho apud Pontremulum, à quibus læto animo susceptus fui, licèt de præmissis Florentini in illa parte nihil fecerint promissorum.

Florentini ad exequutionem principalium pactorum factorum cum Venetis circa duo laborabant. Primò, ut Nicolao Marchioni Estensi, decreto Florentinorum Capitaneo, recuperarent atque darent quadraginta millia Ducatorum, ut lanceas D. & totidem pedites ipse conduceret, & retineret in guerra prædicta. Secundò, ut armatæ Cathelanorum conductæ per Florentinos adversùs Januam, cujus erat Capitaneus Infans frater Regis Aragonum, habens à principio armatæ Galêas XXIV. qui per breve tempus remansit in Galêis XIII. tantùm, de suis stipendiis persolverent, quæ dicebantur ascendere ad numerum viginti quatuor millium Ducatorum pro resto tantùm dictæ armatæ. Interim dum Florentiæ ista tractantur, Veneti requisiti tractatu Petri Advocati Brixiæ, Dyolardi de Gedo, Parixii de Lodrono, & aliorum multorum partis Guelfæ Brixiæ & Diœcesis Brixiensis, Comitem Carmignolam Capitaneum suum cum gentibus suis Mantuam mittunt, ubi secreta tractatuum fiebant apud Franciscum Dominum Mantuæ, qui die noctuque vigilabat, ne potentiâ Ducis Mediolani cogeretur exulare; rebusque dispositis nocte quadam XVII. Martii MCCCCXXVI. dictus Comes Capitaneus, & Dominus Mantuæ cum gentibus Venetorum suisque, Brixiam aggrediuntur, & fracto muro Civitatis apud Turrim Anguli versùs Turrim Pilarum, nec non & apud Rocham Sancti Johannis versùs montes per rusticos montanarios Vallium, & Francum Curte super Brixiam Guelfos extrinsecos, illis respondentibus ab intra intrinsecis partis Guelfæ, Civitatem novam magnamque Brixiæ intrant cum omnibus gentibus equestribus & pedestribus ad numerum duodecim millium personarum. Et post paucos dies Rocha Sancti Johannis, & Sancti Nazarii, in deditionem vênit Venetorum, reliqua parte Brixiæ adhuc in manibus Ducis Mediolani remanente. Ex quo fama volat per Italiam, Brixiam captam esse, antequam quasi notum foret, Venetos Ligam cum Florentinis fecisse. Cathelani non valentes suo modo Florentinos pecuniis excoriare, tacitò quærunt cum Duce Mediolani componere, non adversari Januæ nomine Florentinorum, si Regi Aragonum cedat Bonifacium in Corsica. Ille promittit. Interim Cathelani nullam novitatem faciunt adversùs Januam. Bonifacini facti prævisi de compositione recusant locum dare, & illum in se reservant. Cathelani Duci Mediolani comminantur, nisi locum habeant. Ille dicit, non restare pro se; & in supplementum, donec dabit, consignat Portum Venerem, Helicem, certosque Portus Januæ propinquos, ac dare promittit quadraginta millia Ducatorum. Quæ omnia quum ad mei notitiam pervenissent, dum essem apud Petram-Sanctam, Ducali Dominio Venetiarum scripsi. Florentini siquidem ista cernentes, pecuniis quærunt, quòd Cathelani saltem suas Terras non aggrediantur; & sic modò à Duce Mediolani, modò à Florentinis pastus Cathelanis non deficit. Dux Mediolani graviter ferens, quòd Veneti Brixiam intrassent, & ne restum acciperent, omni cum solicitudine procurabat, quòd gentes suæ armigeræ de Romagna in Transpadanam Italiam se conferrent ad succurrendum Castro, Rochis, & Cittadellis Brixiæ, per quas putabat Brixiam posse redimere de manibus Venetorum. Veneti & Florentini in oppositum vigilabant, ac cum Marchione prædicto instabant, ut obviaret, ne dicta gens Ducis Mediolani ulterius progrederetur. Et quòd omnino transitum vetaret. Quidquid fuerit, gens illa transivit in Lombardiam per passus & Terras Marchionis, qui plures habebat gentes, quàm foret illa Ducis Mediolani; quæ veniens Padum transivit, & se aliis cum gentibus Ducis Mediolani univit. Quod nisi factum exstitisset, communi omnium æstimatione Status Ducis Mediolani perditus censebatur.

Ex quo Veneti atque Florentini non modicum sunt turbati; sed tacentes pro nunc, ad terga projiciunt, & cunctas suas gentes tam de Tuscia, quàm de Marchia Tarvisina Brixiam venire festinant, ubi uterque exercitus tam Ligæ, quàm Ducis Mediolani, fortior fieri deproperat, Comes Carmignola Capitaneus exercitus Venetorum, foveâ compositâ intra Civitatem Brixiæ, Turrim Pilarum, ac Castrum Magnum cum muro duplo inter utrumque excludit, ita ut ex eis quisquam Civitatem intrare non possit. Et similiter facit adversùs Cittadellam Novam, atque Garzetam, illas fovea, atque repariis totaliter excludendo, ne gens Ducis Mediolani in Castro, Cittadellis, Burgo Sancti Afandri, & Garzeta, sive Pilis existens, intra Civitatem Novam Magnamque discurrere possit ullo modo. Quibus taliter dispositis, ipse Comes omnes gentes armigeras equestres & pedestres, postquam bombardas per tres vices affigi fecerat, atque projicere diu noctuque adversùs Turrim Pilarum ad utrumque latus, tamdem quarta vice repositis bombardis adduxit ad expugnandam dictam Turrim Pilarum, & murum duplum procedentem à Castro ad Turrim, quam illis confractis tamdem vi obtinuit, & gentes inimicas Castrum subire coëgit. Qua Turri Pilarum cum muro duplo habita, manus vertit ad Garzetam impugnandam, postquam etiam illam bombardis maximè confregerat, & illam cum muro duplo Civitatem dividente, & procedente à Cittadella Nova usque ad Garzetam invadit gentes prædictas, ordinando per continuum triduum non desistere ab impugnatione dictæ Garzetæ atque muri. Scalis muris adactis, quibus muros ascendere possent, invadit, & ex adverso intrinseci omni hora ad defensionem vigilant tam Garzetæ, quàm muri. Tamdem Gens Venetorum atque Florentinorum ex multitudine, juxta ordinem datum per Comitem Capitaneum prædictum, triduo non cessans, & se de tribus horis in tres horas diu noctuque commutans, numquam desinit, donec vi muros Garzetæ ascendens, illam cum dicto muro obtinuit usque ad Cittadellam Novam. Propter quod Burgus Sancti Afandri, & Cittadella Vetus, ubi Gibellini inhabitant, coacti sunt in deditionem venire Venetorum: quod fuit mirabile visu, quum

quum inexpugnabilis ab omnibus judicaretur dicta Garzeta; ad cujus expugnationem mortui sunt ultra CC. utriusque partis. His siquidem captis, postea etiam foveam magnam & refossum fieri fecerat Comes Carmignola, consilio Nicolai de Tolentino Conductoris gentium armigerarum Florentinorum circum circa Civitatem Brixiæ ab uno latere montis ad aliud, ut per gentes Ducis Mediolani succurri non possent nec Garzeta, nec Burgus Sancti Asandri, nec utraque Cittadella Nova vel Vetus, ac Castrum Magnum de monte, quas die noctuque per gentes pedestres jusserat custodiri, ecce ad expugnandum dictum Castrum Magnum montis Comes Capitaneus prædictus jubet bombardas magnas supra montem secus dictum Castrum adduci atque plantari. Sicque factum est. Post quæ etiam Cittadella Nova non valens se defendere, similiter in deditionem venerat Venetorum; ex quibus bombardis duas fixerunt juxta barbacanum Cittadellæ novæ supra montem, tres ante introitum Ecclesiæ Sancti Martini, tres post Ecclesiam prædictam, quatuorque paululum inferius juxta murum Civitatis contiguum muro Castri, ac machinas erigi fecit juxta Ecclesiam prædictam Sancti Martini, ac bastionum unum magnum plantari mandavit ante Pontem Castri in margine foveæ, ut intrinsecis prohiberetur egressus. Quibus & aliis instrumentis bellicis atque balistis dictum Castrum die noctuque impugnabatur. Quod dum fieret, Comes ipse non bene se habens, Patavium accessit ad balnea, Francisco de Gonzaga Domino Mantuæ Vicecapitaneo remanente, ac Petro Lauredano Procuratore Sancti Marci, vices Ducalis Dominii Venetiarum repræsentante. Quorum stimulatione atque solertia confracti sunt muri primi & secundi dicti Castri à fronte usque ad muros Civitatis per ante Ecclesiam Sancti Martini usque ferè ad Ecclesiam Sancti Petri in monte cum dictis bombardis & machinis, nec non & industriâ Fornaini Conductoris gentium armigerarum Florentinorum factâ quadam caveâ, qua jam usque pervenerat ultra foveam, & primum murum dicti Castri intra postam Sancti Martini & Speroni dicti Castri. Cui obviam etiam intrinseci Castri aliam foveam fecerant ad incontrum, repariis pluribus factis per intrinsecos de lapidibus atque lignamine grosso taliter ordinato, quòd lapides sustentabat, ut murum juxta murum primum ab intra ex opposito secundi introitu Castri secundi muri, secundum intra dictas postas, & tertium infra postam Speroni usque ad postam reparii ultimi muri dicti Castri. Quibus non obstantibus, bombardæ & machinæ diu noctuque non cessabant contra Castrum projicere, intra quod quadam nocte projecti sunt CC. lapides à bombardis absque machinis. Nec die restabant impugnationes ad manus, usque quo graviter sauciati sunt Placentinus & Bregaminus Conductores peditum Ducis Mediolani. Qui petentes eis ab extra Medicum intra destinari, non valuerunt petitionem obtinere, advertentibus dictis Domino Mantuæ & Petro Lauredano, quòd omnis vis defensionis dicti Castri consisteret in prædictis, tamquam hominibus expertissimis ad prædicta. Illi autem tum quia ibi mori nolebant, tum quia victualia sibi ab intra omnino deficiebant, capto consilio cum Marco quodam Mediolanensi Castellano dicti Castri, salvis rebus & personis deditionem Venetis faciunt dicti Castri, Castellano & intrinsecis secum immorantibus, de recedendo facto salvo conducto, quo ipsi tutè omnia sua secum adducere possent. Qui Castellanus, quia fratrem habebat suum, uxoresque suas, & filias, illas, & quæcumque sua mobilia à parte posteriori Castri versùs Turrim Pilarum intra Portam muri Turris rotundæ, Turrisque inferioris emittendi atque immittendi intra Cittadellam Veterem, cupiens illas abducere & salvas facere, introitum dedit Castri à parte anteriori gentibus Ducalis Dominii Venetorum, & ipse cum suis & plaustris XVIII. rebus mobilibus oneratis, sibi à dictis Dominis concessis, illac transiens plaustrisque suis ad propria remeavit, in Castro nihil quodammodo præter muros relinquens. Ante cujus Castri deditionem quum in termino esset deditionis fiendæ, Senatus Venetorum pro me Andrea de Reduxiis de Quero Cive & Cancellario Communis Tarvisii misit, & me arctavit mandato, ut pro Castellano dicti Castri Majoris in monte Brixiæ accedere deberem cum paghis LXXXV. balisteriorum atque pavesorum in ratione Librarum XVIII. pro singulo balisterio, & Librarum XII. pro singulo pavexario in mense, cum tribus Comestabilibus per me electis, & ad meam obedientiam cum Libris XXXII. pro singulo Comestabili in mense monetæ Venetiarum, meum mihi salarium limitans pro uno anno Ducatorum CC. auri. Illucque accedens cum paghis prædictis MCCCCXXVII. die X. Januarii dictum Castrum intravi ad statum, custodiam, & honorem Ducalis Dominii Venetiarum. Quo etiam tempore Fantinus Dandulo utriusque Juris Doctor, & homo magni consilii & experientiæ à Venetis primus est Potestas ordinatus Brixiæ, & Nicolaus Maripetro Civis honoratissimus, bonus, sapiens, atque solers, in Capitaneum dictæ Civitatis est effectus.

Circa tempus istud in toto Brixiensi districtu restabant in fortiam & custodiam adhuc Ducis Mediolani Mons-Clarus, Calvisanus, Gambara, Octolengus, Seniga, Bina, Quinzanus, Minerbe, Urcei-Novi, Chiarium, Palazolus, Capriolus, & Ysedum cum aliis minutis Castris juxta Oleum, Melamque fluvios Diœcesis Brixiensis situatis. Et omnis exercitus Venetorum atque Florentinorum intra Brixiam se continuerat à suprascripto tempore citra usque in diem infrascriptum, qua exercitus contra Montem-Clarum castra posuit: quod mirabile fuit. Et ecce adveniente tempore novo Comes Carmignola Capitaneus exercitus Ligæ à balneis reversus in die Sancti Georgii, qui fuit XXIII. Aprilis secundùm Brixienses, castra movit de Brixia, & vexillum Beati Marci, & Lilium Florentinorum associavit unà cum toto exercitu usque ad Turrim Sancti . . . . . de extra, & prope Brixiam per duo milliaria.

Franciscus dictus Carmignola de Vicecomitibus Comes Castri-Novi, vir magnæ præstantiæ, gloriæque rei militaris, non absimilis cunctis Capitaneis gentium armigerarum, qui

qui ab ineunte ævo usque in diem hodiernam in Italia armorum facta tractaverint, quosve si non excessit, neque ab ullo illorum superatus est, proportione tamen pensata, quæ unusquisque gesserit in rem bellicam pertractando, re ipsam penitus demonstrante, Capitaneus ut supra creatus Generalis utriusque exercitus, tam Venetorum, quàm Florentinorum, mandato Ligæ, auspiciis Beatorum Marci Evangelistæ, & Johannis Baptistæ (qui in hoc non dedignabitur Marcum sequi, licèt à Magistro inter natos mulierum major habitus sit) suprascriptus castra movens cum equis XVI. millibus, totidemque peditibus de Brixia, omnibus rectè compositis, associatus Francisco de Gonzaga Domino Mantuæ, Janpaulo de Ursinis, Ursino de Ursinis, Nicolao de Tolentino, Comite Laurentio de Tendolis de Cudignola, Petro de Tranis Milite, Johanne Anglico Milite cum C. Arceriis Anglicis, Brachio de Romagno de Feltro, Johanne Domini Marini Neapolitano, Falza de Semenaria, & Antonello de Manfredonia fratribus juratis, Abbate de Petra-Mala, Aloysio del Verme, Guidone Antonio de Manfredis Domino Faventiæ, Taliano Furlano, Fornaino, omnibus Conductoribus gentium armigerarum equestrium & pedestrium, & aliis pluribus minoribus Conductoribus, ac Scaramuza de Papia, Piardo de Bassano, Carnario de Pergamo, Petrucio de Calabria, Paulo de Venetiis, & aliis pluribus minutioribus Conductoribus peditum, commeatibus atque commessationibus dispositis & præparatis, adversùs Montem-Clarum traxit exercitum. Apud quem parumper immoratus, nolens tempus conterere propter majora pertractanda, sed indito guasto ad segetes & arbores vineasque dumtaxat, Binam properavit. Nec postquam ad illam pervênit multum distulit in capiendo passum Olei, per quem ipse Capitaneus ducens exercitum, Cremonæ territorium invasit. Ubi omnes Castrorum Brixiensis Diœcesis ad dictum confluxerunt, deditionem illorum pollicentes, si ad se ire festinet. Néc non & multi territorii de Pergamo; quod nisi Literæ Ducales obstitissent, actum erat de territoriis Brixiæ atque Pergami cum Giara Adduæ fluvii. Tunc Capitaneus prædictus, tenore dictarum Literarum inspecto, iter divertit, & Casalem Majorem properat festinanter, pro succurrendo illi, quem jam gens exercitus Ducis Mediolani habuerat. Verùm quia trans Padum Brexellum Mediolani Ducis gens obsidebat, superveniente armata Venetorum, ab improviso navibus in ripam adductis, egressus est de navibus Stephanus Contareno Capitaneus armatæ, cum quo & Franciscus Bembo, Miles audax & in rebus bellicis terra marique gloriosus, Provisor armatæ. Et dictam Ducis Mediolani Brexellum obsidentem gentem aggressi sunt, & hinc inde ancipiti bello viriliter pugnatum est. Tamdem verò in conflictum posita gens Lombardorum est, contra quam Venetorum gens victrix exstitit, & campi stationem obtinuit, multisque occisis & pluribus captis, Brexelli Oppido succurrit egregiè. Et in obsidione adductas comperuit bombardas XXVIII. quas omnes ita partita est. Majores Venetiis destinavit, reliquas autem ad usum guerræ præsentis Brixiam destinavit. Interim Comes Carmignola Capitaneus prædictus in territorio Cremonensi post captam Binam Castrum Sancti Johannis in Cruce capit, & alia plura, nec omittit Casalem Majorem obsidere cum bombardis, & aliis bellicis instrumentis, quem locum vi bombardarum, balistariorumque Venetorum, & armatæ prædictæ, ac industria & arte dicti Capitanei, obtinuit Senatus Venetorum, magna cum displicentia Ducis Mediolani, qui illum de manibus Venetorum paulò ante surripuerat.

Hac igitur expeditione Brexelli levatus Marinus Contareno Vicecapitaneus armatæ Venetorum prædictæ, cum Francisco Bembo Milite prædicto & armatæ Provisore, post partam Brexelli victoriam per Padum navigans cum Galeonis L. & Galeis II. Ganzarolisque XII. & Barchis XXX. ex dictis Galeonis V. relictis in fuce fluvii Parmæ ad custodiam Turrisellarum & armatæ prædictæ, pervênit ad Polexenum, Castrum Rolandi Palavicini Cremonensis, cum VIII. millibus armatorum. Exercitus verò terrestris Venetorum XII. millium equorum, & totidem peditum armatorum, à Torresellis discedens, Sumam Villam dicti Cremonensis districtus à dicto Policine distantem per tria milliaria, usque pervênit. Contrarius autem exercitus Ducis Mediolani tam navalis quàm terrestris ad excubias tenendas Cremonæ delitescens, prospecturus, in quam partem exercitus tenderet Venetorum, habitâ notitiâ, quòd ad loca præmissa uterque exercitus positus dicebatur, ex composito deliberaverunt per Padum & terram adversùs armatam tantùm Venetorum bella conserere. Cujus armatæ Ducis Mediolani classis erat de XLI. Galeonibus, ex quorum duobus in modum Ganzeriæ, quæ est species navis strictæ & longæ, duæ factæ sunt cum III. battaleis elevatis in altum ad instar Castrorum, supra quas grandis eminebat arbor pro singula, quarum pinna erat cabiarum structura mirabiliter communita, in quibus octo homines pro singula ad defensionem & offensionem sudibus laborabant. Item de duobus Burclis magnis lignis, sarmentisque, & pulveribus ad bombardam, & aliis ad ignis materiam incendendam oneratis, ad illos Pado præmittendos igne succensos, quando contingeret Venetorum armatam impetere atque obviare. In qua namque armata erant homines VIII. mille cum armigeris Ducis Mediolani, qui in illam ascenderant, & pro parte per ripas Padi equester & pedester eamdem Ducis Mediolani armatam, quum moveretur, sequebantur, ut quum armatæ utræque in Pado navali bello prœliari contingeret, armatæ suæ succurrere possent, si ad ripas deflecterent quomodolibet in bello illo futuro. Erantque illi Capitanei duo, videlicet Paxinus de Papia, & Rasminus del Zà Mediolanensis. Vicecapitaneus armatæ Venetorum, & Provisor prædicti, à naviculis suis præmissis ad explorandum, quid armata Padi ageret Lombardorum, certiores facti de adventu prædictorum illis cum Galeonis, atque Ganzeris, & Burclis advenientium, re quoque maturè explorata, quòd tam navibus quàm terra illos impetere conabantur, & quòd con-

contra se ire contenderent, nec longè abesset, & futurum jam prœlium appareret, ad certamen se utrinque parabant. Venetorum validæ quidem, sed tardæ, & ad celeritatem parum commodæ erant naves prædictæ, tam ob structuram earum, quàm etiam quia contra aquas laborabant navigantes. Lombardorum verò celeres & veloces. Huic igitur parti caventes Veneti, quibus in aquis non minor est vafritas, quàm Lombardorum in terris, quo ludificandi illis præripiant facultatem, omni classi loca consignant, & in capite Insulæ de medio XI. Galionos aquis collocant, ne advenientes inimici per terram illos possent offendere, ceteris adversùs hostes hoc cum ordine procedentibus. Nam primò Barchæ XXX. leves præcedebant, deinde Galioni XI. duabus in battaleis sequebantur. Post quos Galêæ duæ sequebantur enixis viribus navigantes, reliquis Galeonis intra Padi fluenta mutuis nexibus catenatis ad terga sequentibus. Itaque Veneti primis Galeonis suis præmissis; singulæ proræ robur lignum infixerant miræ longitudinis ferreis cuspidibus armatum, ut ignem arceret à Galeonis. Ita ludificandi facultate prærepta, navale certamen Lombardi prœliari cogebantur.

Structis paratisque omnibus, quibus ad prœlium utrinque opus fuit, Paxinus de Papia armatæ Ducis Mediolani Capitaneus ex duabus unam magnam præmittit Ganzaram quadriremem, quæ cum sui levitate, tum fluvii discursu adjuta, magno cum impetu adversùs Barchas Venetorum dilabitur, quæ impetum sufferre nequeuntes, sibi de fuga providerunt. Deinceps alteram ex battaleis Galionum invadit tanto cum impetu, ut ad prædam se, non ad pugnam proficisci jactarent. Qui namque Galioni cedentes dictæ Ganzaræ, ac aliis omnibus Galionis dictæ armatæ Ducis Mediolani, inferius transiverunt. Quæ insuper Ganzara altis cum suis battaleis discurrens alteram Galêam Venetorum ab una parte sbandavit, nec se retinere valens, per cœptum discursum remorum ac aquæ fluentis deorsum adversùs Galionos catenatos Venetorum processit. Tunc ex industria Franciscus Bembo Provisor in medio Galionos disjungit, & viam aperit dictæ Ganzaræ, tali cum furore natanti: qua inferius delapsa iteratò clauduntur atque catenantur Galioni. Et cum anterioribus Galionis Ducis Mediolani quinque discursis acre bellum pertractatur. Hinc balistarum spicula, illinc bombardæ: hic & illic cominus lanceæ ac lapides emittuntur. Alter namque Burclus ab igne in contrarium raptus ventis ad ripam lapsus applicuit. Alius utique Burclus, adversùs Galionum Georgii de Corfuto vi navium Lombardorum perductus, in illum impetum fecit, qui tandem lanceis longis se defendens à se expellit, & deorsum labi fecit. Dicta autem Ganzara Lombardorum, quæ primùm deorsum fluxit, se perditam iri cognovit, tribus ex Galéonis Venetorum illam insequentibus. Sed propter ejus nimiam altitudinem ab illis se dissolvens ad alteram ripam Padi, ubi gentes & bombardæ Ducis Mediolani confluxerant evasit, & suorum se tutavit auxiliis, & Cremonam navigans usque pervenit, ceteris quinque Galionis secum discursis captis, & partim igne crematis, dum hominibus spoliati ad ripam attigissent duo. Ita captis plerisque & expugnatis, reliqua tamdem Ducis Mediolani classis in fugam convertitur. Veneti victores, pulsis & fugatis hostibus, rei fluvialis gloriam ut semper vindicaverunt, captis ex hostibus DC. ducentis verò utrinque submersis. Dum hæc in Padi fluvio gesta sunt, terrestri exercitui denotantur in contrarium eorum, quæ contingerant, quorum nuntius mandato Comitis Carmignolæ pro nuntiatura Cruci suffigitur.

Comes Carmignola Capitaneus exercitus terrestris Ligæ, de victoria belli navalis certior factus, gentes armigeras utriusque militiæ adversùs Cremonam catervatim adducit, squadris compositis, uti illas bello volebat intendere. At huic contrarius occurrit exercitus cum sua utraque militia, cum Capitaneis suis, videlicet Angelo de la Pergula, Comite Francisco, Nicolao Picinino, Christophoro de Lavello, & aliis pluribus. Tunc prope Cremonam incipit pugna, & squadra una adversùs alteram bello congreditur, ita ut modò una pars alteri cederet, & modò versa vice altera alteri cederet. Quumque utraque pars viriliter dimicaret, nec in neutram partem victoria declinaret, Comes Carmignola Capitaneus prædictus sonipede insidens, modò hos, modò illos incendebat ad prœlium pro victoria obtinenda. Et tamdem ira succensus omnes suas squadras conglobavit ad unum, & insimul adducti in hostes violenter intendunt. Quibus non minus hostes respondent. Unde illic per duas horas tantus fit ad æthera clamor, tot & tantæ confringuntur lanceæ, nec spicula balistarum deficiunt, quin utrinque à lateribus demittantur, quòd tonantem Deum præsens non audivisses. Pulvis pessumdatione incurrentium equorum tantus elevaretur, quòd omnem partem obumbrat, ita ut hostis ab hoste discerni non possit. Quin immo fuere quamplures unius ejusdemque partis, qui se erectis lanceis, vel nudatis ensibus vulnerarunt. Duri præterea & in armis exercitati viri æstum ac laborem armorum & pulverem facilè tolerabant. Acriter intendens Carmignola tamdem Lombardorum acies vi Cremonam intrare compulit, quam etiam gens sua intrasset, ut est communis opinio, nisi Carmignola receptui tubas reboare jussisset. Quo in bello die illa ex utraque parte plures capti sunt, & ferro interemti quamplurimi.

Elapsis verò pluribus diebus gens armigera Lombardorum discurrebat omne territorium Brixiense, in prædam omnia secum trahens, ac igne comburendo. Qua re audita dictus Comes Carmignola Capitaneus prædictus concepit gentem Ducis Mediolani trans Oleum facere dimovere, & Castris in territorio Cremonensi captis in bona custodia dimissis, exercitum Binam adducit, & locum illum reficit ac restaurat, quem gens Lombarda pridem igne consumserat. Quo namque loco in custodia posito atque munito, recessit, & modò huc, modò illuc per plures dies exercitum duxit per territorium Brixiense, loco & tempori vacans, quo improvisam Lombardorum gentem suo cum avantagio invadere posset. Optimi namque cujusque Capitanei est, vincendi tempora ce-

cædendique loca prospicere. Tamdem castra apud Montem Clarum fixit, & locum illum vi & impetu bombardarum infra mensem obtinuit. Quo habito castra dimovit, fingens velle ire Quinzanum, qui per ante se Venetis dederat, & ab illis munitionibus susceptis armorum & aliorum quamplurium pro custodia loci, descivere, quàm primùm. Et cognito ab exploratoribus de exercitu Lombardorum cum Capitaneo suo Carolo juvene de Malatestis, nuper per Ducem Mediolani creato, ad se aliquot Conductores suos Comes Carmignola Capitaneus jubet accedere, quibus præsentibus secretè ait: *Inimici nostri, ut puto, properantes nobiscum congredi intendunt. Propterea vos avisatos facio, quòd pars, quæ priùs locum de Machalo sibi vendicaverit, victrix evadet, si ad invicem alterutra decertare contigerit. Ad quod advertendum vos moneo.* Quo audito nulla fit mora. Squadræ omnes exercitus Ligæ prædictæ locum adire contendunt, ad quem quum pervenissent, ecce & exercitus Ducis Mediolani advenit totus, & locum reperit occupatum. In hac siquidem propinquitate Comes Carmignola copias adducit, potestatemque pugnandi facit. In struenda acie prima fronte Petrum Janpaulum, Ursinum de Ursinis, ac Nicolaum de Tolentino ad unum constituit in computo viarum. Post hos aliquo intervallo multitudinem urbanam & rusticam collocavit; dextro deinde ac sinistro cornu reliquum gentium armigerarum, omneque robur Venetorum atque Florentinorum distribuit; expeditum quemque peditem & celerem ab utroque cornu inter squadras equitum pugnare jussit. Ipse verò Comes, ubi productas hostium copias conspexit, milites suos & ipse confestim producit; Petrum Janpaulum, & socios, quos in fronte præmiserat, mandat pugnam differre, quo ad ipse cum parte exercitus assumtis guastatoribus foveam quamdam interjacentem planare faciat, ut illac transiens inimicos invadat à tergo. Ad quod faciendum guastatores adducit, & solo foveam æquari jubet. Quæ quum splanata foret, dato signo inimicos invadit à tergo. Signa autem militaria non in fronte, sed intra aciem continuit, & medio locavit. Structis itaque aciebus quum tubæ canere prœlium cepissent, simul concitari in Lombardos à facie & à tergo equitatum, & quàm infestissimè ruere jussit. Acriter adversùs hos concursum, utroque equitatu tam Veneto Florentinoque, quàm Lombardo, & magna virtute ab utroque inter equites dimicatum, adversùs quos etiam expediti pedites ex transverso validè utrinque resistebant. Quod autem extra ordinem pugnabatur, eo confidebat Lombardis insigniora pericula fieri. Vir enim adversùs virum quasi singulari certamine congressus depugnabat. Verùm maxima pugna terribilisque clamor circa Anguifera Insignia erant. Cuncta ibi ferro agebantur, magna cum repercussione telorum ac acclamantium vocibus & cohortantium, miscebanturque. Tamdem declinante cornu Lombardorum, quo locati pugnabant Nicolaus Picinino, & Angelus à Pergula, adversùs eos irruentes equites Venetorum atque Florentinorum, magnam vim ediderunt, ac tamdem in fugam ab ea parte versos hostes usque Urceos Novos, ac ultra Olium, persequuti sunt. In hunc modum pro Liga prospera succedente fortuna Comes Carmignola exercituum Generalis Capitaneus undique hostes insequi jubet. Hinc cædes, illinc strages fieri passim cœpta. Ex quibus fuga arrepta est. At qui aufugerant ex Lombardis, in Soncinum evaserunt; & ex reliquo exercitu Lombardorum ad tres mille quingentos equites capti sunt, & in his Carolus junior de Malatestis Capitaneus exercitus Lombardi Ducis Mediolani. Multi enim ab equis pessumdati, & multi ferro transfixi interiere ex utroque exercitu, omnibus pæne Carriazis Conductorum Lombardorum captis, spoliatisque, & in prædam exercitus Ligæ adductis. Præfatus insuper Comes Carmignola ingens exemplum rerum bellicarum, qui non multo ante tot gloriosissimis victoriis pro Duce Mediolani pugnans victor exstiterat, nunc illi adversarius, defectu Ducis nempe Mediolani, non suo, & pro Liga fideliter pugnans, eumdem Ducem Mediolani in exitium perduxerat, si armigeri exercitus Ligæ captivos Lombardorum retinuissent, quos ceperant. Verùm alia causa prædictorum pactum reformabat; nam cavebant illi, ne tam citò guerra finiret, ut minus audirent dicentes Populos: *ad ligonem stipendiarii*. Jubet finaliter Comes receptui tubas canere. Ceterùm illa nocte non potuerunt adesse victores, vetante nocte, cujus beneficio quotquot de Lombardis evasere, adjuti sunt.

In conflictum posito exercitu Lombardorum, arte & industria Comitis Carmignolæ Capitanei Generalis exercitus Ligæ, illi visum est apud Urceos Novos castra admovere. Ad quos die postera illico perduxit exercitus, & ibi die noctuque impugnans vi machinarum atque bombardarum, in deditionem Venetorum compulit, vellet nolletve, devenire, fractis Oppidi muris ferè per totum, cum hoc quod propter obstinatam duritiam Ducatos XXV. mille Concives & rustici dicti loci solvere teneantur, & muros Arcis atque Oppidi illius confractos propriis expensis reparare. Quod quum intellexissent in Colle Clarii convicini, Pontis Olei, Castrizagi, & aliorum quamplurium Oppidorum territorii Brixiensis, sponte semet offerentes in deditionem venerunt Venetorum, & ex gentibus exercitus Venetorum munita sunt Castra & loca prædicta.

Epidimia in Venetiis regnante atque Tarvisio, hoc isto in tempore & anno in Padua morbo defecerunt duo excellentissimi & illustres utriusque Juris Consulti in Studio publicè legentes, atque ad invicem concurrentes Magister & Discipulus, videlicet Raphaël Furigosus de Placentia ætatis annorum LX. & Raphaël de Cumo ætatis annorum XL. In Tarvisio verò decessit Albertus de Petra-Rubea Juris Civilis peritus, qui in perorandis causis majorem habuit facundiam, quàm scientiam, magno relicto capitali, contra illud Philosophorum, quòd ex nihilo nihil fit, sed secundùm divinam potentiam, quæ ex nihilo cuncta creavit, unicâ solâ filiâ liberâ herede relictâ, quæ patre vivente nupserat egregio Juris utriusque Doctori Pileo de Vonico, scientia & nobilitate conspicuo.

Millesimo Quadrigentesimo Vigesimo Octavo, Comite Carmignola Capitaneo Venetorum

rum cum omnibus gentibus armigeris ad hyemandum Brixiæ modò secunda vice, & per omnem districtum Brixiensem locato, peditibus verò circa numerum DCC. cum Comestabilibus suis, videlicet Scaramuza de Papia, Johanne de Druta Perusino, Petrucio de Calabria, Carnario de Pergamo, & aliis pluribus destinatis in montibus Brixiæ ad hyemandum, visum est hyeme in montibus & vallibus bella tractare pedestria. Et compositis rebus, atque ad capescendum illa dispositis, partim bello, partim tractatibus montes & valles Pergami invadunt. Vallem Sasinam, atque Camonegam, nec non Bembranam de subtus & de supra, Surianamque de subtus & de supra, Gandinique, & Vertuæ, ac Trascur capiunt & dominationi Venetorum adjungunt, positâ bastitâ prope Pergamum per tria milliaria, & per Venetorum gentes custodita ad illius obsidionem. Qui namque Conductores pedestres ad ulteriora procedentes capere etiam Vallem de Quà territorii Mediolanensis à Mediolano distantem per XXX. milliaria supra Lacum de Cumo, nec non & Vallem de Thechie, & Suglexiæ, & Rudissæ, cum Plebe de Bellano in Mediolanensi districtu. Nec contenti de prædictis, Vallem Sancti Martini tractatu habito cum rusticis dictæ Vallis, illam sibi omnem vindicaverunt. In cujus fauce bastitam construxerunt, ad quam custodiendam Johannem de Ruta prædictum relinquunt. Et ad Villam Caurigni dictæ Vallis fortiorem se reliqui locaverunt. Ubi dum moram traherent, nec quominus facere possent, quin pedites in rebus rusticorum damna inferrent; ex quo dicti rustici passum custodientes cum aliis rusticis Ducis Mediolani adhærentibus in propinquis montibus, tractatum habuerunt de admittendo gentes Ducis Mediolani adversùs dictos pedites Venetorum. Unde prædicti ex composito, videlicet Angelus de la Pergula, Nicolaus Picininus de Perusio Conductores gentium armigerarum Ducis Mediolani cum MMM. equis & quatuor millibus peditibus inter forenses & partis equos, fingentes, dum moram traherent in Palazolo, velle in territorio Brixiensi ad damna discurrere, per quod locatæ erant omnes gentes armigeræ Venetorum, tamdem nocte quadam illuc recedentes, faucem dictæ Vallis Sancti Martini impetierunt, & dictam bastitam ceperunt cum Johanne de Druta prædicto & sociis suis. Die verò altera redeuntes, magìs & ultra in Valle prædicta processerunt, igne & ferro omnia vastantes. Tertia namque die sub. . . . . per Vallem & montes omnia implendo passumque occupantes, Villam Caprigni sunt ingressi, ad quem locum ceteri rustici Vallis prædictæ Sancti Martini confugerant, & cum gentibus Ducis Mediolani de pace & concordio transegerunt, Comestabilibus suprascriptis omnibus captivis obtentis, excepto Carnario de Pergamo, qui cum sociis suis migravit in Aquaham Vallis Lechi, & deinde in Vallem Sasnam, ex peditibus Venetorum mortuis fortè X. contrariæ autem partis XXX. & circiter CCC. captis, qui armis spoliati licentiati fuerunt, Comestabilibus prædictis per aliquantulum tempus retentis, sed exinde licentiatis.

Eodem anno die X. Martii Comes Carmignola Capitaneus Ducalis exercitus Venetorum non bene se habens, recessit de Brixia pro eundo ad balnea Paduæ, ceu anno proximè præterito eodem tempore fecerat, atque Venetias. Et statim post ejus recessum gens Ducis Mediolani bastitam in obsidionem Pergami factam capit & incendit, & usque in hodiernam diem Civitates Cremonæ, Parmæ, & Pergami per Venetorum atque Florentinorum gentes armigeras equestres & pedestres in obsidione tenentur, Brixiâ cum Brixiensi districtu in quiete manente, absque tamen Palazolo, Capriolo, & Ysedo. Quæ loca adhuc per Ducem Mediolani, & ejus complices & adhærentes retinentur. Die autem XXIX. Aprilis dicti anni Comes Carmignola Capitaneus prædictus sospes à balneis atque Venetiis Brixiam est reversus, & post quatriduum Petrus Laurédano Procurator Sancti Marci locum illius tenens, dum absens fuit, Venetias remeavit.

Dum ut præmittitur Comes absens esset, quadam nocte Nicolaus Picininus, & filius quondam Angeli de la Pergula Conductores gentium armigerarum Ducis Mediolani, cum DCCC. equis associati Armilino de Asculi, & Antonello de Sancto Paulo Comestabilibus peditum, cum CC. peditibus & DC. partisequis Gibellinis Villam Albuini Vallis Surianæ de subtus in plano intraverunt, ubi locati erant Johannes Matus Baldacius, & Nepos Johannis Aleduxii Comestabilis cum CCCC. peditibus ad custodiam dictæ Villæ, qui in lecto absque custodia sunt reperti. Ex quibus capti sunt C. & usque ad serabulas spoliati. Et ex rusticis Villæ capti sunt LX. à talea per dictas gentes Ducis Mediolani, quæ Villam illam solam discurrentes ad prædam extra portaverunt MCC. petias panni, & lectos, ac drapamenta infinita. Verùm nisi dicti pedites CCC. aufugientes in altum, ad quoddam Castrum atque passum conduxissent, locum tuendo, ne ultra gentes Lombardi Ducis transgrederentur, proculdubio transeuntes prædam fecissent plusquam Centum millium Ducatorum, quoniam prædives est illa & potens.

Filius legitimus & naturalis Regis Portusgalli à partibus superioribus descendens Tarvisium vênit cum CCC. equis. Deinde Venetias, & post Romam commigravit. Qua autem causa nescitur, Millesimo, Annoque præscriptis.

In die Sancti Georgii quæ fuit die XXIII. Aprilis dicti anni, Comite Carmignola nondum regresso, Petrus Lauredano Procurator Sancti Marci Vicecapitaneus in Brixia gentium armigerarum, ac Nicolaus Maripetro Capitaneus Brixiæ, associati Ursino de Ursinis, Petro Janpaulo de Ursinis, Aloysio del Verme, & Nicolao de Tolentino, & aliis Conductoribus gentium armigerarum equestrium & pedestrium, castra moventes Vexillum Beati Marci atque Liliorum associaverunt usque ad Pontem Mellæ à capite interius, & illud ibi tota die, sicuti moris est, præmiserunt.

F I N I S.

CHRONICON FOROLIVIENSE

Ab Anno MCCCXCVII. uſque ad MCCCCXXXIII.

AUCTORE

FRATRE HIERONYMO FOROLIVIENSI

ORDINIS PRÆDICATORUM

Nunc primùm in lucem eductum

EX MANUSCRIPTO CODICE

COMITIS BRANDOLINI DE BRANDOLINIS.

IN CHRONICON FOROLIVIENSE FRATRIS HIERONYMI DE FOROLIVIO

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

PRoelo quidem paraveram *Annales Forolivienses* ab Anno 1275. usque ad 1483. continuatos, collectosque eo tempore ab Anonymo Scriptore illius Urbis. Hos enim mihi tum studio suo erga patriam, tum mei ac eruditionis amore, suppeditavit Comes Brandolinus de Brandolinis, Foroliviensis Patricius, nobilitate generis, & copia virtutum vir ornatissimus. Verum poscente ratione temporis praemittere nunc cogor *Chronicon* istud, in quo ejusdem Foroliviensis Populi gesta ab Anno 1397. usque ad 1433. describuntur. Debeo ego illud eidem Comiti Brandolino, cui nihil praetermittitur, quod in suae Civitatis decus vergere, publicaeque eruditionis penus augere possit. Et hujus quidem Chronici Auctorem certum habemus *Fratrem Hieronymum Foroliviensem Ordinis Praedicatorum, sacrae Theologiae Magistrum*. Neque novum ejus nomen apud Eruditos. Mentionem de illo jam fecere Antonius Senensis in Bibliotheca Ordinis Praedicatorum, Johannes Michaël Plodius in Libro de Viris Illustribus ejusdem Ordinis, Antonius Possevinus in Apparatu sacro Tom. II. Ambrosius de Altamura in Bibliotheca Ordinis Praedicatorum, & Rovetta in Bibliotheca Illustrium Virorum Ordin. Praedicator. provinciae Lombardiae. Postremus iste hos ab eo Libros relictos fuisse testatur: *Codicem unum Sermonum de tempore per totum annum. Item Librum Sermonum de Sanctis. Item praeclarum volumen diversarum Orationum. Item Volumen aliud Opusculorum. Nec non & fragmenta varia Historiarum. Quae in Conventu Foroliviensi servantur*. Sed & Leander Albertus Lib. IV. de Vir. Illustrib. Ordinis Praedicatorum, meminit Hieronymi nostri, quem *virum doctum, & Oratorem clarissimum* appellat. Tum in Descriptione Italiae, ubi de claris Viris Foroliviensibus agit, inter alios ab eo commemoratur *Geronimo dell' Ordine de' Predicatori, ottimo Teologo, e buono Istorico*. Propterea Gerardus Johannes Vossius Lib. III. Cap. 8. de Historicis Latinis, hunc ipsum Scriptorem honorifice in censum Historicorum intulit. Quod tamen miror, fere omnes, qui Hieronymi istius mentionem habuere, eum floruisse scribunt Anno 1479. immo & 1484. qua in re deceptos puto. Longe enim antea is floruit, atque hoc ipsum Chronicon testem habeo. Narrat ille ad Annum MCCCC. mirabilem motum piorum Flagellantium, atque inter cetera ait: *Et ego expertus sum, quando semel celebravi ad Altare beati Jacobi; & tunc habui timorem propter insolitum modum clamoris*. Si is Anno 1400. jam Sacerdos Missam celebrabat, nemo non videt, serius quam par sit, illius aetatem produci usque ad Annum 1484. Atque ut omnis dubitatio auferatur, haec alia illius verba accipe ad Annum 1410. *Et Nota, quod tempore meo inimici plures intraverunt Civitatem Forlivii isto modo: videlicet tempore Domini Francisci* (Ordelaffi) *illi de Ecclesia intraverunt*. Id Matthaeo Villanio teste accidit Anno 1358. Si vel tunc viventem habemus Historicum nostrum, intelligimus etiam, ultra aequum ejus vitam prorogatam fuisse. Itaque mea sententia est, Fratrem Hieronymum Foroliviensem usque ad finem Anni 1433. in vivis fuisse, atque ut veri fert similitudo, proxime sequenti Anno morte fuisse sublatum. Nam ad eum usque Annum ejus Chronicon deducitur. Is autem quaecumque contingebant, identidem literis consigna-

signabat, ita ut mors irruens ei calamum tunc e manibus eripuisse videatur. Ceterum Codex Brandolinus, unde ista descripsi, multae antiquitatis erat, atque in ejus fronte haec legebantur recentiore charactere addita: *Riccordo, come a dì XXII. di Settembre* 1593. *Messere Bartolomeo Marcolini Librajo mi donò questo Libro, che mi fu sommamente caro, sì per le cose degne, che contiene della Patria, come ancora per essere compagno di altri tre Libri, che avevo, e ho legati nel medesimo modo, e della medesima carta, carattere, e scritto nell' istessa forma e modo. A tal che è stata gran ventura, che d'improviso questo Libro si sia riunito con gli altri tre volumi: che sia a laude di Dio benedetto. Hieronymus Aspinus, Domini Francisci quondam alterius Hieronymi filius scribebat.* Ex hisce tribus Chronicis, quae Hieronymo Aspino erant, nullus dubito, quin unum fuerit illud, quod sub nomine *Annalium Foroliviensium* suo loco sum editurus. Haec pauca interea Lector accipiat ad Historiam Flaminiae utilia, si quid video, futura; & reliqua exspectet brevi mihi evulganda.

CHRO-



CHRONICON
FRATRIS HIERONYMI
DE FORLIVIO

Ab Anno MCCCXCVII. usque ad MCCCCXXXIII.

Incipiunt quædam gesta temporibus infrascriptis, & circa Civitatem Forlivii & alia loca circumstantia, edita à Fratre Hieronymo de Forlivio Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magistro, & suis temporibus adnotata.

ANno Domini MCCCXCVII. die XXIV. mensis Januarii, scilicet in Vigilia Beati Pauli Apostoli, Feriâ IV. horâ Tertiarum, mortuus est Venerabilis Pater & Frater Marcolinus de Forlivio, Ordinis Prædicatorum, dominante in Forlivio Ceccho de Ordelaffis, sed principaliter Pino ejus fratre, & benivolo toti Populo Forliviensi; licèt ipso mortuo totum dominium ad ipsum Cecchum devolutum sit. Et tunc Episcopus Civitatis Forlivii erat Dominus Scarpetta olim filius Domini Francisci de Ordelaffis, scilicet naturalis. Quæ autem contigerunt post mortem præfati Fratris & miracula, alibi scripta sunt, & ideo heic plura non posui. Celebratum est Capitulum post mortem Beati Marcolini per Magistrum Thomam de Firmo in Forlivio.

Anno Domini MCCCC. de mense Septembris, comparuit in Italia unum singulare & mirabile factum. Nam tempore illo, utriusque sexus, scilicet homines & mulieres induerunt se saccis, seu linteaminibus albis, portantes ante se per regiones Vexilla Crucifixi, vel alterius Sancti. Et cincti erant cingulis, sicut consueverunt facere Battuti; & ibant percutiendo se cum strititis, clamantes fortissimè, quando elevabatur Corpus Christi in altare, *Misericordia*, *Misericordia*, pluribus vicibus. Et ego expertus sum, quando semel celebravi ad altare Beati Jacobi; & tunc habui timorem propter insolitum modum clamoris. Isti autem ibant processionaliter, sicut faciunt Fratres; & percutiebantur. Aliqui cantantes; *Misericordia*; *Signor Iddio, non guardate al nostro errore, non guardate al nostro reato*. Alii dicebant: *Verbum ejus Altissimi corporari passum est de Maria Virgine.* Et aliqui dicebant: *Stabat Mater dolorosa, plorans multum lachrymosa, dum pendebat Filius.* Et sic quælibet Societas habebat suum cantum. Et isti jejunabant novem diebus, & ibant discalciatis pedibus aliqui. Et quædam Moniales exiverunt de Monasteriis, & processionaliter cum eis; & aliqui Episcopi & Religiosi cum eis; & cum Dominis Civitatum & Castrorum ibant & prædicabant eis, exhortantes eos ad pœnitentiam. Et multi illo tempore pacificati, propter quod antea fuerant inimici capitales. Et quidam portabant ad collum torques candelarum, & candelas in

in manibus. Et post venit (*) mortalitas; & multi ac multi, qui sic se induerant, mortui sunt; & faciebant se indui albis vestibus, & ibant sic cantando die noctuque. Et de advenientibus de montibus & aliis circumstantibus aliis, cùm de Civitate & Villis fuerunt in Platea Forlivii ferè viginti millia personarum. Et hoc factum est in omnibus aliis Civitatibus, præterquam Venetiis sapientibus.

Anno Domini MCCCCV. die III. Septembris, & fuit die Jovis post Nonam, Populus Forliviensis insurrexerunt ad arma, & acceperunt pro se dominium Civitatis Forlivii à Ceccho de Ordelaffis, qui tunc infirmabatur ad mortem. Deinde die Mercurii ejusdem mensis die IX. in festo Beati Gorgonii Martyris, mortuus est præcedenti nocte præfatus Cecchus Dominus, tunc horâ septimâ, & sepultus horâ IX. sine quacumque solemnitate. Et fuit tunc schisma in Populo, eo quòd aliqui volebant pro Domino Antonium naturalem filium Cecchi prædicti Domini; aliqui verò pro se ad Communitatem regere volebant. Et finaliter determinaverunt præstitis juramentis se regere ad Populum. Et hoc fuit die X. Septembris, clamantes: *Vivat Populus*. Item die XIII. scilicet die Dominico cum Vexillo Communitatis, duodecim, qui instituti erant ad regendum Populum, intraverunt Palatium Communitatis cum solemnitate; & die XVI. scilicet in festo Beatæ Euphemiæ Virginis & Martyris ipsi duodecim cum comitiva cum prædicto Vexillo & tubis acceperunt tenutam liberam Castri, quod est ad Portam Ravaldini, relicto ibi Vexillo Communitatis super Turrim. Item die IX. Octobris, scilicet in festo Sancti Dionysii, & fuit die Veneris, Dominus Baldassar Cossa Cardinalis, titulo Sancti Eustachii, & Dominus & Legatus Bononiæ, petens Civitatem Forlivii pro sancta Romana Ecclesia, quia noluerunt assentire, diffidavit eos; qui postmodum paraverunt se ad resistendum. Item die XVII. Octobris Dominus Cardinalis præfatus, qui erat tunc Faventiæ, quo tempore fecit ibidem decapitari Astorgium de Manfredis, qui fuerat Faventiæ Dominus: quasi vigesimâ horâ diffidavit Populum Forliviensem. Et statim exeunte præcone cum tuba, qui diffidabat Populum, venerunt gentes ejus, & aliquos ceperunt, ducentes captivos, & aliqua paria boum; & de suis aliqui fuerunt capti & vulnerati; & nisi quia proditoriè venerunt, malè fuisset eis, quia non credebant Forlivienses, ipsos inimicos illo die currere super eos, quia tubator Domini Cardinalis ab hodierna dixerat die; & cucurrerat immediatè post recessum diffidantis, scilicet quando tubatum fuit, extra Portam Civitatis Forlivii. Item in festo Beatæ Ursulæ minati sunt de morte Cives omnibus Clericis, nisi celebrarent divina; dicentes: *Non fecimus aliquid, unde debeamus interdici, quia volumus dare Censum Ecclesiæ, & alia, quæ consueverunt habere tempore Tyranni, & plus, & recognoscere dominium populare à dominio Ecclesiæ, seu Papæ*. Nec dicti regentes in Populo volebant dare licentiam Clericis recedendi, ne frangerent Interdictum. Item die XIV. Octobris, & fuit die Sabbati, miserunt Ambasiatores ad Papam Innocentium. Et die Dominico sequenti, horâ XVIII. cucurrerunt omnes ad arma clamantes, & discurrendo per Civitatem: *Vivat Populus*. Et tunc gens Ecclesiæ, quæ erat in exercitu, ceperunt unam Turrim, quæ erat prope Villam Sancti Martini. Et postea Dominus Cardinalis die XVI. Novembris cum exercitu suo de Villa Sancti Martini dimissâ bastitâ factâ circa prædictam Turrim fulcitâ hominibus & victualibus, mutavit locum versùs Villam Ronchi. Item die XIX. Novembris venerunt quidam Ambasiatores nostri fingentes, quomodo Communitas Venetiarum volebat accipere Civitatem Forlivii sub protectione eorum. Et de sero facta luminaria & lætitia magna in Populo clamantium: *Vivat Populus, & Sanctus Marcus*. Die XX. de mane Populus suspenderunt in Platea Ser Baldum de Baldonibus. Item XXII. die Aprilis Dominus Azzo, in Vigilia Beati Georgii Martyris, intravit de nocte Civitatem cum aliquibus, ut acciperet sibi dominium Civitatis, quia aliqui videbantur consentire, eo quia erat de Ordelaffis ex parte matris, filius Dominæ Honestinæ filiæ Domini Francisci de Ordelaffis; & arma portabat & jura, quæ parentela habebat sua, & Ordelafforum. Qui tamen captus fuit, & positus in Castro Ravaldini, & de mane duo de suis suspensi fuerunt in Platea.

Anno Domini MCCCCVI. de mense Maji quum Civitas malè staret, & esset sine spe pacis, nihilominus Deo dante iverunt ad Dominum Cardinalem in exercitu Dominus Franciscus Magistri Salvolini cum aliis. Et taliter composuerunt cum prædicto Legato, quòd Cives remanserunt in pace cum eo, & rexerunt se ad Populum cum aliquibus pactis & promissionibus; scilicet ut acciperent Capitaneum & Potestatem à prædicto Legato. Et bandita fuit pax in Vigilia beati Jacobi Fratris nostri, in cujus festo fuit totus Populus mulierum & virorum, & omnes Religiosi, & Clerus processionaliter cum Domino Episcopo Civitatis Forlivii, scilicet Domino Johanne de Nomajis de Forlivio, qui absolvit ibi ex parte Domini Legati Populum ab excommunicatione & interdicto. Et post breve tempus quidam Doctor & Miles, scilicet Dominus Rolandus de Janua, fuit datus in Capitaneum pro Sancta Romana Ecclesia, & Dominus Johannes de Ghisileriis de Bononia in Potestatem. Et sic rexerunt se Forlivienses ad Populum usque ad Annum Domini MCCCCVII. scilicet tredecim mensibus. Sed die VIII. Julii, Feriâ VI. aliqui Forlivienses, quorum principalis fuit Johannes filius Petri de Lardiano, qui fuerat expulsus, & residebat Bononiæ, intraverunt de nocte, ut opinabatur, Castrum, & furati sunt eum, scilicet Castrum Ravaldini. Sed postea satis clarè compertum est, quòd datum fuit eis ad voluntatem aliquorum, qui promiserant dare à principio Cardinali dominium Civitatis. Et de mane hoc sentiens Populus cucurrit ad arma. Et repertum est, quòd illi habebant tenutam Castri. Et ceperunt Castellanum, scilicet Nerum de Marinellis de Forlivio cum uno suo nepote. Quod videntes Majores

(*) Lues totam ferè per Italiam; quæ ab indumentis hominum facculis albis sibi in hodiernum vindicavit nomen, materna Lingua; *La moria de' Bianchi*.

res Civitatis aliqui, ferè duodecim, & præfatus Episcopus, perrexerunt ad Dominum Legatum Bononiam, & tradiderunt sibi ex parte remanentium Civitatem, licèt per antea clamassent: *Viva la Chiesa*. Et non est inventus contradicens. Et sic sinè strepitu & contradictione prædictus Legatus, scilicet Dominus Baldassar Cossa, die sequenti, scilicet die Sabbati, vênit cum bona comitiva armatorum Forlivium, & accepit personaliter dominium pro Ecclesia Romana, licèt non habuerit pro tunc tenutam Castri. Et fuit hoc, ut dictum est, die Sabbati horâ XII. Prædictus autem Johannes de Lardiano nolebat tradere Castrum, quia volebat quædam, quæ promiserant, & quædam, quæ sibi ablata fuerant per Cives, qui eum expulerant. Sed tunc sequenti die, scilicet die Dominica, Dominus Legatus recepit personaliter tenutam prædicti Castri Ravaldini ab eodem Johanne & sociis suis. Feriâ V. de mane Dominus præfatus recessit versùs Bononiam cum Vexillo Civitatis Forlivii, & cum Potestate antiquo, scilicet Domino Johanne de Ghisileriis, & cum comitiva juvenum hastiludentium ante eum de parte Gibellina. Item die XXIV. Julii iverunt hastiludentes illi de parte Guelfa cum Vexillo Communitatis & armis prædicti Legati, & Vexillo, in quo pingi fecerunt unum Castrum cum scala aurea, eo quia furati fuerant Castrum cum scalis.

Anno Domini MCCCCVIII. die XXI. mensis Septembris, quasi XXIII. horâ diei Veneris, in festo beati Matthæi, sagitta de aëre descendit tempore nubiloso super Campanile Fratrum Prædicatorum de Forlivio, & descendit in Capellam majorem, & percussit hinc inde, & læsit picturas de novo ibidem pictas, & demum pervenit ad Capellam Sanctæ Ursulæ, & ibi fumo obscurans imaginem Sanctæ Mariæ, quæ est picta in tabula altaris; & quia Capella Major adhuc non erat completa pingi, Magister, qui pinxit illas historias, scilicet Magister Guilielmus de Forlivio, cujus anima requiescat in pace, reparavit læsas figuras quo ad aliquas, quæ potuerunt reformari. Eodem Anno die XIX. Octobris fuit Eclipsis Solis ante meridiem per unam horam, vel circa, & duravit una hora, & minutis quinquaginta. Dicto millesimo, ut supra, die III. Novembris, & fuit die Sabbati, horâ XVIII. Dominus Papa Gregorius, dictus XII. primò dictus Angelus Correrio de Venetiis vênit Ariminum cum suis Cardinalibus. Dico cum suis Cardinalibus, quos fecerat ipse existens Lucæ & Senis; quia ii, qui ipsum elegerunt in Papam, dimiserant eum, eo quia non abstulit schisma de Ecclesia Dei, sicut promiserat & juraverat eis; unde factum est schisma inter ipsum Papam, & electores Cardinales prædictos, quorum Cardinalium factorum ab ipso Gregorio fuit unus de Ordine Prædicatorum, Frater Johannes Dominici de Florentia. Item idem Papa Gregorius die XVI. mensis Maji, & fuit in die Ascensionis recessit de Arimino cum suis Cardinalibus, & ivit versùs Utinum, ubi, ut intellexi, fuit cum maxima solemnitate receptus. Et hoc fuit Anno Domini MCCCCIX. quo tempore congregati sunt Cardinales de Collegio, scilicet Antipapæ de Francia, & Papæ Gregorii XII. cum pluribus aliis Prælatis, pro volendo eligere alium Papam, quia prædictus Gregorius reputabatur perjurus & hæreticus. Et prædictorum Cardinalium sive Collegii adunatio facta est Pisis existentibus sub dominio Florentinorum; & adhuc sunt illi usque ad præsens tempus, scilicet usque ad mensem Junii congregati, scilicet XVI. die prædicti mensis. Postea scribam, quid facient ibi. Et die XXVI. Junii venerunt nova, quomodo elegerant in Papam Magistrum Petrum de Candia Ordinis Minorum, antea Archiepiscopum Mediolanensem, deinde Cardinalem. Et vocatus est Alexander Quintus. Et sic erant pro tunc in Orbe tres Pontifices, Innocentius de Catalonia, nomine Petrus de Luna, Gregorius XII. de Venetiis, & præfatus Alexander de Candia. Et sic divisus est Populus Christianus, in quadam confusione consistens; sed non Christus divisus est ad confusionem Prælatorum & Ordinis Clericalis. Deus, qui semper est pius, ponat remedium ad salutem animarum nostrarum. Legitur, quòd Salvator noster Christus fuit ductus captivus coram tribus inimicis suis, scilicet Anna, Caipha, & Pilato.

Anno Domini MCCCCIX. die XV. Aprilis, fuit Eclipsis Solis, & duravit duabus horis, minutis octo, secundis viginti quatuor; Et Eclipsis fuit in Tauro. Eodem Anno Dominus Cardinalis dictus de Meleto, vice Legationis Domini Baldassarris, intravit Forlivium die XVI. mensis Septembris, die Dominica, horâ Tertiarum in Octavis Beatæ Mariæ, scilicet Nativitatis ejus. Anno Millesimi supradicti scilicet de mense Julii fuerunt magnæ pluviæ & abundantia aquarum, ita quòd rustici non potuerunt triturare frumentum. Et hoc fuit per totum mensem Augusti usque ad XIII. Octobris; nam fuit pluvia pro continuo penes Forlivium, & partes circumstantes. Et erat calor immensus de mense Augusti. Sed die XIV. mensis Octobris incœpit pluvia temperata. Quo tempore celebratum fuit Capitulum Provinciale Imolæ in festo Beati Lucæ per Magistrum Ritegonum de Picigottis de Padua Provincialem, non per electionem, sed per Magistrum Thomam de Firmo, auctoritate Papæ. Item non mirandum est, quòd sic tempora non currant uniformiter: nam dicto Anno ut supra, die XXII. Novembris in festo Beatæ Cæciliæ, visus est de mane, horâ secundâ diei, arcus in nubibus, & præcedenti nocte fuerunt tonitrua magna & caliditas illis diebus, sicut de mense Aprilis quum tunc consueverunt esse magna frigora. Supradictus Cardinalis, scilicet Dominus de Meleto, recessit de Forlivio versùs Bononiam, die Lunæ, die penultima Decembris, & Anno MCCCCX. die IV. Januarii, & fuit die Sabbati. In Octavis Innocentium, venerunt nova post Vesperas, quòd Ecclesia sive Dominus Cardinalis, scilicet Dominus Baldassar Cossa Legatus habuerat plenè Romam, & fuerunt in sero facta luminaria in signum magnæ lætitiæ.

Anno Domini MCCCCX. die XI. Januarii, die Dominico, scilicet Dominica infra Octavas, Episcopus Papa Alexander V. intravit Bononiam ad residendum ibi. Eodem millesimo, die XVIII. Januarii Georgius de Orde-

Ordelaffis intravit tenutam Fori-Pompilii non-vi; ſed illi de Caſtro voluntariè aperuerunt ſibi, & receperunt ipſum in Dominum, & ſic rebellaverunt Eccleſiæ, & Domino Baldaſſari ſupra nominato. Idem Georgius die XXV. Januarii, & fuit die Sabbati de nocte juxta diem Dominicam, fregit murum, & aperuit Portam Rottæ, & intravit Civitatem cum multis peditibus & equeſtribus; ſed expulſi fuerunt per forenſes, qui venerant de Caſtris & de Terris Florentinorum ad cuſtodiam Civitatis Forlivii. Et aliqui, qui intraverant, fuerunt capti, & quatuor ſuſpenſi in Platea, & aliqui in loco unde intraverant. Eodem milleſimo Dominus Baldaſſar ſupradictus vênit Forlivium die XII. Aprilis, & fuit die Sabbati, horâ veſpertinâ, cum magna multitudine armatorum & peditum, & munitione de iis, quæ pertinent ad accipiendum Caſtrum vi Fori-Pompilii. Et multiplicata gente ſuperveniente poſt ipſum in ejus auxilium de diverſis Terris, die Martis, ſcilicet die XV. Aprilis exivit ad campum ad Forum-Pompilium invadendum, & ædificavit unam Baſtiam juxta prædictum Caſtrum per diſtantiam baliſtæ; & receſſit de prædicto campo, & ivit Bononiam die XXVIII. Aprilis, in feſto Sancti Vitalis, audiens, quòd Papa Alexander infirmabatur ad mortem; qui mortuus eſt Bononiæ die III. Maji. Et ſic duravit ejus Papatus menſibus X. Eodem milleſimo prædictus Dominus Baldaſſar fuit electus in Papam ibi Bononiæ, qui concorditer vocatus eſt Johannes XXIII. Et die XVIII. & fuit die Lunæ, Cives & Forlivienſes pedites ferè D. fuerunt ducti captivi ab illis de Foro-Pompilii, qui volebant ire in auxilium Baſtitæ, quam fecerat præfatus Dominus Baldaſſar Coſſa circa Caſtrum Fori-Pompilii. Item die VIII. Junii illi de Caſtro Aureoli ſponte dederunt ſe Georgio de Ordelaffis, & ſic multiplicata ſunt mala. Item die XIX. Junii filius Aſtorgii de Manfredis, dictus Johannes Galeatius intravit Faventiam, & obtinuit ejus dominium. In cujus auxilio fuit Georgius prænominatus de Ordelaffis, qui primus intravit; & ſic receſſit Faventia à dominio Eccleſiæ, & prænominati Legati; qui fecit decapitari Aſtorgium ibidem, ſcilicet in Faventia, nullo ſubveniente pro eo. Et poſt hæc, die XXI. Junii de nocte fuerunt capti pluſquam XL. ſpectabiles Cives de Forlivio in domibus ſuis, & fuerunt poſiti in Cittadella, quam fecerat ille Baldaſſar juxta Portam Sclavoniæ. Et die XXVII. miſſi ſunt Florentiam, deinde Bononiam in exilio cum magno diſturbo propter inimicos, qui erant in Comitatu Forlivii versùs Caſtrum Carium. Item alii plures fuerunt Lugum pro eadem cauſa. Et ſic multiplicati dolores & anguſtiæ in Civitate propter nequitiam & odium ad invicem Civium, qui deberent potiùs ſe mutuo diligere. Et in feſto Apoſtolorum, ſcilicet Petri & Pauli, omnes Familiæ expulſæ ſunt de Civitate, remanentibus domibus & maſſaritiis ſuis, eo quòd habebant filios vel fratres aut attinentes in Foro Pompilio cum Georgio de Ordelaffis. Et ſic parvuli & magni multiplicabant lamentum & fletum. Item eodem Milleſimo die XXIV. Auguſti in feſto Beati Bartholomæi Apoſtoli dictus Georgius de Ordelaffis aſtutiâ incolarum Flumanæ accepit dictam Flumanam, ſeu Caſtrum ſic nominatum, & Roccam. Et habuit captivos fratrem Domini Orlandi olim Capitanei Forlivii, & Dominam Franciſcam de Corregio matrem Dominæ Catelinæ filiæ Johannis de Ordelaffis, & ipſam Dominam Catherinam uxorem fratris Domini Orlandi, aut filium parvulum ejuſdem Domini Orlandi, & munitionem eorum. Et fuit judicium Dei, ut qui jam per quinque annos per modum injuſtum & exſpoliationis Civium de Forlivio ditatus fuerat, item per alium in pœnam exſpoliaretur, & qui multos trucidaverat, in carne propinquorum læderetur; quid enim alius quis poteſt, quòd ipſe ſuſtinere non poſſis? *ut qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?* Eodem Anno vênit Forlivium Dominus Cardinalis Legatus, ſcilicet Dominus Ludovicus de Fliſco de Janua, & intravit Civitatem die XIII. Septembris, ſcilicet die Sabbati, horâ XIX. & aſcendit Palatium Communitatis. Die XI. Octobris habuimus nova, quòd illi de Foro Pompilio expugnaverunt Baſtitam, & obtinuerunt eam, & ſic verum fuit. Milleſimo ut ſupra, die XVII. Octobris, die Veneris, in Vigilia Beati Lucæ Evangeliſtæ, tertiâ horâ ante diem, Georgius de Ordelaffis, & gentes cum eo venerunt ad Civitatem Forlivii, cauſâ intrandi violenter, & malè tractandi eam. Sed Deo volente, qui intraverant juxta Campoſtrinum, & fregerant ſteccatum in duobus locis, fugerunt, & ex eis ſuffocati ſunt XXV. & duo, qui capti ſunt, ſuſpenſi ſunt ibi. Et nota, quòd tempore meo inimici plures intraverunt iſto modo: videlicet tempore Domini Franciſci illi de Eccleſia intraverunt. Et primò juxta Pelacanum, juxta Portam Rottæ, & juxta Campoſtrinum. Et Dominus Franciſcus, qui erat extra cum gente Domini Bernabovis, juxta Sclapaconcham intravit, & fregit murum. Item iſte Georgius intravit juxta Portam Rottæ & per Campoſtrinum, & numquam prævaluerunt. Unde ſit, neſcio; ſed dicebatur, quòd Dominus Guido Bonattus per artem ſuam ſepelierat quamdam imaginettam occulto, ita quòd ſtante illa imagine non poterat Civitas Forlivii occupari vi per aliquem inimicum.

Anno Domini MCCCCXI. die Mercurii poſt prandium, ſcilicet die XVIII. Februarii, vênit Forlivium pro loco Legati quidam Epiſcopus Firmanus locumtenens, in Palatio Communitatis Forlivii; & Dominus Cardinalis de Fliſco ſupra nominatus receſſit de Forlivio die XXI. Februarii versùs Bononiam cum multis curribus oneratis. De iis, quæ non portaverat ſecum, intellige. Nota, quòd eodem Milleſimo, quando Dominus Baldaſſar Coſſa habebat dominium in Forlivio pro Eccleſia, de menſe Decembris, phiala olei aſcendit ad ſolidos XVIII. Bononienſium. Dominus Papa ſupradictus Johannes XXIII. Milleſimo ut ſupra, receſſit cum ſua comitiva versùs Romam die ultima Martii, & fuit die Martis. Die XIII. Maji die Mercurii, horâ XVI. quidam Caporalis gentis armorum Marchionis Ferrarienſis, nomine Guido Taurellus, audiit, quòd Bononienſes depoſuerant jugum dominationis Baldaſſarris, dicti Papæ Johannis XXIII. ut regerent ſe ad Populum, & cucurrerit ad Civita-

vitatem Forlivii cum suis pro Marchione Ferrariensi, & aliquantulum deposuit audaciam Guelforum, qui totam possidebant. Unde ipsi Gibellini fecerunt in multis locis pingi Aquilam Nigram. Sed Nicolaus quidam Episcopus residebat in Palatio Communitatis pro Ecclesia. Sed ille erat Capitaneus pro Marchione, & quasi Dominus: quod patebit ex sequentibus. Die XXVIII. Maji, & fuit dies Jovis, in Octava Ascensionis, præfatus Guido Taurellus fecit poni supra Turrim Communitatis, & ad Portas Civitatis Forlivii Vexilla cum armis Marchionis Ferrariensis. Et de mane bandita est pax cum circumstantibus Dominis & Communitatibus, & Castris oppugnantibus Forlivii. Et quasi post Nonam fecit duos spectabiles Cives decapitari in Platea, scilicet Ugolinum Matthæi Magistri Ugolini, & Petrum de Maladentis, quia tractabant, ut dicebatur, introducere in Forlivium Georgium de Ordelaffis pro Domino, & per consequens revera contra Guelfos & deponentes tales dominantes. Millesimo ut supra, die VII. Junii, scilicet in festo Sanctissimæ Trinitatis, in Octavis Beati Jacobi, horâ XIX. Georgius de Ordelaffis, cum Antonio filio Cecchi de Ordelaffis intravit per Portam Sancti Petri Forlivii cum duobus millibus peditibus Forliviensibus, & aliis ipsum diligentibus, qui cum eo fuerant extra, vel qui expulsi de Civitate, sinè contradictione quacumque clamantes: *Vivano gli Ordelaffi*; viri & mulieres & parvuli. Et facta est lætitia magna in Populo; & dictus Georgius portavit secum Vexillum Marchionis Ferrariensis, & suæ Domus scilicet Ordelafforum. Sed pro tunc non habuit dominium Castri Ravaldini nec Cittadellæ. Die XXV. Junii, horâ quasi XV. sive immediatè post prandium, & fuit dies Jovis in crastinum Sancti Johannis Baptistæ, insonuit per Civitatem, quòd Gerardus frater Johannis de Lardiano volebat interficere Georgium de Ordelaffis cum adhærentibus. Tunc pulsata campana majori Communitatis Forliviensis, ad arma cucurrerunt, & aliqui Guelfi capti & tenti sunt in Palatio; & dictus Gerardus interfectus fuit ibi in Cortili Palatii, & in Contrata Celendulæ Andreas de Arixendis interfectus fuit. Feriâ verò VI. lata est palma, quòd Dominus Carolus de Malatestis, qui erat in obsidione circa Bononiam, convenerat cum eis, & sic recesserunt ab obedientia Johannis dicti Papæ, & adhæserunt Gregorio XII. Et facta est lætitia in Populo; & de sero facta sunt luminaria. Die IV. Julii, die Sabbati, horâ XV. intravit in Officium novus & primus Potestas, tempore dominationis Georgii de Ordelaffis, Bartholomæus de Valdenoso. Et nocte sequenti, scilicet tertiâ horâ noctis, habita est possessio Cittadellæ. Et de mane, horâ II. diei Dominicæ, habita est etiam tenuta Castri Ravaldini. Et horâ Tertiarum vênit Forlivium Carolus de Malatestis cum sua comitiva, & lætè receptus, eodem die recessit, horâ XX. versùs Cæsenam. Et sic Georgius filius quondam Theobaldi de Ordelaffis habuit plenè dominium Civitatis Forlivii. Eodem Millesimo, die penultima Augusti, Georgius præfectus fecit capi, quartâ horâ noctis, Antonium filium Cecchi de Ordelaffis supra nominatum, & inclusit ipsum in Castro Ravaldini, quoniam volebat ipsum occidere per aliquos, qui ad petitionem sui ipsum observabant, quum de sero esset in camera sua. Qui fuerunt & ipsi capti, quorum unus in carcere suspendit se, ut dicebatur, qui erat de Faventia; & alios duos in diversis temporibus occidit, quasi proditoriè, & unus vocabatur Guillielmus frater Turacini. Et die XIV. mensis Septembris duo ex eis fuerunt decapitati, scilicet Ser Lazarius de Aurificibus, & alius qui vocabatur Milubandi.

Nota, quòd Anno Domini MCCCCXII. & in introitu Georgii, fuit magna caritudo frumenti & vini, & omnium leguminum & bladi. Unde starius frumenti ascendit ad valorem VIII. Librarum Bononinorum, & declinavit ad VII. & demum declinavit ad VI. & dimidiam, & usque ad V. cum dimidia de mense Maji. Et faba vendebatur Libris IV. & rarissima inveniebatur. Et tamen hoc non obstante satìs copiosè panis in platea vendebatur, & pulchrior quàm in aliis propinquis Civitatibus. Et tamen Civitas Forlivii nihil collegerat de frumento, nec seminaverat propter guerram. Donec intraret Georgius Dominus supra nominatus, Centenarium farinæ quatuor Libras valebat. Et nota, quòd nisi fuissent illi de montibus & de Castris, qui ferebant farinam, & quia hæc fuit satìs bona, multi & multi periissent fame; nam multi comedebant propter famem multa immunda, quæ animalia non comedissent. Die XX. Junii Ser Cecchus de Astis mortuus est in Castro Ravaldini, in quo steterat magno tempore captus, & graviter incarceratus, & factus est quasi leprosus & fœtidus; & sepultus fuit in Ecclesia Fratrum Prædicatorum sub Arcu vel Scala, quæ ducit ad pulpitum, quæ ducit ad organa, & ubi cantatur Evangelium in festivitatibus. Et tunc temporis valebat sextarium frumenti XL. Bononinos. Et Bononia faciebat guerram cum Imola, & Castro Sancti Johannis, & per consequens cum Malatestis, qui tenebant prædictum Castrum Sancti Johannis. Anno & Millesimo ut supra, & die III. Julii, Georgius Dominus Forlivii duxit in uxorem Dominam Lucretiam filiam Domini Ludovici de Alidoxiis Domini Imolensis, & fuit die Dominica horâ quasi XVIIII. Anno & Millesimo ut supra Georgius Dominus Forlivii, de mense Augusti incœpit reponere Castrum Casæmuratæ in Comitatu Forlivii, per manum Cervatti de Sassonibus de Forlivio, & aliorum suorum subductorum, & destrui funditus Cittadellam quo ad Turres & muros, quæ erat ad Portam Sclavoniæ. Die XXIV. Septembris, quidam Deddus Ronchoni de Comitatu Forlivii, qui erat compater Johannis de Lardiano, fuit suspensus per gulam pro proditore, quia tractabat cum multis aliis accipere locum Cittadellæ, quæ est apud Portam Sclavoniæ, & omnes de parte Gibellina occidere, & Dominum Civitatis Georgium prædictum.

Anno Domini MCCCCXIII. de mense Decembris in Vigilia Natalis Domini, quæ Nativitas seu Festum fuit in die Dominica, Papa Gregorius supra nominatus applicuit Ariminum veniens de Gaëta, in qua resederat per totum tempus, quo recesserat primò de-

de Arimino. Anno & Millesimo ut supra, die VIII. Januarii. Ex parte Georgii mandatum est omnibus Clericis & Religiosis, cujuscumque conditionis aut gradus existerent, quòd deberent personaliter ire ad destruendum Cittadellam. Et die Lunæ venit Tubator intra Conventum ad præcipiendum nobis. Millesimo ut supra, die VIII. Junii, in Octava Ascensionis, sæpe dictus Papa Johannes, à secularibus cognominatus Buldrinus, qui fuit pessimus, & pessimus stipendiarius, & caput eorum, fuit expulsus de Roma cum suis Cardinalibus, Populo Romano objurgante una parte cum alia, scilicet parte Ursinorum cum aliis, sentiens, quòd gentes Regis Apuliæ armati intraverunt per muros violenter, & trucidaverunt multos de parte Ursinorum; & sic Rex Vinceslaus obtinuit dominium, & subsequenter aliarum Civitatum & Castrorum; & Buldrinus reduxit se in Castro Radicofano. Et inter vulgares dicebatur, quòd nesciebatur, ubi esset, vel latitare posset. De suis Cardinalibus quidam Bononiam pervenerunt, quidam versùs Hispaniam redierunt, & unus cum ipso remansit. Millesimo ut supra, die II. Augusti de nocte ad Feriam III. Georgius de Ordelaffis Dominus Forlivii intravit in Forum Pompilii, & obtinuit eum inde voluntate inhabitantium, eo quia non fecerunt resistentiam. Sed tunc non habuit Castrum seu Roccam, quam tenebat Comes Urbini, sicut ante suburbia, contra voluntatem Georgii, cui promiserat restituere ad voluntatem ejus. Die tamen VII. Septembris, die Jovis, in Vigilia Nativitatis Virginis Mariæ, Georgius Dominus Forliviensis obtinuit Roccam & Castrum, non vi sed pacto cum inhabitantibus in eodem: & hoc horâ XXII. Anno autem Millesimo, ut supra, die IX. Octobris, die Lunæ, de nocte ad diem Martis, ferè II. horâ noctis, natus est filius masculus Georgio Domino Forliviensi ex uxore sua Domina Lucretia, & vocatus est Theobaldus nomine patris Georgii. Et videtur, quòd habuit pro ascendente Arietem & Lunam in Ariete, quæ tunc erat plena, & in oppositione Solis, qui erat tunc in Libra, & in XXIV. gradu ejusdem Signi. Et iste fuit primus filius, sive primogenitus, quia antea nullum habuit filium; & baptizatus solemniter die Lunæ quasi horâ XXIII. diei, & die VI. Novembris, & die XXIX. ætatis suæ.

Anno Domini MCCCCXIV. in principio Februarii fuit quædam pestis universalis catarrhi & frigoris, & tussis, quòd vix homines poterant respirare; nec poterant comedere vel bibere. Omnia enim apparebant amara. Et de ista multi mortui sunt: aliqui verò pæne evaserunt. Millesimo eodem, die III. Junii, die Dominica in festo Sanctissimæ Trinitatis, horâ Tertiarum, in qua die Georgius de Ordelaffis compleverat tres annos in dominio, Dominus Johannes filius Domini Matthæi de Imola intravit tenutam cum Pontificali habitu Episcopatus Forlivii. Et idem Episcopus celebravit Missam Pontificalem postea Anno Domini MCCCCXV. de mense Aprilis, die XIV. ejusdem, & Dominica prima post Octavas Paschæ. Millesimo eodem de mense Novembris, in festo omnium Sanctorum, positum est Concilium & congregatum ex parte Domini Imperatoris electi Regis Ungariæ in Civitate, quæ dicitur Constantia; ad quod Concilium iverunt plurimi, & vadunt cotidie. Et Papa Johannes in principio ivit cum suis Cardinalibus, qui, ut fertur, fuerunt contra eum; & ipse furtivè fugiit in Terris Comitis Austriæ. Quid autem ibi determinabitur, nescitur. Et ideo de hoc non plus scribo. Dicitur autem quòd Carolus de Malatestis de Arimino vadit illuc, quia recessit de Arimino.

Anno Domini MCCCCXV. de mense Aprilis, scilicet XV. die, & fuit die Lunæ, in Hebdomada Sancta, ante autem eum iverat pro Domino Gregorio Frater Johannes Dominici, Ordinis Prædicatorum, dictus postea Dominus Ragusinus Cardinalis dicti Gregorii; qui, ut dicitur, multum prospectatur in eodem Concilio; & est compater Imperatoris, seu Regis Ungariæ. Dicto Anno die XV. Aprilis, scilicet de nocte juxta diem, scilicet Lunæ, quidam Capitaneus nomine Brachius, & stipendiarius Bononiensium & Papæ Johannis, cum sua Societate venerunt super territorium Forlivii, & duxerunt captivos de Villa Sancti Martini ferè quinquaginta homines inter parvos & adultos, & currus oneratos pannis, & aliis massaritiis; nam oneraverant currum intendentes se reducere ad Civitatem; sed illi prævenerunt eos, & sic exspoliati sunt omnibus mobilibus. Unde boves & currus duxerunt, & sic fecerunt in aliis Villis, quæ sunt propinquæ. Unde, ut audivi, ultra centum triginta, & quinquaginta paria boum, & oves, & plurima capita animalium abducta fuerunt. Et culpa eorum fuit, quia noluerunt reducere se in termino eisdem imposito. Et die præcedenti, scilicet die Dominica, quæ fuit Dominica prima post Octavas Paschæ, Dominus Episcopus Forliviensis Dominus Johannes de Imola filius Ser Matthæi celebravit Missam suam primam in Pontificalibus in Ecclesia Majori. Millesimo ut supra, Brachius Perusinus caput, ut dicebatur, mille quingentorum armatorum & peditum, ex parte Bononiensium, qui tunc tenebant partem Papæ Johannis XXIII. & hoc fuit die XXII. Maji, in Sancto Martino resederunt, & fuit die Jovis. Deinde recesserunt versùs Castrocarium, & expugnaverunt Castrum Sadurani quasi XXII. horâ diei, scilicet XXIII. Maji, die Veneris, & obtinuerunt illud. Et hoc fuit, quia qui positi fuerant ad custodiam, exiverunt Castrum, & illi qui latebant in insidiis inimici venerunt ad Portam, & incolæ non potuerunt reintrare. Et sic capti sunt aliqui; defendentes se, interfecti sunt; & duxerunt captivos magnos & parvulos CL. & multos currus oneratos rebus eorum. Millesimo ut supra, die VII. Junii, idem Brachius supra nominatus reversus est cum sua comitiva super territorium Forlivii, & resedit in Sancto Martino. Et VIII. die Sabbati ivit super territorium Cæsenæ, & cepit captivos multos, & multa capita boum, equorum, & equarum, quæ erant Domini Malatestæ Domini Cæsenæ. Et cucurrerunt usque Savignanum. Et hinc inde multos ceperunt, qui non custodiebant se; postmodum die IX. reversi sunt super territorium Forlivii in Villa Ronchi, & duxerunt multos bubalos prædicti Malatestæ. Eodem Anno fuit Eclipsis Solis parva, die

A die VIII. Junii, die Veneris, in revolutione Lunæ: & Sol tunc erat in Signo Geminorum in gradu XXIII. & fuit ad duas horas diei. Eodem Anno fuit bandita pax inter nos & Brachium Capitaneum Bononiæ; & restitutum est Castrum Sadurani, & compositio facta est pro quinque millibus Ducatis auri solvendis. Millesimo ut supra, die prima Augusti, sepultus est Aloyxius filius quondam Pini de Ordelaffis apud Fratres Minores, qui erat ferè XVIII. annorum. Et tempore Cardinalis Baldassarris Cossæ, quando dominabatur Forlivii, fuit captus Bononiæ de nocte, & positus in carcere in Castro, & malè tractatus in pueritia sua. Eodem Anno & mense, die II. Augusti, die Veneris, Marcus de Turri intravit Forlivium in Officium Potestariæ. Eodem Anno, de mense Septembris die XVI. Brachius cum sua comitiva cucurrit super territorium Cæsenæ, & duxit secum ferè mille capita animalium & multos captivos. Et combussit domos circa Portum positas Cæsenatem; & de alia Villa portavit spolia, & captivati habitantes. Quæ Villa dicitur Villa Sancti Viti. Eodem Anno, die XXIII. Septembris, pervenerunt Forlivium Ambasciatores Concilii celebrati Constantiæ, Prælati, & Abbates cum comitiva ferè XXX. equorum. Et XXVI. die ejusdem mensis in Ecclesia Cathedrali convocato Populo de mane, horâ Tertiarum, quidam Archiepiscopus Siracusanus Ordinis Minorum prædicavit, pronuntians publicè coram Populo ex parte Concilii prænominati, quòd omnes, qui antea nominabantur Papæ, scilicet Gregorius XII. de Venetiis Angelus Corario, & Baldassar Cossa dictus Papa Johannes XXIII. & Petrus de Luna dictus Papa Benedictus XII. omnes ipsi sponte & liberè renuntiaverant Papatum. Et sic semper vacabat Sedes Romana. Et cetera ad Concilium pertinebant. Et præfatus Archiepiscopus auctoritate Concilii absolvit tam præsentes quàm absentes à quocumque vinculo excommunicationis homines utriusque sexus, sive essent Laici, sive Clerici. Prædicta autem absolutio fuit valde universalis, absolvens ab omnibus peccatis & sententiis latis & promulgatis, & quomodocumque fulminatis. Et quicumque vel ratione affectus, vel timore, vel pretio, vel parte adhæsisset alicui prædictorum Præsulum, absolvebatur. Et quilibet Sacerdos deberet omni septimana celebrare unam Missam de Spiritu Sancto, donec unus verus Papa esset electus. Et non Sacerdos sive Laicus jejunare semel VI. Feriâ teneatur. Et sic usque ad horam istam duravit in Ecclesia schisma triginta septem annis. Eodem Anno, die XV. Decembris, Dominica de nocte, quidam nomine Marcus de Turri actualiter Potestas Forlivii, veniendo de domo illorum de Nomajis, propter uxorem Juliani de Nomajis fuit interfectus.

Anno Domini MCCCCXVI. die IV. Januarii, scilicet in Octavis Innocentium, die Sabbati de nocte, ad diem Dominicam, Populus Bononiæ cucurrit ad arma, & clamavit: *Vivat Populus*. Et expulso Episcopo Senensi, qui tenebat locum pro Ecclesia, & pro Johanne dicto Papa XXIII. fecerunt novos Dominos Confalonerios, & sic regunt se ad Populum, & Nobiles scilicet & præcipuè *Scaccherii* regunt, & regent in Populo. Eodem Anno die VIII. Februarii, die Sabbati, horâ vespertinâ, quædam sponsa, scilicet Domina Virida soror Domini Ludovici Domini Imolensis, nupta cuidam nobili Viro de Castro Durante, venit Forlivium, receptа festivè cum tubis & aliis instrumentis. Et die Dominica immediatè sequenti cum tripudiis Dominarum de Forlivio & jostris in Platea, dominante Georgio de Ordelaffis, marito Dominæ Lucretiæ filiæ præfati Domini Imolensis, recessit die Lunæ, horâ Tertiarum. Et illa Dominica fuit tunc, quæ anteit diem Dominicam immediatè Septuagesimæ. Eodem Anno die V. Junii, die B Martis, juxta diem, quidam iuvenis bonæ famæ & vitæ, nepos Petrutii dicti de Monsignano, suspendit se per gulam. Et eadem die fuit magna temporis intemperies pluviæ & fulguris & grandinis. Et sequenti die, scilicet Mercurii, licèt non ita magna & sinè grandine. Eodem Anno venerunt nova, quòd Carolus de Malatestis Dominus Arimini fuit captus à Brachio de Montono in Comitatu Perusino cum magna multitudine equitum & peditum, die XII. Julii, quando ibat ad succurrendum Perusium obsessum à prædicto Brachio. Et multi ex utraque parte interfecti sunt. Et filius Malatestæ de Pisauro etiam tunc captus fuit. Eodem Millesimo quidam Castellanus Castri Ravaldini, C Bartholinus Torta cum quadam sorore sua fuerunt capti, quia dictum est, quòd per pecuniam tractabant dare ipsum Castrum Comiti Urbini in festo Sancti Johannis Baptistæ. Anno eodem immediatè die XX. Septembris, die Dominica, Malatesta frater Caroli de Malatestis Dominus Cæsenæ mortuus est in eadem Civitate. Et die XXIV. ejusdem mensis Dominus Martinus de Faventia transivit per medium Civitatis Forlivii, ducens secum, cujus erat caput, multitudinem equitum trium millium, ad debellandum cum Domino Pandulfo Brachium, qui captivum duxerat Carolum de Malatestis fratrem D suum. Eodem Anno fuit mortalitas in Forlivio, sive pestilentia, quæ incœpit de mense potissimum Augusti, & duravit usque ad mensem Novembris inclusivè. Et quando incipiebat in una domo, pauci aut nulli remanebant, & præcipuè juvenes utriusque sexus.

Anno Domini MCCCCXVII. de mense Aprilis dimissus fuit Carolus de Malatestis de carcere à Brachio supradicto, ut dictum est. Et solvit octomillia Ducatorum, & venit Ariminum in festo Paschæ, scilicet XI. die Aprilis. Eodem Anno immediatè, scilicet XX. die Maji, in festo Ascensionis de mane, in Ecclesia Fratrum Minorum de E Arimino, audiens Missam Dominus Martinus de Faventia, caput ferè ML. armatorum hominum, captus fuit per provisionatos Caroli de Malatestis Domini Arimini. Eodem Anno transivit Dominus Pandulphus de Malatestis Dominus Fanensis versùs Faventiam per territorium Forlivii cum pace cum tribus millibus, ut dictum est, equitibus, & D. peditibus. Quo tempore, quia erat pestis Florentiæ & in locis circumstantibus, venerunt Forlivium plusquam mille personæ ad commorandum, fugientes dictam pestem. Nota, quòd eodem Anno ab Octavis beati Do-

Dominici, scilicet die X. Augusti usque per totum mensem Septembris non fuit pluvia nec nebulosum tempus, nec de die nec de nocte, sed semper serenum & clarum tempus. Et fuit iste magnus calor, sicut esset de mense Augusti, quando Sol est in Leone. Et primâ Octobris fuit pluvia copiosa. Et illo Anno non fuit copia frumenti nec vini, licèt fructuum. Et fuit mortalitas in Tuscia, & præcipuè Florentiæ. Unde spectabiles Cives Florentini cum mulieribus & parvulis venerunt Forlivium, & acceperunt ad pensionem pulchriores domos Civitatis, licèt aliqui utriusque sexus sint ex peste mortui, videlicet qui iverant illuc, & postea reversi sunt Forlivium, infirmi videlicet, nam qui noviter venerant, postea infirmati sunt & mortui. Eodem Millesimo de mense Octobris quasi in principio, Johannes Galeatius filius Astorgii de Manfredis Dominus Faventiæ mortuus ibi de peste fuit, & sepultus VI. die scilicet die Mercurii ejusdem mensis. Et nota, quòd pater istius, scilicet Astorgius mortuus fuit decapitatione in propria Civitate, & fuit Dominus; filius verò, quando dominabatur Faventiæ pater suus . . . . . . honore, & cum solemnitate sepultus est. Millesimo ut supra, Dominus Martinus de Faventia pro proditione, quia volebat prodere Dominum Pandulphum fratrem Caroli de Malatestis, & destruere Civitatem eorum, fuit decapitatus post mortem Galeaz Domini Faventini in Fano de mense Novembris. De mense Octobris in festo Sancti Lucæ Dominus Angelus, olim dictus Papa Gregorius XII. mortuus est in Recanato, qui renuntiaverat Papatum. Anno Domini, ut supra, in Constantia, ubi fuerat congregatum Concilium, ut tactum est supra, consenserunt omnes, ad quos pertinebat electio, & elegerunt in Papam Dominum Oddonem Cardinalem de Roma de illis de Columna, de mense Novembris, & vocatus est Papa Martinus V. quia in festo Sancti Martini fuit electus, scilicet die XI. Novembris. Et sic stetit Concilium in Constantia ante electionem Papæ, annis tribus, mense uno, & diebus undecim.

Anno Domini MCCCCXVIII. die XVI. Maii, & fuit in die Pentecostis, Georgius de Ordelaffis cum comitiva decenti ivit ad balnea, vel ad balneas versùs Bagnum Castrum, quod tunc tenebat ex concessione Florentinorum quidam Pisanus de illis de Gambacurta. Eodem Millesimo, II. die Julii, quando festabatur festum Visitationis beatæ Mariæ, scilicet die Sabbati de mane, horâ X. fuit maximus ventus cum pluvia & grandine in Civitate Forlivii ad intra muros Civitatis; qui discurrens hinc inde per Civitatem fregit & evellit multas arbores fructiferas, & imbrices sive cuppos dispersit hinc inde; & fuit in parva mora. Et si durasset, quasi omnia dissipasset. Subvertit multos cuppos Ecclesiæ nostræ & aliarum domorum. Eodem Anno de mense Julii die IX. die Sabbati, horâ quasi XII. diei, natus est Georgio Domino Forlivii secundus filius ex uxore sua Domina Lucretia filia Domini Ludovici Domini Imolensis. Et habuit Leonem pro ascendente, & Solem in Capricorno, & Lunam in Libra, Venerem in Ariete, Mercurium in Sagittario. Quo

A tempore aliqui Bononienses venerunt Forlivium, evadentes mortalitatem, quæ tunc vigebat Bononiæ. Eodem Anno, die XXII. Octobris, Papa Martinus supradictus, de Papia cum suis Cardinalibus & comitiva pervênit Mantuam. Eodem Anno Domini, Bullæ Vicariatus Georgii de Ordelaffis pro Sancta Romana Ecclesia in Forlivio pro tribus annis fuerunt datæ Mantuæ IV. Kalendas Decembris, scilicet XXVIII. Novembris, & publicatæ & lectæ coram Clericis & Laicis Populi Forlivii in Platea, Millesimo ut supra, in die Natalis Domini, scilicet die XXV. Decembris, tempore Pontificatus Papæ Martini V. anno II. In quibus

B Privilegiis absolvebat Papa omnes à quibuscumque sententiis, vel excommunicationibus quibuscumque, quas fuissent incursi propter schisma, quod fuerat antea tempore Johannis Papæ, vel Gregorii. Ex quo omnes possent redire, qui fuissent expulsi, & quòd bona eorum ablata restituerentur, & viverent omnes in pace & caritate fraterna. Qui autem essent gravati aliquo gravi delicto, ut homicidio, vel sacrilegio, irent ad Episcopum Civitatis, sive Laici, sive Clerici, vel Religiosi.

Anno Domini MCCCCXIX. die XVIII. Februarii, die Sabbati, horâ quasi XXI. Papa Martinus V. de Domo Columnæ Romanus,

C intravit Forlivium cum V. Cardinalibus: quorum unus resedit in domo Francisci Magistri Ugolini prope Ecclesiam Majorem, & alius in domo filiorum Nicolai Nascimbene, scilicet Dominus de Branchatiis, & cum aliis pluribus Prælatis. Et cum solemnitate magna & devotione virorum & mulierum & puerorum cum vesticulis depictis Columnâ & clavibus, clamantium coram eo: *Vivat Ecclesia*. Et sic postquam perrexit de Porta Sclavoniæ ad Ecclesiam Majorem, in qua descendit cum ornamentis Episcopalis dignitatis, scilicet cum mithra & piviali, facta oratione ante Altare, & datâ ibi indulgentiâ, ascendit equum, præcedente capsula, in qua

D erat Corpus Domini nostri Jesu Christi super unum equum: circumquaque cereis accensis, & ante Corpus Christi præcedebant umbrella, & sex equi albi. Et pervênit ad Plateam, & ascendit in Palatium per scalam lapideam Communitatis. Et Feriâ II. scilicet die Lunæ, horâ XVI. in Pontificali, benedicto Populo in platea congregato, quasi inter viros & mulieres, parvulos & magnos plusquam decem millia personarum. Et multo plures fuissent; sed propter pluviam, quæ duravit decem diebus, non potuerunt venire de propinquis locis. Die verò Martis recessit tempestivè versùs Castrocarium, iens Florentiam. Et intravit eam die Dominica sequenti. Ad

E præparandum autem pro ejus adventu fuit Dominus Ludovicus Dominus Imolensis, socer Georgii Domini Forliviensis; & quia noluit equitare, impeditus podagra, misit filium suum sex annorum cum prædicto Domino Ludovico. Dominus Cardinalis, qui steterat in domo filiorum Nascimbene, scilicet Dominus de Branchatiis, recessit de Forlivio die Mercurii, scilicet die XV. Martii, versùs Florentiam. Et nota, quòd mense Martii quasi usque ad medietatem fuerunt nives & frigora, unde multi infirmati sunt ex frigore & catarrho propter insolitam intem-

temperiem aëris in tali mense. Eodem Millesimo, prima die Martii, projecta fuit sive fusa Campana nostra major in Ecclesia per Magistrum Petrum de Mediolano. Item posita fuit super Campanile die XXIV. Aprilis, scilicet die Lunæ, & incœpit pulsari in nomine Domini & Beati Jacobi. Nota, quid fecit fortuna & casus in uno homine, scilicet in Baldassarre Cossa, qui fuerat Papa electus Bononiæ. Nam An. Dom. MCCCCXIX. dimissus de servitute, in qua fuerat, vênit Florentiam ad Papam Martinum superius nominatum. Et penultima die Junii in festo Apostolorum Petri & Pauli habitus est tamquam Cardinalis, & accepit Capellum ejusdem gradus & officii de commissione Papæ Martini V. Et ideo dicit fortuna in Boëtio: *Hunc contrarium ludum ludimus. Summa infimis, infima summis mutare gaudemus.* Eodem Anno de mense Septembris & Octobris fuit in Forlivio assagium vini puri solidis XX. XXV. XXVII. & plus: optimi vini fuit assagium pro solidis XXX. Et benedictus Deus, *qui aperit manum suam, implens omne animal benedictione.*

Anno Domini MCCCCXX. die XXV. Februarii, quia illo Anno currebat bissextus, & fuit dies Dominica, vênit Forlivium de Faventia Cardinalis quidam Legatus in Marchia Anconitana, dictus proprio nomine Dominus Michaël Condolmier de Venetiis, cognominatus Dominus Senensis, & resedit in Palatio Communitatis. Et successivè fuerunt isti Domini Terrarum: Dominus Ludovicus Dominus Imolensis: Carolus de Malatestis Dominus Ravennæ, Oppizus, & quidam Capitaneus Angelus de Pergula. Die XIX. Martii, scilicet die Martis de mane præfatus Cardinalis recessit versùs Ariminum, & postea reversus ivit Faventiam. Eodem Anno die ultima Maji, & in festo Beati Jacobi Ordinis nostri, est celebratum Capitulum Provinciale post absolutionem à Provincialatus officio Reverendi Magistri Rectegoni de Picigottis de Padua. Quod quidem Capitulum tenuit Reverendus Magister Ubertinus de Florentia Vicarius Reverendissimi Magistri Ordinis, Magistri Leonardi Statii de Florentia. In quo quidem Capitulo fuit ab omnibus electus in Provincialem Magister Nicolaus de Venetiis, & in eodem Capitulo confirmatus per prædictum Vicarium Magister Ubertinus. In quo Capitulo fuit *Provinciæ Romandiolæ Diffinitor Magister Hieronymus de Forlivio.* Eodem Anno de mense Septembris, scilicet IX. die ejusdem mensis, die Lunæ, post festum Nativitatis Sanctæ Mariæ Papa Martinus recessit de Florentia versùs Viterbium.

Anno Domini MCCCCXXI. obscurata est Luna die XVIII. Februarii, die Lunæ, de nocte, secundâ horâ noctis, & exivit eclipsim quartâ horâ noctis. Et erat Luna tunc, ut apparebat, in Signo Cancri. Eodem Anno de mense Maji, scilicet X. die ejusdem mensis, dominante in Forlivio Georgio de Ordelaffis, celebratum est Capitulum Generale Fratrum Minorum, in quo fuerunt ferè DCC. Fratres. In quo Capitulo electus est in Generalem ipsorum quidam Magister Angelus de Senis. Eodem Anno, prima die Septembris, Angelus de Pergula Capitaneus ferè millium hominum inter equestres & pedestres, fuit in territorio Forlivii in Villa Bagnoli, & fuit ibi novem diebus; deinde perrexit super territorium Meldulæ. In hoc tamen tempore veniebant Forlivium pro blado & spelta & aliis victualibus.

Anno Domini MCCCCXXII. de mense Januarii, scilicet die XXV. de nocte horâ tertiâ, post devotionem Beati Marcolini, quæ nox præcedit conversionem Beati Pauli Apostoli, mortuus est Georgius de Ordelaffis Dominus Forlivii pro sancta Romana Ecclesia, & sepultus apud Minores in Capella Majori cum solemnitate non modica & apparatu XVIII. equorum coopertorum diversis armis, scilicet Ecclesiæ, Populi Forlivii, & Ordelafforum; & cum ploratu Populi, hominum & mulierum, & lugubri voce mœstitiæ, die IV. Februarii, præsente egregio Milite & Dominò Imolensi Domino Ludovico de Alidosiis patre Dominæ Lucretiæ uxoris dicti Georgii, & uxore dicti Domini Ludovici matre præfatæ Dominæ Lucretiæ; de quo Georgio remansit filius nomine Theobaldus novem annorum; quem Populus Forlivii adoptavit sibi in Dominum. Et dictus Georgius filius quondam Theobaldi de Ordelaffis regnavit in dominio Forlivii annis X. mensibus VIII. Et die VI. Februarii de nocte quasi tertiâ horâ eclipsata est Luna, existens in Cancro. Et die sequenti, scilicet die Sabbati solemnizatæ sunt Septimæ prædicti Domini, ut moris est Nobilium & Dominorum. Eodem Millesimo venerunt Forlivium quædam gentes missæ ab Imperatore, cupientes recipere Fidem nostram, & fuerunt in Forlivio die VII. Augusti. Et ut audivi, aliqui dicebant, quòd erant de India. Et steterunt hinc inde per duos dies gentes non multum morigeratæ, sed quasi bruta animalia & furentes. Et fuerant numero quasi ducenti, & ibant versùs Romam ad Papam, scilicet viri & mulieres & parvuli. Eodem Anno præcipuè fuit pestis seu mortalitas in Forlivio, quæ incœpit de mense Junii, & duravit usque ad mensem quasi totum Novembris; & mortua sunt plusquam duo millia personarum.

Anno Domini MCCCCXXIII. de mense Martii die XV. ejusdem mensis die Lunæ, Ambasciatores Ducis Mediolani, qui fuerunt in Forlivio per dies ferè octo, recesserunt, scilicet Benedictus Budi Fulci, & alius principaliter Forliviensis nomine Johannes quidam de Villa Ferazani. Eodem Anno de mense Martii, scilicet XXIV. die, & fuit dies Mercurii, in Vigilia Annuntiationis Beatæ Mariæ, venerunt Forlivium Ambasciatores Florentinorum, istique venerunt post Ambasciatores Ducis Mediolani per dies XV. Anno eodem die XIV. Maji die Veneris, quasi ad duas horas noctis, Populus Forlivii cucurrit ad arma, suspecti, quòd gens Florentinorum debebant intrare Civitatem Forlivii illa nocte; & ideo prævenerunt, qui præcipuè debebant malè tractari. Et combusserunt portam Palatii, & deprædaverunt multos armatos, qui custodiebant Palatium ad petitionem Dominæ Lucretiæ uxoris quondam Georgii Domini Forliviensis. Et capti sunt aliqui, qui conscii erant, Dominus Paulus Signorelli, & Antonius filius Paladini de Forlivio, & Ser Matthæus de Imola Cancellarius dictæ Dominæ Lucretiæ. Die Dominica

nica intraverunt mille equites Domini Ducis Mediolani pro subsidio civium Forliviensium, procurante contra Marchione Ferrariensi. Capitaneus autem istorum equitum erat Siccus de Montagnana, & aliqui alii pro parte Domini Ducis erant alii duo, scilicet Johannes de Forlivio, & Ser Benedictus Fulci. Die XXVIII. Maji vênit novus Potestas de Ferraria. Et licèt cum labore & morte quorumdam ex Lombardis, habuerunt Castrum Ravaldini cum destructione principalis turris multum læsæ bombardis. Et hoc fuit XXVI. Junii in festo Sanctorum Martyrum Johannis & Pauli. Secunda die Junii Domina Lucretia, uxor Georgii de Ordelaffis, recessit de Palatio Forlivii de nocte clam & quasi simulato habitu, & intravit Rocham Castri Fori-Pompilii. Deinde ivit Imolam, & ducens secum, ut dicebatur, Thebaldum filium suum, resedit cum eo in Arimino. Millesimo ut supra, die VI. Septembris die Lunæ fuit prœlium inter nos & gentem, quæ erat cum Domino Pandulpho de Malatestis in Foro-Pompilio, quod quidem duravit incipiens hora XX. per tres horas. Et finaliter nostri fuerunt victores, & ceperunt de adversariis ferè CCC. cum equis, præsente Domino Pandulpho. Et facta de sero luminaria sunt de victoria habita. Die IX. Septembris mortua est in Palatio Communitatis Domina Mentutia olim mater Georgii de Ordelaffis, & sepulta apud Fratres Minores satìs honorificè per Cives & Consiliarios Civitatis Forlivii.

Anno Domini MCCCCXXIV. prima die Februarii, die Martis, in festo Beati Ignatii Martyris hæc infrascripta contigerunt. Quidam nomine Zanone, caput quorumdam peditum ex parte Domini Ducis Mediolani, commorans in Lugo cum suis, fictè expellit à se duos de suis sociis tamquam reprobatis ab eo, & misit eos Imolam, qui dixerunt Domino Imolensi: *Nos sumus reprobati, quia voluimus tradere Roccam Castri Lughi & dare sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Unde venimus ad dominationem vestram pro stipendio, & ad serviendum vobis fideliter juxta posse in quibus poterimus; quia recessimus ab illo pravo Zanone pleno malitia & iniquitate*. Propter quod annuens Dominus Imolensis Dominus Ludovicus recepit eos, & posuit eos in Castro Imolensi pro custodia. Tunc invenientes opportunitatem suam, miserunt Zanono, quòd veniret tali die & tali nocte; quòd darent sibi introitum Castri. Et de nocte qui erant Forlivii stipendiarii, horâ X. noctis cum pluribus aliis iverunt Imolam, & dictus Zanonus intravit Castrum. Et apertâ portâ dedit introitum aliis. Quod sentiens Dominus Imolensis, ivit illuc; & tunc captus est ab illo Zanone. Et facta est Civitas Imolæ sub custodia Domini Ducis. Et feriâ II. prædicti mensis in festo Purificationis venerunt nova Forlivium. Et facta est lætitia in Populo magna cum luminaribus de sero; & sequentibus tribus diebus processiones factæ sunt, & campanarum strepitus, ut moris est in Forlivio: bene merito, quia dictus Dominus fuit causa, quòd Populus Forlivii vocaret gentes Domini Ducis Mediolani, & astutiâ in sua astutia victus est; & ideo *qui putat se stare, videat, ne cadat*. Post scripta superius immediatè prædicti mensis Februarii die Dominica & Feria VI. ejusdem mensis venerunt nova, horâ quasi XXII. quòd Dominus Faventinus cum Populo suo sponte se dederat in protectionem & obedientiam Domini Ducis Mediolani Domini Philippi. Et de sero facta fuit luminaria super Turres Civitatis Forlivii in signum lætitiæ & augmenti dominationis præfati Ducis. Eodem Millesimo die X. mensis Martii, quidam Potestas de Janua, nomine Dominus Franciscus de Auria missus à Domino Duce Mediolani, cum signo suo vênit Forlivium pro Potestate, ut dictum est, Feriâ VI. quasi horâ XVIII. Eodem Anno die XIV. Aprilis, die Mercurii de nocte, Domina Lucretia uxor quondam Georgii de Ordelaffis fecit istam bestiam & proditionem Civibus Forlivii, & Sicco de Montagnana Capitaneo gentis armorum Domini Ducis Mediolani. Nam ipsa ostendit, quòd volebat dare Forum-Pompilii Civibus Forliviensibus cum Castro, & quòd mitteret LX. pedites pro custodia Fori-Pompilii: quod factum est. Tunc interim miserunt sibi donaria, vestes, & pecuniam; & dederunt sibi licentiam, quòd posset extrahere de Forlivio, si quid haberet apud aliquas personas de rebus suis, & properaret se venire ad accipiendum Civitatem & Castrum Fori-Pompilii cum aliquibus præcipuis Civibus, & Sicco cum gentibus armorum. Tunc nocte prædicta introduxit per Castrum gentes armorum Domini Pandulphi de Malatestis; & posuerunt insidias hinc inde, ut caperent omnes Cives & equites. Sed qui videt abscondita sapientiæ, revelavit malitiam hujus mulieris. Et propter hoc deleta sunt insignia Ordelaffforum & Malatestarum, & magìs patefacta sunt insignia Ducis Mediolani & suorum Officialium. Eodem Anno die XXVIII. mensis Aprilis in Vigilia Beati Petri Martyris, venerunt nova, quòd gentes Ducis Mediolani obtinuerant Civitatem Neapolitanam. Et sequentibus tribus diebus in Forlivio facta sunt luminaria & processiones per Civitatem. Et prima statio facta est in domo nostra in festo Beati Petri Martyris Ordinis Prædicatorum in signum lætitiæ & gaudii. Nota, quòd Dominus Franciscus de Ordelaffis tradidit Forlivium, seu dominium ejus Domino Ægidio Cardinali Legato pro sancta Romana Ecclesia, Anno Domini MCCCLX. receptum per manum Reverendi Patris Fratris Johannis Marcoaldi tunc Prioris, in Octavis Beati Martini de mense Novembris. *Et quando intravi Ordinem, eram annorum duodecim; & modò currunt Anni MCCCCXXIV. Sequitur quòd habeo in ordine pro præsenti, quo Ego scripsi hoc, scilicet die IX. Julii, annos LXV. & in ætate LXXVI. ad honorem Dei & Beati Bartholomæi Apostoli, cujus Vigiliâ natus sum ad duas horas ad diem, scilicet de mense Augusti XXIII. die ejusdem mensis. Hæc ego Magister Hieronymus de Forlivio*.

Eodem Anno, die XVII. Junii, horâ XXII. in domo nostra, qui venerunt de Lugo, venerunt ferè CCCC. pedites ad hospitandum. Et Feriâ VI. in die IV. prædicti mensis, quo tempore erant ferè novem millia inter equites & pedites contra Forlivium residentes inter Forum-Pompilii & Bretenorium; quorum caput erat Dominus Pandulphus & Carolus de Malatestis ex parte Florentinorum. Prædicti autem pedites de Lugo recesserunt versùs Lugum die XX. prædicti men-

mensis, & prædicta gens Florentinorum venerunt versùs Belflorem: deinde obsederunt Castrum Flumanæ, & obtinuerunt eum, suspendentes Castellanum; deinde obsederunt Castrum Sadurani, & obtinuerunt eum. Et die IX. in Dominica die desplanaverunt eum propter divisionem, ut dicebatur, quia Florentini volebant eum pro se, & Pandulphus pro se. Die XXVII. Julii, die Jovis, venerunt nova, quòd gens Ducis Mediolani, obsessa ab eis acceperunt duo Castra, scilicet Zagonariam & Massam. Et facta est hæc solemnitas cum campanis, & die qua incœperamus facere Letanias per Civitatem propter pestem & mortalitatem, quæ tunc vigebat in Forlivio. Die XXVIII. prædicti mensis, scilicet Julii, & fuit dies Veneris, venerunt Forlivium nova certa, quòd exercitus Florentinorum, cujus Capitaneus erat Dominus Pandulphus de Malatestis Dominus Cæsenæ, comitatus Domino Carolo Domino Ariminensi fratre suo, de Ronco Villa Comitatus Forlivii iverunt versùs Zagonariam ad succurrendum contra gentes Ducis Mediolani, cum numero undecim millium peditum & equitum. Quod sentientes adversarii, scilicet octo millia inter equites & pedites paraverunt se ad pugnam contra eos; cujus Capitaneus erat quidam Angelus de Pergula. Et interim descendit pluvia magna in puncto belli. Et gens prædicti Ducis Mediolani debellavit eos, & dissipavit quasi lupus oves dissipatas; & captus est Carolus Ariminensis, & fugit Dominus Pandulphus; & non solùm ipsi, sed & pluvia fuit contra hostes. Et facta est lætitia magna in Civitate Forlivii. Et postmodum prædicta gens Ducis venerunt Bagnolum. Deinde posuerunt exercitum contra Forum-Pompilium, & habuerunt suburbia die VII. Augusti, scilicet die Lunæ. Dominus Franciscus de Auria de Janua Potestas supra nominatus recessit de Forlivio die VIII. Augusti. Die XIII. Augusti venerunt nova, quòd campus seu exercitus Ducis Mediolani recuperaverat Forum-Pompilii cum Castro, & Castrum Caminatæ & Belfloris. Postquam obtinuerunt campum Florentinorum, capto Domino Carolo de Malatestis, & fugato fratre suo Domino Pandulpho, gens prædicti Domini Ducis Mediolani, cujus Capitaneus erat Angelus de Pergula, de mense Augusti direxerunt se versùs Cæsenam, & deinde versùs Ariminum, pacificatis primò Foro-Pompilio & Bretinorio, & misso Castro Savignani ad saccomanum, obtinuerunt Castra Comitatus Arimini. Deinde confœderatis cum Cæsena Arimino, traxerunt se versùs montes & Castra Florentinorum. Et obtinuerunt Bagnum cum aliquibus Castris, & hoc de mense Septembris. De quo mense, scilicet XXVI. die, venerunt ad Villam Sancti Martini Comitatus Forlivii, & acceptis victualibus traxerunt se versùs montes, & Porticum posuerunt ad saccomanum, & aliis Castris habitis venerunt ad obsidendum Dovadulam & Castrocarium; & hoc de mense Octobris in Vigilia Apostolorum Simonis & Judæ. Et tunc aliqui percutiebantur peste, seu pestilentia, sicut fuerat in Civitate Forlivii: in qua usque ad mensem Octobris inclusivè mortui sunt plusquam quatuor millia personarum. Et quando unus de domo moriebatur, quasi omnes de domo sequebantur sive pueri, sive adulti, sive homines, vel mulieres. Et hæc pestis incœpit in fine Maji, & duravit usque ad mensem prædictum. Anno Domini MCCCCXXIV. Prædicta gens Ducis Mediolani obtinuerunt Castrum Dovadulæ die Dominica, scilicet V. die Novembris. Deinde iverunt circa Castrum Aureoli. Deinde iverunt versùs Pisaurum, & quatuor Castra posuerunt ad deprædationem seu ad saccomanum, scilicet Gradariam cum aliis tribus, & duxerunt captivos homines & mulieres. Deinde venerunt Forlivium de mense Novembris; & divisi aliqui Forlivii, aliqui Faventiæ, aliqui Imolæ, & aliis locis remanserunt. Et hoc de mense Decembris; quo mense Turres Castri Ravaldini incœperunt cooperiri testudine desuper: quod numquam vidi consuetum ferè: sed scribitur: *novus Rex*, *nova Lex*.

Anno Domini MCCCCXXV. die XXV. Januarii Carolus Dominus Ariminensis rediit à Duce Mediolani, ad quem iverat captus. Et rediens ab eo cum donariis, ut dictum est, tum resedit in Arimino. Exinde ad paucos dies Ser Aloysius Locumtenens in Forlivio Domini Ducis prædicti ivit ad eum cum sufficienti comitiva; ad quid, nescimus. Et rediit die Dominica, idest XXVIII. Januarii. Millesimo ut supra, in festo Purificationis Beatæ Mariæ, II. die Februarii, venerunt nova certa, quòd prima die prædicti mensis gens Florentinorum, ferè quinque millia, fuerunt conflicti & dirupti juxta Plebem dictam in Valle Lamonis per illos de Valle prædicta, & gentes Domini Ducis Mediolani. Et facta sunt de sero luminaria in Forlivio, & gaudium campanarum; quia jam tribus vicibus Florentini habuerant conflictum. Et sic si Deus est & fortuna, ut apparet, pro Duce, non ponant se Florentini contra Ducem, sed faciant pacem, & stent in terminis suis securi. Millesimo ut supra, die Dominica XI. mensis Martii, Dominus Pandulphus de Malatestis frater Domini Caroli Arimini, applicuit Forlivium horâ XXIII. & receptus est in Palatio Communitatis ad hospitium à Ser Aloysio Locumtenente pro Domino Duce Mediolani. Et feriâ II. recessit, ut dicebatur, pergens ad Dominum Ducem Mediolani cum comitiva satìs decenti, & pluvia & obscuritate aëris. Eodem Millesimo die XXIX. Martii, & fuit dies Jovis, Guido Antonius Dominus Faventiæ misit diffidando secum Capitaneum Ducis Mediolani, & per consequens Civitatem Forlivii; qui tamen Dominus prius confœderatus fuit cum præfato Duce Mediolani. Et ut dicitur, fecit propter promissiones multas, quas fecerunt sibi Florentini. Et sic varius est effectus voluntatis hominis. Postmodum recepta multitudine peditum & militum, ferè duomillia Florentinorum, ad complacendum eis propter pecunias, quas, ut dicebatur, receperat, vênit super territorium Forlivii ad destruendum Bastitam, quam faciebant, ne Clusa destrueretur. Et ceperunt captivos, & duxerunt de operatoribus nostris ferè CL. Et fuit de mense Aprilis, scilicet V. die Jovis sancti. Item die Martis Paschæ reversi sunt usque prope Portam Sclavoniæ, & Castri Ravaldini, & destruxerunt molendina, quæ erant ex parte illa.

illa. Et hoc fuit quasi horâ XX. Sed non poterit esse, quòd in brevi non recipiant reciprocè æqualia vel majora; & quod accidet, postea subscribam. Eodem Anno de mense Maji, venerunt publica nova Forlivium, quòd Marchio Ferrariensis fecit decapitari uxorem suam, quæ fuit filia Malatestæ de Malatestis Domini olim Cæsenæ, & unum filium suum Ugonem, quia concubuerat cum prædicta uxore Domini Marchionis, & duos domicellos Ugonis, & duas domicellas dictæ uxoris, eo quòd conscii erant tanti sceleris, & non propalaverant. Cavete ergo à fornicatione. Gens Ducis Mediolani posuerunt campum circa Faventiam die XXVII. mensis Junii, scilicet die Mercurii, in numero, ut dicebatur quinque millium personarum, Millesimo ut supra. Eodem Anno de mense Julii, quædam filia ferè XIII. annorum Georgii de Ordelaffis olim Domini Forlivii mortua est in Arimino de peste. Et postmodum mortuus est frater ejus ibidem de peste, Theobaldus ferè annorum XII., putabatur adhuc, ut pater ejus, Dominus Forlivii. Et eodem mense scilicet XXVIII. die Sabbati de sero, horâ Completorii, transibant per Civitatem quædam animalia in magna multitudine volantia, conglobata versùs montes: quæ animalia dicebantur Scitones; in qua æstate fuerunt maximi calores. Millesimo ut supra, die XXIII. Septembris, scilicet die Martis, gens Domini Ducis Mediolani congregata de locis, in quibus residebat prius, scilicet Forlivio, & ceteris locis propinquis, perrexerunt ad obsidendum Faventiam cum peditibus & equestribus & guastatoribus, & posuerunt se inter Aureolum & Faventiam. Eodem Anno, die XX. Octobris fuit projecta & reformata Campana nostra major ponderis MDCC. per Magistrum Marcum de Venetis, dominante in Forlivio quasi in tertio anno Duce Mediolani cognominato Philippo Maria. Eodem Millesimo apparuerunt supra medium Civitatis Forlivii duæ Irides, sive Arcus major & minor; & duraverunt per XII. horas, licèt nescio quid occultum significent.

Anno Domini MCCCCXXVI. die XVI. Januarii, in Vigilia Beati Antonii, quartâ horâ noctis, & fuit die Mercurii, in Platea fuerunt suspensi ad naspas Porticus Carceris septem homines de Castrocario captivi, quia illi de Castrocario suspenderunt duos captivos stipendiarios, & tertium decapitaverunt. Et hoc factum fuit de licentia Capitanei in Forlivio hominum armorum. Et sic de guerra sequitur crudelitas magna. Eodem Millesimo, IX. Februarii, & fuit dies Sabbati, Nepos Papæ Martini transivit per Forlivium intus & extra cum DCC. hominibus armorum versùs Bononiam, & fuit horâ Tertiarum. Eodem Millesimo, die Dominica, horâ Tertiarum, scilicet die XII. Maji, vênit Forlivium quidam Nepos Legati Domini Bononiæ pro Sancta Romana Ecclesia, & obtinuit dominium Civitatis de voluntate Domini Ducis Mediolani. Deinde vênit personaliter dictus Dominus Legatus de Francia, prædictâ causâ, cum magna & solemni comitiva gentis armorum in Octava Ascensionis, horâ XIX. prædicti mensis Maji, & die XVI. habuit tenutam Castri Ravaldini. Et Sabbato misit Nepotem suum Forum-Pompilium pro eadem causa. Et sic fuimus tribus annis in guerra cum Florentinis, & sub dominio Ducis. Alleluia. Dominus Legatus præfatus die XXII. Maji, die Mercurii, fecit bonam pacem cum omnibus circumstantibus & confinantibus circa Civitates & Castra Ecclesiæ. Et sequenti die, scilicet die Jovis, recessit de Forlivio cum sua comitiva versùs Bononiam. Eodem Anno, die prima Junii, die Sabbati, horâ quasi vespertinâ, vênit Forlivium pro Potestate Dominus Galeatius de Pepulis de Bononia. Eodem Anno die XIX. Maji, celebratum est Capitulum Generale Bononiæ, pro electione fienda Magistri Ordinis post mortem Magistri Leonardi de Florentia. In quo Capitulo fuerunt CXII. Magistri in Theologia. Et ibi fuit magna concertatio, quia quidam Magister Thomas de Regno volebat eligi, quia habebat quamdam Bullam Papalem, quæ continebat aliquas clausulas contra libertatem & consuetudinem Ordinis. Tamen disponente Deo, unanimiter electus est quidam Magister Bartholomæus de provincia Provinciæ, absens. Et videns hoc Papa Martinus V. de Domo Columnæ, habuit ratam & firmam electionem Fratrum in Generalem, & talem Magistrum Bartholomæum; & bullatus cum suis begardiis, vel ferraliis literis remansit bocca-sciutta; *nam Populus hic me labiis honorat, cor autem eorum longe est à me*. Millesimo ut supra, quidam Locumtenens pro Sancta Romana Ecclesia in Forlivio vênit, & dictus est Episcopus Firmanus . . . . & die XVIII. Julii. Die Dominica, horâ XXI. ipsemet Monsignor de mense Augusti, quasi in medio mensis fecit promulgari, quòd nulla persona, cujuscumque gradus aut conditionis existeret, posset ire ad aliquod Monasterium Monialium, seu Sororum, sinè licentia sua, sub pœna satìs gravi, & excommunicationis, sive homo, sive mulier, nec intrare dicta Monasteria. In signum autem asperitatis pœnæ fecit fieri unam cratem ferream, & poni in muro domus Potestatis, qui respicit ad Plateam; & novum factum numquam fuit fabricatum in Civitate Forlivii à memoria hominum, sive statu Ecclesiæ, sive Tyrannorum. Item, quòd nullus Religiosus possit nec infra terminum alicujus Parochiæ ad aliquem ad audiendum Confessionem alicujus infirmi accedere sinè licentia sui Parochiani. Etiam post tempestatem Deus tranquillum facit.

Anno & Millesimo eodem ut supra, die VIII. Septembris, die Dominica in festo Nativitatis Virginis Mariæ, horâ quasi XXIII. in Civitate Forlivii fuit pluvia cum grandine copiosa quasi ad cooperturam pedis super terram, quæ depulit fructus & folia arborum & olera, & duravit usque in medium unius horæ depopulatio ejus. Anno Domini, ut supra, die XXV. Septembris de sero, horâ XXIII. quasi in principio horæ XXIV. apparuerunt supra Civitatem nostram, quasi supra medium Civitatis duæ Irides sive Arcus, major & minor. Sed minor clara, & visibilis: & duraverunt per medietatem vigesimæ quartæ horæ. Quoniam aliquando tres dicti Papæ fuerunt, ut patet in isto Quaterno supra MCCCCVIII. die XXVII. Junii, & rationes aliquæ fuerunt scriptæ per Doctores utriusque Juris de Schismate, & quis

quis esset verus Papa & Vicarius Christi: ideo ad doctrinam sequentium volui heic eas adnotare, sicut inveni in forma in quibusdam chartis de papyro. Et hoc in MCCCCXXVI. in quo tunc eramus, & de mense Octobris, quando infrascripta pertinentia ad præfatam materiam in illis duabus chartis de papyro separatim invenimus. Et prima sic scribebatur.

In Ecclesia Domini, quæ non est multiplex, ut dicitur, Papa est unus in Francia, alius in Italia, scilicet Innocentius & Gregorius. Quæritur; quis eorum sit verus Papa & Vicarius Christi in terris. Pro responsione istius, & aliorum, quæ sequuta sunt, videlicet, quia Collegium aliorum, scilicet Innocentii & Gregorii, cum abnegantibus fecerunt seu elegerunt Pisis alium Papam, scilicet Alexandrum, præsuppono, quòd in Ecclesia Dei non debet nec potest esse de jure nisi unus Pastor ovium, Princeps Apostolorum actualiter, & Vicarius Christi. Quia inter Apostolos fuit solus Petrus à Christo institutus; unde Ecclesia cantat; „ Tu es Pastor ovium, Princeps Apostolorum: tibi tradidit Deus claves Regni Cœlorum. „ *In Decretis Distinct. XXI. Cap.* Quamvis *Sancta Romana Ecclesia ceteris Ecclesiis prælata est. Et infra:* Est ergo prima Apostoli Petri Sedes Romana Ecclesia, non habens maculam neque rugam. *Et infra:* Quanto celsior gradus, tanto major auctoritas invenitur. In majoribus quidem est regendi potestas, in minoribus obsequendi necessitas. *In Decretis;* Nec ullum ratum est, aut erit umquam Concilium, quod Romanæ Ecclesiæ non fuerit auctoritate fulcitum, *ut in Decretis Distinct. XVII. Cap.* Regula. *Item infra.* Huic Sedi sibi concessum nullus usurpare sinè ejus consultu præsumat, qui non vult honore Ecclesiastico indignus aut contemtor videri. *Item in Cap. Multis.* Multis denuo Apostolicis & Canonicis atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari. Quapropter, ut jam dictum est, rectè non Concilium, sed conventiculum, vel conciliabulum cassatur; & quidquid in eo actum est, irritum habetur & vacuum. *Auctoritas verò congregandorum Conciliorum penes Apostolicam Sedem est in Decretis, Causâ II. Quæst. VI. Cap. Qui se.* Qui se scit aliis esse præpositum, non molestè ferat, aliquem esse sibi prælatum. Ipsa namque Ecclesia, quæ prima est, ita reliquis vices suas credidit largiendas, ut in partem sint vocatæ solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. *Thomas* 2. 2. *Quæst. I. Articulo X. Dominus* Lucæ *XXII. Petro dixit, quando Summum Pontificem constituit:* Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua. *Et hujus ratio est, quia una Fides, debet esse totius Ecclesiæ, secundùm illud primæ ad Corinthios primo:* Id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. *Quod servari non posset, nisi quæstio fidei de Fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest. Quia* sicut in uno corpore multa membra habemus, *ut dicit Apostolus prima ad Corinthios duodecimo,* omnia autem membra non habent eumdem actum, *ita & in corpore uno spirituali, quæ est Ecclesia multa membra sunt, quorum officia propter confusionem vitandam debent esse distincta. Propterea est Summus inter omnes. Ipse enim habet plenitudinem potestatis, alii partem solicitudinis. Item etsi aliis Apostolis dixerit Dominus, ut laxarent retia, soli Petro dixit;* Duc in altum, *Lucæ VI. Et ei soli dixit ut piscaretur, Matthæi XVII. Per quæ præeminens jurisdictio significatur.*

De integritate Fidei Catholicæ est, ut credatur, quòd unus & verus Pastor est Ecclesiæ Romanæ. Cujuslibet alterius Pastor Ecclesiæ est de jure subditus legitimo Pastori Ecclesiæ Romanæ. Cujuslibet alterius Pastor Ecclesiæ præponitur, vel deponitur à legitimo Patre Ecclesiæ Romanæ. Verus Pastor Ecclesiæ Romanæ eligitur canonicè à legitimo Cardinalium Collegio. Verus Pastor Ecclesiæ Romanæ de jure non deponitur à legitimo Cardinalium Collegio. Verus Pastor Ecclesiæ Romanæ non subditur de jure legitimo Cardinalium Collegio. Verus Pastor Ecclesiæ Romanæ assumit vel deponit quem vult à legitimo Cardinalium Collegio. Verus Pastor Ecclesiæ Romanæ non subditur legi vel mandato de jure Ecclesiæ Romanæ. Verus Pastor Ecclesiæ Romanæ non potest totam suam auctoritatem alteri committere. Verus Pastor Ecclesiæ Romanæ non potest legitimè eligi ab aliquo Cardinalium Collegio schismatico vel hæretico. Legitimè impediti, vel excommunicati non possunt convenire Cardinales, ut Papam eligant suo arbitrio. Legitimè irretitus majori vinculo, non potest absolvi à se nec ab alio æquali ligato vinculo. Schismatici & hæretici non possunt absolvi nisi de voluntate legitimi Pastoris Ecclesiæ Romanæ. Romanus Pontifex legitimè depositus vel amotus si sit, debet loco ejus eligi alius Cardinalium, ad quos spectat talis electio, legitimè & canonicè ipsum eligentium. Cardinales schismate & excommunicatione innodati, non sunt Romani Pontificis veri electores æstimati. Romanus Pontifex, qui à talibus est electus, pro vero Pastore non debet haberi nec teneri legitimus. Cardinales, qui sponte à Romano Pontifice recesserunt, & vocati redire renuerunt, tamquam schismatici & rebelles haberi meruerunt. Romanus Pontifex, si schisma de Ecclesia quum possit secundùm Deum, tollere tenetur & si non tollit, schismati patenter consentire videtur. Romanus Pontifex, quamvis major homine quodammodo sit, tamen peccare posse mortaliter non evadit. Romanus Pontifex licèt peccando mortaliter peccaverit, non tamen ex hoc hæresim incurrit. Romanus Pontifex, sicut juravit, quamvis de Ecclesia schisma non tollit, non tamen schisma vel hæresim incurrit, si simpliciter pro meliori sic . . . . *At nunc ex omni parte revocamur ad quæsita per Reverendum Patrem & Dominum nostrum Dominum Legatum. Declarandas ponimus Conclusiones infrascriptas.*

Prima *Conclusio. Schisma maximè antiquatum, licèt à principio non sit schisma, ejus tamen duratione & obstinatione in fine transit in hæresim. XXIV. Capitulo* Non offeramus; *& Capitulo* Causa; *& Quæstione III. & quod ibi notatur. Secunda Conclusio. Stante schismate antiquato verus Apostolicus vero juramento adstrictus ad certam viam pro tollendo schismate, & electus pro eo quia aliàs de tollendo schismate desperatur, ubi non agit realiter & cum effectu quod in se est, & ad quod est adstrictus, si se non corrigit, meritò est schismaticus, qui consequenter descendit in hæresim. Quia quantum in se est, contra debitum caritatis, voti, & juramenti, absque ovium compassione nutrit Populum & infantes excrescentes ad duo Capita & duas Ecclesias. Quod notatur in juribus præallegatis* 2. *quæst.*

quæst. 1. *&* 24. *quæst.* 1. *in Summa*, *& Cap.* Dicimus *in glossa*; *non ob quod glossæ illæ excipiunt Papam, quia intelligi debent, quando duo contendunt probabiliter de Papatu recenti, dubitantes; nec alter, vel uterque est adstrictus ad certam viam in schismate tollendo exquirendam. Ubi autem uterque adstrictus est maximè ex causa, quia aliàs operante temporis malitia & desidia non paratur .... si non dant pacem Populo Christi, ipsi incurrent ambo quod dictum est, si rebelles existant & incorrigibiles. Tertia Conclusio. A nutriente incorrigibiliter schisma maximè antiquatum; ad quod tollendum adstrictus est voto & juramento, tamquam ab hæretico recedere possunt, & tenentur subditi obedientiam subtrahere; præsertim si ex eorum obedientia palpabiliter vident nutritum schisma foveri. Quia in quantum in eis est, participant in crimine ejus, & fovent, & cum eo descendunt ad profundum malorum tanto gravius, quanto intelligentiores sunt, sapientiores, & potentiores. Et hoc agere possunt, non obstantibus juramentis, fidelitatibus, homagiis, aut quibuscumque aliis obligationibus, ad quæ non adstringuntur ad peccandum, aut peccatum cum peccato nutriendum vel juvandum* 15. *quæst.* 6. Nos Sanctorum, *& Cap.* Jurantes: *juncta declaratione Innocentii de dolo veritatis. Pars prima probatur* 29. *d.* Anastasius; *Cap.* Nulli &c. *Quarta Conclusio. Datâ negligentiâ Cardinalium, ad quos spectat in congregando Concilium contra Papam, quondam verum, qui contra votum & juramentum apparet nutrientem schisma: quorumlibet subditorum interest, & maximè Conciliorum Provincialium & Principum, ne cum Papa nutriant schisma induratum, maximè præcedente suspicione de non danda pace; quod concluditur ex gestis præteritorum Pontificum, ex reductione & retractione de accedendo Saonam, alia non facta præparatione reali ad schisma tollendum, humiliter requirere Papam in verum, ut schisma tollat viâ juratâ, & quam jurando & vovendo justam censuit. Et si pro viribus & realiter cum effectu, non verbaliter tantùm, non præparat modum Papa & viam ad adimplendum quod vovit & juravit, eo sic debitè requisito, concluditur schismatis indurati & incorrigibilis, & consequenter zelator hæresis & divisionis Ecclesiæ Sanctæ, quæ viva debet esse in uno Pastore. Potest enim quilibet subditus superiorem requirere & monere ad debitum implendum, & in mora constituere de supplenda negligentia, per verba Cap. I. Et hoc præcipuè in puncto de quo potest, ut dicit Glossa XI. Distinct. &c. Quinta Conclusio sit: quidquid sit de excusationibus Papæ in eundo Saonam, licèt notandum sit juramentum, & fama augeat contra eum ac ingens suspicio, ut prædecessoris sui vias sequens dilatet eam ob causam nec accedere velit ad implendum quod promisit. Et sic tenet communis opinio, & de non accessu ad Saonam; ex hoc tantum non accessu non convincitur incorrigibilis, ut omnino possit moram purgare. Unde ad clarè convincendum nova exigitur requisitio, & cum effectu realiter & non verbaliter tantùm det præparatoria, quæ potest dare, & quòd in se est impleat quod promisit.*

Ex iis infertur ad Quæsita, primò, quòd verus Papa à quolibet Provinciali Concilio Prælatorum principalium Provinciæ & Clericorum, qui interesse voluerint, convocatis ad hoc etiam secularibus Principibus & Dominis temporalibus provinciæ, ac principalibus viris notabilibus de Populis, qui interesse voluerint, requisitis, ut det unionem per viam cessionis collectam per solemnes ambasciatores ad hoc destinatos, ostendo modò, cedere potest & debet per procuratorem constitutum ad cedendum, si & in quantum alter cedere velit .... juramentum de cedendo cessionem ad certum locum non .... & resti.. ut det per licentiam Cardinalibus, ut cum Anticardinalibus se ad unum congregent locum ad electionem canonicè faciendam unici Pastoris, si hoc non acceptet, & statim, ut patet, non verbaliter, sed realiter impleat cum effectu, nec aliam justam causam & necessariò concludentem alleget. Si hoc non agit, vel viam non det aliam ad materiam expeditam, per quam votum & juramentum impleat, requisitis ambasciatoribus, secundo Cardinalibus ut faciant debitum suum, Provincialia quæcumque Concilia possunt, debent, & tenentur, subtrahere obedientiam, tamquam à nutritore schismatis & hæresis, & incorrigibili, non obstantibus quibuscumque obligationibus, fidelitatibus aut juramentis, quibus Papæ adstringuntur, sive sint, vel non, de temporali jurisdictione Ecclesiæ. Et hoc ne nutrientibus schisma periculosè antiquatum, in contemtum Dei, vilipendium Sponsæ Christi, & periculum animarum Populi Christi, cum eis in profundum demergantur malorum. Secundò, quòd supposita tanta antiquitate tam perniciosi schismatis, quia aliter desperatur de sublevatione schismatis, se obligaverunt ad certam viam, vota & juramenta, eis non implentibus juramenta & incorrigibilibus, subditi præsertim si vident schisma ex obedientia magis indurari, peccant mortaliter, & tamquam nutrientes nutritores schismatis & participantes in crimine atque juvantes, sunt participes omnium peccatorum & malorum, quæ ex tam diro schismate sequuntur, & animarum quæ damnantur. Tertiò, quæ omnia dicta in Papa procedunt in eo, qui gerit se pro Papa in Avinione; & tantò fortius, quanto pars sua fuit, quæ schisma fecit. Et quia minorem habet obedientiam, & partem nostram spoliavit obedientiâ illâ, & quia magis in gerendo se pro Papa inveteratè est ad schisma nutriendum contra juramentum ab eo antiquitus præstitum. Hæc omnia dicimus, subjiciendo correctioni Ecclesiæ Sanctæ; si & in quantum approbentur per Collegia utriusque Juris, & per reverendissimos Patres de Universitate Theologorum, quibus hæc corrigenda & emendanda submittimus.

Anno Domini MCCCCXXVI. venit Forlivium die XV. Decembris pro Officio Potestatis, & fuit die Dominica horâ prandii, Franciscus de Albertis de Florentia.

Anno Domini MCCCCXXVII. die XXVII. Januarii, & fuit die Lunæ, horâ quasi Tertiarum, tempore Fori, præfatus Episcopus Firmanus, Dominus pro Sancta Romana Ecclesia fecit poni in caveam unum Fratrem de Ordine Minorum, non sine scandalo Cleri, & aliorum Religiosorum, quia portaverat aliquas literas quibusdam Civibus ex parte Antonii de Ordelaffis. Eodem Anno, die XXIII. Junii, & fuit dies Sabbati, *fui cum Reverendo Provinciali Magistro Nicolao venerabili in Monasterio Sororum Sancti Dominici de Forlivio; & facta eis Sororibus collatione in Capitulo earum, honesta & utili pro religione servanda, recessimus ab eis.* Eodem Anno de mense Septembris, Dominus Forlivii pro Sancta Romana Ecclesia, Dominus Electus Firmanus, Gubernator generalis incœpit reponere-

ponere & reædificare Castrum Sadurani prius destructum & dissipatum per Florentinos & Ministros eorum; de quo mense dictum est Forlivii, quòd Dominus Pandulphus de Malatestis migraverat ad Christum. Eodem Anno venerunt Forlivium die prima Decembris, & fuit die Lunæ, horâ vespertinâ, Dominus Johannes Romanus novus Episcopus Forliviensis, & Florianus de Griffonibus de Bononia pro Potestate Forlivii.

Anno Domini MCCCCXXVIII. die XII. mensis Januarii, die Lunæ, horâ Tertiarum, in Platea Communitatis Forlivii, decapitatus est Ser Matthæus de Tot de Imola cum duobus civibus compatriotis nominatis; ut caveat quisque receptare literas à depositis Dominis Civitatum contra dominium Ecclesiæ, & rebellibus, non insinuatas dominio & Rectori Civitatis. Nota, quòd Anno Domini MCCCCXXIII. die XIV. Maji incœpit guerra post tenutam Domini Forlivii Ducis Mediolani cum Florentinis, & postmodum simul cum Venetis. Et facta est pax cum ipso Duce & Venetis & Florentinis. Eodem Anno, die, ut dictum est, præconizatum fuit bellum in prima sera die . . . . Maji, scilicet die Dominica; & sic duravit ista guerra ferè per quinque annos. Eodem Anno MCCCCXXVIII., die III. Julii, scilicet die Dominica, quasi prope diem, ante Solis ortum, fuit terræmotus magnus in tantum, quòd ruerunt multi camini & muri in variis locis Civitatis Forlivii, & magnum timorem incussit nobis, cum aliis post ipsum parvis terræmotibus. Eodem Anno III. die mensis Augusti, venerunt nova, quòd Bononienses à dominio Ecclesiæ recesserunt, & sic instabiles, non sunt memores multitudinis misericordiæ Dei. Sed non post multum tempus statim gens Ecclesiæ fuerunt circa eos, & sunt usque in præsens, scilicet VI. mensis Novembris. Disponat Altissimus, quod sit pro bono utriusque partis. Eodem Millesimo die XXVII. Septembris, venerandus Doctor Decretorum, & Auditor Domini Dominici dicti Electi Firmani, mortuus est, & sepultus in domo nostra in quadam capsa sub deposito post . . . . . . juxta angulum Capellæ Beati Jacobi. Eodem Anno MCCCCXXVIII. die XIX. Novembris, die Veneris, Frater Antonius de Parma, sacræ Theologiæ Magister, & Vicarius Reverendi Provincialis Magistri Nicolai de Venetiis, fecit nobis præceptum, & sub pœna excommunicationis & privationis omnium bonorum temporalium nobis appropriatorum, quorum una pars esset provinciæ, alia pars Conventus Forlivii, quòd nullus Frater Conventualis seu forensis, vadat quacumque causa ad Monasterium Sancti Dominici de Forlivio, donec non fuerit restituta libertas Ordini & Fratribus consueta & ordinata, sicut consuevit jam per ferè CC. annos.

Anno Domini MCCCCXXIX. prima die Januarii, in festo Circumcisionis, die Sabbati, horâ XIX. vênit pro Potestate Forlivii quidam Florentinus de Albertis, nomine Franciscus. Anno Domini MCCCCXXVIII. ut dictum est supra, in principio mensis Augusti, in quo Bononienses expulerunt dominium Ecclesiæ, Papa Martinus V. misit immediatè exercitum contra Bononiam, quo tempore usque ad mensem Januarii, scilicet usque ad XXIII. ejusdem mensis non fuit pluvia, nec nix, nec ventus, sed serenitas & claritas aëris; & Dominus (*) Dominicus Gubernator noster dictus Electus Episcopus Firmanus, fuit caput personaliter in gente Ecclesiæ, & ivit in obsidione contra Bononiam, & est adhuc ibi usque ad diem II. Februarii, quando hæc scripsi. Nescio quid erit in futuro. Hoc eodem Anno Papa Martinus V. de Columna misit unam Bullam, neminem eximens de Clericis vel Religiosis, quòd solverent Decimam de omnibus perceptis illo Anno. Et nos solvimus Libras sex bononinorum Domino Episcopo, sicut alii Religiosi unusquisque secundùm suam taxam. Hoc est novum, quod numquam audivi, nec etiam Monasteria Sororum. Eodem Anno, die prima Julii, vênit Forlivium novus Potestas de Firmo. Eodem Millesimo die XII. mensis Iulii vênit Forlivium de mane quidam Legatus de Roma, cognominatus de Contis, & attinens Papæ Martini; qui vadit, ut dicitur, ad exercitum, sive ad campum, qui est contra Bononiam, in loco Procuratoris Forlivii & Imolæ, Domini Dominici, qui est Romanus, cognominatus electus Episcopus Firmanus. Eodem Anno, die XVI. Septembris, & fuit die Veneris, in festo Beatæ Euphemiæ, quasi horâ XVIII. fuit terræmotus subitus, licèt modicum duraverit.

Anno Domini MCCCCXXX. die II. Januarii, horâ quasi vespertinâ, intravit Potestas novus pro Sancta Romana Ecclesia, existente adhuc in Forlivio Domino Dominico supra pluries nominato & dicto Electo Firmano. Prædictus autem Potestas fuit de Civitate Castellana. Eodem Anno die V. Januarii in Vigilia Epiphaniæ, recessit à nobis Dominus Gubernator dictus Dominus Dominicus electus Episcopus Firmanus, & ivit per Meldulam versùs Romam cum rebus suis & familia. Et in festo Epiphaniæ horâ quasi vespertinâ, & fuit die Veneris, vênit Forlivium pro Gubernatore & Domino quidam Episcopus de Urbe Veteri. Eodem Anno die XI. Maji, & fuit dies Jovis, portatæ sunt literæ, & lectæ per quemdam Fratrem Lazarum de Camerino, quibus Reverendissimus Magister Ordinis, Magister Bartholomæus Toxerii de Pedemontium absolvebat ab Officio Provincialatus provinciæ nostræ Sancti Dominici, Magistrum Nicolaum de Venetiis, qui fuerat electus in Conventu Forlivii in festo Beati Jacobi, scilicet ultima die Maji. Et sic eodem mense electus fuit & absolutus, & annis X. duravit in suo Officio; & per præfatum Magistrum Ordinis instanter factus est Vicarius Provinciæ Magister Nicolaus de Venetiis de Domo Musci ad idem Capitulum venerabile in festo Ascensionis, & Vicarius fuit electus in Provincialem in eodem Capitulo. Eodem Anno fuerunt pluviæ magnæ cum tonitruis. Et hoc per mensem Martii, Aprilis, Maji, Junii. Et cessaverunt in principio Julii cum magno calore. Eodem Anno quidam Civis Bononiensis nomine Baptista, qui tunc sibi usurpabat dominium Civitatis Bononiæ, sicut incœperant illi de Domo sua, dictus de Canedulo, misit simulatoriè pro aliquibus specta-

(*) Hic Dominicus fuit Romanus de Capranica, & Cardinalis titulo Sanctæ Crucis in Hierusalem.

ctabilibus Civibus Bononiæ, qui tamen non erant in Civitate, sed aliqui erant Ferrariæ; ostendens velle habere eos in amicos, concives, & fratres, quòd venirent securè. Qui quasi trepidi consilio Domini Marchionis & aliorum, sex de eis venerunt, & recepti sunt. Ille fecit sibi prandium & cœnam, ut dicitur, & simulans de nocte velle habere Consilium, finaliter imponens sibi quæ voluit falsa, fecit omnes sex trucidari. Et sic Baptista malè baptizavit eos. Anno & Millesimo ut supra, in Octavis Sancti Johannis Baptistæ die Sabbati, horâ vespertinâ, vênit novus Potestas Forlivii prima die Julii. Fuit iste de Burgo Sancti Sepulchri.

Anno MCCCCXXXI. prima die Januarii, horâ vespertinâ vênit novus Potestas in Forlivio, & fuit de Mutina, Victor de Rangonibus; & fuit per annum mortalitas in Forlivio immediatè. Eodem Anno venerunt Forlivium nova, quòd Papa Martinus V. mortuus erat de mense Februarii. Et eodem mense, scilicet die XXVIII. venerat Forlivium, ut patet supra, ubi scribimus de adventu suo: & de eodem mense, scilicet Februarii, ideft die XII. die Lunæ, quando fuit Ecclipsis Solis horâ XXI. & fuit tunc revolutio Lunæ, unde sequuta est Ecclipsis, & visa est de die. Eodem Anno die IX. Martii venerunt Forlivium nova, quòd post mortem Papæ Martini V. creatus fuit in Papam quidam de Venetiis, qui dicebatur Dominus Michaël Condolmier, de quo fit mentio supra MCCCCXXI. & vocatus est Papa Eugenius IV. Eodem Anno de mense Martii, quidam corrigens filium suum propter amorem, ad ipsum supervenit nepos, & patruus vulneravit ipsum; quod videns filius abstulit armaturam de manu patris; quod videns pater, se esse sinè armatura, cum coltellino occidit filium suum. Et pater postmodum decapitatus fuit. Et sic pater fuit homicida filii sui, & mors filii homicida patris. Eodem Anno, die XXIV. Julii in Vigilia Apostoli Jacobi vênit Forlivium horâ XXIII. quidam Cardinalis de Castiglia, veniens de Roma, & pergens ad partes suas. Quo tempore celebratum est Capitulum Fani in festo Ascensionis Beatæ Mariæ per Reverendum Magistrum tunc Provincialem Fratrem Nicolaum de Mixto de Venetiis. Eodem Anno ultima die Augusti, die Veneris, intravit Forlivium, horâ XXII. pro Gubernatore & Domino, Frater Thomas, Ordinis Prædicatorum, dictus de Venetiis, Episcopus Traguriensis; & hoc omni solemnitate & beneplacito Civium, ex parte Domini Papæ Eugenii IV. pro Sancta Romana Ecclesia.

Anno Domini MCCCCXXXII. & prima die Januarii, horâ vespertinâ, die Mercurii, introivit Dominus Potestas Forlivii, & fuit de Fulgineo, portans pro signo porcum cinghialum. Eodem Anno III. die Januarii in Octavis Sancti Stephani Martyris, fuerunt capti aliqui suspecti, quòd volebant introducere in Forlivium pro Domino, Antonium dictum filium Cecchi de Ordelaffis naturalem, & non legitimum, sed spurium. Et finaliter decapitatus fuit Antonius filius Paladini de Forlivio in Platea, qua alius fuit etiam decapitatus tempore Ecclesiæ per Dominum Orlandum de Janua tunc Capitaneum

A Forlivii. Paulus autem de Latiosis stetit in carcere, & ut audivi, pepercit sibi de morte Dominus Papa Eugenius IV. de Venetiis. Et hoc contigit, quando erat Gubernator in Forlivio nominatus supra Dominus Episcopus ejus Ordinis prædicti. Eodem Anno, & fuit de mense Januarii, descendit ita magna galaverna, quòd desiccavit arbores, ficus, olivas, lauros, poma granata. Quo tempore magna guerra fuit inter Venetos & Florentinos cum Duce Mediolani & cum Januensibus. Et eodem tempore residebat Dominus Imperator in Parma, & Papa Romanus residebat in Roma infirmus, & est ad præsens, nescio qua infirmitate detentus. Rogandus

B est Altissimus, ut disponat de bono & salute fidelium in futurum; Amen. Eodem Anno, prima die Julii, feriâ III. in Octava Sancti Johannis Baptistæ, horâ vespertinâ, intravit novus Potestas Forlivii, qui dicebatur de Fano, tempore Domini Thomæ de Venetiis, Ordinis Prædicatorum Gubernatoris Forlivii pro Sancta Romana Ecclesia, tempore Eugenii Veneti Papæ IV. Et fiebat tunc Concilium in Basilea, existente adhuc Imperatore in Italia, & guerra non modica inter Venetos cum Florentinis, & Duce Mediolani. Et tunc celebratum est Capitulum Provinciale Imolæ per Reverendum Patrem Fratrem Nicolaum Sacræ Theologiæ Magistrum

C de Venetiis in festo Sanctæ Pentecostes. Eodem Anno tempore Gubernatoris Forlivii supranominati Domini Thomæ Episcopi Traguriensis, de mense Decembris, die V. ejusdem mensis, feriâ VI. suspensi fuerunt duo homines, quorum unus fuit de Faventia, alter de Forlivio, de Villa-franca; & hæc fuit causa, quia fuerant in tractatu quorumdam, qui assenserant introducere in Forlivio pro Domino quemdam Antonium filium naturalem illegitimum Cecchi de Ordelaffis. Sequenti feria V. decapitatus est in Platea, horâ primâ diei Thomas filius Ser Philippi filii olim Magistri Thomæ de Forlivio,

D pro eadem causa, sicut supra, & sepultus est in Domo nostra; & hoc tempore ejusdem Gubernatoris Forlivii.

Anno Domini MCCCCXXXIII. prima die Januarii, intravit pro Officio Potestariæ Forlivii quidam Nobilis de Ancona nomine Joachim, tempore supranominati Episcopi Traguriensis & Gubernatoris Forlivii. Et mense isto fuerunt nives post Octavam Epiphaniæ usque ad festum Beati Antonii. Dico, quòd ningebat singulis diebus. Aliis diebus prædicti mensis duraverunt prædictæ nives usque in finem cum frigore magno & Sole occulto. Et de mense Februarii fuerunt etiam nives, & usque ad diem XVI. dicti mensis fuit magnum frigus, & duravit propter nives cir-

E cumstantes usque ad medietatem mensis Martii. Et multi fuerunt algorati propter ista immensa frigora. Unde menses Januarii, Februarii, & Martii fuerunt valde molesti ultra consuetudinem. Sed ultima dies Martii fuit satis læta, & arbores floruerunt in progressu residui temporis. Deus scit, quid erit. Quia Imperator jam per annum steterat in Lombardia, & nunc est Senis, non est finis guerræ inter Venetos & Ducem Mediolani; cum quibus Venetis Florentini sunt confœderati. De fine istorum nescitur. Sed Deus convertat in finem bonum, & animarum, & pa-

pacem corporum utriusque partis. Eodem Anno, IV. die Maji die Lunæ, in festo Coronæ Domini, ante horam prandii fuit terræmotus, etsi non magnus, tamen non sinè admiratione personarum, quem Deus in bonum & pacem convertat. Eodem Anno per totum mensem Julii fuit tempus pulchrum, clarum die noctuque, licèt die XVI. Mercurii, quartâ horâ noctis fuit subitò pluvia cum tonitru, & cecidit sagitta super Campanile nostrum, & percussit super pinnaculo, & lapides super Ecclesiam ceciderunt cum fractione cupporum. Eodem Anno Imperator nomine Sigismundus vênit ad partes Italiæ, & postquam steterat ferè per annum, perrexit Romam, & à Domino Papa Eugenio IV. de natione Venetorum accepit coronam in festo Pentecostes; & posteaquam steterat ibi ad nutum prædicti Pontificis, pervênit ad Ariminum, & versùs Ravennam Dominos istarum Civitatum fecit Milites, scilicet Dominum Arimini & Cæsenæ, qui fuerunt filii Domini Pandulsi, Dominum Ravennatem filium Ostasii de Polenta. Et ut dictum est, fecit Marchionem Dominum Mantuæ. Deinde perrexit Ferrariam. Et hæc contigerunt, quando in Forlivio regnabat pro Gubernatore Dominus Frater Thomas

A Ordinis Prædicatorum pro Sancta Romana Ecclesia, Episcopus Traguriensis. Nescio, quid fiet in futurum, quia alia non audivi certa. Eodem Anno de mense Octobris, scilicet XII. die pro festo Beati Lucæ Evangelistæ, apparuit quædam ad modum Cometæ, cum coma caudata seu barbata, cujus radius respiciebat in parte Occidentali versùs Forlivium. Et erat prædicta Stella comata quasi supra Faventiam, & respiciebat sua cauda, ut dictum est, versùs Forlivium & alias partes remotas. Et eo tempore fiebat Concilium Generale in Basilea. Quid autem prædicta Stella significet, nescio. Sed Deus convertat in bonum Populi Christiani. Eodem Anno

B die V. Decembris de nocte vênit ad Civitatem Forlivii Antonius dictus filius Cecchi de Ordelaffis prope Civitatem ex parte Portæ Sclavoniæ, cum multis armatis, volens intrare Civitatem, sed Populo obviante non potuit. Et hoc, tempore præfati Domini Gubernatoris Domini Thomæ præfati Episcopi Traguriensis, Ordinis Prædicatorum; & consequenter infirmato Castellano Castri Ravaldini, positum est Castrum in custodiam aliquorum Civium de Forlivio, & præcipuè Baptistæ de Codaferris.

F I N I S.

Quæ

Quæ sequuntur, scripta sunt charactere recentiori.

ANno Domini MCCCCXXXVIII. Nonis Maji concessum fuit Antianis & Communi Forlivii Juspatronatus Hospitalis Domus Dei de Forlivio, ut patet per exemplum Bullæ subscriptæ, videlicet.

Eugenius Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Antianis & Consilio Civitatis nostræ Forliviensis, præsentibus & futuris salutem & Apostolicam benedictionem. Eximiæ devotionis affectus, quem ad nos & Romanam geritis Ecclesiam, non indignè meretur, ut petitionibus vestris, illis præsertim, quæ ad Hospitalium ac pauperum in illis pro tempore existentium commodum & utilitatem cedere dignoscuntur, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cùm itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, Hospitale pauperum Domus Dei nuncupatum Forliviense, à pluribus annis citra, propter negligentiam ac malum regimen illius Rectorum seu Gubernatorum, plura & diversa sustinuerit detrimenta, nec non personæ miserabiles ad illud confluentes debita caritatis subsidia non susceperint, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut pro Hospitalis conservatione, & pauperum hujusmodi consolatione vobis Juspatronatus ac eligendi personam idoneam in Rectorem dicti Hospitalis, nec non facultatem illam sic electum instituendi, & ad nutum vestrum ab ipsius Hospitalis regimine amovendi, perpetuò concedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur super hoc statui & indemnitati præfati Hospitalis providere volentes, ac sperantes, quòd in electionibus de personis idoneis per vos ad dictum Hospitale de cetero faciendis talem curam & diligentiam adhibebitis, quòd per illas Hospitale ipsum, ejusque possessiones & bona conservabuntur, nec non pauperes ad illud pro tempore confluentes benignè recipientur, pluraque commoda & caritatis subsidia suscipient, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis Juspatronatus, ac præsentandi personam idoneam ad dictum Hospitale, quotiens illud ex nunc in antea vacare contigerit, Episcopo Forliviensi pro tempore existenti, per eum ad præsentationem hujusmodi instituendam, nec non præfato Episcopo, quòd personam sic præsentatam & institutam pro tempore hujusmodi, quotiens sibi pro utilitate dicti Hospitalis expedire videbitur, & ad id consensus vester accesserit, à præfato Hospitali ejusque regimine & gubernatione possit & debeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò concedimus & etiam indulgemus. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Ferrariæ Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo Tricesimo Octavo, Nonis Maji, Pontificatus nostri Anno Octavo.

LEO-

LEONARDI ARETINI

RERUM SUO TEMPORE GESTARUM COMMENTARIUS

Ab Anno MCCCLXXVIII. usque ad Annum MCCCCXL.

ANTEA EDITUS,

NUNC AUTEM EMENDATIOR

AD FIDEM MSti CODICIS BERGOMENSIS.


IN LEONARDI ARETINI
HISTORIAM SUORUM TEMPORUM
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

LEonardi Aretini Seculo Aerae Christianae XIV. labente, sed potissimum subsequenti, late sonuit fama, ejusque supra vulgarem usum floruit eloquentia atque eruditio. Paucos aetate illa pares, neminem superiorem egregio huic viro in Italica Literatorum Republica ostendas. *Aretinus* autem a patria appellatus, tum in Curia Romana, tum Florentiae praeclaris muneribus functus est, nonnullis enim Summis Pontificibus a Secretis, sive Scriba fuit, ac deinde Florentino Senatui Cancellarius diu famulatus est; quo in munere Anno 1444. senex Florentiae diem postremum obiit. Neque pluribus opus est ad ejus Vitam, quippe clarissimum virum vix ullus Eruditorum ignorat, ac de eodem fusius egere Jacobus Philippus Bergomas, Trithemius, Jovius, Gaddius, Possevinus, Vossius; atque, ut alios omittam, proxime praeteritis annis Julius Niger in Hist. Scriptor. Florentinor., & Apostolus Zenus Tom. IX. Ephemer. Literat. Ital. pag. 201. ejus memoriam multis illustrarunt. Quod meum est, commemorabo heic, Leonardum praeter tot alios Libros conscripsisse *Historiam Florentinam*, quae tum Latine, tum etiam Italice typis impressa in manibus Eruditorum versatur. Ad haec reliquit *rerum suo tempore gestarum Commentarium* brevem, quem primus proelo typographico subjecit Lugduni Anno 1539. Annibal Crucejus, ac alii subinde iterum vulgavere. Opusculum igitur hoc illud idem est, quod nunc editione nova in Collectionem hanc infero; nam quod est ad Florentinam Historiam, mihi nondum deliberatum est, an in tanta Chronicorum copia idem narrantium ac recoquentium, eadem heic sit recudenda.

Brevem certe Commentarium dicas, sed simul fateare, multa e turbidis iis temporibus selecta contineri heic, quae summa cum delectatione legantur, ac praesertim quod stylo adeo eleganti, & narratione tam dilucida haec Leonardus expresserit, ut numquam fatiget, & semper ad novam lectionem alliciat. Summorum ingeniorum tantummodo est ita scribere; & porro pauca haec satis produnt, qualis foret Aretino elegantia & facilitas in monumentis rerum posteritati propagandis. Neque Latine solum prodiit hoc Opusculum, sed etiam in Italicam Linguam conversum cura Francisci Sansovini editum est Venetiis 1561. Julius Niger, Scriptor alioqui non satis accuratus, in Libro supra laudato cum Historia Florentina confundere videtur hunc ipsum Commentarium, ibique narrari ait res gestas ab Anno 1378. usque ad 1404. quum scribendum foret usque ad Annum 1440. Error fortasse Typographis tribuendus. Monuerat autem Crucejus, qui primus aeneis typis Libellum hunc tradidit, in Epistola Dedicatoria ad Jacobum Philippum Saccum, se parum castigato Codice usum ad haec edenda: *Exemplar*, inquit, *ipsum adeo depravatum & mutilum erat, ut multis in locis Oedipo conjectore opus fuerit, praeterquam quod alibi demere, alibi addere non sane pauca oportuit, quo saltem integri constarent sensus, nec verborum series claudicaret*. Mihi igitur animo versanti num editioni huic meae praesidium aliquod adferri posset, oblatus est MStus Codex, eumdem Commentarium complectens, ab erudito ac eruditorum amantissimo viro Johanne Horatio Albrizio Bergomate Patritio, quem mihi & omnibus immatura mors rapuit. Erat sane & iste Codex nonnullis in locis corruptus, immo non una lacuna deformatus: attamen ita mihi usui fuit, ut quam novam editionem Opusculi ego institui, purgatiorem & comtiorem futuram non frustra confidam. Interea recen-

recensere juvat nonnullos egregii hujus viri Libros, quos manu exaratos vidi. Possidet Bibliotheca Estensis Codicem membranaceum optimae notae, ubi legitur *Laudatio Cl. V. Nannis Strozae Equitis Florentini per Leonardum Aretinum*. Orationem hanc antea edidit Cl. V. Stephanus Baluzius Miscellan. Lib. III. pag. 226. cum hocce titulo: *Eloquentissimi Viri Leonardi Aretini Oratio in funere Nannis Strozae* &c. Memini etiam, me olim legere eamdem Orationem in MSto Codice Bibliothecae Ambrosianae, ubi titulus non *Nannem* sed *Johannem Strozam* exhibet, quemadmodum etiam legit Philibertus de la Mare Senator Divionensis in Catalogo Operum MStorum Leonardi nostri. Illud exploratum, Strozam vulgo appellatum fuisse *Nannem*: quod nomen Florentini viderint num a Johanne breviato deductum fuerit. Ego aliunde sumtum suspicor. In eadem autem Ambrosiana Bibliotheca MStae adservantur Leonardi Aretini *Epistolae variae*. Oratio *in funere Othonis adolescentis*. Uti etiam *Oratio de laudibus inclytae Urbis Florentiae*, cujus initium: *Vellem a Deo immortali datum esset* &c. Tum ejusdem *Libellus de Militia ad Raynaldum Albitium* Florentiae promulgatus XIX. Kal. Januarii 1421. Incipit: *Fateor, Clarissime Vir, & mihi ipsi jam saepe in dubium venisse* &c. Accedit Liber *de cura rei familiaris ad Cosmam*. Incipit *Pretiosa sunt interdum parvi corporis* &c. Est autem Latina versio Oeconomicorum Aristotelis. Ibidem quoque habetur *Praefatio in Orationes Homeri*. Et *Epistola ad Bindaccium Ricasolanum Civem Florentinum in Fabulam Boccaccii de Tancredo Principe Salernitano*. Denique ibidem occurrit ejusdem Leonardi Opusculum *de Origine Mantuae ad Illustrissimum Principem, & excellentissim. Mantuae Marchionem D. Johannem Franciscum de Gonzaga*, cujus initium est: *Non sum nescius generosissime Ductor* &c. Longe plura Leonardi Opera nondum edita si quis rescire cupit, adeat Nigri Historiam Scriptor. Florentinor.

LEO-



LEONARDI ARETINI

RERUM SUO TEMPORE IN ITALIA GESTARUM COMMENTARIUS

AB ANNO MCCCLXXVIII. USQUE AD ANNUM MCCCCXL.



Ui per Italiam excelluerint homines ætate mea, & quæ conditio rerum, quæve studiorum ratio fuerit, libuit in hoc Libello discursu brevi colligere. Hoc enim temporibus debere videor meis, ut eorum, qualiacumque tamdem fuerint, per me in posteros tradatur notitia. Quod utinam fecissent homines superiorum ætatum, qui aliquam scribendi peritiam habuere: non in tantis profectò tenebris ignorantiæ versaremur. Mihi quidem Ciceronis, Demosthenisque tempora multo magis nota videntur, quàm illa, quæ fuerunt jam annis sexaginta. Tanta illi clarissimi Viri ætatibus suis lumina infuderunt, ut etiam post tam longa decursa tempora quasi ante oculos posita decernantur. At enim quæ postea sequuta sunt secula mirabilis premit occulitque inscitia. Eamdem quoque in Platone, qui fuit ætate superior, diligentiam fuisse video, cujus Libros Epistolasque dum legimus, quasi picturam quamdam illorum temporum viventem adhuc spirantemque intuemur. Sic enim ille studia adolescentiæ suæ, cupiditatemque Reipublicæ adeundæ, & conversiones temporum, &
A profectiones ejus in Siciliam, & Dionysii, Dionisque controversias illas inextricabiles, & utriusque sequutas exinde clades enarrat, ut immortalitati commendare voluisse eorum notitiam videatur. Vellem ceteris quoque libuisset idem efficere, quo suæ quisque ætatis cognitionem ac memoriam nobis quam celebrem reliquissent. Sed puto, nulli voluntatem, plurimis verò facultatem defuisse scribendi. Literæ quidem, nisi sint illustres atque disertæ, claritatem rebus afferre non possunt, neque memoriam earum in longum extendere. Nos igitur quod ab aliis desideramus, id exhibere posteris conaturi sumus, ut si qui fortè legere curabunt, nostrorum temporum non desit cognitio.

Me quidem puero, ut hinc narrare inci-
B piam, duo Pontifices Romani per discordiam creati, diverso favore populos sciderant, aliis Urbanum, aliis Clementem (hæc enim erant illorum nomina) ut verum Pontificem asserentibus. Imperii verò nomen ac titulum Vincislaus obtinebat. Is in extrema Germania morabatur, per Italiam autem Regina Johanna Calabriam, & Apuliam, ac ceteras, quæ Regno illi accedunt, partes gubernabat. Florentini magnis seditionibus agitati præstantissimos Cives Urbe pepulerant. Aretini & intestinis discordiis, & longo difficilique bello suorum exulum vexabantur. Quum hæc esset conditio rerum, Carolus, qui postea Rex fuit, in Italiam vênit, vocante Urbano Pontifice, quo Johannam Reginam ulcisceretur. Illa enim Clementi favere, & Lu-

dovicum Andegavensem Francorum quondam Regis filium adoptasse ad successionem Regni ferebatur. Hæc itaque indignans Urbanus, Carolum ex Hungaria vocavit, jam primum cognitum Tarvisino bello, in quo magnas copias adversùs Venetos jussu Regis Hungariæ per Italiam ductaverat. Vocabat autem eum Urbanus, quo Regnum Reginæ auferret. Carolus igitur satìs magnis Hungarorum copiis per Tarvisinum, Vincentinumque agrum descendens, quum transmisso medio spatio Ariminum pervenisset, Aretini studio partium & fiducia generis permoti, illum in Etruriam vocantes, se se ac Urbem ei dedere velle obtulerunt. Erat enim Carolus Regio genere à Carolo illo, qui Manfredum superavit, Guelforumque partes per Etruriam restituit, exortus. Qua quidem spe Aretini crediderunt, exules suos diversarum partium homines, qui longo difficilique bello Civitatem premebant, delere funditus posse. Vênit igitur Carolus Aretium, & summâ omnium lætitiâ ingressus, dominationem suscepit Civitatis. Quum esset Aretii Carolus, Florentini exules eadem fiducia generis, ac studio partium inducti, ad eum populariter convenerunt. Nam qui Florentiam gubernabant, ad contrariam factionem declinare ferebantur. Eorum precibus motus Carolus Florentiam petere contendit, quasi eos in patriam vi & armis reducturus. Nec rectum iter tenuit, sed per agrum Senensem profectus circa Stagiam & Bonitium Florentini agri fines ingressus est. Inde, seu non succedente conatu, seu pecunia delinitus, re infecta Aretium rediit. Romam post hæc ad Urbanum profectus, quum aliquandiu ibi constitisset ad belli apparatus faciendos, mox Neapolim petens, Reginam, superatis ejus Ducibus, cepit, Regnumque obtinuit, nec post multa Regina obiit, Caroli jussu, ut putatur, necata, non tam odio (erat enim genere sibi inprimis conjuncta) quàm ut spem omnem fautoribus ejus auferret. Inter hæc Aretini magìs quàm umquam priùs intestinis seditionibus agitari cœperunt. Præfectus enim Caroli in ea Urbe relictus, formidans eorum Civium potentiam, qui Regi tradiderant Civitatem, quo eos debilitaret, diversæ factionis homines in Urbem restituit. Hæc quamquam sub specie reconciliationis civilis agebantur, tamen confestim graviores discordias, ac extremum pæne interitum Civitati peperere. Unà siquidem intra mœnia receptis diversarum voluntatum hominibus, confestim & suspiciones, & studia partium increvere. Augebat verò id malum Præfectus ad favorem eorum, quos ipse reduxerat, totus declinans. Denique captis Principibus alterius factionis, & in carcerem conjectis, nonnullis etiam necatis, ad exulum nuper reductorum nutum cuncta ministrabat. Ita Ghibellinorum factio, quæ amplius quadraginta annis exulaverat, & tunc per adventum Caroli peritura sperabatur, favore Præfecti reducta in Urbem prævalere manifestissimè cœpit: adeò in rebus humanis conjectura fallit. Quæ quum Regi nuntiata essent, Cives enim ipsi à Præfecto dejecti querelam sibi detulere, improbitatem Præfecti detestatus, illo revocato atque remoto, Jacobum Caracciolum Neapolitanum ad gubernandam Urbem transmisit. In adventu novi Præfecti, quoniam ille secum Cives nuper ejectos reducebat, & de mutatione rerum timebatur, arma sumta sunt, prœliaque per Urbem commissa. Durius id certamen faciebat, quòd Tarlati, & Ubertini, principes Ghibellinarum partium, aliquot millia armatorum hominum ex oppidis, clientelisque suis in Urbem contraxerant, paratique, & compositi ad arma devenerant, eo præsidio muniti, superiores habebantur, ut compellerentur nostri in arcem refugere. Ibi quum de remediis agitaretur, placuit Albericum Comitem, qui magnas habens copias in finibus Perusini, Cortonensisque agri, per id tempus degebat, in auxilium vocare, adversariorumque prædam sibi polliceri. Ea conditione Albericus cum magno equitatu vênit, receptusque per arcem, simul cum ea parte Civium, quæ in arcem refugerat, in adversarios erupit. Nec magnum fuit certamen. Illi enim ipsi, ubi supervenisse auxilia equitum, intellexere, relicta Urbe, in proxima se se Castella suarum partium receperunt. Equites verò ad prædam conversi, totam diripuerunt Urbem; nec minus inimicorum, quàm amicorum bona in prædam vertêre. Et supervênit propere alia manus equitum, non sanè minor, quam Villanucius ductabat. Ea quoque manus in Urbem recepta quidquid superfuerat prædæ abrasit. Additur huic acerbitati scelus aliud. Quum enim extremum esset Autumni, hybernare duces intra Urbem cum omnibus copiis statuere. Ita crudeliter pulsi Cives, cum conjugibus & liberis patriam relinquere coacti sunt. Miserandaque multitudo, inops rerum omnium, ac bonis exuta, longis agminibus finitimas Civitates Oppidaque replevit.

Per hæc eadem ferè tempora Florentiæ motus in Republica fuit, pulsoque Thoma Stroza principe illius factionis, Georgio autem Scala altero principe, supplicio affecto, exules in Urbem summo consensu Civium revocati gubernacula Reipublicæ suscepere. Quæ Aretium occupaverant copiæ, hyemem totam, ac partem æstatis in ea Urbe commoratæ; quum tamdem abiissent, Cives, qui à tanto naufragio superfuerant, in vacua ac semiusta tecta redierunt. Nec in eo ipso tempore quies à bello; exules enim finitima Urbi Castella possidentes, usque ad mœnia per singulos ferme dies infestabant. Itaque nullus Civis intra Urbem non armatus conspiciebatur. Omnis cura & opera bellicis Artibus incubuerat; quum & repellerent illatam vim, & paulò post confirmati ultro ipsi exulibus omnifariam belli cladem inferrent. Inter hæc Ludovicus Andegavensis, quem adoptatum ab Regina diximus, in Italiam vênit. Hujus adventus Florentinos, Aretinosque maximè conterruit; veniebat enim inimicus Carolo, cui & Aretini parebant, & Florentini, post reversionem exulum, mirabili favore obsequebantur. Copias verò tantas secum adducebat Ludovicus, ut non facilè majores transisse Alpes quisquam meminisset. Equitum enim circiter XL. millia habere in exercitu ferebatur, à quibus si per Etruriam iter faceret, extremæ formidabantur clades. Sed ille cum tam innumerabili exercitu aliud iter sequutus, quum citeriorem Galliam dimensus fuisset, Bononiam tamdem Ariminumque prætervectus, per Picentes, & Marsos in Neapolitanum Re-

Regnum pervenit. Ibi rebelliones crebrò factæ ab iis, qui Reginam à Carolo necatam indoluerant; bellumque intèr duos Reges acerrimum est concitatum. Quod quum longius traheretur, alterutra pars ad summum prævaleret, Ludovicus aliam equitum manum ex Gallia evocavit. Fuerunt autem hæc copiæ circiter millia XV. equitum delectorum; ducebat verò eas copias Enghyramus quidam Gallus, vir domi potens, ac bello clarus. Is ergo quum transmissis Alpibus in Italiam descendisset, receptus hospitaliter à Bernabove Mediolanensium Principe, commeatuque & pecuniis adjutus, non per Ludovici vestigia prosequutus est iter; sed ad dexteram flectens, per Placentinorum Parmensiumque fines, Apenino monte transmisso, in Etruriam descendit. Iter ejus per Lucensem, Florentinum, & Senensem fuit agros. In his locis quum esset, Aretini exules, de quibus supra dixi, illum adeunt. Aretium Caroli esse docent, occupari verò eam Urbem perfacile posse, quoniam permagnus murorum ambitus sit; Defensores autem pauci ob superiores ejus Populi calamitates; esse præterea nonnullos intra Urbem, quos sibi fautores haud dubiè sperent. Ita pollicendo, atque instando, Gallos pellexerunt, ut Aretium aggrederentur.

Re occultè composita, exules per noctem scalis mœnibus admotis per remotissima Urbis loca partem murorum ceperunt; statimque Gallorum aderant copiæ, Civesque simul exciti accurrunt. Galli per refractam ab exulibus portam ingressi, non una modò via, sed pluribus invadere Urbem cœperunt. Quo factum est, ut multis simul locis prœlia unum sub tempus consererentur. Nox atque tenebræ terribiliora omnia faciebant. Denique vicatim prope expugnata Urbe, post multas cædes ac varias prœlii fluctuationes, sub primam tamdem Auroram capitur tota, præter arcem; hanc enim pars juventutis in eam refugiens egregiè defendit. Ad prædam post hæc conversi victores omnia diripuerunt, & Cives, qui exulibus egregiè inimici fuissent, captivarunt. Ea nocte acerbissima quidem omnium, quas umquam meminerim, parens meus ab exulibus captus, & in Castellum Petræ-malæ ductus, ibi carcere maceratus est unà cum Johanne Episcopo Aretino, & aliis quibusdam viris præcipuis exulum inimicis. Ego quoque, licèt puer, ab alia manu exulum captus in Castellum Quaratæ (nam id quoque exules tenebant) abductus sum; & quia puer eram, non cum aliis captivus, sed honestiore quodam carcere cubiculo asservabar. Erat in ipso cubiculo picta Francisci Petrarchæ imago, quam ego quotidie aspiciens, incredibili ardore studiorum ejus incendebar. Qua nocte Galli Aretium intrarunt, ea ipsa nocte Florentiam crebris negotiatorum literis nuntiatum est, Ludovicum Andegavensem in Apulia diem obiisse. Itaque Gallis paulò post per ironiam quasi læta nuntiantibus, se Aretium cepisse, responsum à Florentinis eodem figmento est, non tam lætari se Aretio capto, quàm dolere Ludovici morte, quem certissimum cognoverant interiisse. At Galli ducentes hæc falsa, læti atque alacres Aretii consistebant. Expugnare verò arcem adorti, quum multis vulneribus repellerentur, ad obsidionem ejus se compararunt; crebraque per singulos dies prœlia ante arcem ipsam incredibili certamine committebantur, ut Galli etiam amarent eorum, qui obsidebantur, virtutem. Juventus autem obsessa tanto belligerandi studio flagrabat, ut unica sibi voluptas foret manus conserere. Tres menses circum arcem occupati Galli, quum tamdem de obitu Ludovici certiores facti essent, omisso proficiscendi in Apuliam consilio, redire in Galliam statuerunt. Ad hunc ipsum reditum quum pecunià opus esset, vertere mentem ad conditiones cœperunt, ac Florentinos pecuniam erogare, & sibi Urbem relinquere polliceri. Florentini verò, quamquam summopere affectabant, tamen ante omnia putaverunt mittendum esse in arcem ad sciscitandum Civium animos. Nec sanè obsessis aliud refugium videbatur, præsertim ne exulibus Urbs à Gallis relinqueretur formidantibus. Ita ex consensu Civium res transacta, Urbsque abeuntibus Gallis, & arx dedentibus Civibus in Florentini Populi devenit potestatem. Castella deinde priùs occupata repetentibus Florentinis, bellum adversùs Tarlatos ceterosque exulum principes suscitatur. Petramalaque, perpetua Ghibellinorum sedes, obsessa, post longam oppugnationem tamdem capitur, & solo æquatur. Et Aretinæ quidem turbationes per hunc modum requieverunt.

Carolum autem in Apulia omnino victorem alterius spes Regni in Hungariam traxit. Mortuo enim Ludovico Hungariæ Rege propinquo suo, quoniam prolem nullam reliquisset virilem, ipse consensu Procerum ad id Regnum postulabatur. Profectus igitur magna manu quum Regnum suscepisset, inter ipsam gratulationem dolo Reginæ veteris interficitur. Per hoc ipsum ferè tempus Bernabos Mediolanensis Civis & auctoritas & potentia per Galliam maxima fuerat, à Galeatio fratris filio capitur, ac dominio spoliatur, cujus ruina quamquam grata erat Florentino Populo, tamen paulò post considerans ad priorem nepotis potentiam, quæ erat per se maxima; Bernabovis insuper opes ac potentiam accessisse; horrere jam inde tantas vires, ac formidare immodicas opes incœpit. Quam mox suspicionem auxit Verona primò, deinde Patavium Urbes magnæ ac potentes ad imperium additæ. Itaque crescente suspicione parare jam inde remedia, ac se præmunire Florentini pergebant. Et ille versa vice cavere diligentius, ac Florentinos versari in suis Oppidis prohibere. Jam per Etruriam quicumque aut formidabant Populi Florentini potentiam, aut oderant, ad hunc respicere, ac refugere, & in Etruriam accersere, & inprimis Senenses, tum infensi maximè Florentinis ob Politiani receptionem. Id Oppidum in fide Senensium quum esset, orta inter principes seditione, pars eorum pulsa confugerat ad Senenses, quam quum reducere illi vellent, renitens altera pars se se atque Oppidum Florentinis tradidit, adeò quidem obstinatè, ut non recipientibus ab initio Civibus ob Senensium respectum, Oratores, qui ad dedendum Oppidum venerant, ad ærarium profecti, in bona Florentini Populi id Oppidum retulerint, ac transcribi monimentis publicis effecerint.

Per

Per hunc modum recepto Politiano, Senenſes, veluti contumelia tacti, res novas affectare palàm cœperunt, & ad Mediolanenſis opes ſe totos convertere, magnumque illius equitatum intra Urbem recipere. Ita creſcentibus ſuſpicionibus atque odiis, tamdem bellum exarſit. Id bellum multis duravit annis, quamquam interceſſit nonnumquam Pax, verùm ita ſuſpicioſa, ut vix ab armis diſcederetur, ac reſumeretur confeſtim bellum. Nec per Etruriam modò, ſed per Galliam quoque variè fuit bellum id implicatum, ſubmittentibus eo copias Florentinis, ac magnos equitatus ex Tranſalpina Gallia & Germania commoventibus. Arma per hoc tempus in manus Italorum penitus redierant, quum ſuperiori tempore per equites exterarum nationum mercede conductos bella geri per Italiam conſueviſſent. Veniebant enim viri domi Nobiles comitatum equitum in Italiam trahentes, mercede vel apud Civitates, vel apud Principes militaturi, plerique ex Germania, aut Gallia, ſed & Hiſpani generis permulti; & Britanni, & Ungari per Italiam militabant. Apud hos gloria equeſtris habebatur, noſtri autem perpauci ſe militiæ dedebant. Me puero, primum noſtri veterem equeſtris militiæ gloriam recuperante, magnis Italorum turmis militare cœperunt, creſcenſque multitudo uſque adeò peritia & audacia præſtitit, ut nemo jam exterum equitem habere vellet; Victoria & ſpes omnium bellantium in Italico equitatu reponeretur.

Per hæc ipſa tempora mirabilis accidit Populorum motus; omnis quippe multitudo veſtes induit albas, & piaculis quibuſdam factis, incredibili devotionis fervore longa dealbatorum agmina ad vicinas Urbes commeabant, pacem ac miſericordiam clamore ſupplici deprecantia: prorſus miranda res, & incredibile negotium. Peregrinatio erat ferè dierum decem; cibus verò ut plurimum panis & aqua. Nulli per Urbes alio veſtitu conſpiciebantur. Acceſſus verò in aliena Oppida, etiam parum antea pacatorum, liberi fuerunt. Nemo per id tempus dolo fallere tentavit, nemo advenarum oppreſſus; tacitæ quædam induciæ cum hoſtibus fuere; duravitque is motus ferè menſes duos, quum & proficiſcerentur Populi in alienas Urbes, & alii in ſuas adventarent. Mira hoſpitalitas ubique, & benigna ſuſceptio. Unde verò initium receperit, obſcurum eſt. Ex Alpibus certè in Ciſalpinam Galliam deſcendiſſe ferebatur, mirabilique diſcurſu Populos apprehendiſſe Florentiam primi omnium Lucenſes populariter advênere. Quibus conſpectis, tantus confeſtim ardor conſecutus eſt, ut etiam illi ipſi, qui antea rem auditam deriſerant, primi omnium ſuorum Civium veſtes mutarent, & quaſi (*) Deo correpti, motu ſimili vagarentur. Florentini quadrifariam partito Populo, duæ ex his partes innumerabili multitudine virorum, mulierum, puerorum, Aretium petiere; reliquæ verò partes ad alia loca profectæ ſunt. Quòcumque perveniebant dealbatorum agmina, eorum locorum incolæ exemplo ſimili movebantur. Ita ex Gallia in Etruriam, ex Etruria in Umbriam, ex Umbria in Sabinos, & Picentes, & Marſos, ceteraſque ſubinde gentes progreſſa commotio, ad extremas Italiæ oras pervênit, nullos in Populos non pervagata.

Literæ quoque per hujus belli intercapedines mirabile quantum per Italiam increvere, accedente tunc primum cognitione Literarum Græcarum, quæ ſeptingentis jam annis apud noſtros homines deſierant eſſe in uſu. Retulit autem Græcam Diſciplinam ad nos Chryſoloras Byzantius, vir domi nobilis, ac Literarum Græcarum peritiſſimus. Hic obſeſsâ à Turcis Patriâ Venetias mari delatus primò, mox auditâ ejus famâ invitatus benignè, ac poſtulatus, & ſalario publico affectus, Florentiam vênit, ſui copiam juvenibus exhibiturus. Ego per id tempus Juri Civili operam dabam, non rudis tamen ceterorum ſtudiorum. Nam & natura flagrabam Diſciplinarum amore, & Dialecticis, ac Rethoricis non ſegnem operam impenderam. Itaque in adventu Chryſoloræ anceps equidem factus ſum, quum ſtudium Juris deſerere flagitioſum ducerem, & tantam occaſionem Literarum Græcarum ediſcendarum prætermittere ſcelus quodammodo arbitrarer, ſæpiuſque ipſe ad me juvenili motu inquiebam: Tu quum tibi liceat Homerum, Platonem, & Demoſthenem, ceteroſque Poëtas, & Philoſophos, & Oratores, de quibus tanta ac tam mirabilia circumferuntur, intueri, atque una colloqui, ac eorum mirabili diſciplina imbui, te ipſum deſeres, atque deſtitues? Tu occaſionem hanc divinitus tibi oblatam prætermittes? Septingentis jam annis nemo per Italiam Græcas Literas tenuit; & tamen doctrinas omnes ab illis eſſe confitemur. Quanta igitur vel ad cognitionem utilitas, vel ad famam acceptio, vel ad voluptatem cumulatio tibi ex Linguæ hujus cognitione perveniet? Juris quidem Civilis Doctores paſſim complurimi ſunt; nec te deficiet umquam diſcendi facultas. Hic autem unus, ſoluſque Literarum Græcarum Doctor, ſi è conſpectu ſe auferet, à quo poſtmodum ediſcas, nemo reperietur. His tamdem rationibus expugnatus, Chryſoloræ me tradidi, tanto diſcendi ardore, ut quæ per diem vigilans percepiſſem, ea nocte quoque dormiens agitarem. Condiſcipulos habui complures, ſed qui maximè profecerint, duos ex nobilitate Florentina. Robertum Ruffum, & Pallam Onufrii filium Strozam. Erat inſuper in eadem diſciplina Jacobus quidam Angeli, qui auctor in primis fuerat Chryſoloræ arceſſendi. Acceſſit quoque poſtmodum Petrus Vergerius Juſtinopolitanus, qui quum Patavii ſtudio floreret, ſequutus Chryſoloræ famam, ſe ſe Florentiam contulerat ad eum audiendum. Ex his Robertus, & Vergerius, & Jacobus Angeli me longè anteibant ætate. Pallas erat ferme æqualis. Apud hunc ego Magiſtrum ſupra biennium fui inſtitutus, ſanè probabili atque optima diſciplina. Tamdem Imperatore Conſtantinopolitano in Italiam advecto, revocanteque ad ſe Chryſoloram, abiit ille Florentia, & Mediolanum ad Imperatorem ſuum ſe contulit.

Jam Milleſimus Quadringenteſimus erat annus, & peſtis ſigna quædam terrere incœperant, quæ paulò poſt Florentiæ deſæviit cum incredibili ſtrage cujuſque ſexus atque ætatis.

(*) *Codex Motus*: & quaſi cœlo, ut dicitur, correpti.

tis. Unicum hujus mali remedium in fuga repertum est. Fugerunt itaque Cives populariter, Bononiam plurimi demigrantes, & tamen in vacua desertaque Urbe supra triginta hominum millia pestis absumsit. Quum finem pestis tamdem fecisset, bellum, quod aliquandiu intermissum fuerat, majus quàm antea instauratum est. Congressæ autem utrinque copiæ apud Casaletium Bononiensis agri Vicum conflixere. In ea pugna nostri superati profligantur. Bononia, quæ ad eam diem in societate Florentini Populi fuerat, Mediolanense jugum suscepit. Copiæ Florentinorum omnes eâ pugnâ perierant, capto etiam Bernardone duce. Itaque plurimum Florentiæ trepidatum est, nec ulla resistendi spes relicta videbatur, amisso exercitu toto, duce insuper capto, Bononiâ subactâ. Per Etruriam verò Pisani, Senenses, Perusini in potestate Mediolanensis erant; Lucenses quoque haud multum à parendo distabant.

Quum hæc plena terroris & desperationis essent, nec ulla salutis ratio cerneretur, mors Galeatii Mediolanensis insperato supervênit; decessit enim morbo in cursu ipso rerum maximarum. Ejus interitu turbata sunt omnia apud hostes, quum & filios reliquisset parvulos, & militiæ Duces statim inter se de potentia certantes ruinam Principum machinarentur. Ita mirabiliter conversa re, qui priùs terrebant, metuere cœperunt; & quibus desperata videbantur omnia, in tuto consistere, ac plurimum fidere. In Etruria tamen haud multo post data pax Senensibus est; & cum Pisanis tacito quodam consensu à bello cessatum. Perusia, & Bononia è manibus hostium ereptæ in potestatem Bonifacii Romani Pontificis (is enim Urbano successerat) devenere. Mortuo Galeatio Mediolanensium Principe, ac subinde paucis post annis Bonifacio vitâ functo, Ladislaus Rex formidabilis per Italiam esse cœpit. Hic à patre Carolo, quem in Hungaria necatum ostendimus, puer admodum sub tutela matris in Italia relictus, inter mille difficultates adoleverat. Suscepta primùm ab eo in Hungariam expeditio quum parum prosperè successisset, in Italiam regressus, purgato Apuliæ Regno, ac sub manus ejus redacto, in id potentiæ crevit, ut jam & Pontifici Romano, & Florentinis, ceterisque Populis suspectus planè ac formidabilis haberetur; præsertim quum in eodem Rege summa calliditas esset cum summa dominandi cupiditate conjuncta. Nec domi sedens per Præfectos, sed ipse præsens exercitum ductare ac expeditiones obire consuesset. Adiuvabat insuper eum incredibilis Populorum favor, quòd ipse solus ex Regia stirpe reliquus unicè colebatur. Bonifacio Innocentius in Pontificatu successit, patriâ Sulmonensis, vir ætate grandævus, ac multarum magnarumque rerum experientiâ callens. Ad hunc igitur Pontificem Ladislaus inter primas gratulationes Romam profectus, quum honestissimam salutandi gratulandique prætexeret causam, esset revera autem augendi Regni cupiditas, Romanos nec priùs quietos suâ præsentiâ in Pontificem concitavit; ipse verò mentem erexit ad Urbem Romam capiendam. Nec tamen aperta vi moliebatur Rex, nec in præsens urgebat rem, sed clam irritando

A Cives Romanos, ac Pontifici reddendo infestos, putavit fore ut Pontifex illorum petulantiam non ferens ex Urbe migraret; Romani autem ad se converterentur. Hæc igitur Rex machinatus domum rediit; Pontifex autem Romæ consistens magnis in difficultatibus versabatur.

Ego per hoc tempus ab Innocentio vocatus Romam veni, & quidem in medio turbationum maximarum, susceptusque benignè à Pontifice, ac honoribus titulisque affectus, inter intimos illius Familiares haberi cœptus sum. Romæ conditionem rerum hanc offendi. Populus Romanus paulò ante receptam, immodicè quidem, exercebat liber-

B tatem; ex Principibus autem Columnenses, & Sabelli plurimum poterant; Ursini verò dejecti, atque suspecti Populo, quòd Pontifici favere putabantur. Curia sanè plena, atque locuples. Cardinales & multi, & magnæ dignitatis. Pontifex apud Basilicam Vaticani degebat, cupidus otii, & præsente contentus statu, modò frui sineretur; sed tanta perversitas erat quorundam potentium in Populo Romano, ut nullus quieti relinqueretur locus. Tamdem verò crescentibus suspicionibus, & equitatu à Rege submisso, Pontifex quoque auxilia suorum arcessere coactus est. Sequutæ dehinc majores turba-

C tiones, Civiumque Romanorum cædes, & Pontificis fuga. Quæ quoniam singulis interfui, non pertranseam, ut cetera, sed paulò seriosius juvabit perscribere.

Pons est Milvius super amne Tiberis extra Urbem Romam, per quem ex Etruria in Latium transitur. Nunc nostri præsidio militum imposito tenebant; Romani verò cupientes eum quoque pontem in suam redigere potestatem, ne quando inde noceri Latio posset, noctu vadentes subita vi capere pontem adoriuntur. Restiterunt milites, qui erant in præsidio, ac magna vi utrinque pugnatur. Sub primam tamdem lucem re ex fumo cognita, missi celeriter equites nostri Romanos in fugam verterunt, pau-

D cis interfectis, frequentibus vulneratis. Illi in Urbem reversi, Capitolio consistunt, multitudinem convocant. Festus erat dies, plebs otiosa, & vino calens. Concursant, sumuntur raptim arma, vexilla promuntur; ad oppugnandas Pontificis ædes ire pergunt. Nostri contra instare, parare tela, cohortari, insistere, expectare forti animo Populi impetum; ante molem Adriani, quæ malè pacata nobis erat, vallum jacere. Nox denique certamen diremit. Ea nocte vigiliæ utrinque in armis actæ. Sequutis deinde mox diebus de concordia agitatum, cujus rei gratiâ Romani quidem Cives ad Pontifi-

E cem venêre. Hi post multa cum Pontifice agitata, domum redeuntes paulò supra molem Adriani invaduntur. Capti ex his undecim (nam ceteri in ipso impetu dilapsi evaserant) ad Lodovicum Pontificis nepotem, cujus jussu capti fuerant, adducuntur. Denique omnes undecim crudeliter interfecti sunt. Inter hos duo fuerant ex Septemviris, quos ad gubernandam Rempublicam Populus Romanus creaverat. Ceteri autem omnes ex primariis Civibus, & quod dolendum fuit, nonnulli ex his, qui eas molestias nobis inferri permolestè ferebant. Hujusce autem rei quum celeriter fama per Ur-

bem

bem vulgata esset, itur confestim ad arma; complentur omnes aditus; clamoribus & vociferationibus omnia resonabant. Ipse quoque permagnum ea die periculum adii: nam paulò ante fiduciâ eorum Civium, qui ad Pontificem venerant, Flumen transgressus ieram in Urbem. Itaque mox audito tumultu, recipere me ad meos propero. Cetera igitur dimensus quum ad Pontem Adriani devenissem, armatorum ingentem catervam, qui pontem occuparant, offendo. Erant autem hi cæsorum agnati & propinqui, stabatque ferri acies mucrone corusco stricta parata neci. Quod ego simul ac perspexi, averso celeriter equo in proximum angiportum desilio, ac veste ministri assumta pedes me turbæ admiscens, stationes armorum incognitus pertransii. Mihi verò, postquam ad nostros pervêni, primum spectaculum fuit cæsorum acervus; jacebant enim media in via sanguine fœdati, magnisque vulneribus confossi. Steti horrens, lustravique omnes oculis; quosdam etiam ex his mihi notos & amicos lachrymans recognovi. Inde ad ædes Pontificis ire pergo. Ille miro dolore angebatur; res enim tota eo inscio transacta fuerat, Vir pacificus & mitis, à cujus lenitate nihil magis abhorrebatur, quàm cædes, & humani sanguinis effusio; mœstus se se ac fortunam deplorans suam, oculos interdum ad cœlum tollens, quasi Deum invocaret testem suæ erga Populum Romanum innocentiæ.

Pontifex igitur his curis anxius, nec quid ageret, aut ubi consisteret, præ nimio dolore sciebat. Circumstantium autem variæ erant sententiæ. Alii confestim abeundum censebant, nec impetum Populi Romani tam insigniter læsi irritatique expectandum. Esse insuper haud procul ab Urbe Regias copias, quas pro Romanis stare non ambiguum erat. Alii nullo modo abeundum, sed obsidionem tolerandam, auxiliaque ex amicis Oppidis accersenda censebant. Erant etiam qui postera vel altera die abeundum putarent, ut simul colligendarum rerum spatium esset; simul ut non fuga, sed migratio illa videretur. Duo erant aditus, quibus ex Urbe Romana ad nos pervadi posset; unus per Pontem, cui moles Adriani superimposita est; alter per Transtiberinam partem, & Janiculi collem adversùs Molem Adriani, quoniam de fide ejus, qui arcem tenebat, dubitabatur, stationes nostrorum militum oppositæ fuerant, valloque & aggere in modum castrorum munitæ. Adversùs Janiculum mœnia erant nonnullis locis vetustate collapsa; hæc quoque loca armatis complebantur. Resisti sinè dubio poterat contra omnem Populi vim; verùm quia commeatus paucorum admodum dierum aderat, & regiæ turmæ nobis infestæ adventare nuntiabantur: vicit eorum sententia, qui suadebant è vestigio abeundum. Igitur sarcinas colligere, & impedimenta componere nostri contendunt. Quod ubi per angustiam temporis factum est: prima turma equitum, unà deinde impedimenta, peditesque proficiscuntur, post hos Pontifex cum omnium Curialium turba; extremum fuit equitum agmen; qui aliquo intervallo sequuti, vim, si qua immineret à tergo, repellerent. Supererant quatuor diei horæ, cum Urbe egressi sumus, profecti non sinè magno timore, circiter secundam noctis horam ad Vicum Cesianum XII. millia passuum ab Urbe consedimus: ibi per eam noctem commorati, postridie prima luce castra movimus; & circiter sextam diei horam Sutrium pervenimus. Sutrini omni multitudine extra portas diffusa, alacri vultu Pontificem receperunt. In hac Urbe, quod reliquum erat diei, ac secutam noctem commorati, postera die Viterbum contendimus. Viterbi autem cùm esset Pontifex jam aliquot menses commoratus, Romani pœnitentiâ ducti dominationem Urbis illi reddiderunt, ac multis legationibus eum revocarunt. Itaque reversus Romam Pontifex, miro applausu Populi Romani suscipitur. Non tamen adhuc erant quietæ res; quoniam moles Adriani, in qua Regis præsidium erat, obsidebatur, telaque, & machinæ per Urbem volitabant, & metuebatur à Regiis copiis. Demum post aliquot menses, & arx recepta est, & pax cum Rege ex superioribus incursationibus facta.

Per hoc ipsum tempus Florentini Pisas ceperunt, jam pridem ab eis obsessas, & ad extremam famem perductas: de qua quidem re altius repetentes pro illius cognitione dicemus. Pisanorum Civitas satìs diu sub dominatione Petri Gambacurtæ requieverat. Is fuit modesti vir animi, & Florentini Populi, ut & Pisani, valde amicus. Habuit verò adjutorem rerum agendarum Jacobum Appianum Scribam, ceterum astutum hominem, qui cùm multos per annos fideliter ei obsecutus esset, cunctaque etiam secretissima, maximèque ardua tractaret, in eam paulatim ascendens devênit potentiam, ut etiam Domino ipsi formidabilis esset. Factionem enim ibi non contemnendam comparaverat in Pisanos, præsertim eorum, qui non satìs contenti præsenti Civitatis statu videbantur. Cùm itaque suspiciones majorem in modum crevissent, antevênit Appianus, ac Petro Gambacurta cum filiis interfecto dominationem sibi Civitatis arripuit. Huic post paucos annos defuncto Girardus filius successit, qui cùm non satìs confideret Pisanos continere posse, eam Urbem Galeatio Mediolanensi tradidit, retenta Plumbini & Iluæ Insulæ dominatione. Ita Pisana Urbs in potestatem Mediolanensis devenerat. Moriens deinde Galeatius Pisas Gabrieli filio ex concubina genito reliquit. Qui quamquam esset admodum puer, ac sub matre nobili muliere degeret, tamen triennio ferme post obitum patris eam Urbem retinuit tacito quodam consensu pace cum Florentinis recepta. Demum verò diffidens illam tenere posse, grandi pecunia de Florentinis suscepta, Pisas tradidit ita secretò, ut priùs in arcem ipsam præsidium Florentini Populi receptum sit, quàm quicquam sentiretur. At Pisani ubi hæc resciverunt, invadentes confestim arma in Arcem ipsam impetum fecere. Tantaque fuit vis atque procella, ut expugnatam celeriter Arcem in suam redigerent potestatem, & Populi Pisani nomine gubernare Civitatem cœpere. Florentini autem delere susceptam ignominiam volentes, confestim eis intulerunt bellum; majoribus denique paratis copiis Pisas obsederunt. Post aliquot tamdem menses fame domita Civitas jugum suscipere coacta est, Joanne Gambacurta, quem Pisani ab

ab exilio revocatum sibi præfecerant, ob extremam famem Urbem dedente. Eo facto tantum crevit Florentini Populi nomen, quantum non omnibus bellis superioribus creverat. Urbs enim æmula, dudumque potentissima, bello obsidioneque perdomita, in ejus devenerat potestatem.

Paulò post captas à Florentinis Pisas Innocentius Pontifex Romæ diem obivit. Cardinales autem peractis circa funus solemnibus, ambigui fuerunt, num Pontificem alium in demortui locum sufficerent, an magìs supersederent electione. Faciebat verò ambiguitatem, quòd Principes Galliæ veriti, nè divisio Ecclesiæ perpetua efficeretur, Propontificem suum obligaverant ad Pontificatum deponendum, si vel noster Pontifex se abdicaret, vel eo vita functo Cardinales nostri electione supersederent. Hæc enim via redintegrandi, uniendique certissima visa fuerat; nam juris quidem disceptatio nec Judicem habebat ullum, qui superior esset, & inextricabiles alioqui continebat difficultates. Hac igitur via placente, cupiebant Patres in electione Pontificis supersedere; sed altera ex parte pericula magna, si supersederetur timebantur, quum & dilatio longa necessariò interventura foret, & nullo interim præsidente confusio atque ruina rerum formidaretur. Itaque mediam quamdam viam sequuti Patres, eligere quidem statuerunt, verùm ita obligare eum, qui eligeretur, ut se magìs procuratorem ad deponendum Pontificatum, quàm Pontificem factum existimare posset. Cautio in hunc modum adhibita: promisit, juravit, & vovit unusquisque Patrum, idque chyrographo solenni inscripsit, si Pontificem eligi se contingat, depositurum se Pontificatum, si adversarius Pontifex idem faceret; idque statim illi per literas significaturum, & invitaturum ad hoc ipsum faciendum; procuraturum insuper omni via & modo unitatem, idque bona fide, & sinè ulla fraude; promissionem, & votum, ac jusjurandum, quòd ipse præstitisset, omnibus Regibus, Principibusque per suas literas primo quoque tempore significaturum quo eos testes haberet obligationis suæ. Ea multis solennibusque verbis, quum in libellum redegissent, & Chyrographa singulorum confecta essent, agitare posthac de electione cœperunt. Vir quærebatur, non tam peritia rerum gerendarum, quàm fide integritateque idoneus. Quippe ad bene agendum in ea quidem re, non calliditate consilii, neque profundo arcanoque pectore, sed bona voluntate opus fore videbatur. Ita animati, quum singulos examinarent, tamdem in Angelum Corrarium natione Venetum mentem consensumque omnes verterunt.

Is fuerat paulò ante operâ Innocentii Pontificis inter Patres adscitus, quum antea titulo tenus Patriarcha Constantinopoleos haberetur, vir prisca severitate, & sanctimonia reverendus. Is ergo Conclavi egressus, promissionem, votum, & juramentum, quæ privatus fecerat, tunc in potestate constitutus, iterato novavit; atque ita loquebatur de Unione primo illo tempore, ut si cetera deessent, pedibus & baculo se iturum ad eam conficiendam asseveraret. Statimque adversario scripsit benignè, illum ad pacem invi-

A tans, & abdicationem mutuam offerens. Adversarius autem tantisdem ferme syllabis ad eum rescripsit. Eadem invitatio fuit, eademque cohortatio: Locus deinde necessarius visus est, in quo & Pontifices ipsi, & Collegia convenirent. Ad hoc Saona pari consensu recepta fuit, Urbs medio ferme spatio constituta, & tam mari quàm terra accessibilis. Prosperè hucusque & planè ex sententia. Deinde paulatim res labascere cœperunt, & cuncta in dies deteriora fieri. Voluntas enim illa Pontificis recta nequaquam satìs habere firmitatis reperta est ad Pontificatum deponendum: cujus rei culpam multi in propinquos ejus referebant; ab his B enim formidines inanes, & adumbrata pericula quotidie fingi, ac instillari ejus auribus prædicabant, quibus ille deterritus, nec Saonam accedere noluit, altero Pontifice illic constituto tempore se exhibente, & absentiam ejus incusante; & in ceteris, quæ facienda erant, difficilem se præbuit & morosum Roma tamen profectus est Senas, ibique longiore mora protracta, quum ab universis accusaretur, Lucam se tamdem contulit, data rursus inani spe, quasi cum adversario Pontifice coiturus. Erat in altero Pontifice non melior sanè mens, sed occultabat callidius malam voluntatem; & quia noster fugiebat, ipse obviam ire videbatur. Itaque C Saona profectus in Veneris Portum, atque inde, quo propior esset, Spediam venerat. Sed quum de congressu eorum per internuntios ageretur, noster tamquam terrestre animal ad litus accedere, ille tamquam aquaticum à mari discedere recusabat.

Quum per hunc modum desideria Christianorum, qui pacem unitatemque optabant, in longum ducerentur, non tulerunt Cardinales nostri, sed deserto Pontifice Pisas abiere. Idque auditum quum esset, alterius quoque Pontificis Cardinales, deserto illo atque relicto, Liburnum aufugêre. Ibi congressi simul, ac paulò post Pisis omnes recepti, D Concilium, missis per Orbem terrarum nuntiis & literis, advocarunt. Gregorius interea Senas reversus, paulò post Ariminum petiit. Ego Pontificem sequutus sum, potiùs familiaritatis gratiâ, quàm quòd ejus causam probarem. Quamquam fuit in Gregorio permagna vitæ morumque honestas, & prisca quidem, ut ita dixerim, bonitas. Scripturarum quoque scientia, & indagatio subtilis & recta. Denique in cunctis ferme rebus mihi satisfaciebat, præterquam in unionis negotio. Ego tamen, ut dixi, in ceterorum Curialium fuga illum deserere volui; sed & Senas & Ariminum sequutus, non priùs ab eo discessi, quàm gravi præcepto Civitatis E meæ revocatus sum. Arimino per id tempus præerat Carolus Malatesta princeps illius Familiæ. Huic viro nihil deesse videbatur ad excellentiam laudis. Idem robustissimo, ac pulcherrimo corpore, idem consilii maximi, ac magnitudine animi pæne immensa; idem egregia liberalitate, idem studiorum Literarumque peritissimus. Cum hoc ego viro familiaritatem maximam habui. Nec tamen corrumpit me amicitia in laudibus ejus recensendis, quas majores etiam merebatur, quàm à me prædicentur. Dum Arimini commoratur Gregorius, Concilium Pisis continuò assiduè cogebatur. Conveniteque tamdem

in eo loco multitudo ingens. Cunctarum ferè Nationum consensu in eo Concilio accusati de collusione Pontifices ambo, & Pontificatu, & Alexander natione Græcus ad Pontificatum adsumtus.

Per hæc tempora Ludovicus Andegavensis, filius ejus Lodovici, quem cum Carolo de Regno contendisse supra scripsimus, Pisas veniens, concessionem Regni Apuliæ ab Alexandro recepit; nam Ladislaus contra efficerat, quo Concilium impediret. Qua etiam de causa magno cum exercitu circa Aretium consederat, sperans eam Urbem per amicos paternos recipere, ac omnia turbare posse; etenim erat alioqui unioni infestus. Romam certè, aliasque Urbes, post recessum Gregorii, nullo respectu Ecclesiæ occuparat. Itaque Ludovicus cum exercitu nostrorum, contra Ladislaum missus est, cumque eo Baldassar Cossa ex Latere Legatus. Hæ copiæ, quamquam ingentes, non multum profecerunt, & ferè circa Urbem Romam commoratæ, nec ultra progressæ irrito cœpto redierunt. Alexander verò per Autumni tempus abiens Pisis Pistorium concessit. Ibi hyeme tota commoratus Bononiam petiit. Nec multo post Alexander moritur, anno ferè postquam sedere incœperat; in ejusque locum Johannes XXIII. assumitur. Hic dum in minoribus erat, Baldassar Cossa nominabatur, Sancti Eustachii Diaconus Cardinalis, vir in temporalibus quidem magnus, in spiritualibus verò nullus omnino atque ineptus. Qui anno ferè post creationem suam Bononiæ commoratus Romam tamdem petere constituit; fuerat enim illa priùs aliquando de Ladislai manibus extorta. Iter ejus per agrum Florentinum, & Senensem ad inferum Mare, inde per Tarquinatem, & Cerretanum ad Urbem fuit. Post hæc apparatus facti, missæque adversùs Ladislaum copiæ. Duces militiæ erant Paulus Ursinus, & Sfortia; aderat quoque Ludovicus Andegavensis, cui possessio Regni quærebatur, jampridem ab Alexandro Rex appellatus. Ab his commisso in finibus Regni prœlio Ladislaus profligatur. Quòd si duces militiæ sequi victoriam aut scivissent, aut voluissent, actum quidem erat de Regno; sed in morando, ac tempus terendo, recipiendi se se, ac reparandi vires facultatem victo Regi dederunt. Vox fuit postea Ladislai, qua die profligatus est, ea die & sui corporis, & totius Regni potestatem in manibus hostium fuisse. Secunda verò die corporis quidem sui potestatem amisisse, Regni tamen adhuc dominos esse potuisse, si prosequuti victoriam essent. Tertia verò die nec jam sui, nec Regni capiendi habuisse potestatem, quoniam adversùs illorum vim remedia comparasset. Post hæc fortuna varia fuit, ut modò pax inter Pontificem, & Regem, modò bellum vigeret. Ad extremum verò rupta pace, ac Paulo Ursino cum Pontificiis copiis in Picentibus obsesso, Pontifex Roma pulsus Florentiam venit. Factiones magnæ per id tempus in Florentinis vigebant, aliis Pontifici, aliis Regi faventibus. Ob eas factiones Pontifex intra Urbem invitatus non est, sed in suburbano Episcopi resedit; Curiâ tamen intra Urbem receptâ.

Rex per hæc tempora Urbem Romam, & alias omnes Urbes usque ad fines Senensium Florentinorumque occuparat; qui quum terribilis ac præpotens esset, latèque per Italiam dominaretur, nec ulla resistendi cerneretur spes, Johannem Pontificem impulit ad externa transalpinaque auxilia respicere. Sigismundus per id temporis Imperium susceperat, Vincislao fratre turpiter administrante, ac omnium jam opinione Principatu ejus antiquato. Ad hunc igitur, quum in finibus Italiæ esset, Johannes Pontifex Legatos misit duos ex Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, jam pridem tamen agitata inter eos re literis & nuntiis: unicum quippe remedium & Imperatori & Pontifici videbatur generale Concilium advocari. Sed erant circa hoc ipsum constituenda permulta, ceu locus, tempus, modus. Missi sunt igitur his de causis ad Sigismundum legati. Horum missio Legatorum ruinæ Pontificis initium fuit. Qua in re non videtur prætereundum, non videtur mirabile quiddam, quod tunc accidit, ut omnia cœlitus gubernari cognoscamus.

Communicaverat mecum Pontifex arcanè mentem, & cogitationem suam. *In loco*, inquit, *Concilii rei summa est: nec ego alicubi esse volo, ubi Imperator plus possit. Legatis igitur istis, qui à me mittuntur, mandata amplissima, potestatemque maximam ad honestatis speciem dabo, quæ palàm ostentare possint, atque proferre: secretò autem mandatum restringam ad loca certa*. Enumeravit mihi subinde loca. Quum in hoc proposito multos dies fuisset, tempus venit, quo proficisci Legatos oportebat. Tunc remotis ceteris, præter me unum, Legatos secretò allocutus est; multisque verbis cohortatus ad munus legationis diligentissimè obeundum, ostendens quanti ponderis illa res esset, cujus rei gratiâ mitterentur. Deinde conversus ad benevolentiam, quum eorum prudentiam, fidemque laudaret: ac melius illos cognoscere quid factu opus esset, quàm se ipsum, dicebat. Dum ista commemorat, atque inculcat, affectus ipse benevolentia, propositum diu cogitatum, momento temporis immutavit. *Decreveram*, inquit, *loca quædam nominare, à quibus nullo modo discederetis: sed in hoc temporis puncto sententiam muto, ac vestræ prudentiæ cuncta permitto*. Vos quid mihi tutum, & quid formidandum cogitetis: chartulamque, in qua ea loca scripta erant, in eorum conspectu laceravit absque ulla alicujus loci nominatione.

Legati igitur ad Sigismundum profecti, Constantiam pro loco Concilii delegerunt Urbem, & Transalpinam, & Imperatori subjectam. Quod simul atque intellexit Joannes, incredibile, quantum indoluit, se ipsum, ac fortunam suam detestatus, quòd tam leviter à cogitatione, propositoque illo pristino restringendorum locorum descivisset. Sed voluntatem Dei nemo vitare potest. Joannes principio hyemis Florentiâ Bononiam abiit: nec multo post congressum Sigismundi penes in Galliam Cisalpinam profectus, Placentiæ primùm cum illo congreditur: inde ad Laudensem Urbem profecti ambo Mense ferè toto in ea Urbe fuere. Ex Laude tamdem Cremonam petierunt. Conditio Galliæ Cisalpinæ mihi per id tempus non pessimamodò, verùm etiam miserabilis visa est. Adeò quassatas Urbes, ac regionem totam bello

bello afflictam vastatamque offendimus. Dux Mediolanensium erat Philippus Galeatii primi Ducis filius. Is juvenis tunc velut ex longo Principatus morbo vires resumere incipiebat: necdum tantum poterat, ut ceteras Urbes recuperare de manibus occupantium valeret. Itaque singulis ferè Civitatibus singuli dominabantur Tyranni: ubique magna pars Civium pulsa, aut necata; ubique villæ, ædificiaque exusta. Joannes, relicto apud Cremonam Imperatore, Mantuam petiit. In ea Urbe paulò longius commoratus, tamdem exacta hyeme tota, Bononiam rediit. Ea æstate quum Bononiæ resideret Joannes, suspensis omnium animis, & ad Concilium se præparantibus, Ladislaus Rex præter spem expectationemque omnium moritur. Quum enim exercitu coacto magnis copiis Perusiam usque venisset, Florentinique conterriti, relicta Pontificis societate, per se ipsi recepissent pacem, retrocedens Rex non satis bona valetudine Neapolim rediit; ibique post paucos dies è vita migravit. Ejus mors Florentinos, ceterasque liberas Civitates magnis suspicionibus, & manifestissimo, certissimoque periculo liberavit. Nullum enim diffugium erat eo vivente, quin colla tamdem submittenda fuissent, præsertim quum magna pars Civium jam tunc ad illum inclinaret. Pontifex maximè illius morte relevatus est, ut jam nil esset, quòd illum cogeret ad Sigismundum respicere. Sed tamen quia Concilium à Pontifice simul, Imperatoreque in eorum congressu illo Gallicano solenniter fuerat publicatum, & locus Constantiæ indictus, tempusque præfixum, quo adesse oporteret, noluit Pontifex promissis deesse. Itaque circiter Calendas Octobris Bononiâ movens per Veronensem, Tridentinumque agrum transmissis Alpibus Constantiam accessit. Eo & Imperator vênit, & incredibili Principum, Prælatorumque frequentia Concilium celebratur, ut essent quandoque in eo loco equorum supra triginta millia, ex quo multitudinem hominum licet conjectari. Discordiæ confestim inter Joannem Pontificem, Sigismundumque exortæ, alterum alteri suspectum planè, inimicumque reddidere. Quæ quum procederent longius, ac in dies magis pericula cernerentur, Joannes clam abire constituit: adjutus ad hoc, & planè invitatus factione Maguntini Archiepiscopi, & Federici Ducis Austriæ, qui quum Imperatori adversarentur, crescere illius auctoritatem ex oppressione Pontificis condolebant. Joannes itaque quum jam amplius quatuor mensibus in Concilio fuisset, tamdem propter suspicionem noctu incognitus cum paucis comitibus fugiens, Schafusiam abiit. Cardinalium nemo fuerat conscius. Secuti sunt tamen postea plerique eorum sub specie reducendi, reconciliandique. Qui quum nihil proficerent, vim Concilii verentes, Constantiam rediere. Joannes autem Burgundiam petere festinans, jussu Federici Ducis per viam retentus, Imperatori traditur. Timuit enim magnitudinem rei Federicus, præsertim quum per id factum Imperatorem simul, & Concilium in suam ruinam provocasset. Itaque ex protectore proditor factus, reducere illum, ac tradere constituit. Non tamen Constantiam reductus est: sed alia per Oppida captivus detentus, seu sponte, seu invitus Pontificatu se abdicavit. Lentum deinde negotium Concilii fuit: quum & corrigere in Ecclesia permulta ac tollere penitus Schisma niterentur. Vivebant enim adhuc Gregorius, & Benedictus, ambo nuper in Pisano Concilio damnati. Gregorius in Picentibus constiterat, & quamquam omnes Populi, præter paucula Malatestarum Oppida, ab eo descivissent: ipse tamen se Pontificem nuncupabat. Is ergo Constantiam misit, seque penitus abdicavit. Benedictus autem in Hispania consistens, licèt à cunctis destitutus, suâ tamen se pertinaciâ nutriebat. Hic ergo rursus improbatus, ac damnatus est. Post multa Concilii decreta, & longi temporis moram, ad creationem novi Pontificis intendentes Cardinales, & nationes singulæ ex auctoritate Concilii Oddonem Diaconum ad Pontificatum delegerunt. Is fuit natione Romanus ex familia Columnensium, vir antea nequaquam sagax existimatus, sed benignus. In Pontificatu tamen ita opinionem de se priùs habitam redarguit, ut sagacitas quidem in eo summa, benignitas verò non superflua, neque nimia reperiretur. Peracto demum Concilio in Italiam reversus per fines Mediolanensium, Mantuanorum, Ferrariensium, Ravennatium, Forliviensium, Florentiam vênit, Bononiam vitans, quæ se per id tempus in libertatem vindicarat. Florentiæ biennium ferè resedit, peropportuno loco ad rem Ecclesiæ componendam. Nam & cum Braccio, qui Ecclesiæ Oppida permulta occuparat, opitulantibus Florentinis, concordiam fecit: illiusque post hæc fretus opera Bononiam redegit in suam potestatem, & ceteras Urbes ubique recepit, ex quo ejus plurimum crevit auctoritas.

Per hæc ipsa tempora Joannes, qui depositus Constantiensi fuerat Concilio, Florentiam vênit. Magna profectò res, ac mirabilis; quam paulò altius repetam pro ejus cognitione. Joannes post captivitatem illam, & abdicationem in Bavaria carcere servabatur. Erat autem scrupulus quidam apud multos, quoniam depositio, abdicatioque illius violenta fuerat, num jure subsisteret. Quod si illa dubia, Martini quoque electio in ambiguum veniebat: quoniam non vacanti Ecclesiæ provideri de novo Pastore non potuerit. Ob hunc timorem Martinus, & simul ne Germaniæ Principes hoc habentes idolum, per eam occasionem aliquid quandoque molirentur, redimendum Joannem, & in Italiam reducendum providit. Igitur per hunc modum exemtus carcere, quum in Galliam pervenisset, consilio Martini cognito (id erat, ut Mantuæ perpetuo carcere teneretur) antequam Mantuam veniret, rursus aufugiens in Ligures abiit. Ibi quum esset liber, ac sui juris, sive conscientia ductus, sive quòd desperabat aliquid proficere posse, sponte sua Florentiam vênit, & se se pedibus Martini subjiciens, eum ut Pontificem verum & unicum recognovit. In adventu ejus tota Civitas obviam profusa multis lachrymis, & incredibili commiseratione respexit hominem de tantæ dignitatis fastigio in tantas calamitates prolapsum. Ipse quoque miserabili prope habitu incedebat. His omnibus commiseratio Populi augebatur. Susceptus à Martino tamdem intercessione Civitatis primus Cardinalis efficitur, nec annum integrum super-

ftes è vita abiit. Martinus autem pace cum Braccio facta, quum & Oppida recepiſſet, ac omnia pacata viderentur, Romam petere conſtituit. Nec ſatis benevolo erga Florentinos animo decedere credebatur, carminibus quibuſdam, quæ de ſe vulgo circumferebantur, infenſas. Memini me non multis diebus, antequam abiret Martinus, in cubiculo ejus fuiſſe, quum unus aut alter Cubiculariorum adeſſent, præterea nemo. Ambulabat ille de Bibliotheca ad feneſtram quæ hortos reſpicit: quum aliquot ſpatia tacitus confeciſſet, deflexit è veſtigio iter ad me, quumque proximè ſe admoviſſet, porrecto in me vultu, brachioque molliter elato, *Martinus*, inquit, *Papa quadrantem non valet*. Atque ego ſtatim verba illa recognoſcens (erat enim cantilena, quæ de illo dicebatur Italica Lingua, ſcilicet, *Papa Martino non vale un quattrino*) Quid eſt, inquam? num ad aures quoque tuas hæ puerorum nugæ pervenerunt? Ille verò nihil ad hæc: ſed eodem veſtigio conſiſtens, iterato ſubjunxit: *Martinus Papa quadrantem non valet*.

Tunc ego manifeſtius deprehenſa illius infenſione animi (refricabat enim verba de ſe vulgo cantata) ſtatui, ſi qua poſſem, pro Civitatis honore vulneri ejus mederi. „ Itaque, quum alia nulla, inquam, Civitas, Beatiſſime Pater, tibi & Romanæ Sedi tantas commoditates, utilitateſque attulerit, quantas, dum in ea reſediſti, Florentia contulit; nihil glorioſius, quàm Pontificatus iſte tuus reperiri poterit. Veniſti Florentiam, quum nihil temporalis dominii poſſideres, occupatis ubique per adverſarios Oppidis, Bononia quoque parêre abnuente, ut tibi neceſſarium fuerit, quum ex Ferraria Florentiam venire velles, per Ravennatem, & Forlivienſem agrum longo ambitu iter deflectere. Te Florentiæ commorante, & cetera Oppida in poteſtatem tuam redierunt, & Bononia ipſa, quam priùs extulerat, cervicem ſubmiſit. Contulit verò ad hæc plurimum opportunitas hujus Urbis, propterea quòd Braccius amicitiam fidemque Florentini Populi ſecutus, ad te venire non dubitavit, & intercedente Civitate, diſcordias omnes componere, atque Oppida reddere; illiuſque tum poſtmodum fretus operâ Bononiam tibi parêre vi adhibita compuliſti; ut longè latèque nunc tua potentia dominetur. Te inſuper Florentiæ commorante, quum proſpera ubique de te, ac de Sedis tuæ loco circumferrentur, Cardinales ab Hiſpania, deſerto Benedicto, hunc ipſum ad locum venientes, te ut verum atque unicum Pontificem recognoverunt. Quo facto tres obedientiæ dudum ſeparatæ, in te uno conglutinatæ ſunt. Ad hæc duo incrementa hoc in loco ſuſcepta, tertium illud præſtantiſſimum, excellentiſſimumque omnium felicitate mirabili cumulatur: Quod qui dudum fuerat Joannes Pontifex, de cujus depoſitione propter vim adhibitam multi dubitabant, & ſcrupulus quidam relinquebatur in mentibus: ſecuritate atque fiducia hujus loci Florentiam vênit, tibique ſe ſponte ſua ſubjecit, ac Dominum, & Pontificem veriſſimum recognovit. Quo facto, omnis penitus eſt ſcrupulus, ambiguitaſque ſublata. Neque enim de vi illa adhibita ſollicitus eſſe quiſquam poteſt, quum ipſius voluntaria in loco ſibi tutiſſimo ſit conſpecta ſubjectio. Et acceſſit, quod paulò poſt defunctus eſt, ut & admiratio, & querela, & (ut ita dixerim) fortunæ ludibrium tolleretur. Illud certè conſtat, nullo alio loco illum ad te venturum fuiſſe, niſi in hac Urbe, in qua permagnas amicitias privatim & publicè ſe habere ſentiebat. Hæc ſunt, pro quibus gratiam tuam Florentia promeretur; cujus vel opportunitate, vel obſequio, vel auſpicio tanta Pontificatui tuo ſuperacceſſerint incrementa. Nam puerilibus quidem nugis aures admovere, & quid ætas illa loquatur attendere, vix tuæ videtur gravitatis. Martinus autem hæc audiens lætari admodum viſus eſt: meque palàm multis verbis laudavit, ac veriſſima dicere conſenſit. Quanti verò feciſſet verba mea, paulò poſt oſtendit. Nam quum abire ſtatuiſſet, vocato ad ſe Florentinorum Magiſtratu, *valde obligor*, inquit, *huic Civitati. Cognoſco enim, quàm multa proſpera in illa, & per illam mihi contigerunt*. Deinde illa ipſa enumerans eodem ordine, quo à me dicta fuerant, cuncta recenſuit. Florentia tamdem abiens Martinus Romam ſe contulit, ibique per aliquot annos beatè regnavit, præcipuè tamen poſt Braccii mortem ejus crevit potentia. Braccius ipſe magnus profectò vir fuit. Nam & dux rei militaris peritiſſimus habebatur, & magnitudine animi, conſilioque pollebat, & aderat ei adumbrata quædam civili moderatione honeſtas. Hic ex Oppido Montone Peruſini agri nobilibus admodum parentibus ortus, ſtatim ab adoleſcentia rei militari ſe tradidit, multiſque vulneribus atque laboribus peritiam tamdem, auctoritatemque boni ducis eſt aſſecutus. Exulabat per id tempus Peruſina nobilitas ferè omnis; inter quos Braccius, licèt admodum juvenis, conſilio tamen & auctoritate princeps habebatur. Denique variâ militiâ per Italiam actâ, multiſque rebus geſtis, in id potentiæ auctoritatiſque accreverat, ut Peruſinos diverſæ factionis, qui domi erant, vi & armis compulerit nobilitatem recipere; ipſe verò Dominus Peruſinæ Urbis à Populo ſimul ſit ac nobilitate delectus. Hinc ille magnificentius vires extendere cœpit, ac multas ſubinde Urbes ſibi ſubditas facere, ut quum vênit Florentiam Pontifex, hic plurima poſſideret. Initâ deinde cum Martino concordiâ, quum Oppidorum partem dimiſiſſet, partem concedente Martino retineret, non diu tamen in ea perſeveravit.

Erat per idem tempus Sfortia, magnus & ipſe profectò vir, & in quo rei militaris peritiam alii majorem eſſe, quàm in Braccio, alii parem exiſtimabant. Hic quoque multas ac magnas res geſſerat, & per omnes militiæ gradus ad famæ atque gloriæ culmen aſcenderat. Inter hunc & Braccium amicitia tamdiu fuit, quamdiu minores utrique fuerunt: auctos verò atque potentes æmulatio atque contentio irritavit. Itaque & prœlia nonnumquam inter ſe commiſere: & quum inflammati plurimum eſſent amborum animi ad certamen, Sfortia in tranſitu fluminis Piſcariæ ſubmerſus periit. Et Braccius paulò poſt, quum Aquilam Urbem obſideret, Martino copias ſuas, amicorumque ad liberandam obſidione Urbem ſubmittente, præter ſpem omnium pro-

A profligatur, atque occiditur. Florentini per
hoc tempus bellum resumserant adversùs
Philippum Ducem Mediolanensium. Creve-
rat enim ille, ac vires paternas mirabili qua-
dam felicitate resumserat; & addiderat ad
paternam dominationem Genuam Urbem.
Quum ergo jam terra marique formidabilis
esset, ac magnos duces, magnumque equita-
tum haberet, & circa Forum-Livii, Imo-
lamque se inserere videretur: susceptum ad-
versùs eum est bellum, missæque à Florenti-
nis copiæ apud Sagonaram profligantur. Phi-
lippi autem duces post victoriam multa loca
Florentinæ ditionis per Apenninum mon-
tem occuparant. Adversùs hunc tumultum
B in dies crescentem, Oddo Braccii filius, puer
adhuc sub gubernatione atque cûra Nicolai
Picinini cum magna paternorum equitum
manu conducitur: qui Aretium primùm,
mox in agrum Mugellanum traducti hostiles
impetus repressere, cursumque eorum victo-
riæ retardarunt. Sed post multa atque egre-
gia belli opera, quum tamdem in saltus dif-
ficiles se conjecissent, circum Monam flu-
vium profligantur: captusque Nicolaus Pici-
ninus Faventiam ducitur. Nam Oddo in
ipsa profligatione vulneratus obierat. Hinc
vacillare Civitatis res iteratò cœpere, & in
magno esse metu. Sed accidit percommodè
Picinini captivitas: quoniam Faventinum
C Dominum, in cujus manibus ipse erat, ad
nos traxit, conditionibus melioribus, utilio-
ribusque oblatis. Itaque secuta mox æstate
belli omnis impetus ad Faventiam constitit.
Copiæ Florentini Populi intra Urbem Fa-
ventiam, adversariorum autem copiæ longè
majores ad Imolam, Forumque Livii, cir-
cumque ea loca degebant; prœliaque per-
crebra quotidie gerebantur ad ipsas prope Fa-
ventiæ portas. Denique Faventia eo anno
murus nostræ fuit Civitatis. Nec enim du-
bium erat, quin omnis impetus belli Floren-
tina in mœnia recasurus fuisset, nisi Faven-
tia obstitisset. Post longum certamen in
agrum tamdem Aretinum impetus belli re-
dactus est ex hujusmodi causa. Magistratus,
D qui pro Florentino Populo Anglaræ Oppi-
dum gubernabat, sperans sibi lucrum fore,
si ab ea parte turbationes concitarentur, Bur-
genses quietos homines, nec hostile quicquam
molientes, hostiliter ipse invasit: vastatisque
infestè agris, ac prædæ expositis, summis
injuriis eos affecit. Illi tam insigniter læsi,
nulla fuit mora, quin copias hostium ad se
convocarent. Hæ copiæ quum eo venissent,
cuncta circum Anglaræ ferro igneque popu-
latæ sunt, & copias Florentini Populi sub
ipso Oppido stantes perfregerunt. Per hunc
modum belli certamen & impetus ex Faven-
tino agro in Aretinum redigitur. Nicolaus
E Picininus per hunc tumultum in Aretinos
tractus, non satis bono animo esse videba-
tur, & prædicabat obsequia sua nequaquam
gratè à Florentinis esse suscepta. Tempus
verò stipendiorum suorum ad finem deve-
nisse, se jam alia sibi cogitare. Hæc ab eo
palàm jactata interpretabantur homines, quasi
vellet ille consueto hoc militantium more
stipendia sibi augeri: & vulgo jactabant, ab
amicis ejus, qui non pauci Florentiæ, nec
impotentes erant, hanc viam ostensam illi,
quo majora consequeretur. Ob hanc igitur
opinionem nulla diligentia est adhibita, quo
retineretur. Sed quum finis stipendiorum
venisset, secedens in Cortonensem, & Peru-
sinum agrum, paucis post diebus se ad sti-
pendia Mediolanensis Ducis conductum osten-
dit. Subindeque conjunctus hostibus, unà
cum illis in agrum Aretinum regressus, Clas-
sium, & Castrum novum, & Pontenanum,
& quicquid Castellorum est inter Bibbienam,
& Aretium cepit. Hic tumultus plurimum
turbavit nostrorum mentes; nec solùm tre-
pidare, verùm etiam diffidere, desperareque
coëgit. Erat enim multitudo hostium ingens,
nostri autem perquam pauci, insuper impa-
rati & fracti videbantur. Quum ergo non
immeritò trepidaretur, ad Venetos respice-
re Florentini cœpere, existimantes illis quo-
que formidandum esse Mediolanensis Ducis
opes usque adeò augeri. Nec falsa quidem
erat existimatio. Formidabant enim, ac mo-
lestè ferebat, gravemque illius propinquita-
tem futuram putabant Civitati suæ. Quibus
rationibus ad societatem trahebantur. Phi-
lippus verò, ubi hæc tractari sensit, ne
coirent simul Civitates, pacem obtulit Flo-
rentinis: prælata est tamen Venetorum so-
cietas paci, cui non satis credendum homi-
nes arbitrabantur.

Post eam societatem contractam, repente
Brixiam Urbem Veneti invasere. Quare
conterritus Mediolanensis Dux confestim re-
vocavit ex Etruria copias. Florentini quo-
que bifariam partitis copiis, earum partem
in Galliam Cisalpinam misêre, quo Venetis
jungerentur: partem ad recuperanda Castel-
la Aretini agri priùs amissa retinuere. Et
Castella quidem illa non sinè difficultate re-
cuperata sunt: & in Gallia prosperè bellum
est gestum. Brixia quoque tota cum arcibus
in potestatem Venetorum devenit. Pax dein-
de cum Mediolanensi Duce facta, in qua
insuper Bergomum, & Oppida quædam Ve-
netis dimisit. Post non integro biennio de-
curso, aliud rursus bellum renascitur, longè
periculosius, quàm primum. Fluxit verò ex
hujusmodi causa. Nicolaus Braccii sororis
filius cum aliqua equitum manu inter copias
Florentini Populi per Galliam militaverat.
Hic finito bello in Etruriam reversus, quum
ad ceterorum exemplar stipendia, utpote
recepta pace, ipsi minuerentur: non tulit
ille quidem, neque assensus est: sed per id
ipsum tempus majores sibi copias parare con-
tendit. Et vulgabatur, illum in Umbria,
quoniam inde ipsi origo foret, aliquid esse
moliturum. Quum ergo ad aliquem modum
auctus jam esset, repente in agrum Lucen-
sem profectus, regionem totam subita clade
involvit. Lucensibus per id tempus domina-
batur Paulus Guinisius, eratque cum illo pax
Florentinis. Odia tamen suberant, quòd pro-
ximo bello cum hoste sensisse ferebatur. Fi-
lium certè cum equitatu ad eum miserat, ea
tamen lege, ne adversùs Florentinos, Ve-
netosque bello gerendo adesset. Itaque etsi
ignara Civitate impetus erat factus, tamen
quia causæ suberant, ac ex nostris Oppidis
moverant, suspicionem præbuit, quasi oc-
cultâ Civitatis operâ factus impetus fuisset.
Qua opinione multi nostrorum his locis fini-
timi ad prædam, direptionemque concurre-
rant, ut jam non integra res Civitati, sed
cœpta quodammodo videretur. Punire enim
transgressores præ multitudine non licebat;
&

& simul multitudo urbana mirabili ardore id bellum deposcebat. Denique rejectis majoribus gravioribusque, qui diversa suadebant, concursu multitudinis bellum suscipitur. Quo facto, statim permulta Lucensis agri Castella sese Florentinis dedidere. Lucâ deinde obsessâ, & aggere circumdatâ, adeò vana spe, ut sibi suaderent stulti quidam aqua per aggerem inundari posse. Id quum sperare vanum esset, & in longum obsidio traheretur: veniens demum Franciscus Sfortiæ filius Lucam obsidione liberavit; nostris bono consilio ad Librofactæ mœnia sponte sua se recipientibus. Hostes autem paulò post circa Nebulam Fluvium profecti Pisciam oppugnarunt, & Buggiam vicum ceperunt. Nec multo post ipse Paulus Guinisius, qui Lucæ dominabatur, dolo suorum captus, Mediolanum transmittitur. Franciscus autem Sfortia pecuniâ à Florentinis acceptâ Lucam restituit. Rursus ergo majori vi obsessa à Florentinis, quum jam ad extremum devenisset, adventu Nicolai Picinini obsessores profligantur. Missio Nicolai Picinini, & priùs Francisci Sfortiæ à Philippo Duce Mediolanensi processerat. Ob eamque rem resumtum fuerat adversùs eum bellum, flagitantibus Florentinis, ut Veneti per Galliam Philippum adorirentur. Inter hæc Senenses apertè defecerunt à Florentinis, jampridem illis infensi ob Lucæ obsidionem, per quam nimia crescendi, ac vicinis dominandi cupiditas deprehendebatur; ac suspecta jampridem illis erat Civitatis potentia. Picininus ergo Pisanum, Florentinumque agrum invadens, non priùs destitit, quàm à Luca Senas usque sibi viam aperuit: ipse quoque eo profectus Staggiam obsedit. Inde in Aretinos spe proditionis tractus, quum detecta proditio esset, Castella in his locis subita improvisaque vi complura cepit. Hoc bellum maximè attrivit Florentini Populi opes, ac in summum discrimen adduxit: quum & Pisæ vix & anxiè retentæ sint in potestate, & omnia Castella Pisani, Volaterranique agri fuerint amissa; & in Aretinis fluctuarent omnia; & in Florentino etiam agro Castella quædam Senenses occupassent: & intra Urbem crebris intolerabilibusque tributis Cives exinaniti, & ærarium penitus esset exhaustum. Querelarum itaque plena erant omnia, ut fieri solet in Populo, malè succedentibus rebus; nec quicquam erat odibilius, quàm ii Cives, quorum operâ bellum Lucense fuerat susceptum. Per Galliam quoque Cisalpinam varia ejus belli fortuna modò Venetos, modò Mediolanensem Ducem afflixit. Hoc fervente bello Sigismundus Imperator in Italiam vênit: nec magnas copias secum adduxit, utpote qui in Philippi Mediolanensis potentia, opibusque fundamenta sui transitus collocasset. In Gallia longiori mora per hyemem tracta, quum Mediolani primùm, deinde Parmæ desedisset: tamdem secuta mox æstate in Etruriam transiit. Ob ejus adventum Civitates erectis animis vel timore, vel spe suspensæ perstabant, magnum profectò aliquid molituræ. Sed imminuit ejus auctoritatem, quòd his ipsis diebus præmissi equites Philippi Mediolanensis, magna strage ab equitibus Florentini Populi sub Toporio Oppido profligati sunt. Qua nostri victoria elati, ubi venisse in Urbem Lucam Imperatorem cognoverunt, eo vadentes, ad ipsas prope portas posuerunt castra, cunctaque circa Urbem populati sunt, intus manente Imperatore, ac prohibere vastationem nequeunte. Hæc res & his, qui erigebantur ob ejus adventum, fiduciam eripuit; & his, qui formidabant, metum ademit. Post hæc in agrum Senensem traductis copiis, quo illic quoque vastarentur segetes, duces parum admodum circum ea loca commorati, in fines Aretinorum sese receperunt, causantes commeatum Senensi in agro sibi deesse. Itaque per eorum absentiam Imperator adeundi Senas facultatem nactus, eo festinavit: Senis aliquot menses commoratus, tamdem Romam profectus est de Pontificis voluntate. Pontifex erat Eugenius IV. natione Venetus: qui Martino defuncto in Pontificatu successerat. Ab hoc Imperator solenniter coronatus est.

Per hæc ipsa tempora pax recepta est cum Mediolanensi Duce, ac bello finis impositus. Per eam pacem omnia Castella reddita sunt Florentinis, quæ in Pisano, Volaterrano, Aretinoque agro hostis cepisset. Hostibus quoque omnia Castella Lucensis agri, quæ priùs ceperant Florentini, reddidere. Imperator demum Româ abiens per Tudertinum & Perusinum agrum profectus, Ariminum petiit. Inde per Ravennatem, ac Ferrariensem, & Mantuanum trans Alpes abivit. Et quidem tanta varietate vel animi, vel fortunæ, ut inimicissimus Philippo Mediolanensi abierit: cujus favore atque opibus Italiam intrasset; Venetorum autem, quibus maximè inimicus venerat, amicissimus recederet. Erga Florentinos quoque, licèt apud Lucam graviter ab his offensus, non inimico esse animo visus est: tentavitque in recessu illo Florentiam venire; sed non recipiente Populo aliud iter secutus in Germaniam rediit. Nec diu supervixit. Nam triennio ferme post reditum ejus in Ungaria defunctus est. Hunc Principem nos Placentiæ primum vidimus in congressu illo Joannis Romani Pontificis, & aliquem cum eo usum conversationemque habuimus, dum Laudæ, Cremonæque constitimus. Postea verò Constantiæ magìs naturam illius moresque conspeximus. Fuit autem procul dubio vir inclytus, præclara facie, corpore tum specioso, tum robusto, magnitudine animi sive pace sive bello eximia, liberalitate verò tanta, ut hoc unum illi vitio daretur, quòd largiendo & erogando sibi ipsi facultates detraheret ad negotia bellaque obeunda. Huic successit in Imperio, ac Regno Hungariæ Albertus Dux Austriæ, qui nec ipse diu vixit. Sed hæc postea facta sunt: nos autem ad nostra tempora revertamur.

Post eam pacem, de qua supra diximus, Franciscus Sfortiæ filius, qui cum equitatu apud Mediolanum Ducem militaverat, per speciem allevandæ militiæ dimissus, in Picentes devênit. Ibi quum dedentia se sibi Oppida permulta suscepisset, elatus successu, iter in Apuliam ab initio destinatum omittere statuit, ac circum ea loca vires extendere. Hujus propinquitas Eugenium intra Urbem Romam trepidare coëgit, & accedebat terrori, quòd Nicolaus Braccii forooris filius, qui modò sub eo Pontifice militaverat, alienatus atque infensus Pontifici, quasi

quasi eum opprimere dolo tentasset, magno tumultu Tibur occupaverat; indeque bellum Romæ gravissimum inferebat. Intra Urbem verò nihil sani, neque pacati videbatur; nec satis Eugenii prospera fama; præsertim quia Pontificatum tranquillissimum à Martino susceptum, ipse confestim magnis turbationibus involvisset. Concilium per id tempus Basileæ cogebatur; & accesserant eo Cardinales quidam. Eugenius autem Romæ consistens, magnis vexationibus premebatur: quibus tamdem ex Urbe Roma clam fugere coactus, mari Pisas delatus, indeque Florentiam veniens, aliquandiu in ea resedit. Hoc quoque in loco multa ab eodem Pontifice tentata, haud satis quieti & paci congruentia, & illud in primis quòd Bononienses vi & armis cogere in sua imperia perrexit. Ex quo turbationes ortæ graves, ac pæne in bella reditum. Bononienses enim ab illo vexati, Mediolanensis Ducis auxilia confestim vocavere, copiisque hinc inde coactis, noster, Venetorumque equitatus Pontifici concessus, non longè ab Imola Urbe à Picinino profligantur; Duxque copiarum Florentini populi Nicolaus Tolentinas Mediolanum captivus transmittitur. Florentiæ quoque per hoc ipsum tempus vehemens in Republica mutatio fuit, reductoque Cosmo Medice, & agnatis, qui superiore anno fuerant expulsi, diversa factio satis magno numero in exilium agitur. Concordia deinde inter Eugenium, & Philippum Mediolanensem secuta; Imolaque, & alia quædam Flaminiæ Oppida Pontifici restituta. Stabilita quoque pax iterum, in qua Veneti, & Mediolanensis Dux, & Florentini comprehensi sunt; eo pacto ut si quis eorum alterum offenderet, ceteri omnes adjuvare eam partem, quæ offensa foret, tenerentur. Hæc & solenniter facta, & plena maximè spei durationem minimam habuere. Nam quum haud multo post Genua, quæ sub imperio Mediolanensis Ducis erat, ab eo defecisset, Florentini & Veneti usque adeò gratè id susceperunt, ut non abstinerent ab auxiliis præstandis, quo Genuenses in libertatem se magis assererent. Et sanè potentia Mediolanensis Ducis eximia, & animus extendendi Imperii cupidus insidam ac suspiciosam confœderationem reddiderant. Causa verò rerum novarum Genuensibus fuit, quòd quum Aragonum Regem non procul Gajeta navali prœlio superatum cum duobus fratribus, ac magna procerum multitudine cepissent: Dux Mediolanensis eum Regem, fratresque Mediolanum reductos & humanissimè suscepit, & liberalissimè dimisit. Mirabili certè magnificentia fretus in duobus simul Regibus, ac tot proceribus liberendis. Sed ea liberalitas amittendi Genuam causa fuit. Genuenses enim usque adeò indignè tulerunt, Regem sibi inimicum absque ulla sui ratione esse dimissum, ut Mediolanensis Ducis jugo repulso in libertatem se vendicarent. Florentini verò & annona primùm, & mox auxiliis militum eos juvarunt. Per hoc ipsum ferè tempus Basilica Florentina ab Eugenio Papa solenniter dedicata fuit. Cujus rei causa pons ligneus incredibli celeritate, ac mirabili opere ædificatus est ab Ecclesia Prædicatorum, ubi Pontifex habitabat, ad ipsam Basilicam, quæ erat dedicanda. Is verò pons non solùm ad magnificentiam pertinuit, verùm etiam ad necessitatem. Tantus enim in ipsa dedicationis die concursus hominum fuit ex agro, ac finitimis Oppidis, & ex ipsa multitudine urbana, ut complerentur omnes aditus, omnesque viæ; nec Pontifex cum suis Cardinalibus, & Prælatis transire umquam præ nimia turba potuisset; nisi pons ad hoc ipsum superinjectus viam eis præbuisset. Incœpit autem is pons à porta ipsa Ecclesiæ Prædicatorum, inde novam plateam secans, usque ad caput viæ, quæ ducit ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ majoris, perque ipsam viam ubique continuato ponte usque ad Templum Baptistæ, proximamque subinde Basilicam pervênit. Erat verò latitudo pontis circiter brachiorum quatuor, pedesque lignei transversa sustentabant tigna. Super his verò tabulata erant. A lateribus verò columnæ paribus inter se distantes spatiis insurgebant in altitudinem brachiorum septem. Hæ ad pavimenti tigna infixæ aliis rursus exilioribus tignis in extrema altitudine vinciebantur. Super his vela erant, quibus pons tegebatur universus, cum papilionibus utrinque pendentibus: pavimentum rursus ab utroque latere usque ad zonam hominis aulæis erat munitus. Per hunc pontem incedens Pontifex, magna & ipse pompa, magnoque ornatu, cum omnium Cardinalium, Prælatorumque multitudine, ad Basilicam pervênit, spectante Populo de inferiori loco, & tanti pontis ornatum, ac tam venerabilem pompam cum lætitia intuente.

Haud multo post dedicationem hanc Eugenius Bononiam se transtulit, recepta jam pridem ea Civitate post Mediolanensis Ducis confœderationem. Luca deinde rursus obsessa est à Florentinis ex hujuscemodi causa. Venerant in agrum Lucensem permagnæ equitum copiæ Philippi Mediolanensis; ducebat autem eas copias Picininus, petebatque à Florentinis, ut pacatè sibi transire in Senensium fines liceret. Florentini autem suspicantes fraudem aliquam subesse, transitum negaverunt, ac, ne fortè vi transire adorirentur, Franciscum Sfortiam celeriter vocatum (erat enim Venetorum, Florentinorumque militiæ dux) venientibus opposuerunt. Initium hyemis erat, quum hæc facta sunt, statumque est per universam hyemem ambigua pace, quum à nostris fines agri Florentini Pisanique defenderentur, ab hostibus verò circum ea loca desidentibus suspiciones magis quàm apertum inferretur bellum, Serezanam tamen & alia quædam Lucensis agri Castella per eam hyemem hostes ceperunt, & duo parva loca in agro Pisano ad extremum occuparunt. Transacta demum hyeme nostros majori apparatu Pisis egressos non expectarunt hostes, Erant enim afflicti longâ hyemis militiâ, sed trans Apenninum abeuntes in Galliam se receperunt. Nostri verò receptis omnibus Castellis primò amissis (quandoquidem materia deerat belli) Lucenses invadere constituerunt, eis succensentes, quòd hostibus auxilia præstitissent, quòdque eos in commeatu, ceterisque rebus, quæ sunt ad usum belli, sustentassent.

Itaque contra Lucenses versis signis cuncta ferme eorum Castella ceperunt, & Lucam

cam ipsam obsederunt, ut parva admodum, vel nulla spes evasionis superesse videretur. Nam hostium copiæ per hyemem superiorem diutius in agro Lucensi commoratæ omne quasi frumentum ejus Urbis consumserant. Nova autem frumenta, priusquam maturescerent, nostri vastarant. Quare in extremo constituta Civitas frumenti defectu peritura videbatur. Nutriebat tamen eorum spem Nicolaus Picininus, qui se venturum ad obsidionem solvendam minitabatur, & apparatus quosdam ad ostentationem faciebat. Ceterùm socii magis, quàm hostes, Lucæ profuerunt. Veneti quidem antiqui socii, & Genuenses nuper in societatem recepti, ad alia vocantes, bis aut ter obsidionem interruperunt, quum aliàs Pontremulum, aliàs contra Parmam dux & copiæ traducerentur. Id Florentini perindignè ferebant, atque ita alienationes quædam animorum exortæ sunt Florentinos inter & Venetos, jactabantque permulti Venetis non placere, ut Luca in Florentini Populi deveniret potestatem. Ea suspicio paulatim subcrescens dividendæ societatis causa fuit, præsertim postquàm duci copiarum, transire Padum recusanti, denegata penitus stipendia fuerunt à Venetis. Tunc enim quasi deficiente societatis fide, Franciscus Sfortia de reconciliatione cum Mediolanensi Duce agitare cœpit. Florentini autem quo se verterent nesciebant; venerat enim Picininus cum magnis copiis per Flaminiam usque ad Forum-Popilii, quasi inde in Etruriam transiturus. Veneti autem spectatores sedentes otiosi: Oratores nostri Venetias missi non audiebantur. Ita cogente necessitate Florentini reconciliationem sequuti sunt, & cum Lucensibus pax ea conditione recepta, ut obsidio Lucæ solveretur; Castella verò, quæ ceperat Florentinus, retineret. His peractis Picininus statim retro conversus, Forum-Livii, & Imolam, & Bononiam occupavit. Inde in Venetos transiens omnes belli clades, quas Florentinis inferre paraverat, contra illos exercuit, multisque Venetorum Oppidis captis, tamdem Brixiam obsedit, atque ita oppugnavit, ut mœnia Urbis crebro tormentorum pulsu quibusdam locis everteretur. Hæc omnia mirabili celeritate Picininus effecerat. Proxima deinde hyeme Eugenius Papa Florentiam reddit, adducens secum Imperatorem Græcorum, quibus de rebus, altius resumto principio, est à nobis dicendum.

Eugenius enim cum Florentia Bononiam se contulisset, de unione Græcorum agitare cœpit. Mota prius hujus rei mentio fuerat in Concilio Basiliensi; deinde ab Eugenio recepta procuratio est, quo Basiliensis Concilii auctoritatem minueret. Itaque Græci priùs auctoritate Concilii permoti, quum ad eum pervenire locum, in quo Papa & Concilium foret, spopondissent, indicto à Pontifice apud Ferrariam altero Concilio, quum illuc quoque Pontifex accessisset, Græcos eo pertraxit. Venerant enim jam Venetias Græci, qui & si ab initio ambigui starent propter Basiliensium, Pontificisque discordias, præter eorum spem apud nostros repertas, tamen viam Pontificis ad extremum sequuti, Ferrariam se ad Pontificem contulere. Aliquot mensibus negotium unionis Ferrariæ agitatum quum esset, superveniente peste, Græci unà cum Pontifice Florentiam se transtulere, receptique benignè; post aliquot menses quam Florentiam venerant, unitatem demum & concordiam iniere, sublatis quibusdam circa Fidem erroribus. Fuit autem numerus Græcorum, qui Florentiam venerant super quingentos. In his verò & Imperator, & Frater ejus germanus, & Patriarcha Constantinopolitanus cum multis Archiepiscopis, & Prælatis, multique cum Imperatore proceres, secularesque insignes viri, ac literarum non sacrarum modò, verùm etiam Gentilium bene periti.

Florentiæ dum essent Græci, redintegratio fœderis noviter facta est inter Florentinos & Venetos. Picininus enim post Brixiam oppugnatam transgressus Athesim fluvium, circa Veronam & Vicentiam terribilis imminebat. Capto Lignaco, ac ceteris ferme omnibus illarum partium Oppidis, nullum remedium fore videbatur, quin Patavium usque cuncta pervaderet. Hæc pericula Venetos permoverunt ad Florentinorum societatem, quam paulò ante spreverant, repetendam. Florentini quoque non inviti ad societatem redierunt, existimantes, si deletæ forent Venetorum opes, nequaquam ab se Victorem temperaturum. Ita conjunctio rursus fit inter Venetos, & Florentinos. Franciscus quoque Sfortia Dux cum magnis copiis operâ Florentinorum ad Venetos transgressus, cursum victoriarum hostilium omnino repressit, eorumque copias omnes trans Athesim repulit. Sequuta deinde permulta, ac præclara, & circa Benacum Lacum, & circa Veronæ recuperationem, quæ particulariter referre contra propositum esset nostrum, quum summam tantum rerum notemus, non Historiam describamus. Per hoc ipsum tempus à Basilea nuntiabatur Concilium, quod ibi diutius fuerat, privato Eugenio, alterum Pontificem creavisse Amadeum Sabaudiæ Ducem. Id admirabile cunctis videbatur, tanti fastigii Principem dubio Papatu se onerare voluisse, quum etiam certus Papatus magna servitus sit existimanda. Nos quæ sequentur videbimus.

Quum per Etruriam quies esset à bello, omnisque hominum cura in Galliam Cisalpinam esset conversa, Nicolaus Picininus in medio fervore Gallici belli, relictâ Galliâ, magnas suorum copias in Etruriam rapuit. Quumque transmisso Apennino jugo in agrum Mugellanum descendisset, magnum terrorem intulit nostris. Agmina suorum latrocinantium ritu usque prope ad conspectum Urbis discurrebant; fœda trepidatione, & fuga circum Urbem omnia complebantur. Intra Urbem verò magnæ suspiciones erant, tum quòd infima plebs caritate annonæ premebatur, tum etiam quòd præsenti Reipublicæ statu non omnes pariter Cives gaudebant. Erat verò tota Urbs plena colonorum, ac agricolarum cum conjugibus & liberis, ac rapta ex hostibus supellectile fugientium, bovesque & pecora vias omnes Urbis compleverant. In hoc ergo tumultu Decemvir iterum creatus sum ad curam belli gerendi. Gesseram enim superiori æstate eumdem Magistratum per id tempus, quo reconciliatio facta est inter Florentinos & Venetos. Sed nunc premente Civitatem maximo discrimine

ne ob repentinum hostium adventum rursus decreto Populi Florentini Decemvir creatus sui cum præstantissimis quibusdam viris. Neque enim tunc periculum imminens mediocres homines deposcebat, sed qui tantarum rerum molem perferre animo, & gubernare consilio idonei essent. Propterea data opera est, ut quoad fieri posset optimi sumerentur. Hostes quum aliquot dies circa Politianum stetissent, tamdem ex Mugellano in Casentinatem agrum transierunt. Quod quidem eorum factum mentes nostras valde sublevavit. Formidabamus enim, ne per Marinum Fluvium ductis copiis, inter Pratum, & Florentiam descenderent, ubi & commeatum habere potuissent, & impedire transmissionem frumenti, quod à Pisis atque emporio Florentiam vehebatur. Nam ad cetera quoque pericula frumenti indigentia per id tempus accesserat. Picininus igitur sive non intellexerit, sive non ausus fuerit, hac opportunitate relicta, in Casentinatem copias duxit, loca montana & saltuosa, & remotiora ab Urbe. Qua quidem in re sequutus est, ut putant, consilium & suasionem Francisci Comitis Puppii secretò illum vocantis.

Ubi ergo in Casentinatem pervênit, Bibienam, & Romenam cepit, & Franciscus Comes cum Puppio, ceterisque Castellis suis ad eum defecit, commeatuque adiuvit. Inde ad Castellum Sancti Nicolai positis castris mense ferè integro circa illud desedit. Postquam verò id quoque suscepit, ad Rassinam constitit. Nos per hoc tempus Castellum Sancti Nicolai paulò ante amissum recepimus: quæ quidem res adversariorum mentes plurimum fregit; munitissimum enim Castellum, quod ipsi tormentis & machinis vix uno mense integro expugnarant, recuperatum à nobis infra paucos dies obstupescebant. Jamque ex hoc nostri meliore spe, illi deteriore cœperunt esse. Inter hæc Florentinis auxilia supervenerunt, ex Gallia equites ad septingentos, ex agro Piceno totidem, quos ducebat Michelottus ex Flaminia. Petrus Johannes Paulus Ursinus cum aliqua manu redierat. Pedites verò conduxerat Civitas supra quatuor millia. Expectabantur præterea Eugenii copiæ: erant verò hæ supra duo millia equitum, quæ quum circa Aretium se nostris conjunxissent, validi jam, ac resistere parati, ad Anglaræ Oppidum duxerunt. Nam Picininus, susceptâ in deditionem Rassinâ, ad Burgum copias duxerat. Itaque illis in locis nostræ copiæ hostibus oppositæ constitere. Non prosequar singulos actus; nam id quidem, ut sæpius jam diximus, Historiæ foret. Picininus Burgum tenebat, inde Tifernum occupare tentavit; mox Perusium adiit, eamque Urbem celeriter in suos favores convertit. Postea Tortonam per proditionem capere nisus est. Hæc omnia celeriter admodum fecit. Inde ad nostros reversus inter Tifernum, & Burgum, cum exercitu constitit. Nostri hostium præsentiam veriti, castra, quæ priùs erant longius, ad ipsa Anglaris mœnia conjunxerunt. Ea significatio timoris audaciam Picinini adauxit.

Itaque non multis post hæc diebus repente superveniens totis copiis nostros invasit. Duæ res admodum nostros juvabant, una quòd sub ipso Oppido prœlium committebatur, loco percommodo sibi, hostibus adverso; altera, quòd hostes ex castris suis armati venientes propter maximos calores ipsi & equi defessi prœlium inibant; nostri recentes, & tunc primum sumtis armis quisque prœliabantur. Itaque tamdem superatus Picininus omnes ferè copias amisit. Ipse vix & anxiè ad Burgum se cum paucis recepit. Vexilla omnia exercitus hostium à nostris capta, & Florentiam relata. Præterea tentoria, & cetera omnia, quæ fuerunt in hostium castris, nostri cepere. Ex equitibus autem hostium pauci admodum evaserunt. Capti sunt etiam ex Burgensibus supra mille ducentos, qui fiduciam Picinini sequuti, quem victorem fore haud dubiè credebant, populariter exierant in nostros. Sed qui alios capere sperabant, ipsi capti sunt. Denique hæc maxima fuit victoria, finem bello impositura, si nostri eam sequi voluissent. Sed nec dux erat unus, cui omnes parêrent, nec militum cunctorum idem animus. Itaque ad Burgum ducere, & Picininum circumsedere differentes, spatium abeundi illi dederunt. Tertia demum post pugnam die profecti, quum ille jam abiisset, ad Burgum duxere, Burgumque ipsum, & Monterchium, & Valliallam in deditionem ceperunt. Fuit autem hæc victoria apud Anglaræ Oppidum parta tertio Kal. Julii Quadragesimo Anno supra Mille quadringentos. Post hæc nos cum alia militum manu Bibienam, & Romenam, ac cetera priùs amissa faciliter recuperavimus. Castella verò, quæ Comitum fuerant, ceterasque Arces per Casentinatem obsideri fecimus. Maximum tamen circa Puppium fuit certamen; Oppidum enim nobile natura manuque munitum & defensoribus plenum, haud facilè expugnabatur, nisi defectus rei frumentariæ nos adjuvisset. Puppienses enim, jubente Domino, frumentum omne vetus Picinino & suis tradiderant. Nova autem frumenta per bellum & obsidionem colligere non potuerunt. Ita deficiente spe Puppium deditur, Leoninum cum Mignario, cum Battifolle, & Prato veteri, ceterisque omnibus Castellis, quæ Comitum fuerant, in potestatem nostram venerunt. Totum denique Casentinum, quod priùs numquam fuerat Florentini Populi, in Magistratu nostro nostræ Civitati subjecimus. Ita ex turbulentissima tempestate, qua creati fueramus, res prosperæ lætæque sunt ad extremum sequutæ cum ingente gloria & exaltatione Civitatis.

F I N I S.

HISTORIA
FLORENTINA
ITALICE CONSCRIPTA
AUCTORE ANONYMO
Ab Anno Christi MCCCCVI. usque ad MCCCCXXXVIII.

NUNC PRIMUM LUCE DONATA

E MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ ESTENSIS.

IN ANONYMI HISTORIAM FLORENTINAM
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

MUltis Historicis praeclarissima Urbs Florentia abundat, iisque tum rerum copia, tum Linguae ac stili perspicuitate magni faciendis. Pleraeque Italico sermone conscriptae sunt, inter quas trium Villanorum, praecipue ob antiquitatem ac varietatem rerum, Libri commendantur. Hosce jam accepit Lector in praesenti Collectione recusos. Liceat nunc mihi particulam hanc addere, hactenus luce carentem, quam in MSto Codice Estensis Bibliothecae inveni. Eam Auctor deducit ab Anno 1406. ad Annum usque 1438. Scribebat autem Anonymus iste res suo tempore gestas, & quarum fuit ipse plerumque testis. Nam ad Annum 1419. ipse monet, de manu Martini V. Papae, Florentiae tunc commorantis, se die sacro Palmarum ramos olivarum accepisse, ac Generali Concilio Florentiae habito se interfuisse Anno 1438. Verum haec ita descripta sunt, ut Auctor videatur ea potius persequutus, quae ad Curiae Romanae ritus spectant, quam quae ad eorum temporum Historiam. Et fortasse non omnia, quae Auctor ille literis consignavit, in Estensem Codicem relata sunt; quippe haec speciem potius praeferunt Excerptorum, quam Diarii continuati. Quidquid sit, ea sunt haec, ut cum voluptate legenda sperem, & ad plurium usum inservire posse putem. Si quae sphalmata heic occurrent, ea Codici, unde haec hausi, tribuenda, mihi vero condonanda.



ISTORIE DI FIRENZE

Dall' Anno 1406. fino al 1438.

Memoria, che Adì 9. di Ottobre 1406. con la grazia dell' Altissimo Iddio hebbe, & intrò il Comune di Firenze in Pisa, cioè Gino Capponi, e Bartolomeo Corbinelli, e Bernardo Cavalcanti, dieci di Balìa del Comune di Firenze, in nome, e come mandati dal Comune sopradetto, e fu in Sabbato a hore 15. del dì; e quel dì si fu il Venerabile Santo Dionisi di Francia, & Santo Donino. Venne in Firenze il primo Fante in su le venti un'hora, e lo secondo venne alle ventitre hore con un Ramo d'Oliva grandissimo; fu gran festa & allegrezza, a mano a mano si serrarono le Botteghe; era tanta le gente, che quasi non poteva andare per la via a cavallo. Et il detto Olivo recò Trosso di Domenico Darincho. Fecesi la sera medesima grandi fuochi; la sera medesima andò il Bando, che la Domenica mattina ognuno andasse a San Giovanni a udire una solenne, e devota Messa, che vi si disse. Andaronvi i Signori, e Collegi, e Capitani di parte Guelfa. La sera medesima andò il Bando, che Lunedì, e Martedì, e Mercordì vegnienti non si dovesse tenere Botteghe aperte, e che ognuno dovesse andare ad una solenne, e devota Processione, sicome havevano ordinata; e la terza mattina tutti i Religiosi si fecero incontro alla Tavola de Madonna Santa Maria in Pruneta, parati, e con le Reliquie, le Compagnie con li Standardi, furno i Standardi 20. in tutto; e fu la più ricca, e la più bella Processione, ch'io vedessi mai. Dissesi la Messa in Santa Liperata con grande solennità; predicò Frate Giovan Domenico.

Et Adì 16. Ci venne una Ambasciaria da Pistoja, e venne in questa forma. Innanzi Muli con le Valigie, e con Trombe, seguente 10. Giovani armeggiando, vestiti di drappo, e con Cavalli coverti, l'uno rosso, e l'altro bianco, seguente dui famigli, che portorono le novelle, vestiti l'un di rosato, l'altro di verde, seguente il Vescovo di Pistoja con Cavalieri, e Cittadini forse quaranta con ghirlande d'Olivo in capo, e armeggiorno la Domenica su la Piazza de' Signori orrevolmente, e bene.

Et Adì 24. detto mese. Si fece la Giostra in su la Piazza di Santa Croce, e fu una ricca Giostra, e feceno due onori, l'uno fo un Lione d'Ariento dorato con un ramo d'Olivo d'ariento in mano in su uno baciento molto adorno, e l'altro fu un Cappelletto de velluto su . . . , e furono giostranti dicidotto orrevolissimi, quanto dire si può, con Cavalli coverti di drappo, con belle divise e ricche, e sopraveste loro di velluto, adornate d'ariento con ricamo di perle dirieto a l'elmo, e con grandi istendardi. Hebbe honore maggiore un Soldato di Sforzo, e veramente e' si portò come uno Signore; e l'altro honore hebbe Maso Nipote di Guido de Messer Thomaso.

Ordinò la parte Guelfa una bella Armeggiata in questa forma, e modo. Adì 25. d'Ottobre sessanta Giovani di Firenze fece invitare a questa Armeggiata. Questo dì detto fecero tutti insieme la mostra per la Terra, vestiti di loro panni. Erano tutti quanti pan-

ni

ni di velluto, o drappi, o ciambellotti, eccetto due, o tre, che erano panni di lana, e questi erano forniti d'ariento. Questi sessanta Gioveni armeggiorno a parte, si come nell'altra faccia iscriverò.

Et Adì 26. di Ottobre Cominciorno ad armeggiare la mattina in su la Terza venti di questi Gioveni, a' quali toccava il dì; si vestirono a casa loro di drappi, e Cavagli di sopraveste, che mandò loro la parte, e vestiti, ognuno si partiva da casa sua con bella Compagnia, e ognuno aveva tre, o quattro Cavagli con sonaglieri di sonaglie di ottone, e chi d'ariento; e a uno a uno ne venivano in Mercato nuovo; e quando erano raunati tutti e uniti, con molte Trombe, e Piffari mandavano l'uno direto all'altro armeggiando alla parte Guelfa, e i Capitani della parte Guelfa mettevano loro in collo una ghirlanda d'Ulivo e inarientata; e poi si partivano dalla parte Guelfa, e andavano in su la piazza de' Signori, e in su la piazza de' Signori facevano due, o tre drapegli, e poi armeggiavano; e dopo l'armeggiare rompevano al Saracino, il quale era in su la detta piazza, e vestito di drappo verde e bianco. Questi venti gioveni erano tutti coverti di drappo; i dieci erano di drappo bianco, e gli altri erano di drappo verde; e così andavano su per la piazza uno bianco, e uno verde; e poichè ebbero rotto in piazza, si divisono i bianchi da' verdi, e così andarono armeggiando per tutta la Terra a casa i Capitani della parte, l'una brigata di per sè dall'altra con molte Trombe, e Piffari, e con grande Cavalleria.

Poi la sera tra le venti tre hore e le ventiquattro tornarono in piazza l'una brigata di per sè dall'altra; e quando giunsono in Piazza, fu loro istracciate, e tolte le sopraveste loro, e queglie de' Cavalli, che erano fino a terra; e ognuno di costoro rimase in farsettino di sciamito, e drappi di più colori, quali ricamati di perle, quali di seta, e quali forniti tutti d'ariento; e tolti loro cappucci di nuove divise. E così in farsettino con calze altissime cominciarono ad armeggiare su la detta piazza, e a rompere; e armeggiato, e rotto, giunse l'altra brigata, e similmente furono istracciati, e similmente rupponono. Poi feceno il drappello; poi furono licenziati da' Capitani, e ognuno si tornò a casa, e ognuno haveva due Famegli innanzi a se con due doppieri, e con Trombe. Si tornarono a casa con molta festa, e in su le sopraveste ......

Et Adì 27. di Ottobre. Altretanti Gioveni venneno in Mercato nuovo, e poi andarono, com'è detto di sopra, vestiti, e covertati loro Cavagli, dieci d'azurro, e dieci di rosso, e al medesimo modo andarono in piazza, o furono istracciati, come è detto di sopra, e con torchi, e trombe tornarono a casa, e in su le sopraveste era razi d'ariento, e d'oro con rami di Ulivo d'ariento.

Et Adì 28. di Ottobre. Venneno altritanti Giovani vestiti; e adorni ognuno di due colori; dieci erano coverti di drappi verdi, e bianchi; e dieci di drappi bianchi, e azurri con una treccia d'oro a traverso alle spalle con rami d'olivo d'ariento frappate tutte.

Quella medesima mattina si fece Cavaliere in su la piazza de' Signori Pietro Gaetani Pisano, e fecelo Cavaliere Messer Vanni Castellani, ch'era Confaloniere di Giustizia. Donògli il Comune un bello e ricco Pennone, e una Targa dell'Arme del Popolo di Firenze.

Poi derieto a lui la mattina medesima si fece Cavaliere il Signore di Cortona in su d'un palco, che si fece dal Lione della ringhiera, quando Piero Gaetani si andò incontro al Signore di Cortona a Santa Maria Novella, dove tornava con tutti i Cavalieri di Firenze, i Cavalieri Pisani, e una grande Cittadinanza. E venneno con lui in su la piazza, e quando furono giunti; il Signore iscavalcò, e andò a sedere co i Signori di Firenze in su la ringhiera; e stando un poco, si partì da sedere. Il Confaloniere della Giustizia, che era Messer Vanni, e il detto Signore andarono sul palco deputato a ciò, e ivi con quella solennità, che far si debbe un Cavaliere, sì 'l fece, e cinsegli la ciotola de l'oro colla daga; e poi gli cinse la spada; poi gli cavò fuori la spada, e posegliela in mano; poi gli cavò la Ghirlanda de l'ulivo inarientata, e missegli quella de l'oro. Messer Cristofano Spini, e Messer Nicolò Guasconi gli miseno li sproni de l'oro.

Poi fatto questo, montò a Cavallo con quella Compagnia, ch'era venuta, e andarono a offerire insieme, egli, e Pietro Gaetani, a Santo Giovanni, e innanzi a loro andarono quegli Armeggiatori verdi, e bianchi, e azurri, e bianchi, che detto è di sopra, che furono venti; e giunti a San Giovanni iscavalcarono, e andarono all'Altare a offerire, poi montarono a cavallo, e andarono a Santa Maria Novella, e il Signore rimase, e gli altri si partirono per allora.

Questo dì medesimo. Il detto Signore fece bandire una ricca Giostra in su la Piazza a Santa Maria Novella.

E Adì 31. d'Ottobre si giostrò in su la Piazza di Santa Maria Novella, e fu assai bella Giostra. Furono otto Giostranti, non furno coverti; e tutto quel dì non restette di piovere. Hebbe honore Francesco di Messer Simone Tornabuoni, e fu per onore un' Elmetto tutto fornito d'ariento dorato, sue penne rosse, bianche, e verde. E sopradetto Signore fece fare questo onore.

Questo dì detto la mattina fece il sopradetto Signore un ricco desinare nel Refettorio di Santa Maria Novella, e invitò i Dodici, e Confaloniere, e Capitani della parte, e dieci di Balìa, e sei della Mercatanzia, e tutti i Cavalieri di Firenze, e altri Cittadini.

E Adì .. di ...... I Capitani della parte Guelfa gli donarono un ricco e bello Pennone, e una Targa, e 'l Cavallo covertato del Segno della parte Guelfa, e feciongli un grande onore; & il dì medesimo se n'andò, avuto il dono dalla detta Parte.

Et Adì 11. di Novembre il dì di San Martino. I sopradetti Capitani donarono un simil dono a Messer Pietro Gaetani da Pisa.

Et Adì 28. di Novembre. I sopradetti Capitani fecerro fare in su la Piazza di Santa Croce una ricca e bella Giostra, e feciongli fare un' Isteccato grandissimo; quasi teneva tutta la Piazza, era lungo cento venticinque passi, largo sessanta; e feceno due doni, l'uno fu collo di drago colla testa

tutto

tutto d'ariento in su d'uno elmetto, su pel colbo, ... su i rami d'ulivo d'ariento, e in su l'elmetto d'ariento fu un ricco lavoro; e l'altro dono fu un' elmo da Giostra con due ali d'oro con penne verdi, bianche, e rosse, molto . . . . . ancora adornato d'ariento con perle. Furono il dì da 14. o 16. Giostranti: ebbe onore maggiore . . . . . Brancacci, e l'altro ebbe Maso d'Andrea Getti.

Memoria, che Adì 8. d'Agosto. Venne in Fiorenza il Cardinale d'Ungheria, chiamasi il Cardinale delle Cinque Chiese; venne per la Porta San Gallo, tornò in Santa Maria Novella, fugli fatto un grande onore dal Comune, fugli dato un bellissimo Istendardo, l'Arme sua, un braccio con un rosajo in mano.

Memoria che Adì 17. d'Agosto. Ci venne il Cardinale di Firenze Messer Agniolo Acciajuoli, e venne per la Porta a San Piero Chatolino, e fugli fatto il maggiore onore, che a Cardinale che ci venisse mai, secondo il dire d'antichi Uomini. Tornò in Casa sua nel Palazzo del Gran Siniscalco; andògli incontro una bella Cittadinanza a piè, e a cavallo. Donògli il Comune un ricco Istendardo, andò con esso onorevole, e bella Giovanaglia, donògli 12. scatole di Confetti, 12. mazzi di Cera, 64. sacchi di Spelta.

1408.

Memoria che Adì 20. di Gennaro. Ci venne il Cardinale de gli Orsini con grande orrevolezza; entrò per la Porta a San Friano; & ebbono tanta neve i Vescovi, e li Abati, che erano con lui, che quasi non potevano andare con lui i Rettori, e li altri, che erano in sua Compagnia. Se n'andò egli, che presso che non gli fu cavato il Capello con le palle della neve, tornò a Santa Maria Novella.

Memoria che del mese de Maggio. Ci venne l'Ambasceria del Re Vincislao, fra' quali Ambasciatori, fu Messer Benedetto Acciajoli, e tornò in Casa sua. Vennero a significare a' Signori, come esso Re aveva presa Roma d'accordo . . . . . . della qual cosa si fece fallò. A gli Ambasciatori fu fatto grandissimo onore.

Memoria che del mese d'Agosto 1408. Ci venne dui Cardinali, posaronsi in Santa Croce; e del detto mese ci venne il Cardinal di Bologna; e del detto mese ci vennero dui Cardinali, posaronsi in Santa Maria Novella; & adì . . di Settembre ci venne un Cardinale, posossi in Santa Croce, e quello di Bologna in Santa Maria Novella.

Adì . . d. Aprile 1409. Ci venne il Capitano della Guerra Malatesta da Pesaro; andò a Pisa, tornò. Adì 22. d'Aprile venneci Carlo suo Fratello maggiore. Adì 19. ci venne il Figliolo di Malatesta da Pesaro, Capitano di 100. Lancie del Cardinale di Bologna.

Adì 2. d'Aprile. Andò l'Ambasciaria a Re Vincislao, ch'era a campo a quel di Siena. Fu Messer Cristofaro, e Niccolò da . . . . . . Tornò adì 19. d'Aprile con l'Ambascieria del Re, che venne a' Signori, la quale domandò nova triegua; non fu acconsentito a quella Imbasciata; andossene adì 24. d'Aprile.

Creatio Alexandri Papæ V.

1409.

ADì 10. di Luglio 1409. Fu eletto il Santo Padre a Pisa col Collegio de' Cardinali del Papa, e di tanti Prelati, e più di 300. Vescovi, & Abati di più paesi, e molti Signori, e fu incoronato adì . . di Luglio con una ricca, & bella festa. Fu Alessandro V.

Adì 10. d'Aprile 1410. Ci venne il Cardinale di Spagna Legato, e di là a pochi dì si partì, & andosse verso Roma insieme col Conte di Taglicozzo.

Adì . . di Giugno. Ci venne il Cardinale di Spagna sopradetto, & andò Legato a Roma dell'altro Papa, che si fece a Bologna, e stette a Firenze a vedere la festa di San Giovanni, e stetteci dì quindici, & poi andò a Roma.

Adì . . di Maggio. Fu eletto il Santo Padre a Bologna col Collegio de' Cardinali, & fu Papa il Cardinale de Bologna Messer Baldassare Coscia. Ebbe nome Papa Giovanni XXIII.

Memoria che adì primo de Gennaro Anno detto di sopra. Feciono i Fiorentini, e Senesi Pace generale con Re Ladislago. Bandissi adì . . di Febraro. La mattina di Calen di Gennaro andò una solennissima Processione con le Reliquie, e con li Stendardi delle Compagnie, & andarono incontro alla Tavola di Madonna Santa Maria in Pruneta: andarono i Signori, e Collegi in Santa Liperata, e dissievisi la Messa della Pace.

Adì 10. di Marzo. Venne in Firenze Messer Jacobo Figliolo del Signore de Padova, il quale era uscito di pregione, dove lo tenevauo Veneziani in Candia in un fosso de Torre. Uscì per via d'un Fiorentino. Fu figliuolo di Messer Francesco da Padova.

1411.

Nel mese d'Aprile. Passò Papa Giovanni XXIII. partiva da Bologna, & andò a Roma con Re Aluigi insieme, e passò la Nave a Borzi; andò molto in furia; non si sapeva mai, dove passasse. I Signori mandorno a Prato confetti, cera, pescie, e vino per onorarlo; ma non vi passò.

1412.

Adì 25. di Giugno si cominciò a correre il Pallio della Festa di San Giovan Battista; fu di velluto verde foderato di Zendado giallo; dieronsi le mosse alla Porta San Pietro Catelino; tennesi il Pallio a Santa Lucia di via di San Gallo; ebbelo il primo Anno Ser Giuliano.

Morì in Firenze penultima Junii il Cardinale Albanense. Et adì primo di Luglio fecesi l'Essequio suo; si sepellì in Santa Maria Novella. In su la Piazza di San Giovanni stette la Bara honorevolissimamente adornata di drappi; poi fu portato a sepellire da' Canonici di Santa Maria del Fiore. Andarono tutti i Cherici di Firenze con tutte le Croci a Santa Maria Novella; la campana grande accesa di cera, tutto il Choro d'intorno pieno di doppieri; morì in Sant' Antonio.

Adì 26. di Ottobre. Ci venne il Cardinale del . . . . ., che andava a Bologna per Commissario del Papa Giovanni XXIII. Venne

ne in Firenze per la Porta San Piero Catellino; fecegli i Signori grande honore; ebbe lo Stendardo col .... d'oro, con molti Cittadini; tornò in Santa Croce, poi gli presentarono otto scattole di confetti, dodici doppieri, dui mazzi di torchietti, 24. faccha di biada, 48. fiaschi di vino. Partissi di Firenze adì 27. di detto.

Adì 11. di Giugno. Ci furono novelle; come il Re Vincislao prese Roma, e come Papa Giovanni XXIII. si fuggì di Roma, & andò a Montefiascone, poi a Siena, poi ne venne a Firenze, cioè a Santo Antonio del Vescovato de drieto; & innanzi tutta la Corte; e giunse a Sant'Antonio detto. Adì 21. di Giugno in Firenze fu grande moltitudine di sua gente. Adì 22. di Giugno la mattina del Corpo di Cristo, li Signori l'andarono a visitare, e poi dieci della Balìa, e dodeci altri Cittadini. Partissi il detto Papa adì 8. di Novembre, & andò verso Bologna.

Del mese d'Agosto. Ci venne il Capitano della Guerra Messer Malatesta da Pesaro per Capitano del Comune di Firenze.

Adì 8. d'Ottobre. Ebbe da' Signori il bastone, ovvero la Commissione d'andare fuori, e così cavalcò adì detto con la sua brigata in verso......

Adì 16. di Gennajo alle dieci ore ebbe il bastone, che era venuto adì 13. da Castiglione.

Rendè la bacchetta adì 20. d'Agosto il dì di San Bernardo.

Del mese d'Ottobre. Si fece l'accordo col Marchese di Ferrara con disonore del Comune, perochè ebbe quello, che dimandò; e se non fusse fatto, si perdeva Bologna; perochè v'erano intorno i Malatesti, & il Marchese.

Adì 21. d'Ottobre. Venneci il Marchese molto onorevole e riccamente; tornò in Casa gli Alberti. I Signori gli fecieno grande onore. Partissi adì 30. di detto; andò per la porta......

1 4 1 3.

Adì 13. di Gennajo. Cominciò il Perdono a San Giovanni di Firenze; fu conceduto di colpa, e di pena, come a Santo Giovanni Laterano a Roma; bastò da Lunedì a Vespro insino all' altro Vespro, conceduto per Papa Giovanni XXIII.

1 4 1 4.

Adì 22. di Giugno. Si fece Pace perpetua, e lunga per sei anni col Re Vincislao, i Fiorentini, e Senesi con tutti loro Collegati dell' una parte, e dell' altra con quei Capitoli fermi ordinati per le dette Parti.

Adì 23. di detto a ore 18. in circa. Venneci nuova della detta Pace, quando i Signori andavano a offerire a San Giovanni.

La detta Pace, e Lega si bandì Sabbato adì 30. di Giugno, come ne' detti Capitoli si contiene. Fecesene la sera grandi fochi, e spezialmente al Palazzo de' Signori; i Cittadini chi sì, e chi nò, però che ci erano molti, che non volevano la Pace; e se non fusse, che Ser Maso, che era Confaloniere di Giustizia, non si faceva; ma per grande forza e sollicitudine si fecie, però che nel Consiglio de' 200. andò 26. volte a partito, innanzi che la si vincesse; ma dissesi, che gli era deliberato, o che la si vincesse, o di far sonare la Campana a martello, per vedere, chi la voleva, o chi non la voleva.

Venneci gli Ambasciatori del Re, e conchiusono ogni cosa, e feceno uno Sindico.

1 4 1 4.

Morì il sopradetto Re Vincislao adì 7. di Agosto: così si disse a Firenze. Chi diceva, ch' egli era morto in Galera, andando a Napoli; e chi diceva, che era morto a Napoli; e chi diceva, che era morto di veleno; e chi diceva di nò. La verità fu, che morì in questo modo. Dissesi, che incoronò la Sirochia.

Adì 7. d'Agosto, & innanzi, vennero Tremoti in Firenze; fra' quali ne venne il dì detto era Nona e Vespro due sì grandi, che tutto il Popolo di Firenze impaurì. Il detto dì cadeno in Firenze più di 200. camini, o tutti, o parte; & alcuno muro, e tetti, per modo feceno assai danno.

1 4 1 8.

Adì 26. di Gennajo. Ci venne il Signor d'Urbino; tornò in Santa Croce con bella Baronia, & altri Signorotti con lui, quello di Riete, & altri. Fu onorato dal Comune, e spese in lui Scudi 100. il dì, mentre ci stette. Partissi adì 2. di Febrajo.

Adì 24. Febrajo. Il Santo Padre Papa Martino giunse a San Salvi, & ivi scavalcò la sera, che era quando giunse circa ore 21. & ivi posò la sera; posto che l'apparecchio era fatto in Santo Antonio del Vescovo; e poi l'altro dì doveva andare al detto Santo Antonio, non v'andò, perchè era lasso.

Adì 25. detto mese. I Capitani della parte Guelfa gli donarono un cavallo tutto bianco con una coverta di velluto rosso, dentrovi il segno della Parte, & una briglia coperta di chermisì tutta fornita d'ariento dorato con smalti, dentrovi l'Arme del Santo Padre.

Adì 26. di detto. Il Santo Padre si partì da San Salvi, e venne a San Gallo, & in San Gallo si parò. I Capitani della Parte andarono a San Gallo con grande invitata di Cittadini orrevoli con uno Stendardo di drappo a figure foderato di pancie di vari, il quale portavano giovani orrevoli, accompagnando il Papa sotto loro Stendardo per insino alla Porta a San Gallo.

I Signori andarono incontro al Santo Padre, cioè Papa Martino, con grande invitata di Cavalieri, e di Giudici, e di Cittadini; e più i sei della Mercatanzia con loro invitata d'orrevoli Mercatanti, e Cittadini; & alla Porta i Signori missono il Santo Padre sotto loro Stendardo, il quale era di drappo a oro foderato di pancie di vari con drappelloni dell' Arme della Chiesa, e del Papa, cioè l'Arme de' Colonnesi. Andarongli incontro tutte le Regole de' Frati con loro Reliquie, e parati.

1 4 1 8.

Innanzi al Santo Padre andavano tutte le Processioni, e Reliquie; poi i detti Cittadini, Cavalieri, Giudici, e Collegi; poi la Croce del Santo Padre; poi il Corpo di Cristo in su uno cavallo coverto in una cassetta coperta di velluto, e guarnita d'ariento dorato, & ivi una Croce; la cassetta era lunga più d'un braccio e mezzo. Poi i Cardinali, poi il Santo Padre con detti Cava-

lieri

lieri innanzi; e molti gioveni de' maggiori della Terra e più politi portavano intorno al Santissimo Sacramento doppieri accesi a modo di torchietti. Tutta la detta gente con uno olivo in capo, e in mano, e con ghirlande. I Signori addestravano il Santo Padre, & a questo modo il messono dentro con grande allegrezza. E questo fu Domenica adì 26. di Febrajo a ore 20., e però andaro insino a Santa Maria Novella insino a ore 23. o più, e fece questa via, cioè per San Gallo, per Borgo San Lorenzo, e volse al canto alla Paglia, canto a Santa Maria del Fiore, & ivi smontò in su uno Palco si fece al pari delle scale; entrò in Chiesia, andò su per panni lani, che erano distesi dalla porta insino alle scale dell' Altare, tuttavia i Signori con lui. Giunto alle scale dell' Altare s'inginocchiò, e stette in ginocchione per spazio d'un' ottavo d'hora, poi s'inginocchiò all' Altare, e stette altrettanto con l'Orazione; e la benedizione diede al Popolo: poi montò a cavallo, & andò da fondamenti da Balestrieri insino a Magalotti; poi si volse, e andò su per la piazza de' Signori rasente la Ringhera, poi per Vachereccia, per Porta Santa Maria, per Borgo Sant' Apostolo, a San Sisti, e giù ritto alla piazza di Santa Maria Novella; entrò per la Porta del Ferro, non entrò in Chiesia, che era apparecchiato l'Altare; smontò nel secondo Chiostro. Il Capitano del Popolo volse montare nel suo cavallo, se nò che un Comandatore de' Signori fu più presto di lui, e montovi suso. Or pare, che 'l Papa dicesse queste parole a' Signori, che piacesse loro di non glielo torre; però che 'l voleva tenere, mentre che vivesse, per amore della Parte Guelfa, che glielo haveva donato. I Signori lo accompagnarono in Camera; poi preso commiato, si tornarono al Palazzo col detto cavallo: innanzi giunti al Palazzo, deliberarono di rimandarlo al Santo Padre, e rimandarolo per Messer' Antonio loro Buffone, e 'l Papa l'hebbe molto caro, e donogli . . . . . .

Munus datum Martino V. à Florentinis.

ADì 27. di detto la mattina a hora di mangiare. I Signori il presentarono horrevolmente, cioè queste cose. In prima 96. doppieri attorcigliati, poi 80. fiaschi di vino in due stangate, poi una stangata di 25. para di Capponi, poi una stangata di 12. Cavretti, un mazzo di Starne, e di Fagiani, tre Lepri, poi una Ciesta di Piccioni grossi, poi scattole . . . . pinocchiate, rossi, bianchi, e dorati, poi 10. torte di marzapani in su dui assi d'abeto, poi 150. sacca d'Orzo, e biada.

Adì detto a hore 22. I detti Signori andarono a visitare il Santo Padre; fessi loro incontro insino nel Chiostro Vescovi, & altri Baroni, e Parenti del Papa, e'l Conte Camerlingo.

Adì primo di Marzo Mercordì il primo dì della Quaresima. Disse Messa un Cardinale in Santa Maria Novella; vennevi alla detta Messa il Papa, e la mattina detta pose cenere in capo a' Cardinali, Vescovi, Abati, & altri, & a molti Secolari.

Adì detto dopo magnare i Signori novi l'andarono a visitare, e poi adì 3. il Venerdì mattina anche el visitarono. Venne il Papa adì detto a udir Messa in Sacristia, e fe' Concistoro; e così ogni mattina veniva in Sacristia a udir Messa, la Domenica in Chiesa.

Adì 17. di Marzo. Ci vennero 4. Cardinali di quelli, che erano col Papa da Avignone, cioè Piero de Luna.

1419.

Adì 25. di Marzo. Disse Messa il sopradetto Papa nella Capella di Santa Maria Novella; fu la mattina della Donna: fu una solenne e bella cosa. In quella Chiesia fu tanta gente, che fu quasi per affocare assai persone, e pure si feciono male alquante Donne, & Homeni.

Adì 26. di detto. Il Santissimo Padre sopradetto venne nella sopradetta Capella a udire la Messa d'un Cardinale, e venne con la Rosa in mano, e tutta mattina tenne il Papa la detta Rosa in mano, tantochè si disse la Messa, & el Sermone. La detta Rosa era tutto d'oro, che era un ramo con nove Rose, & in su la Rosa di sopra era un Zafiro. Poi detta la Messa, il Papa si partì con la detta Rosa in mano, & andò in Camera sua. Il Proposto de' nostri Signori gli portò la coda di drieto del Piviale.

Poi giunto in Camera sua co i Cardinali, & co i nostri Signori, el Papa donò la detta Rosa al Popolo di Firenze; & in nome del Popolo la prese Francesco di Tadeo Gherardini da Balestrieri, il quale era Proposto de' Signori, per cagione che il Confaloniere della Giustizia haveva male; e presa la Rosa con 15. Cardinali, e con grandissima Cittadinanza fu il detto Proposto con suoi Compagni accompagnato insino al Palazzo de' Signori, e tutti a cavallo horrevolmente.

Poi il dì a hore 21. Il sopradetto Proposto con suoi Compagni montarono a Cavallo, e con grande Cavalleria di Cavalieri, Scudieri, & altri Giovani, e con molti stromenti andarono con la detta Rosa per tutta Firenze.

Adì 9. d'Aprile. Il sopradetto Papa benedisse le Olive nel Capitolo di Santa Maria Novella. Teneano serrate tutte le Porte dal Ponte in su, che non si poteva entrare se non nella Chiesa da lato di sotto, se nò per pochi. I Cardinali, i Vescovi, & altri Prelati entravano per la Porta della Via della Scala, cioè di San Niccolò, & in su la Porta del Capitolo. Il Papa stette a sedere in su la Sedia Papale, e in traverso alla porta una sbarra, perchè la gente non nojasse il Papa; e così diè la Palma a tutti i Cardinali, e Vescovi, & altri Signori, e poi diè l'Olivo a altri Abati, Preti, Cortigiani, e Secolari Cittadini, i quali pure entrarono per amicizia; & Io fui di quelli, che ebbi l'Olivo dal Papa, e baciaigli il piede; e poi vennero i nostri Signori, & ebbono la Palma dal detto Papa.

Poi con molta solennità andò la Processione, il Papa con i suoi Cardinali, e molti Vescovi tutti parati, e con le Mitre bianche in capo, & con la Palma in mano; il Papa sotto lo Stendardo in mezzo di due Cardinali; e due Cavalieri Gentilomini forestieri gli portavano la Palma innanzi, e con molt' altre Solennità andò la Processione su per la

Piaz-

Piazza; entrò in Chiesa, & andò all'Altare, & ivi disse Messa un Cardinale con grande Solennità, e questo fu la Domenica dell' Ulive.

Adì 12. Venne in Sacristia; dove veniva ogni mattina a udir Messa, e dissено la Compieta, & altro Uffizio Solenne: fecieno le Tenebre. Fu divoto, e bello Uffizio.

Adì 13. d'Aprile. Il Santo Padre scomunicò molta gente, cioè Retici, Paterini, Cismatici, e chi teneva di Santa Chiesia, e chi impedimentiva Pellegrini, che andassono a Roma, o in Santo Viaggio, e molte altre generazioni di Genti; e fatta la scomunica, il Santo Padre gittò un torchio accesso, li Cardinali tutti gittarono un Cierotto acciesо a terra del Palco; il Palco era in su la Piazza alto a lato al Palazotto. E poi fatto questo, lo Papa venne in Chiesia, e parossi, e disse Messa all' Altare Maggiore in Santa Maria Novella con grande solennità, e consacrò l'Hostia per Venerdì Santo, e riposela in uno Armario; poi fatto l'Uffizio si partì, & andò alla Camera sua, e lavò i Piedi a 12. Poveri, e vestigli di bianco panno lano, e diè loro limosina, e mangiare.

Poi il dì medesimo, cioè Giovedì Santo dopo Vespro, il Santo Padre diè la Benedizione al Popolo in su la Piazza detta, e diè 7. Anni, e 7. quarantine a chi fosse in grazia.

Adì 14. Venerdì Santo la mattina. Il Santo Padre venne in Santa Maria Novella all' Altare Maggiore, e parossi, e disse l'Uffizio della Croce, e scopersela, com' è di consueto fare; poi la pose a piè dell' Altare, & andò a sedere in su la Sedia, e fecesi scalzare, & andò con grande divozione a baciare la Croce, & inginocchiossi 3. volte; poi andirono tutti i Cardinali, che erano 17. poi Vescovi, & altri Prelati, e Signori, Ambasciatori di più Signorie; poi si comunicò, e lesse la Messa; dissesi la Pistola, e'l Passio, & il Vangelio disselo un Cardinale.

Poi andò in sul detto Palco fuori in su la Piazza, e diede la Benedizione al Popolo, sinceramente chi fosse confesso e pentuto, o chi si confessasse fra otto dì prossimi, che vengono; e diè la Indulgenza 7. Anni, & 7. quarantine a chi fosse in grazia, come detto è.

Poi il dì dopo Vespro venne nel detto Luogo, e diè anche la Benedizione del modo, che di sopra è detto.

Poi adì 15. Sabbato Santo la mattina. Venne il Papa in Santa Maria Novella, e dissero l'Uffizio, e benedissero il Ciero con gran Solennità; poi dissono 12. Lezioni del Testamento Vecchio, disse Messa un Cardinale, e poi diè la Benedizione.

Poi andò in sul Palco in su la Piazza, e diè la Benedizione al Popolo, come di sopra è detto, a chi fusse confesso, e pentuto, e fra otto dì si confessasse.

In Die Paschatis Missa Papalis.

ADì 16. d'Aprile la mattina di Pasqua. Il Santo Padre disse Messa in Santa Maria Novella con grandissima solennità. Venne il detto Santo Padre la mattina di buon' hora nella Capella Maggiore; andò all' Altare, come era uso di fare, & inginocchiossi; poi fatta l'Orazione, andò a sedere nella Sedia, & i Cardinali gli andarono a baciare la mano; e poi i Vescovi, & Arcivescovi, & altri Prelati li baciarono il piè; e poi cominciò l'Uffizio il Papa, e disse *Deus in Adjutorium meum intende*; & i Cantori risposono, e dissено l'Uffizio. Pararonsi tutti i Cardinali co' Peviali, e Pianete; cinque ne stettero al servizio del Papa alla Messa, Diacono, e Sodiacono. El Fratello di Messer Brunoro disse la Pistola. Il Cardinale de Brancacci disse il Vangelo; dui altri il servivano, da lato uno il serviva allo 'nciенso; poi il Papa si parò, e parorolo i detti Cardinali in Sedia. In prima il cinsono col cordiglio sopra il Camiscie, poi l'Amitto, overo la Stola, poi Manipolo, poi una Crocelina d'oro si pose al collo, e cavossi di capo, e baciolla con reverenzia; poi un velo grandissimo vergato d'oro si pose in capo al collo, e fasciava tutte le spalle; poi il Diacono, poi il Sodiacono; poi si pose a sedere, & misesi i guanti, i quali erano tutti quasi coperti di perle, e poi l'annella grandi con molte pietre preziose; poi si mise la Pianeta, poi sopra la Pianeta una Benda, che 'l cingeva intorno alle spalle bianca con Crocioline negre; poi si mise la Mitria ricchissima ornata di molte pietre ricche. In prima si mise le pianelle, le quali sono tutte coperte di perle; entragli uno sotto, e cavagli quelle, che ha in piè, e mettegli quelle delle perle; sono tenuti i panni sospesi per modo che colui, che gliele mette, non è veduto. Poi fatte tutte queste Cerimonie, va all' Altare, e fa la Confessione con quelli Cardinali d'intorno; poi ritorna in Sedia, e lavasi le mani; dagli l'acqua un Cavaliere Gentilomo di Francia; e così quando si lavava, gli davano l'Acqua alle mani con la Credenza i più Gentili Cavalieri, che v'erano, e lo Ambasciatore dello Imperadore. Poi dice la *Gloria in Excelsis DEO*. I Cardinali, che 'l servono, il baciano in fronte. Poi disse l'Orazione, che si dice innanzi alla Pistola; poi disse la Pistola un Vescovo Fratello di Messer Brunoro dalla Scala. Detta la Pistola, gli baciò il piè, e tenne il Libro in capo, tanto che el Papa la disse egli pianamente leggendo. Poi il Cardinale de' Brancacci, che era Sodiacono, andò a baciare il piè al Papa, e prese la benedizione, e disse il Vangielo. E sempre si dice l'Epistola, & il Vangielo innanzi al Papa con sette Candelieri accesi; e tutti quegli, che servono la Messa di tenere i lumi, & altre cose, sono Preti di buoni Benefizj; e sempre il Papa mette lo 'nciенso nello Torribile con la sua mano, e porgiegli lo 'nciенso un Cardinale, e baciagli la mano. Innanzi che se dicesse il Vangielo, il Papa diè lo 'nciенso all' Altare; e poi quando si dice il Vangielo, il diè chi disse il Vangielo, come si fa. Poi detto il Vangielo, il Papa andò all' Altare, & acconciò l'Ostia, con che comunicò el Popolo, e la sua, e diè lo 'nciенso; poi cominciò il *Credo in DEUM*, stando ritto alla Sedia sua; poi andò all' Altare, e prese il Calice, e l'Ostie, e posele in su quel panno bianco, che si pone sopra la pietra sagrata; poi tolse il Calice, e missevi il Vino, e l'Acqua; e ogni cosa con-

Cre-

Credenza si faceva; poi si lavò le mani; e chi gli dà l'acqua alle mani, gliela dà con dui baccini, e fagli la Credenza dell'Acqua; poi dà lo 'ncienso all'Altare, come fanno i nostri, quando dicono Messe solenni; e poi il Cardinale de' Brancacci diè lo 'ncienso al Papa, e dà tre volte al Papa, e due a i Cardinali, e una a Vescovi, e non si dà ad altri; al Sodiacono, e a chi tiene la Mitria del Papa, lo 'ncenso si dà, mentre che 'l Papa dice il Prefazio. E detto il Prefazio leva il Corpo di Cristo; poi disse il *Pater nostro*; e levollo alto, poi il partì in tre parti; e stato un pezzo all'Altare inginocchioni, e ritto a dire Orazione, e sempre intorno i Cardinali, che 'l servono alla Messa. Il Papa si parte dall'Altare, e va alla Sedia, & inginocchiasi. Il Cardinale Diacono, che 'l serve, piglia il Corpo di Cristo, e pollo in su la patena così in tre parti, come il Papa ha fatto, e dà la patena al Sodiacono, e portala al Papa, & egli piglia il Calice, e arrecalo al Papa; il Papa si comunica alla Sedia sua ritto, e intorno i detti Cardinali; poi beve nel Calice con un Canoncello d'ariento dorato, e poi lo dà in mano al Sodiacono, il quale lo pigliò con un velo vergato d'oro. Tutte queste cose si fanno con grandissime riverenze; poi il Cardinale Diacono va all'Altare, e mette tutte quelle Ostie sagrate, che sono piccoline, come un grosso, e mettele in uno gradale di Cristallo assai grande, e dalle in mano al Sodiacono; le porta al Papa, delle quali comunica prima il Cardinale Diacono, poi il Sodiacono, poi i Cardinali, che 'l servono, poi Vescovi, e Prelati, e Secolari. Comunicò molti, chiunque si volle comunicare, che stesse in la Capella; poi compiè la sua Comunione, e lavossi le mani; e sempre sterno accesi, da quando levò il Signore, infino che ebbe comunicato, sette doppieri. Poi andò all'Altare, e disse l'Orazione, e poi stando ritto all'Altare diè la Benedizione. Finita la Messa andava per dare la Benedizione fuori in su la Piazza; ma pioveva sì forte, che la gente non ci poteva stare; e quasi ognun se n'andava, credendo, che per il tempo non la desse. Così la diede in sul Ponte in Chiesia, e molta gente corse indietro. Diede dunque la Benedizione in sul velo della Chiesia, e diè Indulgentia di 7. anni, e 7. quarantene.

Adì 17. di detto. Il Papa venne in Sacristia, dove udì Messa dal suo Capellano; furonvi presenti XI. Cardinali, e molti Prelati, & altri Signori. Quando il Prete ha levato il Signore, e detto il Pater nostro; il Papa si rizza, e va a piè dell'Altare, & inginocchiasi; il Prete, che dice la Messa s'inginocchia all'Altare un poco da lato, e dice certa Orazione. Il Papa risponde; poi ritorna alla sua Sedia. Il Prete si comunica, & un Cardinale dà la Pace al Papa, e poi Messer Daniele la dà a' Cardinali, e Vescovi.

La Domenica nanzi al Carnasciale, che fu alli 26. di Febbrajo, nel qual dì entrò in Firenze il Predicatore di Santa Maria del Fiore, cioè Maestro Angelo da Siena Frate Minore; annunciò, come il Papa haveva conceduto 7. Anni, e 7. quarantene d'Indulgenza a chi fosse contrito, e confesso.

Adì 20. d'Aprile 1419. Venne in Firenze il Cardinale de gli Adimari, cioè Messer Alamanno Cardinale di Pisa. Entrò dentro con gran Compagnia di Cittadini. Andògli incontro 13. Cardinali; prima andò a visitare il Papa; poi tornò a Casa sua.

Adì 21. di detto. Venne in Firenze il Signor di Piombino, e Madonna Pagola Sirochia del Papa con due sue Figliuole, e la Nuora Moglie del Signore detto. Entrò dentro con gran Compagnia di Cortigiani, e Cittadini.

Adì 4. di Maggio. Venne in Firenze il Cardinale d'Ostia. Andògli incontro 12. Cardinali con gran Compagnia.

Adì 25. di Maggio il dì dell'Ascensione. Disse il Papa Messa in la Capella di Santa Maria Novella; vi furno presenti 17. Cardinali, il Patriarca d'Aquileja sedette tra' Cardinali parato, come loro, e sempre era il secondo.

Adì 4. di Giugno el dì della Pentecoste. Disse il Papa Messa nella detta Capella; vi furno 18. Cardinali.

El dì del Corpo di Christo. Disse Messa il Papa nella detta Capella al detto modo.

Il dì della Trinità disse Messa nella detta Capella il Cardinale de gli Orsi.

Adì 24. di Giugno il dì di San Giovanni. Disse Messa un Cardinale.

La Vigilia del Corpo di Cristo. Entrò in Firenze Messer Baldassar Coscia, che fu Papa Giovanni XXIII. Entrò con gran Compagnia di Cittadini, e smontò a Casa di Simone de Sere Gino. Et alli 27. de Giugno il Papa gli diè il Capello in Santa Maria Novella nella Sala grande con gran Solennità; & io viddi il detto Baldassar in ginocchioni a piè del detto Papa; e lui gli messe el Capello tre volte in capo con quelle solennità, che s'usa; poi si rizzò, e diè la Pace a tutti i Cardinali, che erano sedici. Poi andarono in Consistorio, & uscendo, l'accompagnaro tutti questi Cardinali infino a Casa con molti Cittadini, e col Signore di Camerino, e quello di Piombino, & altri Ambasciatori, e Cavalieri. Furono più di 400. Cavalli.

Adì 29. di Giugno il dì di Santo Pietro. Disse Messa in detta Capella il Santo Padre solennemente con 16. Cardinali, & altri Vescovi, e Prelati. Fuvi il Signore di Camerino, e di Piombino, & el Figliolo del Signore di Lucca, & altri Cavalieri, e Baroni.

Adì 15. d'Agosto. Disse Messa il Papa nella Capella di Santa Maria Novella; andaivi a udirla.

Adì 8. di Settembre. Il Santo Padre disse Messa in detta Capella.

Adì primo di Novembre el dì d'OgniSanti. Disse Messa il Papa in detta Capella, e la Vigilia fu detto il Vespro. Il dì dopoi feceno l'Uffizio de' Morti nella Sala grande.

Adì 11. di detto il dì di San Martino. Disse Messa il Capellano nella Sala; e poi si parò un Cardinale, & disse una solenne Messa del Spiritu Sancto; el Papa si parò col Piviale.

Adì 23. di detto Novembre. Il Sabbato a mattina a hore 12. morì Messer Baldassar Coscia Cardinale, detto vulgarmente di Firenze. La sera di detto Sabbato si trasse el suo

suo Corpo di Casa d'Antonio di Santi, dove era morto, e fu portato in San Giovanni in su la Bara scoperto, parato d'un paramento bianco di drappo con la Mitra bianca in capo, e col Capello da Cardinale alli suoi piedi in su uno Guanciale. Portorono i Calonaci di Santa Liberata con tre Croci, l'una di San Giovanni, l'altra di Santa Liberata, l'altra di Santa Maria Maggiore. Posonno la bara sopra le fonti di San Giovanni, e dissono l'Uffizio; poi il missono sotto il Pergamo, & ivi stette con molti doppieri accesi insino al dì, che si fè l'Essequio suo.

Adì 25. di Decembre la notte di Natale. Il Papa cantò la Messa nella Sala grande, e disse l'Uffizio solenne, come s'usa in tal notte; e la Vigilia era venuto a dire il Vespro in Santa Maria Novella. La medesima notte donò un Capello di Bevero grande fornito di pelle, cioè una Colomba di pelle, & altri lavori foderati d'armellini con due armellini pendenti, & una spada tutta fornita d'ariento dorato con la guaina di cremesino molto ricca e bella donolla all'Ambasciatore del Delfino de Vienna. La mattina fatto che fu dì, il Papa venne in Santa Maria Novella, & ivi nella Capella usata disse Messa solenne, che fu il dì della Pasqua di Natale. Il detto Capello in su la spada gli fu tenuto tutta mattina denanzi, tanto che fu detta la Messa. Poi dato che l'ebbe a detta Imbascieria, andò attorno per tutta Firenze con detto Capello, e bella Compagnia.

La mattina di Santo Stefano, cioè alli 26. Disse Messa il Cardinale di Pisa quello degli Adimari nella Sala del Papa. Fu una solenne Messa; fuvi il Papa con 17. Cardinali, Arcivescovi, Vescovi, & altri Signori.

Adì 27. il dì di San Giovanni. Disse Messa il Cardinale di Piasenza in detto luoco.

Adì 28. di detto el dì delli Nocenti. Detta la Messa usata nella Sala, dissено la Messa delli Morti per l'Anima di detto Messer Baldassar Coscia.

Adì 29. di detto. Fecero una bella festa in Santa Maria Novella di S. Tommaso di Contùrbia. Disse la Messa el Cardinale di Bologna; intorno al Coro pieno di doppieri accesi.

Il dì medesimo, cioè alli 29. Andò lo Invitatore per Messer Baldassar Coscia, e disse così: Monsignore Cardinale . . . . . ., e gli Essecutori del Testamento vi fa notificare, che voi siate dimattina a hore 16. in Santa Maria del Fiore, dove si farà l'Essequio di Messer Baldassar Coscia Cardinale di Firenze.

Et alli 30. di detto. Si fece l'Essequio di detto Messer Baldassar in questo modo. Era in Santa Maria del Fiore una Capanna tutta piena di fiacole accese; intorno alla detta Capanna un drappo negro con l'Arme sue, & intorno alla Capanna si fe' di legname un sedere; dove sederno tutti i vestiti di negro con una fiacola in mano accesa; e sotto la Capanna era la bara tutta coperta di drappo negro con due guanciali. In su uno era il suo Capello. Acconciarono di legname, come sta il Coro, insino alla Porta dinanzi, e tutto si empiè di doppieri il Coro, e dal Coro in su tutto di fiacole. Disse la Messa il Cardinale di Bologna; vi furno 20. Cardinali, e tutti Arcivescovi, e Vescovi, che erano un gran numero. Vi andorno i Signori, e Collegi, e donarongli un Pallio di drappo d'oro con drapelloni, e posesi in su la detta bara con l'Arme sua, e del Papa, e del Comune, e 100. doppieri, e stetteno alla Messa in Coro.

Vennovi i Capitani della Parte Guelfa, & donarongli un Pallio di drappo nero con drapelloni dell'Arme sua, e della Parte con grande Cittadinanza, Giudici, e Cavalieri, e donorongli 80. doppieri. Vennevi i Sei della Mercatanzia con tutte le Capitudini, e donògli ogni Arte delle Maggiori quattro doppieri, e delle minute ogni Arte due: furono 56. E 40. ne donò la Mercatanzia: sono 96. in tutto. E donògli un Pallio di drappo nero con drapelloni con l'Arme sua, e della Marcatanzia; posesi in su la detta bara. Sermonò il Maestro Domenico da Fighine Frate Predicatore. Tutti i Cardinali ebbono uno doppiere per uno, e così i Signori, & i Capitani della Parte, e Sei della Mercatanzia, Cavalieri, e tutti gli altri Cittadini; & . . . . Preti, & altra gente hebbeno una fiacola in mano, e se glie portarono a casa. Poi detta la Messa, venneno i Cardinali parati con le Mitrie bianche intorno alla Bara con doppieri accesi, e dissono l'Ufficio de' Morti. Poi portarono i Calonaci di Santa Maria del Fiore quella Bara in San Giovanni. Il Corpo suo non v'era; perochè stette sotto il Pergamo di Santo Giovanni, & in Santo Giovanni era intorno pieno di fiacole accese; & intorno al Coro, e sopra le porte si fece un quadro di legname alto, e simile era pieno di fiacole accese.

Adì 31. detto mese. I Signori feciono un bello Exequio per el detto Cardinale nel detto modo di sopra. Vennevi i Signori, e con loro Capitani di Parte, sei di Mercatanzia, e le Capitudini, eccetto che non vi furono i Cardinali, se non el Nipote Monsignore de Tricarico, e molti Vescovi, & Arcivescovi, el Vice-Camerlengo con grande Chericeria; e tutti hebbono la cera nel modo detto di sopra, e così portarono la Bara, poi i Colonaci in Santo Giovanni. Disse Messa l'Arcivescovo di Firenze.

1420.

Adì primo di Gennajo Lunedì mattina. Disse Messa in Santo Giovanni il Vescovo di Fiesole, & fessi Rinovale di detto Cardinale con molti doppieri accesi sopra le fonti, dov'era la Bara, & intorno alle Fonti erano a sedere i Parenti, e Famigli vestiti di nero con una fiacola in mano. Poi venneno 44. Poveri vestiti di bianco, quali avevano vestiti li Essecutori del Testamento per l'amor de Dio, e per l'Anima sua, e stettero intorno alle Fonti ritti tutti con un cerotto in mano acceso; e poi detta la Messa, e l'Uffizio de' Morti, ognuno se n'andò a casa sua, accompagnati, che ebbono i Parenti. E questo Rinovale si fece insino alla Domenica mattina adì 7. di Gennajo.

Adì detto. Disse Messa un Cardinale in Santa Maria Novella, & andòvi il Papa parato con 17. Cardinali. Fu la mattina di Calen di Gennajo.

Adì 12. di Novembre. Si fece la Giostra dell'acquisto di Pisa, fatta fare per i Capitani della Parte Guelfa. Furono 20. Giostranti.

Fu

Fu honor maggiore uno Elmetto fornito d'ariento con uno Spiritello d'ariento in sul detto Elmetto, che lanciava una fiacola di fuoco; e l'altro uno Stendardo entrovi una divisa.

Adì 6. di Gennajo. Disse Messa il Papa in Santa Maria Novella in detta Capella; fuvi 17. Cardinali, solenne nel modo usato.

Adì 2. di Febrajo la mattina di Santa Maria Candelaja. Disse Messa il detto Papa in detta Chiesa, e benedisse le Candele nel Capitolo; e poi andò a Processione per il Chiostro, e su per la piazza, & in Chiesa; poi detta la Messa, andò in sulla Piazza nel luogo deputato, & ivi gittò molte Candele benedette al Popolo, e poi diè la Benedizione. E molta cera diè a' Cardinali, & a' Vescovi, e Prelati; e tutti parati insieme col Papa, davano loro Cierotti grossi, secondo il benefizio; erano quasi tutti di cera bianca, e così ne teneva uno in mano il Papa grossissimo, & così li Cardinali.

Adì 8. di Febrajo. Si compilò la Pace tra'l Papa, e Braccio. Adì detto si compilò l'accordo tra'l Comun di Firenze, & il Duca di Milano con questi Capitoli; cioè Pace perpetua con lui, e soi Collegati, e così col Comune di Firenze, e di Siena, e soi Collegati. Bandissi adì 26. di Febrajo.

Adì 21. di Febrajo il primo dì della Quaresima. Il Papa pose cenere in capo con quelle solennità, che suole. Disse Messa il Cardinale de gli Orsini nella Sala grande del Papa in Santa Maria Novella.

Adì 17. di Marzo Domenica di Rosa. Il Papa diede la Rosa al Conte d'Urbino, come è di consueto. Accompagnarolo a casa 17. Cardinali con molti altri Signori, & Ambasciatori, e con grande Cavalleria di Cittadini, & altre Ambasciarie.

Adì 25. di Marzo la mattina della Donna. Disse Messa nella Sala del Papa el Cardinale delli Orsini; fuvi il Papa parato, e con la Mitria delle perle. Fu la mattina una solenne e divota Messa; e detta la Messa, si disse il Vespro della Donna, e dopo la Messa diede la Benedizione; e così detto il Vespro.

Adì 30. di Marzo. Il Santo Padre diede l'Ulivo nel Capitolo di Santa Maria Novella a' Cardinali, & a più Signori, a' Vescovi, & Arcivescovi, e Prelati, e poi a molti Secolari. Hebbilo Io di mano del Papa. Poi dato l'Ulivo, andò a Processione per il Chiostro, e su per la Piazza con Cardinali parati, e molti Vescovi, & Arcivescovi, & Abati, e stette dinanzi alla porta di detta Chiesa; e così serrò, come d'usanza; poi entrò in Chiesa, & andò nella Capella, e disse Messa.

Adì 3. d'Aprile Mercordì Santo. Disse la Compieta, e fece le Tenebre nella Sala.

Adì 4. di detto Giovedì Santo. Diede la Benedizione in su la Piazza di Santa Maria Novella, e scomunicò a Retici, Paterini, e Sismatici, e chi facesse contro a Santa Chiesa, com'è d'usanza di fare, e lavò i piedi a 12. Poveri, e vestigli di bianco; poi il dì disse l'Uffizio nella Sala detta.

Adì 5. di detto. Venerdì Santo si comunicò, e parossi a Messa pure nella Sala; eravi 18. Cardinali; e fessi il Sermone. Sermonò il Maestro Domenico da Fichino Frate Predicatore. Non diè la Benedizione; la mattina poi il dì detto a Vespro diede la Benedizione in su la Piazza.

Adì 6. di detto Sabbato Santo la mattina in su la Sala disse Messa il Cardinale d'Ostia, e benedisse il Cero; fu una solenne Messa, & un grande Ufficio; non vi fu il Papa nella Capella di Santa Maria Novella. Poi detta la Messa, diede la Benedizione in su la Piazza 7. Anni, & 7. quarantene d'Indulgenzia chi fosse confesso e contrito, o chi si confessasse fra otto di; e così dava ogni volta l'Indulgenza.

Adì 10. di detto. Mercordì mattina il Santo Padre fece serrare tutte le Chiese di Firenze, e che non si dicesse Messa, nè Uffizio, e così stettero per infino adì XI. Giovedì di sera a hore una e più sonarono l'Ave Marie a tutte le Chiese.

Adì 8. di Maggio. Ci passò la Figliola di Madonna Pagola Sirochia del Signor di Piombino Nipote del Papa; andonne a marito al Figliolo di Berardo da Camerino. Stette in Firenze infino a Venerdì adì 10. di Maggio con ricca, e bella compagnia, & erano 200. Cavagli in sua compagnia. Et il dì medesimo ne andò a Marito la Figliola de . . . Pitti insieme col . . da Camerino in sua compagnia 100. Cavagli horrevolmente. Del detto mese la mattina della Sensione disse Messa nella Sala del Papa il Cardinale degli Orsini solenne e bella. Del detto mese la mattina dello Spiritu Sancto disse Messa il Papa nella Capella sopradetta di Santa Maria Novella con grande solennità. Il dì dinanzi disse il Vespro nella detta Capella.

Adì 5. di Giugno la mattina della Festa del Corpo di Cristo, disse Messa il sopradetto Papa nella sopradetta Capella con grande solennità; e molti Signori v'erano. Il dì dinanzi disse Vespro in detta Capella.

Adì 29. di detto la mattina di Santo Piero. Disse Messa il Papa nella sopradetta Capella di Santa Maria Novella con l'orrevolezza usata.

Adì 2. d'Agosto. Ci venne il Signore di Fuligno con una Sirochia, & il Signore di Camerino, cioè Berardo con una sua Figliola.

Adì 22. di detto. Si partì il Cardinale di Santo Stati; stava a gli spini, & andò Legato di Bologna. Fu accompagnato da 14. Cardinali, il Signor di Fuligno, e quello di Camerino, Messer Marsilio, e molti altri Signori, Vescovi, & Arcivescovi, e Prelati, quanti ne haveva in Firenze, e Piffari, e Trombe in quantità. Furono più di mille Cavagli a farli compagnia per la terra con uno Confalone grandissimo spiegato con l'Arme sua; la qual'Arme era uno Castello d'oro nel Campo rosso, e nella banda l'Arme della Chiesa, e quella del Papa, cioè la Colonna de' Colonnesi. Del detto mese d'Agosto feciono bandire, e notificare i Signori per Firenze con Trombetti, come quando si bandisce la Giostra: Come'l Papa sagrava la Chiesa di Santa Maria Novella, cioè là Chiesa, e l'Altare Maggiore: dove si feciono molte cerimonie.

Adì primo di Settembre. Il Cardinale degli Orsini con comessione del Papa sagrò la Chiesa di Santa Maria Novella, e cominciò a hore otto la notte. Venne in Chiesa a processione con Frati, & andò intorno alla Chiesa dentro; e poi appiccò una fiacola

accesa a ogni Apostolo, quali si dipinsono di nuovo in ogni colonna da lato della Chiesa; & appiccato le dette fiacole, e detto molto Ufficio, e fatte certe altre cerimonie a' detti Apostoli, & agli Altari, cominciò andare a processione intorno alla Chiesa di fuori, gittando sempre acqua benedetta intorno nelle mura della detta Chiesa, e fessi l'entrata in Gualfonda di quà dal Ferrajo, per tornare alla Chiesa; & andava sotto le volte, e tornava per il Chiostro, e fermavasi alla porta dinanzi della Chiesa, che stava ferrata, e dicevano certo Ufficio; e dentro era chi rispondeva; e poi riandava d'intorno nel modo detto, e ritornava pure alla porta; e facevano el simile; & andò così tre volte; e poi entrorno in Chiesa solamente el Cardinale co i Frati. E poi in sul dì venne il Papa in Chiesa, e con molta solennità misse nell' Altar Maggiore Reliquie, con dicendo molto Ufficio. Poi il detto Cardinale andò a tutti quelli Apostoli dipinti di nuovo, & unse quella Croce rossa, che hanno in mano in quel tondo bianco con la Cresima. Poi il detto Cardinale disse la Messa, e con tutte quelle solennità, che s'usa di consegrare, fece, che per abbreviare non le conto. Poi detta la Messa, il Papa andò in su la Piazza nel luogo usato, e diede la Benedizione al Popolo: fuvi grandissimo Popolo.

Adì 8. di detto la mattina della Donna. Disse Messa nella Sala grande il Cardinale di San Marco con grande solennità; fue piena di calcata di gente quella Sala.

Poi detta la Messa, il Papa andò in su la detta Piazza, e diede la Benedizione al Popolo; fu grandissimo Popolo, e diede di perdono 7. anni, & 7. quarantene.

Adì detto. La Domenica notte morì il Cardinale di Spagna vecchio, che tornava nell' Anglia.

1420.

Adì 9. di Settembre. Il Santo Padre partì di Firenze; i Signori l'accompagnarono, e li Capitani, come dirò.

In prima i Signori stanziarono pe' Consegli Scudi 800. per fargli honore; e poi chiamarono 4. Cittadini, che avessero a dare ordine alle dette spese. Fu Antonio di Tedice degli Albizi, Tommaso . . . . . Cristofano Maestro . . . . . Poi elessero una Imbasceria di 8. Cittadini, che l'accompagnassero per tutto il Terreno del Comune di Firenze, e facessero le spese a tutta la sua Compagnia. I Cittadini furono questi, cioè Messer Lorenzo Ridolfi, Messer Matteo Castellani, Messer Palla degli Strozzi, Messer Rinaldo di Messer Maso degli Albizi, Messer Carlo di Francesco Federighi, Giovanni de' Bicci de' Medici, Gherardo d'Antonio Canigiani, Filippo di . . . . Giagni, & ognuno di detti Cittadini haveva seco due giovani horrevoli, e 4. Famegli. Ragunaronsi in su la piazza de' Signori, e poi si partirono, & andarono a Santa Maria Novella. Dipoi i Signori andarono a Santa Maria Novella co' Collegi, e con grande Cittadinanza di Cittadini invitati, & horrevoli, & invitata di giovani puliti, che portarono doppieri accesi intorno al Corpo di Cristo con un ricco e bello Pallio di drappo d'oro con drappelloni in su 14. maze, sotto il quale andò il Santo Padre.

Giunti i Signori a Santa Maria Novella, il Papa montò a cavallo; i detti Signori gli furono intorno a cavallo; il Confaloniere della Giustizia il prese per lo freno da un lato, & el Proposto dall' altro lato; ciò fu Piero di Giovanni Bandini Baroncegli, Cresci di Lorenzo di Cresci erano Proposti. Gli altri Signori erano questi, cioè Piero di Messer Zanobi Megola, Giovanni di Giacopo di Piero Bini, Francesco di Ridolfo Calzolajo assente, e Lorenzino di Giovanni Coreggiajo Guiducci, Domenico di Lionardo del Materassa, e Messer Bartolomeo di Giovanni Orlandini. Partito il Papa con quella Compagnia di tutti questi Cittadini innanzi a piedi, i giovani con doppieri accesi intorno al Santissimo Sacramento; 12. Cardinali; il Signore d'Imola, il Signore di Piombino, & altri Signori inanzi, & indietro al Papa; molti Vescovi, & Arcivescovi, el Podestà, el Capitano di Firenze dietro al Papa con le Bandiere l'una della Chiesa, l'altra del Papa, cioè la Colonna. Partiti da Santa Maria Novella andarono da Santa Maria Maggiore, e poi da Santo Giovanni, e da Santa Liberata, e dal canto di Balla, e volsono, & andarono a Santa Maria Nova in Santo Gilio. Et ivi il Santo Padre scavalcò, e confermò quello, che haveva consagrato il Cardinale di Bologna, e fece quelle cerimonie, che haveva fatte a Santa Maria Novella; e lasciòvi il Perdono otto dì.

Poi rimontato a cavallo, andonne per la via di San Gilio insino al canto alla rondine, e volse per 'l Borgo degli Albizi, & al canto de' Pazzi; e volse verso il Palagio del Podestà, e de' Magalotti, e su per le Piazze de' Signori, e per Vaccareccia, e per Porta Santa Maria, e dritto su per il Ponte vecchio insino alla Porta a Santo Piero Catolino. La Porta si aperse tutta; alla detta Porta si fermarono tutti i Cittadini invitati per Signori, & i giovani con torchi. E giunto il Papa co i Signori si fermò nell' Antiporto, & ivi i Signori feciono dipartenza dal Santo Padre con molti parlamenti, e molti ringraziamenti; e con molte piacevolezze si partì da loro. Il Santo Padre chiese di grazia uno Cortigiano, che haveva morto un Beccajo, e fugli promesso il detto Cortigiano; era condennato in perpetuo nelle Stinche, e deliberaronsi di . . . . e fallo stentare, perchè haveva Ordini Sagri adosso. Partironsi i Signori con quei Cittadini, e Collegi, e quei giovani, che havevano portati i torchi, el Capitano, & el Podestà, che havevano l'Insegne, presole l'una Messer Matteo Castellani, l'altra Messer Lorenzo Ridolfi. Accomiatosi i Signori dal Santo Padre, e fatto la riverenza, e' diede la Benedizione. I Capitani della Parte Guelfa in luogo de' Signori presono il freno del cavallo, cioè il Proposto, che fu Bartolomeo di Giacopo di Danco, e l'altro fu de' Peruzi; & i Cittadini, che havevano invitati i detti Capitani, andarono inanzi a piè; e poi i giovani accesono i doppieri, & andarono intorno al Corpo di Cristo; e gli altri Collegi della Parte presono lo Stendardo, che andava sopra el Papa, e così l'accompagnarono infino in San Gagio; e giunti

ti in San Gagio i Capitani feciono la dipartenza dal Santo Padre; e fu il dicitore Nicolò di Messer Guecio de' Nobili, e disse nobilmente. El Santo Padre rispose benignamente, raccomandando lo Stato di Santa Chiesa, e Bologna, fra l'altre cose molte, che disse. Di poi diede loro la Benedizione, e baciarongli i piedi. Poi partiti, e rimasi i sopradetti otto Cittadini, il Papa si cavò il Piviale, e la Mitra, e misesi la Cappa, & el Capello di drappo rosso. In prima mangiarono, e poi montò a cavallo in su una Mula, e cavalcarono solo con la Croce inanzi, e col Corpo di Cristo senza Bandiere, e Padiglioni, o Stendardo; & andonne verso Roma fuori di San Casciano. Albergò in casa Piero Bardegli ..... l'altra mattina desinò; e poi i detti Cittadini a' Confini presono comiato da lui, e lasciarolo andare con buona ventura, che Dio gli dia.

Cardinales, qui erant cum Martino Quinto Florentiæ.

MOnsignor di Vigneja abitò in Santo Spirito: era Huomo vecchio, e magro; l'Arme sua era Quartieri nero, e bianco.

Monsignor di Lodi abitò nel Carmino: era Huomo vecchio, e pieno di carne, d'età d'anni 70., o più: l'Arme sua erano liste bianche, e rosse a traverso con un rastello di sopra.

Monsignor de' Brancacci abitò nel Fondaccio in Casa .... Brancacci: era Huomo grande, e vecchio, d'età d'anni più di 60. L'arme sua erano quattro branche d'oro nel Campo azzurro con una lista in mezzo.

Monsignor di Focie abitò nel Fondaccio in Casa di Lionardo di Monna Magdalena: era Huomo giovane, e grande, e bello del corpo: era Frà Minore, e così vestiva. L'arme sua erano Quartieri con liste d'oro e rosse.

Monsignor di ..... Cittadino di Bologna abitò in Casa di ..... Martellini da San Friano: era Huomo basso, e vecchio, d'età d'anni 60. in circa: haveva nome Messer Jacopo: era Consigliere del Duca di Milano, & a lui n'andò. L'Arme sua era un Lione nero nel Campo bianco.

Monsignor di San Marco abitò dalle Convertite in Casa di Pietro Bardegli: era Huomo vecchio, di età d'anni 60. o più.

Monsignore di Mentremona abitò in Santa Croce: era vecchio d'età d'anni 75. ò più, e bell' Huomo.

Monsignor de gli Orsini abitò in Casa di Gioanni de' Rinieri Perucci in sul canto di Santa Croce: era Huomo piccolo, di età d'anni 50. o più. L'Arme sua era quella de gli Orsini, cioè liste rosse, e bianche, & una rosa di sopra.

Monsignore dal Fiesco abitò nel Borgo de' Greci in Casa Nanni di Maffeo da Barberino: Era Huomo vecchio d'età d'anni 60. o 70. piccolo, e grosso. L'Arme sua erano liste azzurre, e bianche a traverso a lo Scudo.

Monsignor di Santo Stati abitò in Casa Bartolino Talani in sul canto della Piazza del grano: era Huomo assai giovane di età d'anni 45. in 50. di bella taglia, bruno, e pieno in viso.

Monsignor di Spagna Vecchio abitò in Ogni Santi: era Huomo piccolo, vecchio d'anni 60. o circa, gottoso. Per Arme portava una Stella bianca con lista di Scacchi nello Scudo.

Monsignor d'Ostia abitò in Porta rossa dinanzi nel Palazzo: era Huomo di tempo, bell' Uomo, e d'assai età, d'anni 65. o più. Per Arme portava Croce rossa nel Campo azzurro con due traverse.

Monsignor di San Giorgio abitò da San Gilio nelle Case de' Figlioli di Lorenzo di Cresci: era Huomo giovane d'anni 40. o circa. L'Arme sua erano Stelle rosse nel Campo d'oro.

Monsignor de' Conti abitò ne Servi: era Huomo giovane di meno d'anni 40. L'Arme sua era un' Aquila scaccata, bianca, e nera.

Monsignor di ...... abitò ne gli Agnioli: era Huomo piccolo, e vecchio d'età, d'anni più di 60. Il detto Cardinale morì, & è sotterrato in detto Ordine.

Monsignor di Pisa de gli Adimari abitò in Casa sua, dove stette Messer Filippo Adimari: era assai bell'Huomo d'età d'anni 50. o più. L'Arme sua era balzano d'oro, e d'azzurro.

Monsignor di Firenze, cioè Monsignor Baldassare Coscia abitò in Casa d'Antonio de' Santi: era Huomo compresso, bruno. L'Arme sua era liste bianche, e verde dal mezzo in giù, & una Coscia da lato di sopra gialla nel Campo azurro. Il detto Cardinale ci morì, & è sotterrato in Santo Giovanni, e fu Papa, chiamato Papa Giovanni XXIII.

Monsignor di Tricarigo abitò in San Jacopo in Campo Corbolini. Fu Nipote del sopradetto Baldassare: era Huomo assai giovane d'età d'anni 50., o circa, pieno di viso.

Monsignor di Bologna abitò in Santo Antonio: era Huomo piccolo, e disutile, e magro. Fu Nipote di Papa Gregorio.

Monsignor di Siena abitò in detto Sant' Antonio: era bellissimo Huomo Viniziano, d'età d'anni 45. o circa. L'Arme sua era una lista bianca nel Campo azurro.

Monsignor di Piacenza abitò in Vescovato: era Huomo d'età d'anni circa 60. era bell' Huomo, pallido. L'Arme sua era un Lione bianco con un Castello in mano nel Campo rosso.

Monsignor di ...... abitò in Casa Lionardo Frescobaldi. Fu quello, che andò a incoronare la Reina: era un mezano giovane, e fresco Huomo, d'età d'anni 40. o 45.

Adì 2. di Febrajo. Una brigata di giovani Cittadini feciono una ricca e bella festa di ballare. In su la Piazza de' Signori feciono uno steccato grandissimo; feciono dui doni, una girlanda di cremisi in un bastone grosso entrovi un formaglietto; e quella si donò a chi meglio danzò de' Gioveni; e suo grilandotto a modo d'una coroncina d'ariento, di seta, overo colore, e quella donarono a chi meglio danzava delle Giovani, e Fanciulle. Messono quattro Donne, che havessono a giudicare l'honore delle Donne, e stettono a sedere alte, come giudicatori; e così elessono, chi havesse a giudicare quello de' Gioveni. Quello delle Donne

ne dierono alla Figliola di Filippo da Verigo del Bene; e quello degli Homini al Figliolo di Berardo Berardi. Questa brigata furono 14. e vestirono di cremisi foderati di dossi di varo, e rimboccato di fuori più di mezzo braccio, con un grillo grande di perle in sul braccio manco, con cappucci grandi frappati, bianchi, rossi, e verdi, e calze divisate con nuove divise bianche, rosse, e verde, ricamate di perle. El Signor fu . . . d'Agniolo di Filippo di Ser Giovanni; venne con un vestire di cremisi spandiante; acconciossi a sedere dalla Mercatanzia molto signorilmente con molti capoletti, e tapeti; e per molto ballare dierono due volte bere con confetti. Venivano gioveni 22. con 22. Confettiere piene di tregea, & pinocchiati, e con nobili vini; e poi l'ultima volta, cioè la terza volta, con Zuccherini. Poi dato l'honore, feciono giostrare in su la detta piazza con lancie lunghe, senza scudo, con elmetti, & armadura da soldati. I pinocchiati furono la prima volta inarientati, e la seconda furono dorati. Lunedì seguente adì 3. di detto andarono tutti insieme a cavallo per Firenze in su cavagli rossi. Tiensi, che questa fusse delle ricche feste, che si facesse mai a Firenze di simile cosa, cioè di ballo.

Adì 24. di Marzo. I Signori feciono bandire, e notificare la partita delle galee grosse, e sottili, cioè la galera sottile, che parte adì 15. di Aprile con gli Ambasciatori, che vanno al Soldano; e le galee grosse da mercato partono adì primo di Luglio, e vanno nella Fiandra, con patti e modi ordinati di nolo, & altre concordie, e patti.

Adì 11. di Febrajo. Le dette galee con gli Ambasciatori giunsono sani e salvi in Porto Pisano Giovedì il dì di Berlinghaccio; e Venerdì mattina a hore 13. o circa giunse la novella a' nostri Signori, & incontinente sonarono tutte le campane di Firenze. Dipoi andò un Bando per parte de' Signori, che si serrasseno tutte le Botteghe a pena di 4. Fiorini; e così si fece, & ordinossi una Processione il Sabbato, e la Domenica mattina solenne, e bella; e cantossi la Messa in Santa Maria del Fiore; predicò il Maestro Domenico da Fighine de' Frati Predicatori.

Adì 6. di Settembre. Si bandì la Lega tra'l Comun di Firenze, e'l Signor di Lucca Pagolo . . . . . con quei patti, e modi, che nelle scritture si contiene. La detta Lega comincia adì primo di Settembre, e dura anni cinque prossimi, che vengono; e paga l'anno a Braccio per 6. mila i Sanesi, e 18. migliaja il Comun di Firenze; e sta il detto Braccio a posta di detto Comune, quando fesse di bisogno.

1 4 2 3.

Adì 17. d'Agosto. Venneci Messer Pandolfo di Malatesta Capitano della gente d'arme del Comun di Firenze; entrò in Firenze Martedì adì detto a hore 20., tornò all'albergo della Corona; venne con forse 200. Cavagli bene in punto. Adì detto i Signori l'onorarono di capponi, paperi, pollastri, e vino, più stangate d'ogni cosa, cioè una stangata di capponi, una di paperi, una di pollastri, una d'anatre, e due di vino.

Adì 22. d'Agosto. Domenica mattina a hore dieci i Signori, e Collegi, e dieci della Balìa, & altri Ufficj dieno il bastone al detto Messer Pandolfo, come Capitano della gente del Comun di Firenze. Dieglilo Tomasso d'Andrea Botti Confaloniere di Giustitia. Uscì il Capitano allotta, allotta di Firenze per la Porta a Santo Piero Catolino; tornò allotta per la Porta a San Friano. Partissi il detto Capitano a 25. d'Agosto.

1 4 2 5.

Adì 20. di Luglio si fece il Capitano delle Galee, e Padroni, secondo la Legge; e fu la prima volta fatta la Legge in questo modo. I Consoli delle 15. Arti minori, e 6. Consoli del mare, sono in tutto 26. ognuno ha eleggere due Capitani, i sei del mare, e loro Consorti; e tutti vanno a partito tra Signori, e Collegi, e Capitani otto e sei, e rimane uno di dieci; e quello è detto Capitano delle Galee; e se rifiuta, il secondo delle più fave; e chi accetta, dona Scudi 10. a chi l'ha nominato; e Padroni, e Rassegnatori si fanno pure per li sopradetti. Fu Capitano Giovanni di Messer Rinaldo Gian-Figliazzi, Padrone Nicolosone delle Calvane.

Adì 27. di Gennajo. Si bandì la Lega, la quale cominciò insino adì 4. di Dicembre prossimo passato col Magnifico Comun di Vinegia, e con tutti i soi raccomandati e aderenti, e col Magnifico Comun di Firenze con suoi raccomandati e aderenti per X. anni contro a Filippo Maria Duca di Milano, e contro a' soi raccomandati e derenti. Il Venerdì, & el Sabbato dinanzi, e la Domenica mattina andò solenne e ricca Processione con le Reliquie, e le Compagnie delli Battuti; dissesi la Messa in Santa Liperata per lo Vescovo di Fiesole.

Adì 16. 17. & 18. di Marzo. Andò solenne Processione, & il detto dì 18.

Lunedì si cantò solenne Messa in Santa Maria del Fiore; furonvi i Signori, l'Ambasceria de' Veneziani, e Gioanni Luigi dal Fiesco, i Collegi, Capitani di Parte, 10. di Balìa. Lunedì pare si desse il bastone al Marchese di Ferrara, come Capitano de' Fiorentini, & al Signore di Verona, come Capitano de' Veneziani, & al Conte Carmignola come Capitano della Lega a difensione de gli Stati di detti Comuni, e di loro Collegati, contro al Duca de Milano.

1 4 2 6.

Adì 30. di Marzo. Ci venne il Cardinale de gli Orsini; andarongli incontro tutte le Processioni de' Frati, e di Santa Maria del Fiore, i Confalonieri, e molti Grandi Cittadini, e molti Giovani a cavallo, l'Arcivescovo di Firenze, il Vescovo di Fiesole, l'Abate di Sant'Antonio, e molti Abati. I Signori gli donarono uno Stendardo, sotto il quale venne; molti Gioveni orrevoli il portarono; venne molto riccamente, e con grande honore; tornò a Santa Maria Novella nella stanza, dove stette il Papa. Fu presentato da' Signori queste cose: 4. mazzi di torchi, 2. mazzi di torchietti, 12. scatole di confetti, 4. Torte di marzapani, 4. stangate di vino, 1. vitella, 1. cesta di pesce, 1. stangata di capponi, 1. stangata di pollastri, 1. stangata di pipioni grossi, una stangata di Cavretti, tutti vivi ogni cosa, 36. sacca di biada. Partissi d'Aprile; ci stette cinque dì.

Adì

Adì primo di Settembre. I Magnifici Signori Priori dell' Arti, & el Confaloniere della Giustizia feciono metter bando, pubblicare, e notificare, come insino adì 11. di Luglio prossimo passato feciono bona unione, e Lega col Magnifico Messer Amadeo Duca di Savoja, Conte, e Marchese in Italia da l'una parte, il Magnifico Messer Francesco Dogie di Vinegia, e con la Comunità di Vinegia dall'altra parte, e loro aderenti, e Collegati contra allo Illustrissimo Filippo Maria Duca di Milano, per tempo, e termine d'Anni 10. per tutto il tempo della vita sua, e poi un'Anno dopo la sua morte, con Capitoli, & patti, che nelle Scritture si contiene.

Del detto mese de Settembre. Si bandì, e pubblicò la detta Lega col Duca di Savoja con detti Capitoli e modi.

Del mese di Settembre. Ci venne el Cardinale di Bologna, il quale era Vescovo di Bologna, tenuto santissimo huomo, Ambasciatore del Papa a' Signori; poi andò a Vinegia; fugli fatto solenne presente, e tornò in Santa Maria Novella.

Adì 16. di Febrajo. Si bandì, e pubblicò, e prolungossi la Lega de' Sanesi per anni diece, con Capitoli & altri patti, e Scritture fatte per mano di pubblico Notajo.

1427.

Adì 20. d'Aprile. Venne la novella, e l'Olivo della Pace la notte dinanzi a hore 4. Disseno le Lettere: sarà compilata la Pace.

Adì 18. d'Aprile a hore 6. la mattina medesima si fe' Consiglio Generale, e lessonsi le Lettere, e Capitoli della Pace.

Adì 16. di Maggio prossimo si dee pubblicare.

1428.

Adì 16. di Maggio. Si bandì, e pubblicò la sopradetta Pace perpetua tra la Illustrissima Lega, e lo Illustrissimo Signor Duca di Milano, e loro aderenti, e Collegati, come ne' Capitoli si contiene, scritti per mano di publico Notajo. Adì detto Domenica mattina si fe' solenne e ricca Processione con tutte le Reliquie, e Compagnie di Discipline. Andarono incontro alla Tavola di nostra Donna, e dissesi la Messa della Pace in Santa Maria del Fiore con grandissima solennità. Iddio per sua pietà, e misericordia conseguì questa Pace tra' sopradetti, e per tutti Cristiani.

Adì 21. d'Aprile Anno detto. Ci venne il Figliolo del Re di Portogallo a Sant'Antonio del Vescovo; & a hore 21. entrò in Firenze; andògli incontro il fiore de' Cittadini di Firenze; serraronsi le Botteghe; fecegli per quel dì grande honore de' maggiori, che io ricordi a' miei dì.

Del mese d'Agosto. I Bolognesi cacciarono la Chiesa, e resonsi a Libertà.

1429.

Adì 19. di Giugno di Domenica. Venneci il Principe di . . . . Nipote del Papa Martino; molto riccamente fu ricevuto, & honorato di grande Cittadinanza, che gli andò incontro; tornò nella Casa di Messer Matteo Scolari di rimpetto alla Corona; fu apparecchiato di letta, e d'argentarie molto riccamente. Adì 20. di detto il Lunedì mattina fu presentato dal Comune questi presenti, cioè 20. doppieri, 6. mazzi di torchietti, e candele, 16. scattole di confetti, tregea, pinocchiati, e zuccata, 4. torte di marzapane 3. stangate di paperi, pollastri, capponi, & anatre, 3. stangate di fiaschi di vino, 6. moggia di biada, & una vitella.

Del mese di Novembre. Cavalcò il Signor Nicolò Fortebraccio a Volterra, perchè si ribellò dal Comun di Firenze, & altri Soldati del Comune. Dipoi vi andò Messer Palla de gli Strozzi, e Messer Rinaldo degli Albici; e riebbono la detta Terra, entroronvi dentro, hebbono le Fortezze; dipoi si capitulò con loro in questo modo.

1430.

Del mese di Giugno. Venneci il Capitano della Guerra per l'impresa di Lucca. Il Signor d'Urbino è fatto Capitano Generale, & andò a Lucca, & hebbe il bastone.

Adì 3. di Dicembre. Venne la novella in su la Nona, come era stato rotto il Campo del Comun di Firenze in quello di Lucca; rifuggirono in Pisa quasi tutta la gente dell'Arme, e come . . . . . . nostri, e due di diece, poco danno feciono. Fu preso il Fornaino, Rinieri del Froso, Pagolo Colonna. Passò Nicolò Piccinino, e sua Compagnia, e fornirono Lucca.

Nel detto Mese. Hebbe licenzia il Capitano della Guerra, cioè il Conte d'Urbino; tornossi a casa sua; donarongli i Signori un ricco, e bello Elmetto, & un bello Cavallo.

Del Mese di Gennajo. Ci venne il Cardinale di Santa Croce, tornò in Santa Maria Novella.

Adì ultimo di detto. Ci venne il Cardinale di Sant'Angelo, tornò in Santa Maria Novella; feciongli i Signori grande honore, e presentarolo torchietti di Cera, Confetti, Capponi, Lepri, Vino, e Biada.

Del Mese di Febrajo. Ci venne la novella, come Papa Martino era morto adì 20. di detto. Cominciarono a sonare doppio alle Chiese per la nova sua; e sonavano nove sere, ogni sera nove doppj per Chiesa; non compirono di sonare.

Adì 5. di Marzo. Ci fu la novella, come era fatto nuovo Papa pel Concistoro de'Cardinali in Roma, il quale Papa si chiama Papa Eugenio IV. & è Veneziano. Questo dì medesimo la sera se ne fece in Firenze gran festa di fochi al Palagio, & in tutte le logora usate, e grande sonare di Campane; sicchè a un tratto sonava per la morte del Papa, e per Papa novo. Tutta la Terra ne faceva gran festa, e molta allegrezza mostravano tutti i Cittadini, & el Popolo.

Adì 11. di detto Mese di Marzo. Si fece solennissima Processione di tutte le Regole, Reliquie, e Compagnie, & andarono incontro alla Tavola della Vergine Maria. Andò la Processione per tutta la Terra, e la Tavola era da Santo Felice. In piazza eravi a sedere tutti gli Ufficiali del Comune, cioè Collegi, Capitani, Dieci; & a piè del Banco in Santa Maria del Fiore si celebrò solenne Messa detta per il Vescovo di Fiesole; poi predicò il Maestro Antonio da Rezo intorno alla solenne Festa, che si faceva per la Lezione del sopradetto Papa; e molto disse di sua virtù, e bontà, e della singolare ami-

amicizia, ch'egli ha con Fiorentini, e molte altre belle cose.

Del Mese d'Aprile. Andarono i nostri Ambasciatori al Santo Padre horrevolissimamente. Furono questi, cioè Messer Lorenzo Ridolfi, Messer Giuliano d'Avanzati, Messer Biagio Vasconi, Ridolfo Perucci, Lorenzo di Giovanni de' Medici. Tornarono tre de' sopradetti adì 26. d'Aprile 1431. cioè fu Messer Giuliano, Messer Zanobi Ridolfi Perucci; rimase Messer Lorenzo, e Lorenzo de' Medici. Fugli fatto grandissimo honore, e veduti volentieri dal Papa, e da molti Signori Cardinali.

1 4 3 1.

Adì 13. di Giugno la mattina nanzi mangiare Mercordì venne in Firenze Micheletto da Cutignola con 150. Cavagli in circa; di fatto n'andò in Palagio de' Signori; e detto dì li Signori, e Confaloniere di Giustizia gli dierono il bastone, e feciolo Capitano della Guerra di detto Comune. Poi come era ordinato, & apparecchiato horrevolmente all'albergo della Corona, l'andò a scavalcare; portògli il bastone inanzi un suo homo tutto armato; tutta mattina piovegginò; fece la cerca per Firenze.

Adì 15. di detto Mese. Si partì il sopradetto Capitano.

Adì 25. d'Ottobre. Venne Micheletto in Firenze, che era in piano di Ripoli, perchè andava in Val d'Arno per fatti di Capo Selvole, che lo Imperadore, & il Popolo di Siena l'andava a soccorrere; e quando Micheletto fu presso, fugli detto, che era riavuto Capo Selvole, e non bisognò andasse più oltre. Sentì, che lo Imperadore era tornato a Siena, tornossi a dietro, e venne detto dì in Firenze. Andò a' Signori, e Signori gli donarono un ricco, e bello Elmetto con un giglio in terzo, e tutto l'Elmetto avvolto di gigli come freschi, & uno bello Cavallo coverto con coverte di cojo, e poi una sopraveste di drappo d'oro, & una bandiera quadra col Segno del Comune, cioè il giglio tutto el Capo votichiato di ariento. Andarogli incontro i Rettori, e molti Cittadini.

Adì 12. d'Agosto. Ci venne il Cardinale di Piacenza, che andava al Duca di Milano, ovvero nelle sue Terre di Lombardia; scavalcò a Sant'Antonio del Vescovo; non hebbe honoranza, perchè passò di fuori.

Adì 13. Andò a Santa Maria Nuova, & ivi li Signori l'andorno a visitare. Dipoi la sera medesma lo presentorno di Cera, Confetti, Vino, e Biada, & alli 14. partì di Firenze.

Adì 6. di Gennajo 1432. Ci venne una bella Ambasciera dell'Imperadore, che era a Siena, e furono 4.

Adì 12. di Giugno 1434. Ci fu novella, come Papa Eugenio IV. era giunto a Livorno la sera; che s'era fuggito da Roma secretamente come Monaco; entrò in Tevere in su uno Schifo, poi entrò in una Galera di Madama, e se ne venne a Livorno. Subito in Firenze si cominciò a sonare tutte le Campane, e fecesi gran fuochi nel Palazzo.

Adì 22. di Giugno. Detto Eugenio IV. giunse al Luogo dell'Abbate, cioè il Luogo, che fu di Baldassare Ubriachi, dove sono i Magi sopra la Porta a piè di Monte Oliveto in su la strada fuori della Porta a San Friano; e giunse a hore 13. in circa il Martedì a mattina, benchè fussero apparecchiate le sue stanze a Monte Oliveto; ma non vi andò; andovvi il Cardinale di San Sisto, che era con lui, che non haveva altri Cardinali, che questo seco.

La mattina seguente, che fu alli 23. Entrò in Firenze tra le 10. o 11. hore con quest'ordine. I sei della Mercatanzia l'andarono la mattina a visitare, con donarli una ricca e bella Croce d'Argento con molti Smiraldi.

Dipoi l'istessa mattina l'andarono a visitare i Capitani di Parte Guelfa, e gli donarono un bel Cavallo bianco con una coda tutta arricciata, & uno Stendardo di drappo d'oro foderato di Taffetano, & un Piviale di drappo pure a oro in chermesì, con un ricco, e bel fregio, il quale valeva Fiorini 300. Il Cavallo havea la Sella coperta di chermesì, le staffe, e gli altri fornimenti dorati con ismalti.

Venne lo Santo Padre sotto lo Stendardo di detti Capitani dal Luogo, dov'era albergato, insino alla Porta, & i Capitani l'addestravano. Giunto alla Porta, vennero li Signori, e Gonfaloniere di Giustizia con loro Istendardo di drappo a oro foderato di pance di vario. Stè il Santo Padre nella Porta un gran pezzo, & trassesi carta, come è usanza di fare, di certi patti si fanno con lui. Tutte le Regole vennero incontro parate con le Reliquie; e nell'antiporta baciò le Croci, poi tornarono dentro.

Poi entrò dentro la Famiglia del Papa; e molti Cortigiani, e Cittadini. Poi il Corpo del Nostro Signore Gesù Cristo in una cassetta coperta di chermesì con una Crocellina sopra un Mulo bianco, e d'intorno al detto Santissimo Sacramento furono da 100. Giovani horrevoli, quasi tutti vestiti di seta, con doppieri Cardinaleschi in mano. Poi 4. Cittadini con 4. Cappelli in mano in su bacchette coperte di Sciamito; i quali Cittadini furono questi, Angelo di Filippo di Ser Giovanni, Ridolfo Peruzzi, Bartolomeo Ridolfi, & N. Il Capello del Papa il portò Messer Matteo Castellani; poi la Bandiera della Chiesa, la qual portò Messer Giovanni Guicciardini, e quella del Papa portò Messer Palla delli Strozzi; e tutte queste erano inanzi al Santissimo Sacramento. Poi il Santo Padre con grande compagnia di Vescovi, & un solo Cardinale di San Sisto. Era sì grande il Popolo, che a pena si posseva passare per via; & i Vescovi andavano dietro a lui, gittando dinari in molti luoghi, grossi, bolognini, e quattrini. Andò per Borgo San Friano, e da Frescobaldi per Borgo San Jacopo, dal Ponte vecchio per Porta Santa Maria alla Piazza de' Signori, del Podestà, da Fondamenti, e scavalcò a Santa Maria del Fiore, & andò all' Altare su per panni lini bianchi, & all'Altare s'inginocchiò due volte, e fatta l'Orazione, e cantato il Psalmo, diè la Benedizione con gran devozione, e diè sette anni, e 7. quarantene a chi quel dì visitasse quella Chiesa. Poi rimontò a Cavallo, & andò a Santa Maria Novella, e non entrò in Chiesa, anzi entrò per la Porta del Martello, & ivi fu stracciato lo Stendardo della parte, e tol-

tolto. Poi all'entrare del Chiostro fu fatto il simile di quel, che gli donorno gli Signori, ma pur l'hebbe i mazzieri del Papa come l'altro. Il Cavallo del Papa l'hebbono i Signori.

La Mattina di San Giovanni il Papa non disse Messa, perchè non haveva Cardinali.

Adì 30. Giugno. Li Signori presentarono il Papa dell'infrascritte cose, cioè 96. Torcie Cardinalesche, 6. mazzi di Torchietti coverti, 50. scattole di Confetti, 10. torte di marzapani grandi, 28. para di pollastri, 20. para di capponi, 14. para d'anitrazzi, 4. stangate di trebiano, una stangata di malvasia, due vitelle vive, 160. sacca d'orzo, furno 20. moggia. Tutte le dette cose passarono per la Sala grande del Papa; poi nell'altra Sala stè il Papa a vedere passare tutte le dette cose con gran piacere.

Li Priori, che'l misono in Firenze, furno questi, Aldobrandino di Giorgio d'Aldobrandino Signor di Giustizia, Andrea di Vico Beccajo, Leonardo di Teo.

Il primo di Luglio. Li Priori nuovi presentorno il Cardinale di San Sisto, che era alloggiato in Sant' Antonio queste cose, 24. Torchi Cardinaleschi, 2. mazzi di torchietti coverti, 10. scattole di confetti, 2. torte di marzapane, 2. stangate de vino, 2. stangate di polli, paperi, e capponi, & anetrini, 40. sacca d'orzo moggia 5.

I Priori furono questi Donato di Piero Veliti Confaloniere, Giuliano di Cristofaro Legnajolo, Steffano di Toto beccajo, Nicolò di Nicolò Fagni, Giacopo Giugni detto lo Standito, Carlo di Gagliardo Bonciari.

Adì 2. di Luglio. Venne il Papa alla Messa nella Sala grande, detta dal suo Capellano; ci andarono i Signori; quando giunsero, s'inginocchiarono, poi sedettono a i piè del Papa, bassi intorno alla sedia sua. Poi detta la Messa, tutti i Signori gli baciarono il piè, la mano, e la gota; poi parlarono con lui sempre tutti ginocchioni; parlò il Confaloniere; il Papa mostrava udirli molto volentieri.

Adì 12. di Luglio. Venne in Firenze il Cardinale di San Marcello, detto Monsignore di Siena, cioè Messer' Antonio, fu Calonaco di Duomo in Firenze; & alli 14. i Signori lo presentorno di cera, confetti, capponi, pollastri, paperi, anetrini, vino, e biada assai onorevolmente.

Adì 2. d'Agosto. Ci venne il Cardinale de gli Orsini, scavalcò in Casa Cosimo.

Il medesimo dì. Ci venne il Cardinale de' Conti.

Adì 10. di Dicembre. Ci vennero 2. Cardinali, cioè di San Pietro in Vincola, che tornò in Santo Spirito, & il Cardinale Santa Croce, che tornò nel Carmino.

Adì 23. di Dicembre. Ci venne il Cardinale Camerlengo suo Nipote; quasi tutta la Corte gli andò incontro; tornò in Santa Maria Novella, dove stava il Generale, e la sua famiglia nel Palazzo. Donògli i Signori cera, confetti, starne, vino, biada, secondo è usato honorevolmente adì 25. di Dicembre.

Adì 25. La notte di Natale disse Messa il Papa.

La mattina disse Messa il Cardinale degli Orsini, cioè alli 6. che la mattina di Natale la disse pure il Papa.

Adì 2. di Febrajo. Disse Messa in Santa Maria Novella il Cardinale di San Sisto; ci venne il Papa, il quale prima benedisse le Candele in su la Sala, e diele a' Cardinali, Vescovi, & altri Prelati. I Ciriotti, che dava a' Cardinali, erano di 2. libre; a gli altri minori; poi ne gittò nel Cortile al Popolo gran quantità. Venuto alla Messa diè le Candele alli Signori, Ciriotti di cera bianca d'una libra l'uno. Quando si disse la Messa, ognuno accese i suoi torcetti; così al levare del Santissimo Sacramento. Detta la Messa, diè la Benedizione, che stava in Sedia.

Adì 2. di Marzo il primo dì di Quadragesima, e' pose la cenere nel capo; ma prima il Cardinale de gli Orsini la pose in capo al Papa; poi il Papa la pose a lui, & a tre altri Cardinali, che v'erano, cioè San Sisti, il Camerlengo, e Santa Croce, poi a tutti Vescovi, Abati, & Ambasciatori, & a pochi altri. Disse Messa il Cardinale de gli Orsini con paramenti pavonazzi, e così i Cardinali, e Patriarchi. Detta la Messa, diè la Benedizione, & andatosene, un suo Capellano diè la Cenere a tutti.

Adì 3. di Marzo, perchè in tal dì Eugenio fu fatto Papa, si disse una solenne Messa; e dissela il Cardinale di Santa Croce.

Adì 25. di Marzo. Disse Messa il Cardinale San Sisto.

Adì 27. di Marzo. La 4. Domenica di Quadragesima disse Messa il Cardinale Camerlengo. Il Papa portò la Rosa in mano, e posela su l'Altare.

Mercordì Santo alli 13. d'Aprile. Diè la Benedizione il Papa in su la piazza; poi entrò in Chiesa, e dissesi l'Uffizio.

Il Giovedì Santo. Diè pur la Benedizione nella piazza; poi scomunicò molte Nazioni, e chi tenesse Beni di Santa Chiesa. Poi se n'entrò dentro, e disse Messa il Cardinale Orsino. La sera del detto giorno diè di nuovo la Benedizione su la Piazza, poi si disse l'Uffizio.

Il Venerdì Santo. Si disse medesimamente l'Uffizio nella Sala; poi diè la Benedizione nel detto palco su la piazza con l'Indulgenza solita. El detto dì dopo Vespro diè un' altra volta la Benedizione nella piazza con l'Indulgenza &c.

Il Sabbato Santo alli 16. d'Aprile. Venne a dir l'Uffizio nella Sala, benedisse il Ciero con tre Candele; ogni cosa era parato di rosso, la Sedia, e tutto; ma subito si levò il rosso, e posesi il bianco. Disse Messa il Cardinale San Sisto, non si disse *Agnus DEI*; nè si diè la Pace. Poi la Messa andò nella Piazza, e diè la Benedizione con l'Indulgenza di 7. anni, e 7. quarantene. Poi uno disse: *Pregate Dio per lo Stato di Santa Chiesa, e di Papa Eugenio.*

Adì 17. d'Aprile la Pasqua. Venne il Papa nella Capella di Santa Maria Novella a dir Messa. Prima cominciò l'Ufficio; fece un Cavaliere; poi si parò con quest' Ordine. Prima tratto il Piviale, il cinsono sopra il Camicio con un cordiglio di seta, poi una Crocetta al collo, poi un velo vergato d'oro in capo, & alle spalle grande; e prima gli havevano messe le pianelle tutte piene di perle; entragli uno sotto, e molti che lo servono, tengono i panni alti; poi il Subdiacono;

cono; poi il Diacono; poi la pianeta, guanti, & annella, e mitra piena di gioje, e pietre. Disse Lorenzo di Bartoluccio, che l'aveva fatta, che valeva 40. mila Fiorini. Detta la Messa, andò nella Piazza, e diè la Benedizione.

A

Adì 18. di Maggio. Ci venne il Cardinale di San Marco.

Adì 26. di Maggio il dì dell' Ascensione. Disse Messa il Cardinale di San Pietro in Vincola, la quale finita, il Papa diè la Benedizione su la piazza.

Adì 29. di Giugno. Disse Messa il Cardinale Camerlengo.

Adì 15. di Agosto. Disse Messa il Cardinale di Piacenza.

B

Il Primo di Dicembre il Giovedì. Ci venne il Cardinale di Rovana a hore 23. Andògli incontro 4. Cardinali, e molti Vescovi, e Cittadini. Entrò per la Porta a San Gallo; andò al Papa; dopo scavalcato fu portato, perchè era gottoso.

Adì 3. Fu presentato dalla Signoria di 10. doppieri di ciera, 2. mazzi di torcie, 8. scattole di confetti, 2. torte di marzapani, una stangata di capponi, fagiani, starne, pipioni grossi, 2. stangate di vino, 3. moggia di biada.

Adì 9. di Dicembre. Tornò il Cardinale Santa Croce, che era andato Legato in Francia.

C

Adì 10. di Dicembre. Ci venne il Cardinale Colonna con bella Compagnia.

La notte di Natale. Disse Messa il Cardinale di Piacenza a hore 12.

La mattina disse Messa il Papa in Santa Maria Novella.

Il dì di Santo Stefano. Disse Messa il Cardinale di San Pietro in Vincola.

Il dì di San Giovanni. Dissela il Cardinale di San Marco.

1436.

Il Primo di Gennajo. Disse Messa il Cardinale di San Sisto.

Adì 6. di Gennajo. Dissela il Cardinale de gli Orsini.

D

Adì 8. di Gennajo. Disse Messa il Papa, e fece Prefetto il Fratello del Cardinale Orsino. Poichè fu fatto, montò a cavallo con gran compagnia di Cortegiani, Cavalieri, Signori, e Vescovi, & altri Prelati, & andò per Firenze, e dalla Piazza de' Signori tornò a casa pel Palagio, & ivi scavalcò, perchè vi tornava il figliolo con molte trombe. Era parato di Piviale, & in capo haveva due berette una bianca, & una verde, & un capello di drappo rosso, alto, e lungo più di mezzo braccio, e l'ombrella inanzi, come porta il Papa.

Il detto giorno 8. Tornò il Cardinale de' Conti, che era ito a Roma.

E

Adì primo di Marzo. Detto Anno 1436. Morì in Fiorenza il Cardinale San Sisto, il quale tornava in Santo Antonio, e detto dì dopo detta la Vigilia fu portato in Santa Maria Novella, e seppellito in la Capella maggiore.

Adì 18. di Marzo la Domenica della Rosa. Disse Messa il Cardinale di San Marco in la Sala del Palazzo.

Adì 25. di Marzo. Papa Eugenio IV. consacrò la Chiesa di Santa Maria del Fiore. Disse Messa il Cardinale di San Marco.

Mercordì alli 18. d'Aprile. Papa Eugenio il detto Anno 1436. partì di Fiorenza con quest' ordine.

I Signori feciono grande invitata di Cittadini, e partironsi di Palazzo con i Collegi, e sei di mercatanzia, & Ufficiali di Monte con gran compagnia, e con lo Stendardo, e con 50. Giovani con torcie per accompagnare il Santissimo Sacramento; & andarono a Santa Maria Novella dal Papa; poi scesono giù col Papa, il quale montò a cavallo; & i Signori a piedi intorno al cavallo, il quale lo pigliò per la briglia il Confaloniere da un lato, e dall'altro il Proposto. Innanzi al Papa era molta gente di Cittadini, Imbasciarie, & altri Signori forestieri. Andarono 4. con quattro Cappelli inanti di drappo in tre mazze, e l'ombrella di drappo giallo, e rosso. La Bandiera dell' Arme della Chiesa portò il Podestà; e quella del Papa il Capitano; e la bandiera con l'Arme de . . la portò un Friere, accompagnato da due Cavalieri Frieri con sopraveste di drappo rosso con la Croce bianca; e così era la bandiera, cioè nel Campo rosso, & in ogni Quartiere le chiavi, cioè l'Arme della Chiesa. Poi seguivano 6. Cardinali, cioè Piacenza, Tricarico, San Marco, Conte, Colonna, & il Nipote Camerlengo. Poi il Santissimo Sacramento sopra un Cavallo bianco coverto di rosato in una cassettina coperta di taffettano rosso con li sopradetti Giovani intorno con li torci accesi; & ancora andavano inanzi sette Cavalli bianchi; & una mula bianca con selle di Velluto, e drappo, coverte di dietro di rosato, riccamente adorni di freni, e briglie; poi cento Cittadini, e li Ufficiali; poi il Papa con lo Stendardo, & i Signori intorno; poi il Patriarca con gran quantità di Vescovi, & altri Prelati, e forestieri. Uscì della Corte il Papa, dalla via della Scala, dalla Porta minore, e venne su per la piazza di Santa Maria Novella, e poi giù da Carnesecchi, e da Santa Maria Maggiore al canto alla Paglia per Borgo San Lorenzo, e per via di San Gallo alla Porta, dove si fermò, e prese combiato da' Signori: molto parlarono. Poi i Capitani presero; entrarono, come erano i Signori, insino a San Gallo, & ivi giunti, lo Stendardo andò a saccomanno, e tutto si stracciò: era di drappo d'oro. Partitisi, & accombiatatisi li Capitani, entrò in San Gallo, e cavossi il Piviale, e la Mitra, e prestamente uscì fuori in rocchetto, & il Capello in capo; poi seguì il suo viaggio.

1437.

Adì 25. d'Aprile il dì di San Marco 1437. Venne in Firenze il Cardinale, che fu Patriarca, & Arcivescovo di Firenze, detto Monsignor di Firenze; fugli fatto grandissimo honore. Tutte le Regole con le Croci gli andarono incontro fuor della Porta a San Gallo; baciò la Croce del Duomo. Poi i Collegi, Capitani, diece di Balìa, 8. e 6. e 6. Arti maggiori; e lo Stendardo entrò dentro con molto honore. Andò per via di San Gallo al canto alla Paglia, e parlò co i Signori; poi a Santa Maria del Fiore all' Altare; e lasciò il Perdono di 3. anni a chi v'andasse. Fu presentato, quando andò a scavalcare a Casa Cosimo, molta cera, confetti, torte di marzapane, una cesta di tinghe, due baccini grandi d'ariento pieni di lam-

lamprede, e molta biada, e vino. L'altra mattina, che fu il Sabbato il presentarono di nuovo, pollastri, pipioni, capponi, paperi, una vitella viva.

1438.

Adì 27. di Gennajo il Martedì a hore 21. 1438. Entrò in Fiorenza Eugenio Papa IV. Andògli incontro i Capitani della Parte con lo Stendardo loro insino a Sant'Antonio, dove era giunto il Sabbato dinanzi. Venne sotto detto Stendardo fino alla Porta, dove erano i Signori con loro Stendardo d'oro foderato di pancie di vari; entròvi sotto il Confaloniere, prese la briglia del cavallo dal lato dritto, & il Proposto dal manco, e tutti gli altri Signori d'intorno. Si fermò nella detta Porta un quarto d'ora per capitulare; entrò dentro; incontro gli erano andati tutti gli Ufficj, come l'altra volta nel 1435. e così le Processioni, e l'altre Regole. Andò dritto per via di San Gallo, falsé al canto alla Paglia, & andò a Santa Maria del Fiore, e smontò sul palco fatto a piè le Scale, & andò su per panni lini bianchi insino all'Altare, dove se inginocchiò due volte, e diè l'Incenso alla Testa di San Zenobi, & all'Altare, e detta l'Orazione, diè la Benedizione, e lasciò il Perdono; poi montò a cavallo, & andò da Fondamenti sotto lo Stendardo della Parte, però che quello de' Signori fu stracciato in su la Piazza, e per Borgo Sant' Apostolo da Legnajoli per la via della Scala, dove fu stracciato lo Stendardo della Parte, e tolto il suo cavallo; hebbelo il vecchio Comandatore de i Signori con loro ajuto. Signori erano questi.

Cosimo di Giovan de' Medici.
Baldassar di Bernardo d'Ugolino di Ronsi.
Antonio di Giovanni Benci.
Piero d'Andrea Nardi.
Giuliano d'Amerigo.
Simone di Salvestro Gondi.
Matteo di Marco di Tomaso Bartholi.
Vieri di Piero di Spina.
Bartolomeo di Gherardo Marsigli.

Alli 5. di Febrajo 1438. Morì il Cardinale di San Marcello in OgniSanti, & alli 10. di detto si fe' la sua honoranza in detta Chiesa. Fecesi la Capanna del canto di sotto la Chiesa, & intorno acconciò per Doppieri, e di sopra al Coro fiacole. Disse Messa il Cardinale Camerlengo Nipote del Papa; fuvi 4. Cardinali oltre a lui, molti Arcivescovi, e Vescovi, & altri Prelati. Sermonò un Frate di San Domenico. Poi detta la Messa andarono i Cardinali parati, & ognuno fece il suo Uffizio d'Acqua benedetta, & incenso. Sotto la Capanna era un Palchetto, e sopra detto Palchetto drappi, e drapelloni, e Cappelli da Cardinali, & un guanciale, e due roste nere. Furonvi 40. vestiti di nero, parenti, & altri, e 13. vestiti di bianco. Io stimo, che si lograssino in questa mattina libre 2.mila di cera tra la Capanna, e dare in mano a' Cardinali doppieri Cardinaleschi grossi, a chi fiacole grosse, a chi mezzane, a chi candele grosse. I Signori vi mandorno 40. doppieri.

Di questo mese di Febrajo. Ci cominciarono a venire i Greci, e prima ci venne l'Arcivescovo di Russia accompagnato da molti Vescovi, & altri Cortigiani.

A Adì 12. di Febrajo detto. Ci venne il Patriarca de' Greci: fu il dì del Berlingaccio accompagnato da due Cardinali, e da tutta la Corte del Papa, e molti Cittadini; furono più di 500. Cavagli; venne per la Porta a San Gallo per la via San Gallo, fin' al canto alla Paglia, dove volse a Santa Maria Maggiore, e da Santa Trinità, & andò per la piazza, e parlò alla ringhiera co i Signori, poi volse al canto de' Pazzi insino al canto a le Rodini, poi se ne andò a Casa Ferrantini, & ivi alloggiò. Fu presentato riccamente di cera, confetti, torte di marzapani, capponi, starne, lepri, vitelle, uccelli, vini, e biade.

B Adì 13. di detto. Ci venne il Cardinale Santa Croce; fu presentato di cera, vitella una, vino, e biada; alloggiò in Santo Spirito.

Adì 14. di detto Febrajo. L'Imperadore de' Greci venne a San Gallo; fu accompagnato da cinque Cardinali, che gli andarono incontro, e da tutta la Corte del Papa, e molti Cittadini; e con lui era il Cardinale di Sant'Angelo, cioè quello de' Cesarini; tornò ne i Servi; entrò dentro la sera detto Cardinale con gli altri. L'Imperadore fu presentato, & il Cardinale di Sant'Angelo fu ancor presentato secondo gli altri Cardinali. Il dì dipoi, cioè alli 15. l'Imperadore C entrò dentro Firenze con quest' ordine. Andarongli incontro fino alla Porta i Signori, Collegi, Capitani di Parte, 10. di Balìa, 8. Officiali di Monte, 6. di Mercatanzia, e le 7. maggiori Arti, e molti altri Cittadini con lo Stendardo, e poi sette Cardinali con tutta la Corte, e tutti i Baroni, &altri Greci di detto Imperadore, che erano già in Firenze. Era una bella e grande Compagnia; giunse alla Porta; i Signori se gli fecero incontro, & a tutti toccò la mano molto piacevolmente; & ivi lessono il Rogo de' Patti, come usano, quando ci viene il Papa, & altri gran Signori. In quello cominciò a D piovere con grandissima acqua, di modo che guastò la Festa, e l'ordine di tutta l'honoranza, e non potè andare per la Terra, come era ordinato. Erano piene le vie di Donne, & Uomini; andò per via San Gallo fino al canto alla Paglia, volse per San Giovanni, e per il corso de gli Adimari, e per la Piazza de' Signori, e dagli Alberti; a Casa di Ridolfo Peruzi smontò. Erano i Cardinali, e tutta la sua Compagnia, e Collegi, che gli erano d'intorno, tutti pieni d'acqua. I Giovani, che portavano lo Stendardo, hebbono il Mantello, che havea addosso l'Imperadore. Fuvi gran baruffa; l'Imperadore haveva indosso una veste bianca, e sopra un E mantello di drappo rosso, & un cappelletto bianco appuntato dinanzi, sopra il quale haveva un Rubino grosso più che un buon' ovo di Colombo con molte altre pietre.

Alli 16. Fu presentato l'Imperadore da i Signori, 20. doppieri, o torcigliati, 16. scattole di tragea, tre torte di marzapane, 3. stangate di vino, 3. moggia di biada, e non altro, perchè non mangiavano carne.

Alli 26. di Febrajo detto, che fu il Giovedì. Il Papa fece il Concistoro; andovvi detto Imperadore, 7. Cardinali, e molti Arcivescovi, e Vescovi, & altri Prelati de' Greci, e de' nostri, e molti Baroni dell' Im-

Imperadore. Non vi fu il Patriarca de' Greci; dissesi, perch' egli haveva male. Fu fatto detto Concistoro, per disputare delle cose della Fede; ci furono ancor molti Maestri in Teologia.

Martedì alli 3. di Marzo, che fu, quando fu creato Eugenio, si disse Messa, & la cantò il Cardinale di San Marco; fuvi il Patriarca, e molti Vescovi.

Alli 4. di Marzo il Mercole. Ci venne il Despoto Fratello dell' Imperatore; andògli incontro i Rettori, & altri Cortigiani; smontò in Casa Peruzi, dove stava l'Imperadore; ma poi andò da Messer Vanni Castellani.

Giovedì alli 5. di detto. Il Papa fece gran Concistoro di Cardinali, Arcivescovi, Vescovi, Abbati, e Maestri in gran numero. L'Imperadore, il Despoto, e tutti i Baroni Greci, e Valenti homeni feciono gran Disputa sopra la Fede per più di 3. hore. Vi erano quattro sedie, quella del Papa, dell' Imperadore d'Alamagna a lato, e più bassa; quella dell' Imperadore de' Greci di rimpetto al Papa, e più bassa; quella del Patriarca de' Greci a lato alla sua, e del pari. Si fece il Concistoro in sala grande; vidi, & udj ogni cosa; fuvi molta gente.

Sabbato alli 7. Si fece di nuovo Concistoro Maggiore con le persone dette di sopra.

Lunedì. Si fece il medesimo, e poi ogni settimana si rifaceva due, e 3. volte per detta Causa.

Mercore alli 11. Si fece gran Festa, che fu il giorno della Coronazione di Papa Eugenio IV.

Domenica dell' Oliva. Diè il Papa l'Olivo a' Cardinali, e Vescovi, & alli nostri Signori. Il Capitano di Giustizia portò la Coda.

Giovedì Santo. Il Papa diè la Benedizione in sul Ponte di Santa Maria Novella, dove fu acconcia la sua Sedia; scomunicò, come è costume.

Venerdì Santo diè la Benedizione in su la Piazza.

Sabbato Santo la diè pur su la piazza; disse prima Messa in su la sala il Cardinale di Sant'Angelo; benedisse il Cero, e fe' le altre usanze.

La mattina di Pasqua disse Messa il Papa in Santa Maria Novella con grande solennità; havea seco 7. Cardinali, il Patriarca de' Greci, e molti Vescovi; poi diè la Benedizione in su la piazza.

1439.

Alli 20. d'Aprile. Ci venne il Patriarca, ovvero Cardinale di Firenze con più di 600. Cavalli.

IL FINE.

CHRONICON PISTORIENSE

A CONDITA URBE USQUE AD ANNUM MCCCCXLVI.

AUCTORE

JANNOTIO MANETTO FLORENTINO

NUNC PRIMUM PRODIT

EX MSto CODICE FLORENTINO.

IN JANNOTII MANETTI HISTORIAM PISTORIENSEM
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

TAm notum est *Jannotii*, sive *Jannoctii Manetti* nomen apud Eruditos, ut nihil sit, quod ejus Vitam ac gesta ego heic eruditis Lectoribus edisseram. Qui ea forte nondum perspecta habet, consulat Possevinum, Gaddium, & Pocciantum in Catalogo Scriptorum Florentinorum, Vossium, Caveum, ac recentem Historiam eorumdem Scriptor. Florentinor. a Julio Nigro e Soc. Jesu Ferrariae evulgatam: sed potissimum legat, quae in hanc rem collegit Clariss. Vir Apostolus Zenus in Additam. ad Vossium Tom. XI. pag. 344. Ephemerid. Literat. Italiae. Ego paucis dicam. Patria fuit Manetto (*Manettium* appellare alii malunt) splendidissima Urbs Florentia; atque is ex Ordine equestri natus Anno 1396. Ambrosio Camaldulensi celebri ea tempestate eruditionis cultori operam dedit, quo Magistro, aliisque etiam adhibitis, aeque Latini, Graeci, ac Hebraici sermonis peritissimus evasit. Ingenium vividum, multiplex literatura, ac praecipue studium eloquentiae singularem illi existimationem peperere non in Republica tantum Florentina, sed & apud Romanos Pontifices, & plerosque Christianos Principes illius aevi, ad quos etiam legationes varias obivit. Demum Anno 1459. Neapoli finem vivendi fecit, Ferdinando Regi carissimus, qui ejus exsequias magnifice curavit. Jannotii Vitam scripsit eodem Seculo *Naldus Naldius*, eamque nondum editam servat praeclarissimus Vir Johannes Manettus Senator Florentinus. Praeterea monente Zeno Tom. XXI. Ephemeridum, Manetti nostri Vitam scripsere Alamannus Rinuccinus, Vincentius Acciajolus, & Anonymus, ut videas, ad celebrandum hunc virum, ejusque memoriam posteris commendandam, certasse Literatorum ingenia. Quot autem scripserit Jannotius (atque haec fere omnia in Bibliothecis scripta latent) si quis rescire cupit, Zenum & Nigrum supra memoratos consulat.

Venio nunc *ad Pistoriensem Historiam*. Anno 1446. semestris illius Urbis Praetura demandata fuit Jannotio nostro a Florentino Senatu; atque is, quamquam negotiis pluribus premeretur, attamen tantum sibi otii procuravit, ut eodem tempore Pistoriensium res gestas a condita eorum Urbe ad suam usque aetatem Latinis Literis mandarit. Eam tamen se non absolvisse idem Scriptor fatetur, nisi post peractam legationem ad Nicolaum V. nuper Romanum Pontificem electum: quod contigit Anno 1447. Accipe, quid de hoc Libro habeat in Manetti Vita Naldus Naldius: *Dum gessit Praeturam, quamquam multis ac variis occupationibus sic detinebatur, ut otium illi ad scribendum minus suppeditari posse videretur, tamen Pistoriensem Historiam scripsit, & quae ab Urbe condita ibi gesta essent cognitione digna, cum elegantia & copia memoriae literarum commendavit. Quem Librum purpurea, sericeaque theca exornatum illi servant in penetralibus Curiae, tamquam divini cujusdam hominis reliquias.* Adservabant quidem olim Pistorienses, sed nunc quo avolarit, ignorant. Meminit & hujus Historiae P. Julius Niger in Histor. Scriptor. Florentin. pag. 234. haec addens: *Fu scritta da lui e stampata, quando a nome della sua Repubblica governava quella Città*. Verum incaute excidit Nigro verbum illud *e stampata*. Numquam enim ad hunc usque diem Typographico proelo subjecta fuit Pistoriensis Historia Manetti; eoque minus id factum Anno 1446. aut proxime sequenti, quo nondum in Italicas officinas penetrarat admirabilis Ars illa Typographiae, adhuc in Belgio, sive in Germania infans & lactens. Ego vero ejus edendae copiam debeo *Antonio Francisco Marmio* Florentino, Equiti Sancti Stephani, quem eruditio, omniumque Eruditorum amor vel extra Italiam celebrem fecit, & quocum mihi vetusta necessitudo intercedit. Erat illi hujusmodi Historiae Codex ea antiquitate, eaque ele-

gantia

gantia scriptus, ut ad ipsa Manetti tempora accedere videretur. Et quidem lubens ad me humanissimus vir illum misit, ut & Patriae suae, quae celeberrimum Scriptorem peperit, & Pistoriensibus, de quorum gloria agitur, gratum faceret.

Ceterum quum superiori Tomo XI. Annales Pistorienses Italice scriptos jam dederim, si iis haec addantur, universam Pistoriensium Historiam complectentia, habebit, ut spero, illa Civitas, unde meum in ipsam studium agnoscat; simulque habebunt Lectores, unde melius intelligant dignitatem Urbis, quae egregios Cives semper peperit, & nuper etiam in sacro Cardinalium Collegio duos numeravit amplissimos viros, non pietate minus, quam doctrinarum omnium scientia praestantissimos, videlicet Eminentissimos Carolum Augustinum Fabronum, & Johannem Baptistam Ptolemaeum e Societate Jesu, quos nominasse tantum, laudasse est. Utique ejus Populi res gestas Manettus brevi potius & expedita, quam luculenta narratione persequutus est: attamen id ille praestitit, ut unaquaeque Civitas parem optare sibi possit suarum rerum Historiam. Ego Vitam quoque Nicolai V. Pontificis Maximi ab ipso Jannotio Manetto conscriptam tenebris ereptam primum evulgabo. Tu interim hominis ingenium ac stilum ex his dimetire, & Salvii Pistoriensem Historiam cum ista confer. Unum tamen postremo loco praeterire non possum, videlicet quum olim Pistorii peregrinationis eruditae caussa forem, me nobiles ejus Urbis Cives audivisse de Manetto expostulantes, quod iis tantum Pistoriensibus Familiis honorem habuisset, earumque memoriam illustrasset, quae in factiones scissae, vulnera multa, ipsamque paene extremam perniciem Patriae suae intulerant, ceteris insalutatis, quibus pax & salus Civium unice cordi erat. Neque enim paucis iis Familiis, quas Manettus commemorat, universa Pistoriensium Magnatum progenies concludebatur; immo teste ipso Historico, eadem dissidia *Optimates, & plerique Populares moleste ferebant*. Inter hosce Optimates, ipsis quoque factionum temporibus illustres, numerare ego possem *Ughos*, *Gualfreduccios*, *Ammanatos*, *Vicecomites*, *Catansantos*, atque ut alios praeteream, *Cellesios* & *Fortiguerras*. Quae duae postremae Familiae, mihi perquam cognitae, multo adhuc splendore fortunae fruuntur, & egregios viros procreare pergunt, inter quos unum reticere nequeo, Illustrissimum videlicet *Nicolaum Fortiguerram*, qui in Curia Romana a Secretis sacrae Congregationis de Propaganda electus, virtutes aemulatur alterius *Nicolai Fortiguerrae*, qui sub Pio II. Cardinalitia Purpura ornatus, e rebus gestis mirifice claruit, uti scribunt Ughellius in Episcopor. Theanens. catalogo, Ciacconius, Oldoinus, & alii.



JANNOTII MANETTI

PRÆFATIO

IN HISTORIAM PISTORIENSEM INCIPIT FELICITER.



ANtequā ad gubernationem & custodiam Provinciæ vestræ, Viri Pistoriēses, forte delecti ad gubernandum proficisceremur, profectò omnia agere, ac nihil omittere cōstitueramus, quòd ad utilitatem & honorem, ad conservationemque & augmentum cunctorum Civium, & omnium Subditorum nostrorum, aliquatenus pertinere arbitraremur; atque id totum propterea facere decreveramus, quòd ita fieri nostra interesse putabamus. Ea enim curare, quæ subditis prodesse, & versa vice alia evitare, quæ illis obesse possent, unicum Prætorum ac Præsidum officium esse censebamus. Hac igitur mente, talique proposito, ceu salutiferis telis armati, faustis Christianisque ominibus, opportuno postea tempore munera Magistratus accepimus; & quemadmodum antea agere constitueramus, ita profectò ab origine operari ac facere studebamus. In quo cùm aliquandiu propterea jucundissimè simul atque libentissimè perseverassemus, quòd ad publicum Civitatis, & ad privatum quemdam personæ nostræ honorem, ad gratificationem insuper Omnipotentis Dei, cui præ ceteris præcipuè gratificari cupiebamus, & cetera hujusmodi spectare intelligeremus, cunctis Provincialibus usque adeò grati eramus, ut mirabile quoddam videretur præsertim in ea Provincia, ubi antiqua & celebrata diversarum partium studia vigerent. Sed, ut ait eximius Orator, *quid verbis opus est*, *ubi rerum testimonia adsunt*? Priores vestri, & illius temporis Collegæ, unà cum aliis quibusdam egregiis Civibus, quos ad maturum ac solemne consilium adhibuerunt, in tantam personæ nostræ caritatem, tantamque venerationem exarserunt, ut de prorogatione Magistratus cogitare auderent. In qua quidem re prudentes Viri jurejurando præstito ita clanculum, itaque maturè ac solemniter se se gesserunt, ut quatuor primarios Cives cunctis suffragiis Legatos deligerent, quos Florentiam cum hujusmodi prorogationis nostræ mandatis transmitterent. Delecti Jacobus Cancellarius, Gualterius Panciaticus utriusque factionis principes, Stephanus Artium & Medicinæ peritissimus, ac Thomas nobilis & celebratus Scriba, alter Tajuoli, alter verò Franci filius. Ubi Florentiam venerunt, coram Florentinorum dominatione constituti, cuncta egerunt, quæ ad commissionem suam undique pertinere existimabant. Quamquam verò à Præsidibus Civitatis, prudentibus & sapientibus viris, benignè admodum audirentur, atque de laudabili eorum proposito egregiè laudarentur, quo-

quoniam tamen vetus Reipublicæ consuetudo, & antiqua Florentini Populi statuta nequaquam tales suos Magistratuum prorogationes fieri patiebantur, idcirco Pistorium remearent, in responsis acceperunt. Quamobrem Legati Præsidum præceptis, ut par erat, obtemperantes, domum reverterunt, atque ubi Prioribus suis cuncta, quæ egerant, diligenter & accuratè retulerunt, è vestigio ad nos venerunt, atque nobis harum rerum insciis & ignaris omnia, quemadmodum gesta erant, ordine enarrarunt. Nos verò Oratoribus auditis, de cogitationibus & postulationibus suis supra quam dici potest obstupescere & admirari cœpimus; & licèt cuncta illa honoris nostri, & utilitatis suæ cuncta ab eis cogitata & instituta fuisse intelligeremus, ab ipsorum tamen redargutionibus abstinere nequivimus, cum quibus illos abire ac valere permisimus. Postridie verò nonnullis amicorum & cognatorum literis ea à quibusdam Civibus nostris invidia & æmulatione, velut à nobis inventa & ordinata fuissent, carpi & objurgari atque lacerari cognovimus. Sed cuncta idcirco æquo animo tolerabamus, quòd omnium ignari in innocentia nostra confidebamus. Non multo post ea ipsa à Soldino quodam Computista mercenarioque calculatore, quibusdam maternis & insulsis carminibus adnotata, ac pro ridiculis ac deliramentis habita, quasi acta & inventa nostra essent, fuisse accepimus: de quo quidem dum nos ipsi etiam atque etiam cogitaremus, & si omnia patienti & æquo animo præsertim à fidelibus & Christianis hominibus ferenda esse intelligeremus, pro defensione tamen veritatis, pro qua propria, nedum aliena, impugnare oportere celebrata illa Aristotelis sententia per cunctas Philosophorum Scholas decantatur, pro tuitione quoque famæ nostræ, cuncta, quemadmodum gesta erant, conscribere atque perpetuis & æternis Latinarum Literarum monumentis mandare statuimus. Et ne parvula hæc, rudia, & nuda à nobis jejunè & exiliter attingerentur, cuncta majorum nostrorum gesta memoratu digna usque ab origine Urbis repetita adhibere & adjungere voluimus. Quod idcirco libentius fecimus, ut non modò vobis præsentibus & vivis, sed omnibus etiam posteris vestris aliquod perenne ac solidum multorum perpetuorum & æternorum beneficiorum ac munerum, quibus nos præcipuè donare & honorare voluistis, gratitudinis & amoris signum ostenderemus. Ceterùm ut hæc qualiacumque scripta nostra vobis gratiora esse viderentur, atque perpetuum quoddam, & æternum mutuæ inter nos benevolentiæ monumentum exstarent, præclara Majorum vestrorum antiqua, & nova gesta, obstrusa antea & incognita, Latinis Literis mandare, atque his tribus ad vos Libris mittere constituimus. Quod profectò ante finem Magistratus nostri fecissemus, ut magna & ingentia munera vestra his modicis & parvulis munusculis nostris opportuno tempore compensarentur; nisi nova *Nicolai Quinti Summi Pontificis* creatio nos jam tertium Librum conscribentes ab absolutione incœpti operis parumper retardasset. Nam Legati unà cum aliis quinque primariis Civitatis nostræ Civibus solemniter delecti ad congratulandum de assumtione sua Romam usque contendimus. Mox verò ut reversi sumus, licèt Magistratum nostrum jampridem expletum fuisse reperissemus, imperfectum tamen opus rursus inchoavimus, atque ultimas manus superrimè imposuimus: quod vobis in præsentiarum donandum ob eas, quas supra diximus, causas libentissimè simul atque jucundissimè mittimus.

JANNOTII MANETTI
HISTORIÆ PISTORIENSIS
LIBER PRIMUS FELICITER INCIPIT.

A Tuscorum gentem ex Lydia vetusta quondam & opulenta Asiæ regione per hunc modum in Italiam venisse legimus. Nam cùm ea Provincia antea Mœonia diceretur, & Lydius, & Tyrrhenus duo fratres unà dominarentur, factum est ut de divite Regno invicem altercarentur; quippe Menander & Pactolus, duo præcipua illius Provinciæ flumina, ceu Tagus celebratus Hispaniæ fluvius, aurum trahere, aureasque arenas ducere perhibentur.

Quocirca Tyrrhenus forte exinde discedens, Lydio ejus fratre in patria dimisso, à quo solo postea regnante regio illa mutato nomine Lydia dicta est, cum ingenti Mœonum multitudine quærendæ novæ sedis causa
B primò in Italiam venit, eamque Italiæ partem tenuit, quæ inter Apenninum montem, & inferum mare, Tiberimque, & Macram fluvios clauditur, atque Tyrrheniam incolasque Tyrrhenos ab ejus nomine nuncupavit. Non multo deinde post Tusci, & Etrusci variis cognominibus appellari cœperunt; siquidem Tusci à frequentibus thuris sacrificiis, atque hujusmodi sacrifico ritu, Etrusci verò ab Etrusco altero eorum Rege, ut nonnullis placuit, vocabantur; seu quòd usque ad ripam Tiberis tractu temporis eorum fines protenderentur, vel à sereni contemplatione cœli Græcè appellabantur, & ea regio Tuscia, & Etruria dicebatur.

C Cùm igitur sub uno Rege aliquandiu gubernarentur, & res eorum prosperè agerentur, atque gentis numerus mirum in modum quotidie augeretur, invidia, ut fit, ex opulentia orta est. Unde Regia potestas gravior illis visa. Duodecim Magistratus, exactis Regibus, creare cœperunt, eosque Lucumones appellabant, quibus summa auctoritas concedebatur, ut ex communi consilio universum eorum hominum genus regeretur. Sub his igitur duodecim Magistratibus tota Etruria aliquandiu gubernata, opibus, potentia, & multitudine sobolis usque adeò crevit, ut se se ampliùs intra fines ab origine cœptos continere non possent. Itaque proprios limites transgressi, tam longè
D latèque dominati sunt, ut primò cis Apenninum per inferiorem Italiæ partem usque ad fretum Siculum vi & armis cuncta subegerint, mox omnia trans Apenninum usque ad Alpes (præter extremum dumtaxat Venetorum angulum) præcipuis quibusdam animi, & corporis virtutibus, in ditionem suam redegerunt. Tantæ Etruscorum potentiæ inter cetera certissimi quidam, & verissimi, ac nimirum perpetui & æterni testes afferuntur duo illa inclyta Maria, à quibus Italia, ut Liviano verba utar, *modo Insulæ cingitur*; etenim Inferum Tuscum, idemque Tyrrhenum; superum verò Adriaticum ab Adria Oppido per ea tempora maritima potentia maximè inclyto, ex varia tam Historicorum, quàm Cosmographorum lectione appellata fuisse cognovimus: quod Etrusci, ubi cuncta ea loca possederant, non longè à mari intra Padi ostia antea condiderant. Et ne quis fortè hæc omnia in vanam quamdam & mendacem Etruscorum gloriam ab Etruscis nobis ficta ac simulata fuisse suspicaretur, primò quòd nos à Lydis originem traxerimus, deinde quòd multum terra marique potuerimus, postremò quòd utrumque Mare à nobis appellatum fuerit, solemni & præcipuo quodam nonnullorum veterum Auctorum testimonio comprobabimus. Virgilius namque Etruscos à Lydis profluxisse testatus:

Urbis, inquit, *Agellinæ sedes, ubi Lydia quondam*
Gens bello præclara jugis consedit Etruscis.
Hanc multos florentem annos Rex deinde superbus
Imperio & sævis tenuit Mezentius armis.

Horatius quoque idem confirmans modis suis carmina hæc ponit:

Non quia Mecœnas Lydorum quisquis Etruscos
Incoluit fines, & quæ sequuntur.

Plinius insuper in Tertio Naturalis Historiæ Libro ita scribit: *Adnectitur huic septima Italiæ Regio, in qua Etruria est. Hæc mutatis sæpe nominibus, variis hinc inde casibus agitata fuit. Nam Umbros inde exegere antiquitus Pelasgi; hos Lydi, à quorum Rege Tyrrheni: mox à sacrifico, ut creditur, ritu lingua Græcorum Tusci sunt cognominati*. At si quis fortè hos omnes Latinos Auctores fuisse contenderet, tales tamen, ac tam graves exstitisse constat, ut de eorum scriptis absque alieno & externo testimonio nullatenus dubitari possit.

Ad hanc insuper nostram certam & indubitatam à Lydis originem nonnulli Græci Auctores accedunt; nam & Dionysius Halicarnassæus hanc historiam accuratissimè simul ac diligentissimè prosequutus, evidenter ostendit, cur Tusci ex Lydia ab initio abierint, & quibus tamdem jactati casibus in Italiam pervenerint. Plutarchus etiam rerum antiquarum curiosissimus indagator, & peregregius Philosophus, eadem pluribus locis de Etruscorum origine sentire videtur. Sed hæc de primordio nostro hactenus dixisse sufficiat. Nunc verò quòd multum terra marique potuerimus, pluribus non ignobilibus idoneorum Auctorum testimoniis probare & attestari conabimur. Livius in sexto Libro ab Urbe condita verba hæc posuit: *Tuscorum ante Romanum Imperium latè terra marique opes patuere*, & reliqua. Lucius Florus in ejusdem Livii Epitomate de Prisci Tarquinii virtutibus mentionem faciens, *duodecim Tusciæ Populos frequentibus armis continuatisque bellis subegisse* testatur. Plinius quoque de Tusco-

rum potentia in Tertio Naturalis Historiæ Libro loquens: *Umbrorum*, inquit, *gens antiquissima Italiæ existimatur. Trecenta eorum Oppida Tusci debellasse reperiuntur*. Verùm ubi de origine, & potentia Etruscorum certas quasdam vetustissimorum & sapientissimorum virorum sententias recitavimus, quid Livius & Plinius memorati Auctores de utriusque Maris appellationibus senserint (quod erat tertium nostræ divisionis membrum) paulisper videamus. Livius enim, ubi in eodem sexto de Etruscorum opibus superius à nobis commemorata illa prædixit, in hunc modum statim subjecit: *Mari supero inferoque, quibus Italia modo Insulæ cingitur, quantum potuerint, nomina sunt argumento; quod alterum Tuscum communi vocabulo gentis, alterum Adriaticum Mare ab Atria Tuscorum Colonia vocavere Italicæ gentes. Græci eadem Tyrrhenum atque Adriaticum vocant*; & quæ sequuntur.

Plinius insuper cùm in eodem Tertio Naturalis Historiæ Libro de Padi fluvii ostiis loqueretur, *nobili portu Oppidum Tuscorum Atriam* esse dicit, *à quo Atriaticum Mare* appellaretur, quod temporibus nostris euphoniæ causâ pro Atriatico *Adriaticum* diceretur. Sed ut quanta, & quàm magna, & ante & post Romanum Imperium fuerit Etruscorum gloria, evidentius appareat; quid valuerint in unoquoque laudationis genere parumper consideremus. Hæc gens, ut à cunabulis nostris nonnullas præcipuas ejus conditiones paucis repetamus, ab antiquissimis ac nobilissimis Lydiæ Populis originem traxit. Hæc tractu temporis mirum in modum adaucta, bellicosissima fuit; quippe Pelasgos Græcos homines primò Italia pepulit. Umbros deinde vetustissimos totius Italiæ Populos structis aciebus ita superavit, ut trecenta circiter eorum Oppida vi & armis adimeret, atque in ditionem suam redigeret. Et ut quantum bellicis artibus potuerint, clariùs elucescat, cum Populo Romano aliarum gentium victore pluribus bellis ita contendit, ut Urbem Romam primùm Porsennæ Etruscorum Regis temporibus, secundò Vejentibus ducibus; bis infestis exercitibus obsideret; bisque ad Janiculum usque diripiendi & vastandi causa ingrederetur; & sola omnium aliarum Nationum à Romanis obsides accipere mereretur. Atque ut hæc Etruscorum victoria clarior videretur, victores ipsi Romanos bello & armis profligatos non solùm mares, sed virgines etiam fœminas obsides dare coëgerunt: cujus rei ad perpetuam quamdam & æternam Etruscorum gloriam testes sunt inter ceteros obsides duæ celebratæ virgines Romanæ pro obsidibus acceptæ, Valeria mater Valerii Publicolæ Consulis filia, & Clodia, quæ fractis vinculis, deceptisque custodibus fugiens, trans Tiberim natare non dubitavit. Ob nimias insuper ac pæne innumerabiles Etruscorum virtutes ingentes illæ, & maximæ duorum fortissimorum virorum Horatii Coclitis, & Mutii Scævolæ laudes provenerunt, quæ nisi veteribus doctissimorum tam Græcorum, quàm Latinorum Historicorum codicibus celebrarentur, nimirum legentibus, & audientibus fabulæ viderentur, & pro deliramentis haberentur. Quid plura? Hæc gens usque adeò bellicis virtutibus viguit, ut ob nimiam quamdam eorum fortitudinem atque ferocitatem crebrò in Urbe usque trepidaretur, ac propterea Dictatores sæpius crearentur, quibus libera vitæ necisque in unumquemque potestas concedebatur, eaque auctoritas tradebatur, ut providerent, ne quid Respublica detrimenti caperet: quod numquam nisi in ingentibus quibusdam & maximis Reipublicæ periculis, nec antea, nec postea, fieri consueverat. Hæc, inquam, gens terra marique plurimum potuit. Ab Alpibus enim usque ad fretum Siculum commemoratis virtutibus adepta jam dudum cuncta possedit. Hæc infero superoque Mari nomen imposuit, nec solùm belli, sed pacis etiam artibus immortalem quamdam laudem & æternam gloriam comparavit. Romanos namque omnia Regum Magistratuumque suorum ornamenta ab Etruscis suscepisse constat; siquidem eorum vestigia imitati, & duodecim Lictores, & Sellam curulem, & Togam prætextam, palmatamque Tunicam, & currus denique aureos, haudquaquam exinde suscipere dubitarunt. Hæc præterea literas in Italiam adduxit, quas Romani ut postea Græcas, sic antea Etruscas discere solebant. Hæc cærimoniarum solemnia, hæc colendorum Numinum disciplinam ritumque edocuit; hæc denique divinarum rerum auguriorumque scientiam, unde futura prospiciebantur, ita tenebat, ut talium cognitio semper Etrusca disciplina vocitaretur. Et ne quid ad cumulum humanæ gloriæ deesse videretur, divina, ut arbitror, providentia factum est, ut Romani rerum domini, & non multo post cunctarum gentium victores, ob summam quamdam ac pæne incredibilem nostrorum hominum dignitatem, cuncta ab Etruscis, ut supra diximus, & belli & pacis ornamenta susciperent.

Horum omniumque in præcipuam quamdam, ac verè admirabilem gentis nostræ gloriam superius à nobis commemorata cernuntur, Etruscis partim ante Trojanum bellum, partim verò post Romam conditam continuatis per sexcentos circiter annos, domesticarum & externarum rerum prosperitatibus contigisse legimus. Ceterùm post sexcentesimum prosperitatis suæ annum factum est, ut Galli Transalpini magnis peditum equitumque copiis duce Belloveso Alpes transgrederentur; ac paulò post confluente magna quadam Germanorum multitudine, eam Italiæ partem Tuscis ademerunt, quæ nunc Gallia Cisalpina vulgato verbo dicitur. Senones deinde novissimi omnium Gallorum in Italiam venerunt, atque Etruriam variis omnium prope generum cladibus usque adeò vexarunt, ut & totam regionem popularentur, & plura quoque eorum Oppida vi & armis diriperent. Per hunc igitur modum Tusci à Gallis & Germanis diuturnis bellis afflicti, atque diversi multorum prœliorum incursionibus agitati, modicis quibusdam & angustis finibus contenti intra jugum Apennini quiescere videbantur. Accedebat insuper Romanorum potentia, quæ in dies mirabiliter crescebat, atque Etruriam ex alia parte structis aciebus infestisque signis assiduè vexabat.

Ubi verò Etrusci Gallos, & Germanos ea tempestate sævissimos, & acerrimos cunctorum Italorum hostes, tamdem aliquandò ex

Italia

Italia abiisse conspexerunt, è vestigio caput attollere, & vires resumere cœperunt; ac non multo post eorum recessum resumtis viribus, cum omnibus Romanorum Regibus (duobus, Numa & Tarquinio dumtaxat exceptis) dum Romæ regnarent, & post Reges quoque exactos variis & diuturnis bellis per longa tempora cum Populo Romano ductu Consulum mirum in modum contenderunt. Et quamquam varii eorum bellorum fines variante fortuna vices evasissent, siquidem alteri alteros alternatis vicibus superarunt, postremò Etrusci à Romanis usque adeò vincuntur, ut universa Etruria in eorum ditionem pervenerit, atque sub Romanorum imperio usque ad Arcadii & Honorii tempora post septingentesimum circiter subjectionis suæ annum continuè perseveraverit. Quo quidem tempore Gothi Radagaso & Alarico Ducibus magnis exercitibus Italiam invasere. Romani igitur, Etruscis in ditionem suam redactis, ac post multos annos victis & superatis omnibus gentibus, & toto jam pæne Orbe pacato, Marco Tullio Cicerone, & C. Antonio Consulibus, antequam Cæsar singulare arriperet Imperium, ita invicem dissentire cœperunt, ut Lucius Catilina nobili genere natus; Vir magni animi, nec minoris eloquentiæ, unà cum pluribus pedestris, & equestris, & Senatorii ordinis, & aliis quibusdam Patritii generis, facinorosis hominibus, adversùs Rempublicam diripiendi gratiâ conjurare auderet, atque tanto conjuratorum ordine, tantisque viribus conjurationem inire, ut profectò incœpta perfecisset, nisi singularis quædam & præcipua Ciceronis Consulis sapientia magnis ejus conatibus restitisset. Quos, ubi Romæ detecta, & patefacta conjuratione per memoratam Consulis providentiam, in irritum atque in nihilum evasisse cognovit, parte conjuratorum intra Urbem ad patranda facinora, quemadmodum instituerat, relicta, ipse cum reliquis exire, ac bellum foris concitare decrevit.

Hac itaque mente, talique proposito, Roma egressus, primò Præneste clam occupare cogitavit, ut ibi si votis suis potiretur, bellandi causâ resideret. Mox verò & eam Urbem paulò diligentius, quàm putarat, custodiri sensit, mutato consilio pro Præneste Fæsulas delegit. Cum suis ergo ad hæc ipsa loca profectus, regionem totam bello armisque involvit. Postquam verò Lentulum, & Cethegum, aliosque conjurationis Principes, quos Romæ ad patranda facinora, ut supra diximus, reliquerat, proditos à Legatis Allobrogum & in Senatu convictos, ultimoque tamdem supplicio affectos periisse audivit, quasi desperans conata perficere, fugam arripere, & in Galliam Transalpinam fugere constituit. At ubi Quintum Metellum Celerem, qui cum tribus legionibus in agro Piceno præsidebat, castra propere movisse, & ea parte, qua sibi in Galliam properanti descensus erat, ut fugiendi facultatem præriperet, sub ipsis radicibus montium consedisse cognovit, satius esse duxit cum Cajo Antonio Consule propriis agminibus confligere, & fortunam belli tentare, quàm si ibidem commoraretur, donec omnes Romanorum copiæ unà conjungerentur. Antonius enim, etsi pedibus æger esset, podagraque cruciaretur, ipsum tamen Roma egredientem magnis Romanorum exercitibus tanta celeritate persecutus erat, ut jam à castris suis non procul abesse videretur. Nec Antonius detrectavit certamen. Per hunc itaque modum utrique exercitus infestis signis obviam prodeuntes, manus invicem conserere cœperunt, ac tanto ardore animorum, tantoque impetu structis & adversis aciebus dimicarunt, ut plerique pugnantes trucidarentur, plures vulnerarentur, pauci, si cum prædictis compararentur, incolumes evaderent, quemadmodum apud idoneos Auctores scriptum legimus. Ad extremum postquam ancipiti & cruento prœlio satis diuque certatum fuit, hujusmodi certaminis is eventus fuisse scribitur, ut Catilina unà cum suis ea pugna victus superatusque in agro Pistoriensi occideretur, ubi hodie Pitecii pagum duobus circiter millibus passuum ab Urbe distare videmus. In eo conflictu illud præ ceteris memorabile fuit, ut ex omnibus Catilinæ copiis neque in prœlio, neque in fuga, quisquam ingenuus Civis caperetur. De exercitu Romanorum idem propemodum sentiendum est, de quo apud Crispum legisse meminimus, ut neque lætam, aut incruentam victoriam adipisceretur; nam strenuissimum quemque, aut in prœlio occidisse, aut graviter vulneratum discessisse tradit. Hæc omnia, quæ hactenus scripsimus, nostrâ quidem sententiâ usque adeò certa haberi & reputari debent, quasi nos ipsi propriis oculis conspexerimus. Quoniam earum rerum Scriptores graves quosdam & idoneos auctores fuisse non ignoramus. Quæ verò deinceps enarrabimus, quamquam recentiora, ac temporibus nostris propinquiora sint, nec certis aliquibus modernis Auctoribus careant, tamen ita certa esse videntur, ut pro compertis habeantur, ceu antiqua illa, quæ ex integra & incorrupta veterum Scriptorum auctoritate non immeritò sanciuntur. Sed ut planiùs & apertiùs dicam quod sentio, eam inter quæcumque vetera, & nova rerum gestarum monumenta differentiam esse reor, ut illa vera, hæc autem verisimilia appellari mereantur. Vera sunt enim, ut Græcos & externos Historicos omittamus, & nostris contenti simus, quæ à Quinto Curtio, à Justino, à T. Livio, à Crispo Sallustio, à Plinio Secundo, à Svetonio Tranquillo, & ceteris hujusmodi veteribus ac nobilibus Auctoribus literis mandata fuisse intelligimus.

At ea verisimilia esse credimus, quæ à Dante, Petrarcha, & Boccaccio, Villano, & Benvenuto, ac Butiensi, & aliis quibusdam novellis Auctoribus de rebus antiquitus gestis scripta cernuntur. Quocirca nos pluribus rationibus moti, hanc Pistorii Urbem ea tempestate nondum ædificatam fuisse credimus, qua Catilina cum Cajo Antonio Romanorum Consule in Pistoriensi agro conflixisse atque occubuisse scribitur. Nam si tunc exstitisset, numquam Sallustius hujus belli accuratissimus Scriptor, & qui singularem quemdam & præcipuum Librum de illa Catilinæ conjuratione composuit, ejus Urbis mentionem silentio preteriisset; præsertim cùm sibi maxima memorandi occasio præberetur. Quemadmodum enim Pistoriensis agri palàm & apertè meminit, quo prœlium commissum fuisse dicit, ita profectò, ac etiam multo

multo magis, Oppidum commemorasset, quo vel reliquiæ Catilinæ, si ullæ, ut creditur, evaserunt, victæ & superatæ confugissent; vel si fortè Civitas ea tempestate benivola & amica Populo Romano fuisset, aliqua peditum equitumque præsidia à Pistoriensibus ad Antonium missa tradidisset. Hoc nostrum simile est illi Beati Hieronymi argumento, quo adversus fallaces quosdam illarum septuaginta duarum cellularum inventores, quas totidem Hebraicarum Scripturarum Interpretibus sigillatim assignatas fuisse retulerunt, his pæne verbis utitur: *Nescio quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo exstruxerit, quibus divisi eadem scriptitarent, cùm Aristæus Ptolemæi Philadelphi tunc Ægyptiorum Regis Scriba, & multo post tempore Josephus, nihil tale retulerint, sed in una Basilica congregatos contulisse, non prophetasse, scribant*. Eodem modo Sallustius gravissimus illorum temporum Scriptor, Pistorio prætermisso, Pistoriensis dumtaxat agri commemorationem fecisse perhibetur, & creditur. Cùm ergo nullam hujus Urbis mentionem neque ab accuratissimo Scriptore, optimoque illorum temporum Historico, neque ab aliquo alio vetustiori Auctore factam fuisse cernamus, eam Urbem nondum conditam exstitisse meritò existimamus, & credimus. Ad hæc accedit, quòd cùm non multo ante, & tunc, & paulò etiam post, nova bella, & varia prœlia, ac diversi hinc inde passim per totam Etruriam motus agitarentur, nulla hujus Urbis mentio in antiquis Codicibus facta fuisse reperitur, cum aliarum omnium, quæ per ea tempora exstabant, præcipua quædam commemoratio in quibusdam Gentilium Commentariis & Annalibus inveniatur; celebrati namque veterum Historiarum Scriptores omnium Etruscarum Urbium, paucis dumtaxat exceptis, pluribus scriptorum suorum locis sæpenumero meminerunt. Quippe Lunam, & Pisas, Lucam, & Clusium, Volaterras, & Cortonam, Perusium, & Aretium, ac Fæsulas, & Florentiam (Senis & Pistorio tantummodo prætermissis) palàm & apertè commemorarunt. Duas verò illas à vetustis Auctoribus idcirco prætermissas esse arbitramur, quòd nondum temporibus illis conditæ fuissent; eo enim adduci non possumus, ut credamus, quòd si tunc exstitissent, nulla de eis mentio in veteribus Annalibus haberetur.

Si hæc igitur ita se habent, quemadmodum supra planè & apertè probasse videmur, hanc Pistorii Urbem nullam fuisse constat, antequam Catilina in Pistoriensi, ut scribitur, agro unà cum suis profligaretur. Quod cùm ita sit, Pistorium potiùs à Pistoriensi agro, cujus in bello Catilinæ Sallustius meminit, quod à Pistoribus, quibus fortè ea tempestate regio illa abundabat, vel à Pistos, quòd Græcè Fidem significat, quoniam Pistorienses eo vel maximè tempore præ ceteris fideles erant, vel denique à Peste, quòd à reliquiis Catilinæ, qui ex cruento illo & memorabili prœlio, ut vulgo dicitur, partim incolumes, partim saucii evaserant, ad perpetuam quamdam & æternam cæsorum memoriam nuncupatam fuisse crediderim. Ut sunt variæ nonnullorum de hoc Pistorii nomine vanæ frivolæque sententiæ, nec ab Urbe Pistorio, quæ nondum exstabat, ager Pistoriensis appellari potuit, non secus quàm ager Picenus à Piceno Oppido, quod apud Picenos nullo umquam tempore exstitisse legimus. Unde inanem & ridiculam remanere eorum opinionem manifestum est, qui hanc Urbem non multo post infausta ædificationis suæ initia ob ingentem quamdam ferrariorum fabrorum copiam, magnamque hujusmodi, ut ita dixerim, fabricarum & officinarum abundantiam *Ferri Urbem* aliquando cognominatam fuisse tradiderunt. Quod nos dum singula quæque inveniendæ originis gratia diligenter & accuratè indagaremus, ac varios & diversos Codices & Libellos ad nostrum libitum evolveremus, numquam nisi in fragmentis quibusdam, & schedis certo auctore carentibus, reperire potuimus. Cùm igitur de propriis ædificationis suæ temporibus, atque de conditoribus suis dubia quædam & incerta afferantur, pro solertiori & certiori harum rerum cognitione non inutile esse putavimus, si ea, quæ moderni quidam & nobiles Auctores de conditione hujus Urbis scriberent, breviter literis mandaremus. Pistorii Urbem à reliquiis Catilinæ, qui ex illo crudeli & cruento prœlio partim incolumes, partim, ut creditur, vulnerati evaserant, conditam fuisse communis & pervulgata non solùm vulgi & imperitorum hominum, sed & doctiorum omnium opinio est, ita mortalium mentibus infixa, ut usque ad tempora nostra perduret. Dantes enim, Petrarcha, & Boccaccius peregregii suorum temporum Poëtæ, atque nobiles Historici; Villanus quoque vulgaris nostrorum Annalium conditor, & ceteri omnes, qui postea secuti sunt, hoc ipsum palàm & apertè scriptis suis probare & attestari videntur. Sed, ut ceteros brevitatis causâ omittamus, Dantes, & Villanus de certa hujus Urbis conditione ita scribere, itaque scriptis suis adnotare voluerunt, quasi ipsi propriis oculis conspexerint. Dantes enim in quibusdam suis egregiis vulgatisque carminibus talem hujus Urbis originem, qualem vulgo jactari & apparere videmus, fuisse non dubitat, quando nefario illo Vannis cujusdam Pistoriensis hominis, ex nobili Lazariorum familia oriundi, sacrilegio sese continere non potuit, quin ex immanitate sceleris unius perditæ & sceleſtæ pecudis in totam Civitatem, his pæne verbis in Latinum utcumque translatis, vehementer inveheretur. *Ah Pistorium*, inquit, *cur te ipsam facibus, incendiis, ignibus passim hinc inde dispersis comburendam solemni decreto ita decernis & statuis, ut in favillas & cineres redacta inter alias Urbes ampliùs exstare, & apparere non videaris, ubi ad perpetranda facinora originem & semen tuum excellis & superas?* Quod omnes Commentatores explanare cupientes, Catilinam Catilinariumque semen interpretantur & dicunt. Villanus quoque in Chronicis suis non modò à reliquiis Catilinæ, quamquam paucos ac vulneratos, ex memorabili illo & cruento prœlio superfuisse testetur, Oppidum tamen ædificatum fuisse dicit; sed etiam illos eo confugisse scribit, ubi hodie hanc præclaram Urbem exstare videmus, ibique ab initio incolas ut à vulneribus liberarentur, vilia quædam habitacula constituisse; deinde ubertate soli invitatos, & allectis multis post annis in tantam sobolem crevisse tradit, ut rudia illa, & rusticana mapalia mœnibus cingerent, atque Oppidum conderent. Id pro-

propterea quòd ingentem quamdam hominum tam suorum, quàm Romanorum cædem ac trucidationem instar pestis factam fuisse noverant, proinde Pistorium à Peste cognominaverunt. Quo circa de atrocitate, & ferocitate, ac de vicissitudinariis Pistoriensium dissensionibus atque dissidiis minimè mirandum esse subjecit, cùm talem originem habuerit: quod equidem ceu verisimile quiddam, facile esse credo, talique opinioni libenter assentior. Sed ut totum quale est, paulò clarius & evidentius elucescat, Sallustii clarissimi & gravissimi Auctoris verba ponere curavimus. Ubi enim duos illos infestos exercitus manus invicem conseruisse memoravit, in hunc modum ab eo scriptum fuisse videmus: *Interea Catilina cum expeditis in prima acie versari, laborantibus succurrere, integros pro sauciis arcessere, omnia providere, multum ipse pugnare, sæpe hostem ferire, strenui militis, & boni Imperatoris officia simul exequebatur. Petrejus, ubi videt Catilinam, contra ac ratus erat, magna vi tendere, Cohortem Prætoriam in medios hostes inducit, eosque perturbatos atque alios alibi resistentes interficit; deinde utrinque ex lateribus ceteros aggreditur. Mallius, & Fæsulanus inprimis pugnantes cadunt. Postquam fusas copias, seque cum paucis relictum videt, memor generis atque pristinæ suæ dignitatis, inter confertissimos hostes incurrit, ibique pugnans confoditur. Sed confecto prœlio, tum verò cerneres, quanta audacia, quantaque animi vis fuisset in exercitu Catilinæ. Nam ferè, quem quisque pugnando locum ceperat, eum amissa anima corpore tegeb t. Pauci autem, quos medios Cohors Prætoria disjecerat, paulò diversius, sed omnes tamen adversis vulneribus ceciderant. Catilina verò longè à suis inter hostium cadavera repertus est, paululum etiam spirans, ferociamque animi, quam habuerat in vultu, retinens; postremò ex omni copia neque in prœlio, neque in fuga, quisquam Civis ingenuus captus est: ita cuncti suæ hostiumque vitæ juxta pepercerunt.* Nec de Catilinæ copiis, eorumque strage plura locutus, statim de Romanorum exercitu in hunc modum subjecisse videtur: *Neque tamen exercitus Populi Romani lætam aut incruentam victoriam adeptus est. Nam strenuissimus quisque aut ceciderat in prœlio, aut graviter vulneratus discesserat. Multi autem, qui è castris visendi aut spoliandi gratiâ processerant, volventes hostilia cadavera, amicum alii, pars hospitem, aut cognatum reperiebant. Fuerunt item, qui inimicos suos cognoscerent. Ita variè per omnem exercitum lætitia, mœror, luctus, atque gaudia agitabantur.* Nec ulterius progressus Libro suo finem imposuit. Si igitur hujus optimi & accuratissimi Historici singula quæque verba diligenter & accuratè considerabuntur, profectò, ut vulgo creditur, ita fieri potuisse non injuria existimabitur. Primò enim, si ante Catilinæ tempora hæc Urbs ædificata fuisset, numquam tantus & tam solemnis Scriptor, oblata præsertim sibi memorandi occasione, ceterique omnes veteres Historici & Cosmographi ipsam perpetuo silentio obruissent. Quod si ita est, ac si deinde eam satìs antiquam fuisse non ignoramus: cur à reliquiis Catilinæ ædificari non potuerit, ut vulgo creditur, nequaquam intelligimus? Dum enim veteres & novos Latinorum, & vulgarium Historicorum, & Cosmographorum

A Libros, Codices, & Commentarios evolveremus, Plinium Secundum in sua naturali Historia, & Claudium Ptolemæum in sua Cosmographia hujus Civitatis mentionem fecisse legimus, quorum alterum Ulpio Trajano, alterum verò Pio Antonino imperante floruisse non dubitamus. Multas insuper Urbes ad solum eversas, plures Civitates sævis & turbulentis Totilæ Gothorum Regis temporibus diversorum generum cladibus vexatas & afflictas fuisse cognovimus, in quarum numero Pistorium commemoratam esse comperimus.

Ad hanc igitur non nimiam, sed potiùs mediocrem quamdam hujus Urbis antiquitatem, illa etiam accedere videntur, quòd pleraque ingentium ædificiorum, Palatiorumque vestigia sub ipsis radicibus montium paulò supra Urbem per longa quidem spatia quasi ordine inserta exstare & apparere videmus: quæ profectò antiquam hujus Civitatis mediocritatem vel maximè portendere & significare videntur. Ad hoc præterea confirmandum illud non immeritò adjungere & adhibere possumus, quòd nos plures veteres solemnesque Chirographos legisse meminimus, quibus præcipua quædam nonnullarum Pistoriensium Basilicarum Privilegia planè & apertè continebantur. Ea Privilegia ultra quingentos originis suæ annos ostendebant. Si itaque hoc Oppidum nondum, prædictis rationibus moti, per Sallustii tempora ædificatum fuisse crederemus, deinde quoque ex illa crudeli Totilæ tempestate multis injuriis lacessitum, tamdem, ut ita dixerim, mutilatum evasisse non ignoraremus, quid obstaret nequaquam intelligimus, quo minus rectè ac meritò mediocrem quamdam antiquitatis originem habuisse putaremus; præsertim cùm hoc ipsum gravibus commemorati Sallustii verbis haudquaquam repugnare videamus. Inveteratam denique, ac per tot annorum curricula ab initio deductam, vulgarem doctorum pariter, & indoctorum, peregrinorum, ac finitimorum, & domesticorum omnium opinionem, non parvi, vel potiùs maximi faciendam arbitramur. Verè sunt enim illæ duæ duorum singularissimorum virorum jam per omnes Scholas celebratæ ac decantatæ Aristotelis Ciceronisque sententiæ, quarum alterâ Philosophus famam omnino vanam esse non posse dicit, quæ frequentibus cunctarum pæne gentium vocibus celebraretur. Alterâ Orator cunctorum Populorum consensum Dei vocem existimandum esse testantur. Ab ipso tamen suæ ædificationis exordio Urbs ipsa ita parva, ita imbecilla fuisse perhibetur, ut per multa secula latuisse, nihilque memoratu dignum gessisse videatur. Prima enim, & secunda, quorum adhuc certa quædam, & expressa vestigia cernuntur, non tertia ista, quæ nunc Urbis mœnia videmus, clara quædam & evidentia hujus primævæ imbecillitatis & parvitatis indicia conspicimus. Nam illa primorum & secundorum murorum vestigia, ut diximus, usque ad tempora nostra perdurant; quippe à prima ejus ædificatione, quam aliquot ante annos, quàm Christus pro salute humani generis carnem susciperet, ex rationibus & causis superius assignatis factam fuisse non injuria existimamus & credimus, usque ad infausta illa vel potiùs calamitosa

To-

Totilæ crudelissimi Gothorum Regis tempora sexcenti circiter anni fluxisse perhibentur. In his igitur sexcentorum annorum intervallis quamquam multa & Etruriæ & Italiæ Oppida ex variis & diversis Hunnorum & Vandalorum oppressionibus deleta fuissent, hæc tamen Urbs quasi in ipsis radicibus montium, in quibus sita erat, abstrusa esset, eousque intacta & illæsa permansit, quoad commemoratus Totila omnium Regum ita sævissimus, ut ob nimiam ejus sævitiam & inhumanam quamdam crudelitatem à cunctis gentibus Flagellum Dei cognominari meruerit, ipsam unà cum reliquis pæne omnibus totius Italiæ Urbibus pluribus calamitatum generibus affligeret. Crevit itaque in illis pacis & tranquillitatis suæ temporibus; ac multitudine populi, & amplitudine Urbs paulatim augescens, mirum in modum per plura secula adaucta est. Quocirca nemo mirari debet, si nulla hujus Urbis ceu modicæ cujusdam, & vilis, & in cunabulis lactentis, in veteribus Historiis mentio habeatur. Postea verò cùm per longa illa pacis & quietis tempora crescere videretur profectò, ut arbitror, numquam perpetuo contemporaneorum Scriptorum silentio obruta fuisset, quamquàm pauci fuisse videantur, qui jamdudum per multa secula rerum gestarum Historias & Commentaria conscriberent, nisi per Totilam Flagellum Dei multis, quemadmodum diximus, calamitatum generibus ea tempestate affligeretur. Cujus quidem rei, & nonnulli alii Chronicorum Scriptores, & Leonardus noster in primis, quem ego ceteris Historicis (pace omnium dixerim, antiquissimos dumtaxat excipio) & integritate, & puritate sermonis, & elegantia & ornatu Latinæ locutionis, & ordine scribendi præferendum esse non dubito, in Libris suis planè & apertè meminisse comperiuntur.

Leonardus enim, ut Villanum ceterosque hujusmodi Scriptores omittamus, cùm de pluribus & variis totius Italiæ calamitatibus, & quonam modo postea Provincia nostra ab hujusmodi barbaricis crudelitatibus liberaretur, in primo Florentinarum Historiarum Libro loqueretur, quodam loco verba hæc posuit: *Urbes igitur, quæ per Etruriam perierant, supra ostendimus. Ex his verò, quæ per tot adversas tempestates emersæ ad extremum evaserant, Pisæ, Florentia, Perusia, Senæ plurimum eminebant. Sed Pisani classe potentes latè mari dominabantur eo facilius, quòd maritimæ ex Tuscis Urbibus hæc ipsa sola remanserat, Tarquiniis, Luna, & Populonia jam pridem absumtis. Florentini autem industria terrâ prævalebant. Perusini ubertate soli, & opportunitate loci crescentes, magnam potentiam habuere. Senas splendor urbanarum rerum, & familiarum excellentia longè nobilitarunt, & attulerunt potentiæ materiam. Rusellæ, & Populonia finitimæ quondam Urbes eversæ. Proximi erant Aretini bonitate agrorum & amplitudine territorii omnibus ferè præstantes. Sed inter Florentinos & Perusinos constitutis duarum validissimarum Civitatum officiebant potentiæ; nam Cortona quidem in Aretinorum potestate diu permansit, nomine etiam Civitatis amisso, donec haud multo supra nostram ætatem pristinum locum recuperare promeruit. Hos proximè sequebantur Lucenses, Volaterrani, Pistorienses, Urbevetani, Viterbienses. Nam Sutrinos, & Nepesinos, atque omnem illam Etruriæ partem, quæ Romanæ Urbi adjacet, ut secunda primò Romanorum fortuna, sic postremò adversa magis afflixerat. Hæ igitur Civitates memoratu dignæ post longas tempestates, & multiplicia pericula superstites erant*, & quæ sequuntur.

Pistorium itaque à Totila variis ac diversis cladibus vexata, per multa secula in tenebris jacuit, antequam caput erigere, & pristinas vires resumere posset. Per totidem enim ferè sexcentorum circiter annorum curricula, quasi fato quodam ejusdem temporis divinitus ageretur, usque ad Millesimum supra Centesimum Quinquagesimum Quartum Christianæ salutis annum latuisse videtur: quo quidem tempore Pistorienses cùm ex tot tantisque jam pridem exantlatis laboribus respirare, & fines suos paulò latius amplificare cœpissent, cum Pratensibus de Carminiano in medio duorum prope Oppidorum spatio constituto faustis ominibus contenderunt. Nam quamquam Pratenses in eo certamine Florentinis opibus juvarentur, in proxima tamen ejusdem Castelli planitie victi & superati Pistoriensibus succubuerunt. Unde Carminianum in Pistoriensium potestatem pervênit. Postquam verò in Totilæ crudelissimi Gothorum Regis mentionem incidimus, non alienum esse existimavimus, si ea, quæ Villanus in Chronicis suis de illius temporis Pistoriensibus scribit, paucis recitaremus. Sunt enim memoratu digna, & ad propositum nostrum aliquatenus pertinere videntur. *Totilam* namque *Florentino nomini ob illam memorabilem profligatorum Gothorum stragem, quos sub montibus Fæsulanis, Radagaso, & Alarico Ducibus à Florentinis cæsos ac trucidatos fuisse constabat, supra quam dici potest infensum, nihil aliud cogitare potuisse scribit, nisi quemadmodum Florentiam funditus everteret, ut nullum ejus vestigium ullo umquam tempore appareret, ubi aliquod memoratæ victoriæ signum, ceu perpetuus quidam trophæus deletæ gentis suæ ostenderetur. Per hunc ergo modum Urbem nostram à solo delere cupiens, viribus atque armis ob multiplicia, & varia Civitatis munimenta nequaquam votis suis potiri posse sperabat, nisi ad dolos & fallacias converteretur. Ad dolos itaque & fallacias conversus præcipuum quemdam amorem, & singularem caritatem erga Florentinos simulare cœpit, quos cum Pistoriensibus quondam belligerasse, ac veteri quodam odio bellicisque simultatibus se invicem odisse audiverat. Quocirca se se unà cum exercitibus suis in Urbe à Florentinis receptum iri, astutè nimis excogitavit, si eis adversus Pistorienses operam suam polliceretur: quod cùm postea fecisset, cogitationesque suæ designatos, quemadmodum animadverterat, sortirentur effectus, paulò postquam unà cum suis in Urbe reciperetur, concionem quasi consultandi gratiâ habere dissimulavit. Dum igitur Principes Civitatis, & Optimates, ac plerique hujusmodi Cives jussu Regis sigillatim congregarentur, singuli, ut statutum erat in quodam occulti & tenebrosi transitus loco, à satellitibus & insidiatoribus simplices & incauti trucidabantur. At ubi multos & excellentes viros per hunc modum trucidatos occubuisse audivit, statim militibus imperavit, quatenus per totam Urbem diripiendi & populandi gratiâ hinc inde discurrerent. Omnes insuper masculos pariter, & fœminas, senes, & pueros cujuscum-*

cumque ætatis passim per vias & compita discurrentes reperirent, promiscuè interimerent. Hæc omnia postquam milites, ut jussum erat, prompti & alacres effecerunt, facibus præterea & incendiis totam pæne Urbem concremarunt. Unde factum est, ut Florentia ea tempestate propemodum ad solum usque everteretur. Sed redeamus, unde digressi sumus.

Eodem Millesimo supra Centesimum Quinquagesimum Quartum Christianæ salutis anno Federicus Primus, qui Barbarossa, & magnus Federicus cognominabatur, Romanorum Imperator legitimè designatus, & à Papa Adriano diademate, & insignibus Imperii Romæ coronatus, cum Alexandro postea, qui Adriano in Pontificatu successit, aliquot annos de Ecclesiasticis juribus pertinaciter contendit, ac continuè belligeravit. Pontifex enim Ecclesiastica jura ut sua retinere, ille verò antiquatâ licentiâ usurpare nitebatur: quod Henricus Tertius cum Gregorio Septimo tunc Summo Pontifice octoginta circiter annos jam antea fecerat. In hoc igitur satis longo & diuturno bello cùm omnes pæne Italiæ Civitates variis hinc inde motibus agitarentur, factum est, ut aliæ Pontificibus, aliæ Imperatoribus faverent. Inter ceteras verò, quæ Imperatori opitulabantur, Pisæ & Pistorium in primis habebantur. Quocirca Federicus post res prosperè gestas illis, qui Alexandro Pontifici favebant, ultra quam dici potest infensus, cunctos Ecclesiæ fautores variis & diversis pœnis affecit. Inter alios enim Italiæ Populos Florentinos tamquam Pontificis adjutores ulcisci cupiens, universum eorum agrum, & omnia pæne Oppida usque ad mœnia Urbis illo tempore arripuit, quo è Gallia Cisalpina versùs Apuliam tendens, Florentiæ aliquot dies resedisse scribitur. Id ipsum ceteris Etruriæ Civitatibus fecit, Pisis, & Pistorio dumtaxat exceptis, quoniam hæ solæ in tota Etruria Imperatori adhæsisse videbantur. Atque hoc Trigesimo Quarto Imperii sui Anno fecisse traditur. Triennio deinde post cum Summo Pontifice in gratiam rediens, magnis equitum peditumque copiis ad recuperationem Terræ Sanctæ passim hinc inde comparatis, in eo itinere parvulo quodam fluvio, qui Ferrum apud Hermenios nuncupabatur (mirabile dictu) submersus occubuisse perhibetur, ubi æstivo tempore refrigerandi gratiâ lavabatur. Duos filios Henricum & Philippum moriens superstites dereliquit; sed Henricum ad fastigium Imperatorium deligi & sublimari voluit, antequam laudabile & gloriosum iter assumeret. Hic ad persecutionem Ecclesiæ vestigia patris imitatus, octavo Imperii sui Anno è vita migravit. Huic filius nomine Federicus, qui ad differentiam Avi Secundus appellabatur, post aliquot annos in Regno successit; & quamquam memorati Avus & Pater Ecclesiam Romanam multis bellicis calamitatibus afflixissent, is tamen, quantum ad res Etruscas attinere videbatur, principium & causam nostrarum miseriarum attulisse creditur. Nam priora partium studia, quæ hactenus civilibus dissensionibus, urbanisque contentionibus per totam pæne Etruriam viguerant, ob hujus Federici rabiem ad cædem & sanguinem, ac relegationem Civium, & vastitatem Urbium nuper proruperunt. Novæ quoque Guelforum, & Gibellinorum factiones hujus Imperatoris temporibus Florentiam invaserunt, quemadmodum paulò post opportuno loco latiùs & uberiùs explicabimus, si priùs magnæ Pistoriensis Basilicæ conflagrationem paucis retulerimus, quæ quidem Ducentesimo Secundo supra Millesimum Christianæ salutis Anno ita combusta est, ut ingentem ejus fornicem in ruinam usque converteret; ac per hoc omnes veteres Pistoriensium Codices, Scripturæque, & Chirographa conflagrasse creduntur, quæ ibi ceu accommodatissimo quodam atque securissimo Urbis loco servabantur. Biennio verò ante hujusmodi combustionem quidam Pistoriensis Episcopus nomine Acto magna vitæ sanctimonia decesserat, cujus quidem corpus integrum, & incorruptum, ac penitus immaculatum (mirabile dictu) in eadem Basilica admodum collocatum, maxima Populi devotione celebratur & colitur.

Florentini igitur in magno quodam quadraginta circiter annorum intervallo (tantum enim ferè temporis inter mortem Primi Federici ac Secundi prosperitates intercessisse videtur) Oppidis agroque recuperatis, ac resumtis viribus, triumphali Curru, infestisque signis adversùs Pistorienses arma moverunt. Sed quoniam in triumphalis Currus mentionem incidimus, non alienum esse existimavimus, si pro cognitione novæ & inusitatæ rei paucis describeremus, quonam modo à majoribus nostris bella indici consueverant. Quadriga erat ingens, quam vulgo *Carrocium* appellabant, per totum rubeis coloribus depicta, in qua duo maximi ac rubicundi stili instar antennarum ferebantur. Super his armigera Florentini Populi insignia, partim alba, partim verò rubea, per medium distincta, ventilabantur, quæ quidem adhuc, ut à majoribus nostris bajulabantur, in rotunda Protectoris nostri Basilica visuntur. Hujusmodi quadriga ita ornata, itaque structa, à duobus maximis robustisque bobus rubeis vestimentis indutis trahebatur, qui ad hoc dumtaxat officium deligebantur. Ductor eorum ab omnibus publicis factionibus immunis erat, & quandocumque bellum indicebatur, cunctis finitimis comitibus, generosisque equitibus, è Fabrica Beati Johannis eruebatur, atque in forum nostum traducebatur, ibique in magno quodam ac rotundo lapide sistebatur, Populoque Florentino (verbis nescio quibus) ejus cura ac custodia demandabatur; ad custodiendum fortissimi quique & optimi Cives è toto Populo pedites creabantur. Toto verò, antequam bellum indiceretur, mense campana quædam super fornice portæ Beatæ Mariæ ponebatur, quæ tunc in fori capite exstabat, ac die noctuque sinè intermissione pulsabatur, ut tantis apparatibus ac tantis diurnis nocturnisque sonitibus de indictione belli hostibus denuntiaretur. Quando verò adversùs hostes movebantur, campana illa ab eo fornice amovebatur, & super sublicio castello ad hoc solum de industria fabricato constituebatur; quod castellum super altera quadriga idcirco aptabatur, ut ante triumphalem Currum traheretur; ac per hunc modum ad continuum illius campanæ sonitum triumphalis Currus in hostes us-

usque traducebatur. In quo quidem à Romanis maioribus nostris non degenerabant, qui hostibus suis bella indicere consueverant. His igitur apparatibus Florentini querelis & conquestionibus Murlensium moti, bellum, quemadmodum diximus, Pistoriensibus indixerunt, quos Pistorienses pluribus & variis injuriis jam dudum affecerant. Hæc fuit prima, meâ quidem sententiâ, Florentinorum adversùs Pistorienses expeditio, quæ ita structa ac parata fuit, ut universum pæne Pistoriensium agrum usque ad Urbis mœnia popularentur; ac paulò post Carminianum, quod in Pratensi bello nuper in eorum potestate pervenisse diximus, Pistoriensibus ademerunt atque in ditionem suam redegerunt. In eo loco Turris erat quinquaginta circiter cubitos in altum elevata; ibi duo marmorea hominis brachia contra Florentiam porrecta exstabant, quorum utrumque pollice infra duos proximos digitos inserto illudendi & irridendi gratiâ videbatur. Florentini hujus rei indignatione permoti, eam Turrim ob hujusmodi duntaxat ridiculum funditus everterunt.

Secundam Florentinorum in Pistorienses expeditionem Millesimo supra Ducentesimum Quinquagesimum Primum Christianæ salutis Anno, statim post mortem Federici proximè memorati, qui paulò ante obierat, per hunc modum factam fuisse legimus. Florentini Guelfarum partium duces multis à Federico, dum vivebat, calamitatibus oppressi, post mortem ejus caput erigere, & adversùs Gibellinos tam domesticos, quàm externos, eorum hostes usque adeò insurgere cœperunt, ut Pistorienses finitimos, Imperii fautores, magna equitum peditumque manu, infestisque signis aggrederentur. In hac secunda adversùs Pistorienses expeditione Gibellini nullatenus opitulari voluerunt, ne Pistoriensibus suarum partium sectatoribus aliquatenus noceretur; quin imò cunctis, ut dicitur, animi & corporis viribus restiterunt, ne bellum Pistoriensibus indiceretur. Florentini per hunc modum Gibellinis repugnantibus in Pistorienses structis aciebus profecti, postquam universum pæne eorum agrum populati sunt, in hostes demum obviam factos tanto impetu irruerunt, ut eos usque ad Urbis mœnia magna cum strage præcipites agerent, ac non multo post victores, victoriâque elati, in patriam remearunt. Memores verò impedimentorum, quæ à Gibellinis paulò ante susceperant, velut talium domesticarum injuriarum ultores, ejus factionis Principes Urbe exegerunt, exilioque mulctarunt. Guelfi igitur, & domesticis & externis hostibus superatis, publica Vexillorum insignia usque adeò permutare constituerunt, ut cunctis aspicientibus diversa ac contraria viderentur; in albo enim spatio (campum vulgo appellabant) rubeum Lilium mutatis coloribus addiderunt: quæ quidem paulò post rursus adversùs Pistorienses moverunt. At Pistorienses vires suas superiori prœlio longè debilitatas esse cernentes, se se mœnibus continebant. Quo circa Florentini, agris prope Urbem antea vastatis, ad Titianum obsidendi gratiâ contenderunt. Oppidani, quamquam eorum Oppidum & natura loci & ceteris quibusdam præparationibus munitissimum factum esse conspicerent, veriti tamen, ne assiduis quibusdam machinarum ictibus expugnaretur, se se cum omnibus suis in Florentinorum manibus dedidere. At verò dum Florentini memoratum Castellum obsiderent, Lucenses à Pisanis longo certamine prope Toporium conflixisse, ac demum ab eis fugatos fuisse intellexerunt: quod ubi audiverunt, illico movere signa, atque Lucensibus sociis & amicis jam pæne profligatis opitulari ac succurrere statuerunt. Versùs Toporium igitur hac mente talique proposito celerrimè contendentes, victrices Pisanorum copias non procul ab Hera fluvio consequuntur: quo in loco, utrinque fortissimè simul atque atrocissimè dimicatum fuit. Tamdem is prœlii eventus fuisse traditur, ut Pisani eo certamine ad extremum superati terga verterent. Quos propemodum profligatos passimque palantes dum victores enixè persequerentur, præter magnam quamdam trucidatorum hominum cædem, ingentem fugientium multitudinem ceperunt, captosque unà cum plerisque signis militaribus in castra alacres reduxerunt. Nam & summa voluptas, & maximum solatium erat, ut Lucenses, qui paulò ante captivi trahebantur, solutis mox vinculis, & in contrarium versa natura rerum, ac varias volvente fortuna vices, Pisanos vinctos captosque traducerent. Florentini itaque domum duabus cum victoriis reversi, paulò post ad Feghinum castrametati sunt. Id ubi in ditionem suam redegerunt, Alcinatibus sociis & amicis, qui à Senensibus obsidebantur, opem ferre statuerunt; unde è Feghino per agrum Aretinum profecti ad Alcinum convenere, quo in loco non longè ab Oppido cum Senensibus tam egregiè fortiterque pugnarunt, ut eos obsidionem relinquere, ac terga dare compellerent. Florentini igitur tantis victoriarum successibus non injuriâ elati, ut opportunum veris tempus apparuit, magnis rursum, ac quarto, equitum peditumque copiis versùs Pistorium contenderunt, totoque eorum agro, si quid superioribus bellis incolume inlæsumque remanserat, populato ac vastato, Urbem circumsederunt. At Pistorienses, ubi cuncta sua forensia & externa populata ac vastata propriis quasi oculis conspexerunt, nec domesticis nec alienis viribus confisi, cedere tamdem Florentinis, quàm ad extremam quamdam & violentam expugnationem perduci maluerunt. Istis igitur per hunc modum fœderibus Ildebrandinus Octoboni filius, Vir per ea tempora magnæ in Republica auctoritatis, unà cum duobus Juris peritis ad componendam conventionum formulam auctoritate publica legatus, Pistorium vênit. Hujus pacis tales conditiones fuisse perhibentur, ut fœdus & amicitia posthac Florentinis Pistoriensibusque perpetua foret; exules omnes suos, qui studio partium antea exulaverant, in Urbe reciperent, bona restituerent; omnibus Florentinorum hostibus, Senensibus dumtaxat exceptis, bellum inferrent; ut captivi insuper omnes utrinque dimitterentur; ad extremum Florentinis unicum Castellum velut certum quoddam memoratorum fœderum vadimonium, & perpetui instar obsidis, intra Urbem construere atque ædificare liceret, quod à Florentinis Civibus custodiretur. Id paulò post fecerunt; nam circa Floren-

rentinam portam (Caldaticam vocant) magnificè ædificarunt. Quamquam à Pistoriensibus, elapsis septem circiter annis, ad solum usque verteretur, postquam Florentinos à Senensibus magno illo & memorabili Aperti Montis certamine superatos ac propemodum profligatos fuisse cognoverunt. Guelfos, qui Florentiæ remanserant, ubi tantam suorum militum stragem audiverunt, usque adeò territos fuisse constat, ut Urbem relinquerent, & Lucam, & Bononiam usque contenderent. Gibellini igitur victores, cùm à Guelfis eorum hostibus Urbem desertam esse intelligerent, Florentiam intrarunt, ac liberam Civitatis dominationem susceperunt: quod itidem Pratensibus, Volaterranis, Geminianensibus, Pistoriensibus quoque, ac denique cunctis aliis Etruriæ Populis, Lucensibus dumtaxat exceptis, contigisse legimus, ut mutatis rerum publicarum conditionibus, Guelfi ubique premerentur, Gibellini verò dominarentur.

Hoc tempore Pistorienses, mutato & ipsi Civitatis statu, prædictum Florentinorum Castellum, quemadmodum supra diximus, funditus everterunt. Gibellini igitur per hunc modum susceptis Reipublicæ gubernaculis, inita cum Pisanis, Senensibus, Aretinis, Pratensibus, & Pistoriensibus societate, adversùs Lucenses bellum indixerunt, castraque moverunt. Guelfi itaque per totam Etruriam exilio damnati ad Clementem IV. ejus temporis Pontificem, qui Urbano successerat, aliquos Legatos hujusmodi mandatis & commissionibus miserunt, ut eos sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ fautores, eaque de causa propriis Civitatibus ejectos in primis Sanctitati suæ humillimè simul, ac devotissimè commendarent. Carolo deinde Provinciæ Comite, quem è Gallia Transalpina ab eo in Italiam evocatum idcirco fuisse intelligebant, ut Manfredo resisteret, jam in Apuliam cum exercitibus suis è Germania profecto, plurimum se commendant, ac denique operam suam adversùs Manfredum totis animi & corporis viribus pollicentur. Pontifex, Oratoribus benignè auditis, non solùm postulata eorum admittere, atque exaudire concupivit & voluit, sed ad prosecutionem quoque virtutis pluribus verbis cohortari, & vexilla insuper quædam, propria suæ gentis insignia, illis perpetuò ferenda donare dignatus est, in quibus imago quædam rubentis Aquilæ cœruleum draconem unguibus prementis apparebat. Legati per hunc modum hujusmodi Pontificalibus insignibus donati, ad suos, prope Urbem, indicto concilio, Pontificis responsa præstolantes, læti & alacres redierunt. Guelfi itaque, auditis eorum Oratoribus & sua sponte, & Pontificis hortatu confestim se se ad arma præpararunt, ac Guidonem quemdam cognomento Guerram, virum consilio viribusque præstantem sibi Ducem præfecerunt, atque Corradum Magnimontanum Equitem Pistoriensem signiferum constituerunt. His igitur apparatibus Carolo Gallisque obviam egressi, in agro Mantuano convenerunt, ac benignè & humanè à Rege suscepti, Gallis ceterisque gentibus se se immiscuerunt, atque Romam usque contenderunt, ubi paucos dies, ut Pontifici de more solemnia peragerent, commorati, versùs Apuliam iter arripiunt, quo Manfredi copias jampridem pervenisse constabat. Ac primò fines Regni secus Casinum ingressi, Germanum Oppidum tantis viribus expugnare adoriuntur, ut paulò post Manfredianis enixè repugnantibus caperent. At Manfredus, ubi Germanum Oppidum amissum, & nonnullas alias finitimas Civitates ad Carolum defecisse cognovit, contractis undique copiis, è vestigio in Samnium ad Beneventum accessit, ut ibi ejus hostibus occurreret. Quo audito Carolus dimicandi cupidus, cum suis illico & ipse Samnium petit. Ubi verò ambo Reges unà cum eorum copiis in planitie quadam prope Beneventum structis aciebus apparuerunt, paulò post juxta Calorem, fluvium quemdam Beneventanum in dicta planitie (Glandellam incolæ vocant) manus invicem conseruerunt. Sed cùm Manfredus, antequam pugnaretur, hostium, ut fit, agmina specularetur, unam seorsum aciem armis & equis egregiè præ ceteris structam ac paratam prospexit, nimiaque ejus pulchritudine in admirationem ductus, quorum id agmen esset, diligenter percontabatur. Postea verò quam Florentinorum, & reliquorum Etruscorum, qui diversas partes sectabantur, esse rescivit, ubi alterius factionis homines reperirentur, in quos tanta beneficia contulerat percontatus, atque longè abesse cognoscens, sese continere non potuit, quin indignatione simul & ingratitudine Gibellinorum hominum motus, in hæc verba indignabundus prorumperet: *Illa illa enim*, inquit, *acies* (Tuscos exules digito demonstrans) *hodie nisi victrix esse non potest; nam si Carolus vicerit, ipsi Victores remanebunt; sin verò ipse vicero, illos, quàm adversarios eorum, benivolos mihi familiaritateque conjunctos fore maluero.* Ad suos inde reversus, signum prœlio tuba dari jussit; nec Carolus detractavit certamen. Ab utraque parte acriter pugnatum est, pugnaque diu anceps fuit, Germanis pro Manfredo, Gallis verò Tuscisque pro Carolo egregiè admodum dimicantibus. In hoc certamine illud præ ceteris memorabile fuit, ut Reges ipsi cominus prœliarentur. Post longum & anceps certamen Carolus tandem, Germanis profligatis, Manfredoque occiso, superior evasit. Sed ne cui fortè longius à principali Pistoriensium proposito digressi fuisse videremur, hæc omnia idcirco recitavimus, ut Nobiles Guelfos è Pistorio ea tempestate exactos, quibuscumque harum nostrarum Historiarum vel Commentariorum lectoribus & auditoribus abiisse constaret; nam & Guido cognomento Guerra Florentini agminis ductor, & Conradus Magnimontanus Eques Pistoriensis Signifer, quemadmodum supra diximus, ceteris præfuisse traduntur. Non multo post memoratum Manfredi conflictum Florentini & reliqui Etruriæ Populi, Guelfarum partium favore, & opibus Caroli Regis adjuti, domos quisque suas, unde aliquot annos exulaverant, faustis ominibus redierunt, atque diversæ factionis homines opportuno postea tempore exegerunt: quod Lucensibus, Volaterranis, Pistoriensibus, & omnibus aliis Etruriæ Populis (Pisanis & Senensibus dumtaxat exceptis) contigisse legimus, ut in patriam quisque suam remearent, adversariosque repellerent.

Eodem reversionis suæ anno, qui fuit Millesimus Ducentesimus Sexagesimus Septimus,

Florentini cum omnibus Etruscis optimarum partium Civitatibus, Præfecto quodam Caroli Regis duce cognomento Guidone, quem antea opitulandi gratiâ cum octingentis equitibus, communibus, ut ab illis petebatur, eorum sumtibus miserat, bellum Senensibus indixerunt, quibus cum ob conflictum sub Aperto Monte ab eis paulò ante susceptum, tum etiam quòd adversarios nuper expulsos domibus suis suscepisse constabat, magnopere infensi esse videbantur. Quocirca Bonitium eorum dumtaxat Oppidum expugnare contenti, exinde moverunt, atque versùs Pisas infestis signis contenderunt.

In ea expeditione, expugnatis pluribus Pisanorum Oppidis, totum pæne Pisanum agrum, dispersis hinc inde militibus, vastaverunt, atque paulò post in patrias quisque suas remearunt. Interea Pistorienses variis & quotidianis casibus agebantur, quemadmodum omnipotens fortuna diversa inter Romanos Pontifices Imperatoresque bella, ac etiam contrarias per totam pæne Italiam factiones parare & afferre videbatur, donec Millesimo supra Ducentesimum Octogesimum Quartum Christianæ salutis Anno Florentini cum Januensibus, Volaterranis, Lucensibus, ac Pistoriensibus, & aliis optimarum partium Civitatibus, initis fœderibus jureque jurando præstito, adversùs Pisanos conjurarent. Anno ante, ut à proposito parumper digrediamur, magna quædam Pistoriensis Populi campana incisis literis conflata fuisse scribitur, dum Guicciardus Papiensis Eques Urbi pro Pistoriensibus præsideret, de cujus quidem resarciendis fracturis, vel potiùs novis conflationibus, cùm in concione hoc maximè tempore, quo hæc & hujusmodi memoriæ mandabamus, assistentibus nobis, ageretur providereturque, silentio præterire non placuit.

Sed redeamus, unde digressi sumus. In hac nova contra Pisanos expeditione, vel conjuratione potiùs, res prosperè admodum successisset, si conjurati omnes in constanti & firmo bellandi proposito ad finem usque perseverassent; nam licèt Florentini totis, ut decebat, viribus, quibusdam eorum Civibus ab Ugolino Comite, Viro tunc magnæ in Pisana Republica auctoritatis, auro pecuniaque, ut ferebatur, corruptis, nequaquam opitularentur, Januenses tamen unà cum Lucensibus ac Pistoriensibus, & aliis ejus conjurationis participibus, partim mari, partim terra, plura Pisanorum Oppida virtute & viribus militum ceperunt, atque totum pæne eorum agrum palàm hinc inde vagantes popularunt. Florentini deinde, elapsis quatuor circiter annorum curriculis, unà cum Lucensibus, ac Pistoriensibus, & aliis Etruriæ sociis bellum Aretinis ea tempestate Gibellinarum partium fautoribus magnis equitum peditumque copiis ita indixerunt, ut prope Ripolim viâ Aretinâ de more solito unà cum Curru triumphali militaria signa præmitterent: quod idcirco facere videbantur, tum ut aliquo illorum dierum intervallo omnes sociorum copiæ faciliùs convenirent, tum etiam ut hostes, quemadmodum supra diximus, de bellicis indictionibus certiores redderentur. Atque hujusmodi per ea tempora erat Florentinorum in indicendis bellis ritus atque consuetudo: in quo quidem Romanos majores nostros, ut paulò ante brevissimè monuisse videmur, generosè admodum imitabantur. Romani namque illis, quos hostes esse judicabant, suam bellandi intentionem palàm & apertè denuntiare, ac præmissis quibusdam solemnibus bella indicere consueverant. Inde versùs Aretium infestis signis arma moverunt, ac pleraque Aretinorum Oppida raptim atque celeriter expugnarunt. Paulò post in Pisano reversi, ingentem adversùs eos impetum fecerunt, ubi parum commorati, rursus contra Aretinos, Carcianum eorum Castellum obsidentes, reversi sunt, illosque ab ea obsidione invitos & repugnantes recedere coëgerunt. At Aretini pluribus & continuis, ut sibi videbatur, Florentinorum injuriis lacessiti, versùs Florentiam indignatione & ira repleti, ulciscendi gratiâ multis armatisque militibus contenderunt, Varicumque accedentes, domos & villas ac pagos usque ad Donatianum Oppidum cuncta ferro incendiisque fœdarunt: quo facto mox Aretium remearunt.

Per hæc ferè tempora Carolus quidam alterius Caroli Francorum Regis filius, qui Princeps cognominabatur, Florentiam cum Gallicis quibusdam equitibus venit. Is paulò ante carceribus liberatus, ubi captivus navali prœlio inter Petrum Aragonum Regem, Carolumque ejus patrem commisso, detrusus fuerat, ad Summum Pontificem tunc Reate commorantem è Gallia contendebat. Hunc Carolum Principem Florentiam applicantem Florentini, & dum Urbem ingrederetur, & paulò post cùm inde egrederetur, tantis honoribus prosecuti sunt, ut juxta postulata ipsorum Amerigum quemdam Narbonensem Regiæ Curiæ Equitem, consilio viribusque præstantem, unà cum centum dumtaxat equitibus ducem atque Imperatorem exercitibus suis præficeret, qui opportunis & occurrentibus eorum bellis præsideret. Hoc igitur Amerigo Duce Florentini bellum Aretinis noviter indixerunt, atque signa militaria, quemadmodum facere consueverant, usque ad Ripolim præmiserunt. Ibi aliquot dies commorati, donec sociorum copiæ convenirent, transire Arnum, & Casentinati via ad hostem ducere statuerunt. Ubi verò superato monte circa Puppium descenderunt, quod à Novello Comite tunc diversarum partium fautore tenebatur, ibi in campestri loco castrametati, regionem totam longè latèque populabantur: quo audito Aretini & Novello Comiti opem ferre, & hostibus occurrere decreverunt. Magnis igitur equitum peditumque copiis Aretio profecti, primò Bibienam venerunt; sed ubi paulò post hostibus appropinquarunt, ac sese invicem conspexerunt, Aretini, tametsi personarum numero longè impares essent, virtute tamen & audacia suorum militum confisi, pugnam efflagitare non dubitarunt; quam cùm Florentini minimè detrectassent, sed potiùs prompti & alacres ad prœlium egrederentur, in proxima planitie (Campaldinum incolæ vocant) sese suosque ex composito compararunt. Itaque per hunc modum utrinque hostiles & infestas acies egregiè admodum struxerunt. In hoc memorabili prœlio multi generosi Cives Florentini interfuerunt, in quorum numero Dantes Poëta recensetur, quemadmodum ipse in Epistola quadam palàm & apertè describit, in qua quidem sese juvenem in armis interfuisse

fuisse refert. Ingens sanè utriusque agminis series, & magnus ordo fuisse traditur; tantoque impetu & ardore animorum undique pugnatum ferunt, ut plerique primis ferientum ictibus cæderentur. Aretini non multo post quàm cum hostibus manus conserere cœperunt, fugatis Florentinorum equitibus superiores evadere videbantur: quod ubi Cursius Donatus Eques Florentinus, celsi Vir animi, consilioque ac virtutibus præstans, Pistorii tunc Prætor simul, atque extraordinariè Lucensium ac Pistoriensium aciei Præfectus, conspexit, quamquam sibi injunctum fuisse meminisset, ne injussu Ducis pugnare auderet, non tamen ultra cunctandum ratus: *Adoriamur*, inquit, *commilitones, hostium equitatum, priusquam pedites eorum congrediantur ac sese pugnæ immiscuerint; non enim me in tanto ac tam periculoso & sociorum, & nostrorum Civium discrimine aut præceptum Ducis, aut pœna terrebit, quo minus hodierna die ferro viribusque decernam; nam si pugnantes superabimur in prœlio, morituri haudquaquam pœnam alterius formidabimus; sin ut spero, vicerimus, tunc Pistorium veniat, quicumque de nobis supplicium sumere voluerit.* His dictis hujusmodique exhortationibus habitis, tanto impetu totam aciem concitavit, ut hostes jam pæne victores mirabiliter invaderet, atque à tergo percussos fugere compelleret. Quocirca hæc extraordinaria, ut ita dixerim, Lucensium ac Pistoriensium acies, virtute & audacia, Florentinis præsidio profecta, ejus victoriæ initium ac principium fuit: quæ quidem tanti ab omnibus illius temporis Etruscis hominibus non immerito facta est, ut cunctarum præteritarum victoriarum celeberrima haberetur. In ea enim pugna (mirabile dictu) supra tria Aretinorum ac sociorum millia, præter magnum quemdam captivorum numerum, cecidisse traduntur. Illud præ ceteris incredibile, & omnibus seculis celebrandum in hoc loco silentio præterire non possum; nam eadem die, eademque hora, qua ad Campaldinum pugnatum fuerat, victoria Florentiæ nuntiata perhibetur; cùm enim Priores nostri diurnis nocturnisque curis anxii per meridiem somno requiescendi gratiâ aliquatenus indulgerent, fores magna vi pulsatæ crepuerunt, & vox festinabundi hominis audita: *surgite, surgite, inquam, nam hostibus superatis victoriam habuistis.* Ad eam vocem Priores experrecti, apertis foribus invicem gratulabantur; ibat per Urbem fama; atria & compita Civium congratulantium complebantur. At verò cùm paulò post certus quidam victoriæ auctor quæreretur, nec ullus exstare videretur, rumor quasi vanus ab omnibus habebatur, ac velut inanis evanescebat, donec certi & veri quidam nuntii ab exercitu profecti accesserunt, qui rem, uti gesta erat, ordine enarrarunt, unde victoriam ea die partam fuisse compertum est, qua Prioribus quiescentibus fuerat nuntiata. Quod & si mirabile sit, ante tamen quàm Christus humanam carnem susciperet, nonnumquam evenisse legimus. Nam & de Perseo Macedonum Rege à Paulo Æmilio Macedonico quidem bello superato, & per Domitiani postea tempora apud Germanos partam victoriam, Romæ ea ipsa die fama certissima divulgasse scribitur. Quæ cùm ita sint, ceu ab optimis Auctoribus scriptum fuisse constat, hoc idem pariter nostris gratiæ divinæ temporibus contingere potuisse non dubitamus, nisi jam manum Domini, Deique potentiam post adventum Christi defecisse credamus.

Ab hoc tempore usque ad Trecentesimum supra Millesimum Christianæ salutis annum nihil memoratu dignum Pistoriensibus accidisse novimus, nisi quòd bis dumtaxat adversùs Aretinos, bisque adversùs Pisanos unà cum Florentinis, ac Lucensibus, & aliis Etruriæ sociis arma moverunt. Biennio verò ante memoratum Trecentesimum Christianæ salutis Annum multi per Italiam terræ motus apparuerunt. In Etruria autem hæc sola Pistoriensium Civitas tantis per octo continuos dies terræmotibus agitari cœpta est, ut multæ hinc inde turres, & magnæ domus, atque ingentia Palatia unà cum alto quodam majoris Basilicæ fornice jam antea, ut diximus, combusto, ac postea reædificato, non sinè plurium personarum oppressionibus ad solum usque corruerint: quæ quidem res prudentibus viris certa quædam futurarum calamitatum signa videbantur.

Hoc eodem tempore Pistoriensibus prosperè admodum agentibus, nobiles quidam ac præpotentes Cives (vulgo *Cancellarios* appellabant, à Cancellario quodam Scriba, viro opulentissimo ac ditissimo, sic nuncupatos ob nimias opes ingentesque divitias) ex levissimis causis ab invicem dissentire cœperunt. Ab hoc igitur Cancellario primo talis & tanti generis auctore multi filii, nepotesque, & liberi, ut ajunt, liberorum, plerique præstantes viri, & Equestri Dignitate insigniti mirabiliter provenerunt, à quibus non multo post tempore tanta soboles, velut propago quædam, longius derivata profluxerat, ut centum circiter homines tunc arma ferentes numerarentur. Tale igitur hominum genus cum divitiis, tum virorum multitudine undique conspicuum, non modò in propria Civitate plurimum poterat, sed per totam quoque Etruriam in magna quadam nominis opinione habebatur. Itaque ob nimias opes ingentesque divitias adeò ab invicem dissenserunt, ut ex levissimis causis, quemadmodum supra diximus, ad arma & sanguinem prosilirent, atque paulò post in tantam insaniam paulatim processerunt, ut variis & diversis cognominibus appellarentur. Qui enim ex una memorati Cancellarii Uxore (nam duas habuisse dicebatur) nati erant, *Nigri*; qui verò ex altera originem duxerant, *Albi* nuncupabantur. Tantarum discordiarum hujusmodi sanè imbecille vileque initium fuisse perhibetur. Dum enim nonnulli ex hac Nobili & opulenta Familia oriundi, ad cauponam epulis vino ac talorum ludis voluptatis gratiâ indulgerent, meroque incalescerent, & paulò hilariores efficerentur, contumeliis primò temulentorum more hinc inde jactatis, mox in verbera evaserunt. Duo ex multis Dorus Niger, & Carlinus Albus, alter Guilielmi, alter Gualfredi amborum Equitum filius, in vicissitudinariam quamdam altercationem devenerunt, in qua cùm Dorus à Carlino superaretur, talem gentilis cognatique injuriam, licèt ab initio parvam, æquo animo ferre non potuit; insalutato enim, ut dicitur, hospite exinde discedens, germanum aliquem Carlini

lini ejus, rixæ ignarum (nam multi erant ulciscendi gratiâ) solus præstolabatur. Paulò post sic præstolabundus Vannem quemdam unum ex Carlini fratribus Juris peritum, ubi per Urbem spatiandi causâ equitantem prospexit, humana ac submissa voce benignè ad se se accersivit. Ille verò totius rei ignarus ad eum tamquam ad cognatum suum libenter tendebat; ad quem sic ad se ipsum proficiscentem Dorus obviam factus, caput ejus vehementer percussisset, nisi per porrectionem alterius manus vehementiam ictus aliquatenus retudisset. At verò nisi saucius ille manum porrexisset, profectò, ut creditur, ad proditoris pedes moribundus occubuisset; nam totam manum, pollice dumtaxat excepto, tanto impetu abscidit, ut in vultum usque prorumperet, & in facie plurimum vulneraret. Vannes paulò post vulneribus acceptis, à vicinis, qui ad magnos ejus clamores ingentesque ejulatus concurrerant, lecticâ delatus domum bajulatur. Hanc tantam Dori adversùs Vannem filium injuriam Gualfredus Carlini pater, ceterique fratres æquo animo sustinere ac tolerare nullatenus valuerunt; quin imò magnis armatorum clientelis catervisque, nec ipsi inermes, ita per Urbem incedebant, ut cunctos suos domesticos inimicos multum admodum terrere viderentur. Quid plura? Ita minabundi proficiscebantur, ut eorum adversarios propriis domibus tutelæ gratiâ se continere cogerent. Quod cùm illi animadverterent, paucis post diebus Guilielmus Dori pater, aliique nepotes & liberi, nam gentilium, & cognatorum simul, atque hostium suorum indignationem, vel penitus tollere, vel aliquatenus sedare cupiebant, Dorum captum ad propriam læsi hominis domum cum hujusmodi commissionibus transmiserunt, ut illi injuriam eis recenter illatam in privatam percussoris personam decenter ulciscerentur, rati per hunc humilitatis modum, ut acceptæ injuriæ excandescentia & rabies ob moderatam quamdam & convenientem ultionem vel omnino tolleretur, vel saltem magna ex parte leniretur. Res verò longè aliter se habuit, quàm putabatur; nam illi, ubi Dorum captum, ut à parentibus missus erat, in domo propria adstare conspexerunt, illico ira ac furore perciti, eum in quoddam eorum stabulum velut accommodatiorem Bipedalium belluarum carcerem traduxerunt. Mox dexteram ejus manum arripuerunt, ac super memorati stabuli præsepio celeriter absciderunt, vultumque & faciem suam vulneribus atque cruore, quemadmodum ipse antea in Vannem fecerat, turpiter deformiterque fœdarunt; ac per hunc modum ita saucium laceratumque confestim ad patrem & fratres remiserunt. Quem ut illi cæsa manu, saucio & laniato vultu, totumque cruore conspersum, & sanguine fœdatum conspicati sunt, dici non potest, quanto dolore quantisque cruciatibus angerentur.

Hanc enim nimiam, ut eis videbatur, ultionem usque adeò molestè tulerunt, ut è vestigio ad ulciscendum totis animi & corporis, quemadmodum dicitur, viribus præpararentur. Talis igitur tam ingens hujus præpotentis Familiæ dissensio tantum valuit, ut non modò Pistorium totam, cunctosque Pistorienses Cives & colonos, sed Florentiam quoque omnesque Florentinos, ac universam pæne Italiam, jactatis hinc inde pessimarum factionum seminibus, corrumperet. Quid pluribus verbis opus est? Hæc ægritudo, imò, ut rectiùs dixerim, hæc lepra, hæc tabes, hæc pestis adeò irrepsit, adeòque invaluit, ut mutatis repente Guelforum Gibellinorumque jam dudum inveteratis nominibus, *Albi* & *Nigri* ubique appellarentur. Sed quoniam in Guelforum & Gibellinorum mentionem incidimus fortè non alienum esse videbitur, si pro expressiori & evidentiori harum notitia rerum, unde talia, & tam infausta, ac tam perniciosa cognomina ab initio profluxerint, quosve progressus habuerint, paucis ab origine repetamus.

Guelforum & *Gibellinorum* nomina jamdudum ab ipso principio è Germania in Italiam provenisse, atque exinde per hunc modum originem traxisse perhibentur. Duo Magni Germaniæ Proceres, alter adversùs alterum, superandi & profligandi causâ, conjuraverant. Inter cetera utriusque Principis Oppida duo aliis longè nobiliora erant, quorum alterum ab altero possidebatur, unum Guelfum, reliquum Gibellinum appellabatur. Ut igitur indictis invicem bellis arma capere cœperunt, tanto odio tantisque simultatibus brevi post tempore processerunt, ut cunctos Germanos vel volentes ad celebre duellum allicerent, vel invitos & repugnantes attraherent. Alii namque uni, alii verò alteri favebant. Quid plura? Non multo post talia partium studia in Germania usque adeò invaluerunt, ut nullus Germanorum (mirabile dictu!) expers remaneret, qui non hujusmodi factionum desiderio aliquatenus haberetur. Ex quo factum est, ut qui Guelfo opitularentur, Guelfi; qui verò Gibellino faverent, Gibellini appellarentur. Nec solùm hujusmodi partium studia Germaniam, ut diximus, totam corruperunt, sed ubi in Italiam proruperunt, eam non secus quàm in Germania fecerant, passim hinc inde repentia, omnino ac penitus infecerunt. Nam quamquam pleræque dissensiones inter Summos Pontifices, Romanosque Imperatores, jampridem intercessissent, nataeque fuissent factiones duæ, una fautrix Pontificum Imperatoribus adversa, altera Imperatorio nomini omnino addicta, ob novam tamen prædictarum seditionum accessionem omnes Italiæ Populi bifariam partiti, ita in publica & aperta partium studia prodibant, ut detestandis Guelforum & Gibellinorum nominibus mirum in modum oblectarentur. Et quoniam altercatio quædam inter nonnullos Cives nostros habita, eosdem civilium discordiarum fluctus Florentiæ induxerat, quemadmodum commemorata Pistoriensium Civium contentio & rabies Pistorii pariter effecerat, non inutile fore putavimus, si pro demonstrandis multorum hominum levitatibus, novam illius dissensionis originem hoc loco paucis explicaremus.

Inter Bondelmontem Equitem Florentinum, ea tempestate in primis splendidum, & Obdonem Sifantem nobili genere oriundum, simultates quædam, & graviores inimicitiæ vigebant; nam utraque pars & suis, & amicorum & propinquorum opibus juvabatur; sed cùm unusquisque multis Familiarum clientelis niteretur, atque ad alterius ne-

necem pro viribus machinaretur, bonis tamdem quibusdam viris intercedentibus, ad concordiam & pacem convenere, quam, ut stabilior esset, affinitate nuptiisque firmarunt; nam Bondelmonti quamdam Obdonis ex sorore neptem matrimonio junxerunt. Res jam vulgata, & dies dicta erat ad nuptiarum solemnia peragenda. Hanc affinitatem nonnulli Bondelmontis fautores, utpote longè sibi imparem, vehementer carpebant. Itaque cùm ipse fortè per eos dies spatiandi gratiâ juxta Donatorum ædes equitaret, Matrona quædam, impudens certè, ac nimium procax, juvenem paulò audacius compellatum objurgare cœpit, quod longè nobilis imparem sibi genere formaque Uxorem accepisset. *Mox hanc equidem*, inquit, *tuis asservabam nuptiis*, filiam virginem formosamque ostendens. Percussere illico pectus celsioris Puellæ vultus, atque ita percussere, ut quasi furiis agitatus, ac maleficis incantationibus fascinatus, secunda vota prioribus nuptiis præferre non dubitaret. Unde postridie ad Matronam reversus, ejus filiam, primâ abdicatâ, Uxorem accepit. Quod Obdo, repulsæque Virginis parentes ac propinqui usque

A

B

adeò molestè tulerunt, ut injuriam illam tam vehementer, & tam contumeliosam nece & trucidatione Bondelmontis quoquo modo ulcisci constituerent. Quod paulò post fecerunt. Nec Paschatis solemnitatibus à nefaria generosi Equitis occisione abstinere potuerunt: tantis namque furoribus agebantur. Quocirca per hanc contumeliosam repulsæ Virginis abdicationem, atque per scelestam tanti & tam generosi Equitis occisionem universa Civitas variis ac diversis favoribus trahebatur. Nam Nobiles quique Cives partim Bondelmontibus, qui Guelfas, partim Lambertis favebant, qui Gibellinas factiones sectabantur. Itaque quemadmodum crudelis & inhumana generosi Equitis trucidatio diversa partium studia, parva adhuc & pæne languida excitavit, excitataque ita adauxit, ut universam Civitatem inficeret, sic vicissitudinaria hæc Pistoriensium Cancellariorum rixa ac dissensio & Pistorium, & Florentiam, & totam denique Italiam vehementer corrupit; & ita quidem corrupit, ut mutatis, quemadmodum supra diximus, *Guelforum* ac *Gibellinorum* nominibus, *Albi* & *Nigri* ubique appellarentur.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

INCI-

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

HActenus priori Libro multa ac varia præmisimus, quæ à primæva Etruscorum nostrorum origine per aliquot annorum millia ad Pistoriensium cunabula longius repetivimus, ac deinde usque ad infausta ista & infelicia memoratarum Partium studia deduximus. Quod idcirco fecimus, partim ut ea quæ scriberemus, ceu quodam vetustatis sale condita, digniora redderentur; partim etiam ut cetera, quæ multis post seculis facta fuerunt, ab illis antiquissimis & dignissimis rebus plurimum degenerasse viderentur, quemadmodum cunctis deinceps hæc nostra legentibus palàm & apertè demonstrabimus. Sed quoniam hæc detestanda, & execranda Albarum & Nigrarum partium studia omnium pæne Italicarum, nedum nostrarum, & domesticarum novitatum, quæ postea subsecutæ sunt, initium, causam, & originem fuisse constat, de hujusmodi cunctarum aliarum Factionum, ut ita dixerim, capitibus nonnulla, præsertim in principio hujus secundi Libri, ubi reliquorum fundamenta jaciuntur, clariùs & evidentiùs replicabimus.

Præpotentem Cancellariorum Familiam natis inter se dissensionibus in tantam insaniam ac rabiem in calce primi Libri prorupisse retulimus, ut præter frequentes hominum cædes, quas Factiosi quotidie machinabantur, cunctos Pistorienses, ac Florentinos Cives, & agrestes, hujusmodi Factionibus corrupisse videretur. Unde Florentini optimarum partium principes, Pistorienses eorum Amicos & familiares, & qui post prædictum Manfredi conflictum easdem Factiones sectabantur, in ultimum discrimen ob civiles dumtaxat discordias jam devenisse conspicientes, curam finitimæ ac benevolæ Civitatis non neglexerunt; veriti, si neglexissent, ne eorum amici Civitate pellerentur. Quippe Legatos è vestigio Pistorium miserunt, qui ad concordiam & unionem Cives exhortarentur; sed cùm tamdem nihil jam pridem obstinatis utrorumque animis proficere potuissent, Pistorienses, ut tanto Civilium discordiarum malo, si qua possent, aliquatenus mederentur, Cancellarios principes Factionum, antequam Legati è Pistorio recederent, in Florentiæ Urbem relegarunt. Relegati ubi Florentiam venerunt, variè à Civibus, ut diversæ eorum affinitates & amicitiæ erant, bifariam suscepti, pluribus sibi locis habitacula constituerunt; Nigri enim partim trans Arnum juxta Frescobaldorum, partim verò cis Arnum juxta Donatorum propinquorum & amicorum ædes habitarunt; Albi verò cis Arnum in Via Garbensi prope Circulorum, benevolorum & affinium domos commorabantur. Quid plura? brevi post tempore hoc pessimum rabidarum discordiarum semen non modò Pistorium non purgavit, sed quod longè pejus fuit, Civitatem nostram penitus & omnino infecit; homines enim Nobiles variis, ut diximus, hospitiis ab amicis & affinibus suscepti, diversisque favoribus sublevati, easdem vel majores incendii faces in Florentinam Urbem injecerunt. Nam ea labes primò ita Nobilitatem irrepsit, ut nulla domus paulò insignior remaneret, quæ non bifariam scinderetur. In Populares deinde, veluti tabes aliqua longius progressa, usque adeò exarsit, ut totam pæne Civitatem ejusque agrum corrumperet. Diversæ namque domus, diversæ familiæ, diversi denique fratres utriusque Partis fautores reperiebantur. Etenim Donatorum, Pactiorum, Bisdominorum, Bondelmontum, Gianfigliaziorum, Alliorum, Brunelliscorum, Caviciulorum familiæ, & pars Tosingorum cum reliquis complicibus, Nigris favebant. At versa vice Circuli, Adimares, Cavicciulis duntaxat exceptis, Abbates, plerique Tosingorum, Bardorum, Rubeorum, Frescobaldorum, Nerlorum, Manellorum, Gerardinorum, Bosticorum, Jandonatorum, Pilliorum, Vechiettorum, Arrigucciorum, Mazii, Scalii, Spinii, Cavalcantes denique omnes cum aliis quibusdam sectatoribus, Albis adhærebant. Has Nobiliores, & præpotentes Familias cuncti Populares, & universa plebs variè, ut cuique ingenium erat, bifariam sequebantur.

Per hunc itaque modum partita Civitas nostra ludis, magnificentiis, ac festivitatibus, solemnibusque conviviis, quibus hactenus operam navarat, finem imposuit, ac se ipsam totam ad seditiones & discordias convertit; atque postremò in tantam insaniam prorupit, ut ad prœlia & vulnera, & Civium exilia prosiliret. Etenim inter cetera diversarum Partium facinora uni Circulorum, cui Ricoverino nomen erat, in rixa juvenum coorta nasus abscinditur; & Cursius postea Donatus unà cum Sinibaldo ejus fratre, Rubeo Tosa, Giachinotto Pactio, Gerio Spina, cunctis nobilitatis suarum familiarum Equitibus ac principibus, & pluribus aliis proximis & agnatis, Nigrorum fautoribus, in agrum Perusinum relegantur. Pistorienses quidam paulò prudentiores & graviores viri, non multo post hanc Cancellariorum relegationem cùm parum vel potiùs nihil in relegandis Civibus suis, reliquis earundem factionum complicibus diversa & contraria sentientibus, antea profecisse intelligerent, ac per hoc Civitatem suam in manifestam ruinam atque certam perniciem actutum ruituram esse cernentes, nisi celeriter providerent, de salubri quodam ejus remedio cogitabant. Inter cogitandum verò nullus salubrius occurrebat, quàm si Florentino Populo liberam Civitatis dominationem per aliquot annos concessissent: quod etsi suæ Reipublicæ utile fore censerent, ad id tamen studio Partium faciliùs trahebantur, rati si ita fieret, ut Alborum favore, qui tunc Nigris exactis Florentiæ dominari videbantur, diversæ factionis homines ex ipsa Pistorio pellerentur; illi enim prudentes & graves Cives Albis adhærebant. Unde ordine dato, ut concio congregaretur eo modo & forma, quæ usque ad tempora nostra de Pistoriensium more servatur, proposi-

positum, & consultum, ac tandem decretum fuit, ut Florentinis libera Civitatis dominatio per triennium traderetur. Quo facto Legatos talibus & hujusmodi tradendæ Urbis commissionibus Florentiam miserunt. Florentini hanc Pistoriensium legationem læti & alacres susceperunt, ac benignè admodum audiverunt; mox susceptâ liberè, ut ab Oratoribus tribuebatur, Civitatis dominatione Præsidem, ac Prætorem duos Cives suos delegerunt, qui & Urbem custodirent, Civitatemque regerent. Hi toto gubernationis suæ tempore Albos semper, Nigris oppressis, ad omnes dignitatis gradus extulerunt. Duobus deinde illis functis muneribus suis, Andream Gerardinum Equitem Florentinum, virum per ea tempora magnæ in Republica auctoritatis, unum solum substituerunt. Andreas paulò post quàm Civitatis curam suscepit, ut erat Florentiæ Albarum partium, sic Pistorii eam Factionem avidè complexus, Baschieram Rubeum Equitem Pistoriensem, & quosdam alios adversariorum Principes, formatis capitalibus processibus, per publicos nuntios citari fecit. At illi, quamquam citati essent, susceptorum tamen armorum formidine (Cohortem enim Prætoriam unà cum quibusdam aliis peditibus arma capere jusserat) comparere non audentes, exilio atque proscriptione bonorum damnati sunt; domusque eorum incensæ. Nec his contentus magna comparatorum militum manu in Nigros usque adeò desævit, ut post impiam quamdam nonnullorum hominum trucidationem omnes familias Populares & generosas illius Factionis sectatrices pluribus calamitatum generibus afficeret. Nam & Teditios, & Siniboldos, & Rubeos, & Terbetellos, & Lazarios, & Ricciardos, partim necibus, partim exiliis & incendiis multum admodum afflixit. Inter cetera enim ædificia, quæ combusta narrantur, maximum quoddam Urbanorum omnium Palatium fuit, quod Cancellariorum Nigrorum erat, & Damiata dicebatur.

Per hunc igitur modum Albi, Nigris ex Urbe depulsis, soli dominari videbantur. Ea tempestate Bonifacius Octavus Romanæ Ecclesiæ præsidebat, ad quem Cursius Donatus Eques Florentinus, è Florentia studio partium jam antea relegatus, supplex auxilii petendi gratiâ confugerat, ac ejus prudenti gravique consilio Summus Pontifex paulò post plurimum utebatur. Cursius Nigrorum è Pistorio, ubi aliquot ante annos Prætor fuerat, relegatione audita, Bonifacium Pontificem hortabatur, ut à Carolo tunc Francorum Rege Carolum quemdam Valesianum ejus fratrem cum magnis Gallorum copiis Ecclesiasticis sumtibus peteret, ut in Italiam veniret. Unde Pontifex Cursii consilio usus, Oratores ad Carolum Regem hujusmodi postulationibus destinavit. Carolus Pontificalium Legatorum petitionibus acquiescens, alterum Carolum ejus fratrem, ut ab eo petebatur, ad Pontificem misit. Is magna equitum peditumque manu via Bononiensi versùs Pistorium contendit. Quod ubi Albi Pistorienses præsenserunt, Urbem totam, arces, & mœnia, finitimaque eorum Oppida multis custodibus, plurimisque armorum generibus egregiè admodum munierunt. Quo facto Oratores ad Carolum miserunt, ut Urbem ingrederetur, etiam atque etiam rogantes. Ille verò, ceu Vir prudens & cautus, præparatarum munitionum non ignarus, ne conceptam suspicionem augeret, ingredi recusavit, licèt ad Pontem usque cognomine Longum, mille circiter passus à Pistorio distantem, perveniret. Carolo igitur sic prope Urbem transeunti multi Nobiles ac Populares Cives cum plerisque adolescentibus gratulabundi equestribus ludis obviam fuerunt; sed cùm in Bugiano eadem die hospitaretur, factum est ut magna Nigrorum manus ad eum conquerendi gratiâ concurreret. Paucos deinde dies ibidem commoratus, versùs Ananiam Campaniæ Urbem, ubi ea tempestate Pontificalis Curia residebat, iter arripuit. Ibi à Bonifacio benignè & honorificè susceptus, paulò post cum magnis militum copiis Florentiam mittitur, ut Albis, quasi ubique per totam provinciam dominantibus, adversùs quos Bonifacius non parvam indignationem susceperat, aliquatenus repugnaret. Ut igitur Florentini hunc Carolum cum ingentibus copiis versùs Florentiam contendere intellexerunt, varias de adventu ejus consultationes, variaque consilia habuerunt. Talis enim tantarum copiarum adventus Albis propterea molestissimus erat, quoniam soli, pulsis ex Urbe adversariis, dominabantur, atque unamquamque rerum innovationem sibi & statui suo periculosam fore arbitrabantur. Ob summam tamen Pontificis simul, atque Regiæ Domus venerationem, obviare ac resistere verebantur. Unde qui Rempublicam gubernabant, multis hinc inde rationibus adductis, eum in Urbe recipere, quam repellere satius esse existimarunt; atque præcipuè responsionibus ejus ad receptionem faciliùs movebantur, quoniam Legatis ad eum prope Stagiam accedentibus, se pacis componendæ gratiâ venisse responderat. Quocirca ipsum demum adventantem receperunt, atque ingredientem magnificis eum honoribus, Magistratibus, & Sacerdotibus cum solemnibus sacris obviam euntibus, & juventute ludicra equorum hastiliumque exhibente, generosè admodum prosecuti sunt.

Per hunc igitur modum Carolus Florentiam ingressus, paulò post concionem advocari jussit, quæ magno hominum numero Prioribus, Prætoribus, & Civitatis Episcopo convenientibus, cum plerisque Nobilibus, Civibus, & omnibus Populi Consultoribus in novella Beatæ Mariæ Basilica congregata est. Ibi coram omnibus se pacis causa venisse confirmavit; quod ut faciliùs perficere posset, liberam sibi potestatem per Populum concedi oportere suasit. Id postquam promissum fuit, se rectè pacatèque, jure jurando præstito, sinè cujusquam injuria auctoritatem illam mendaciter, ne dicam falso, habiturum esse prædixit. Nam suscepta publica potestate milites ejus armati prodibant, cùm antea inermes essent. Hæc armorum innovatio repentina & insueta speciem Tyranni, magis quàm Principis, tribuere videbatur. Proinde exortis suspicionibus confestim arma suscipiuntur, ac diversi hinc inde tumultus concitantur. Cum his igitur & hujusmodi tumultibus tota Civitas involveretur, Cursius Donatus, qui Carolum clanculum

culum sequebatur, postridie captata temporis opportunitate cum quibusdam complicibus suis ea parte ad Urbis mœnia pervênit, qua recto tramite ad Fæsulas itur, atque amicorum & clientum ope fractis foribus Urbem ingreditur. Ingressus verò mox ad publicos & Prætorios carceres contendit, quibus adapertis, relaxatisque captivis, è vestigio ad Priorum ædes decurrit, eosque Potestate publica exutos de alto dignitatis gradu in privatam formam redegit. Deinde ubi necibus, direptionibus, facibus, & incendiis intra extraque Urbem omni genere cladis adversùs Albos satis diuque sævitum fuit, tamdem ipsi Civitate privati exularunt, in quorum numero Dantes Poëta exilio damnatur. Quo facto Carolus quinque circiter menses Florentiæ commoratus, demum exinde recessit, sive ut in Siciliam trajiceret, sive ut in Pistorienses Albarum partium fautores, jam ob mutationem status à Florentinis deficientes, priùs impetum faceret, quàm in Siciliam proficisceretur, ut variè à diversis Scriptoribus literis mandatum fuisse novimus: quod Florentinorum ac Lucensium ope favoreque adjutus ita fecit, ut & Casale, & Momagnum, & cuncta alia Pistoriensis agri loca usque ad Pistorii Urbem popularetur ac vastaret. Quibus peractis versùs Florentiam contendens in Siciliam trajecit.

Proxima dehinc æstate Florentini ac Lucenses principes factionis, conjunctis in unum copiis adversùs Pistorienses conjurarunt, ac Pistorium propterea obsederunt, quoniam Albi pulsis, ut supra docuimus, adversariis Urbem tenebant. Inter obsidendum verò bellum ab exulibus in superioris Arni regione tumultuosiùs concitatur. Unde copiæ, quæ Pistorium obsidebant, relicta confestim obsidione versùs tumultum traducuntur, à quibus non modò hostes pelluntur, verùm etiam Castellum quoddam, quod Travigne nuncupatum fuerat, cum ingenti inclusorum jactura recuperatur; pluribusque aliis rebus prosperè ac feliciter gestis, victrices Florentinorum copiæ Florentiam rediere. Altero deinde anno Florentini, & Lucenses conjunctis inter se copiis, nova rursus Pistorium obsidione cinxerunt. At verò cùm Pistorienses & mœnia Urbis egregiè tutarentur, & fortunam prœlii tentare nollent, utriusque exercitus ductoribus placuit, ut vastatis priùs finitimis agris ad Serram Castellum veniretur, quòd tametsi à custodibus pluribus, & fortibus viris aliquandiu generosè admodum defenderetur, ad extremum tamen, non viribus, sed fame & inopia frumenti expugnatur. Proximo deinceps anno Florentini Montale Castellum astu & dolo, proditioneque Oppidanorum, pecuniâ proditoribus promissâ, susceperunt; quod mox ut in ditionem suam redegerunt, non modò ad solum usque everterunt, sed etiam magnam ejus campanam Florentiam detulerunt, quam super Turrim Prætoriam idcirco statuerunt, ut pro Nuntiis pulsaretur, atque eam quòd à Montali ablata fuerat, idcirco Montaninam vocaverunt; ac vetus illud cognomen, quamquam postea quodam Castruciano prœlio de Florentinorum more delata frangeretur, rursus tamen conflata usque ad tempora nostra perdurat.

Non multo post Lucenses, quos unà cum Florentinis adversùs Pistorienses conjurasse diximus, magna equitum peditumque manu in Alpem Pistoriensem (Montaneam vulgato verbo appellant) impetum fecerunt, atque è regione ad Popilium castra posuerunt. At Pistorienses de Lucensium adventu à Popiliensibus certiores facti, eisque succurrere & opitulari cupientes, statim magnum militum præsidium ad Popilium miserunt. Lucenses verò, acceptis novis ex Luca gentibus, duo castra duobus locis ita metiebantur, ut commeatus ad Pistorienses venturus usquequaque impediretur. Quocirca Pistorienses, commorari ulterius non valentes, impedimentis omnibus relictis, noctu insalutato, ut dicitur, hospite Pistorium reverterunt. Quod ubi postridie Lucensibus innotuit, castris hostium direptis ac combustis, mox Popilienses adoriuntur. Illi verò cùm se se à Pistoriensibus desertos fuisse conspicarentur, nec amplius defendi posse considerent, fugâ saluti suæ consuluerunt, atque Castellum hostibus reliquerunt. At Lucenses Popilio capto, necessariisque omnibus præmunito, adversùs alia prædictæ Alpis Castella arma moverunt, quæ omnia facilè nullis resistentibus in ditionem suam redegerunt, ac postea Lucam cum victricibus copiis velut triumphaturi redierunt. Non multo post Legatos Florentiam miserunt, ut adversùs Pistorienses jam amissione Alpis suæ admodum debilitatos juxta initam nuper confœderationem belligerarent. Florentini Lucensium legatione benignè suscepta, ac perhumanè audita, magnas equitum peditumque copias versùs Pistorienses traduxerunt; idem & Lucenses pro viribus fecerunt. Unde duo castra diversis locis posuerunt. Lucenses enim ad Bonellam Pontem, duo circiter millia passuum ab Urbe distantem, Florentini verò non longè ab eis castrametati sunt. Per hunc igitur modum toto pæne mense in vastandis circumquaque agris consumto, Serram Castellum obsederunt, quod paulò ante à Lucensibus defecerat. Longa & diuturna hujus Oppidi obsessio fuit. Nam Oppidani hostibus undique oppugnantibus egregiè admodum repugnabant. Ad extremum cum fame premerentur, ut abire absque molestia liceret, convenerunt, Castellumque obsidentibus dimiserunt. Pistorienses itaque amissis pæne omnibus eorum Castellis ad Lartianum custodiendum, quod reliquum erat, cunctis animi & corporis viribus ita intendebant, ut nisi Lucenses singulari quadam & egregia nonnullorum Oppidanorum proditione usi fuissent, profectò numquam in eorum ditionem redegissent. Sed tanta & tam ordinata eorum Oppidanorum proditio fuit, ut totum, excepta dumtaxat arce, facilè caperent. At arcis custodes viri fortes statim de amissione Oppidi Pistoriensibus significaverunt. Illi certiores facti, & obsessis opitulari cupientes, magnam quamdam equitum peditumque manum subitò compararunt, atque adversùs obsessores contenderunt. Verùm Lucenses, ubi Pistoriensium adventum præsenserunt, obviam eis repente fuerunt, structisque aciebus superarunt; ac paulò post arcem custodibus vacuam susceperunt.

Florentini deinde, ac Lucenses, reductis in patrias suas victricibus copiis, atque parum domi requietis gratiâ commoratis, nova rur-

rursus inter se fœdera inierunt, & contra Pistorienses propterea conjurarunt, quoniam ex omnibus totius pæne Etruriæ Civitatibus, præterquam ex sola Pistorio, Albi expulsi & exacti fuisse videbantur. Huic bello ducem quemdam maximæ auctoritatis præficere cupiebant. Proinde ad Carolum Primum Apuliæ Regem Oratores miserunt, ut Robertum ejus primogenitum inclytum Calabriæ Ducem in Italiam transmitteret. Quo à Rege facilè impetrato, prædictus Robertus jussu Regio cum aliqua equitum manu in Etruriam venit, atque cum magnis quibusdam plurium Collegatorum auxiliis (sic enim à sociis Civitatibus ante statutum erat) confestim Pistorium obsidere cœpit. Itaque Florentini & socii variis & diversis locis castrametati, ubi finitimum agrum hinc inde populati sunt, Urbem obsidione cinxerunt. Ab his verò, qui intus erant, egregiè ac fortiter resistebatur. Quamobrem longiorem obsidionis moram futuram rati, vallis ac fossis obsessos circumdarunt, castellisque & turribus ita undique muniverunt, ut nemo ingredi egredive posset. Crebra quotidie prœlia inter mœnia Urbis fossasque committebantur.

Dum ea apud Pistorienses gerebantur, Clemens Quintus Summus Pontifex, qui Benedicto nuper defuncto Bonifacii Successori in Pontificatu successerat, suasionibus Nicolai Pratensis Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, duos simul Legatos componendæ pacis gratiâ in Etruriam misit. Legati delecti Guilielmus, & Pilifortes, non parvi memoratæ Ecclesiæ Præsules, quatuor circiter mensibus exactis, postquam obsidio cœpta erat, in castra venerunt. Mox Pontificis literas Roberto exercituum Principi reddiderunt; quarum exordium cùm fortè ad manus nostras pervenisset, hujusmodi fuisse comperimus. *Clemens Episcopus Servus Servorum Dei carissimo in Christo filio Roberto primogenito carissimi in Christo filii nostri Caroli Hierusalem, & Siciliæ Regis, Illustri Calabriæ Duci salutem & Apostolicam benedictionem*, & reliqua hujusmodi. Has Pontificis literas cùm parum vel potiùs nihil profuisse intelligerent, paulò post interposita Pontificali auctoritate, Roberto Duci totique exercitui edixerunt, uti ab armis discederent, obsidionemque relinquerent: quod si facerent, gratissimum quiddam omnipotenti Deo ejusque Vicario facturos non dubitarent; sin minus, contra ipsos anathemata & interdictionem sacrorum, & gravissimas censuras se se prolaturos intelligerent. Robertus Legatorum sententiæ acquievit. Ceteræ quoque Civitates sociæ & confœderatæ, longiorem militiam veritæ, oblata sibi magna recedendi occasione, ab inceptis destiterunt, atque abeuntes obsidionem dimiserunt. Florentini dumtaxat, Lucensesque, propterea in obsidione remanserunt, quoniam hujusmodi Legatorum comminationes ex adversariorum suorum procuratione provenire cognoscebant. Cùm igitur Legati duos commemoratos Populos obsidionem ab initio cœptam obstinatis mentibus persequi conspicarentur, nec dicto Pontificis parebatur, in Florentinorum Lucensiumque Præsides anathematis sententiam tulerunt, atque eorum Civitatibus sacris interdixerunt.

Robertus ergo relicta apud Pistorium maxima parte equitantium, quos veniens secum in Etruriam duxerat, ipse tenui comitatu in Provinciam primò, deinde in Galliam transiit. Sed cum multis post annis Patri in Regno succederet, ac damnorum, quæ hac tempestate Pistoriensibus intulerat, memor esset, pœnitentiaque duceretur, eorum à Pistoriensi Populo absolutionem atque remissionem per literas postulavit, ac magna quadam consultorum unione concordiaque & ingentibus suffragiis obtinuit. Legati verò re infecta Romam ad Pontificem redierunt. At Florentini, & Lucenses in obsidione pertinaciter obdurantes, Urbem in dies arctius premebant; sed ne milites longioris militiæ tœdio afficerentur, ita vicissim mutabantur, ut novi veteribus, & integri debilitatis fessisque succederent. Quod ut facilius fieri posset, Florentini veteres imponendorum tributorum Magistri, onus quoddam universale viritim Civibus suis imposuerunt, ut quicumque in expeditionem fortè delectus profectionem recusaret, hujusmodi tributum solvere teneretur, quòd vulgato verbo *Segam* nuncuparunt. Id nomen quia usque ad tempora nostra celebre perdurasse conspicimus, propterea silentio præterire noluimus. Protracta igitur in hunc modum undecim circiter integros menses obsidione, ac necessariis jam deficientibus, tamdem Pistorienses longitudine belli, & obsidionis diuturnitate oppressi, domantur, ac per hunc modum in potestatem Florentinorum & Lucensium pervenere. Quo facto Florentini, & Lucenses mœnia Urbis undequaque diruerunt, fossas compleverunt, atque agrum & regionem ita inter se partiti sunt, ut alteri cuncta ab Oriente, alteri verò ab Occidente omnia possiderent; Urbi deinque afflictæ & semirutæ communiter imperarent. Atque idcirco duos Præsides, alterum Florentinum, alterum Lucensem, qui gubernationi Civitatis præsiderent magnis cum salariis, Pistorium miserunt. Hæc Alborum Pistoriensium debellatio tanti à Florentinis, ac Lucensibus facta est, ut utriusque exercitus ductores triumphantium more Florentiam, ac Lucam ingrederentur. Philippo deinde Vergellensi Equite Pistoriensi unà cum cunctis ejus cognatis ac consortibus, & gentilibus, & omnibus Albarum partium fautoribus Urbe depulsis, noviter de Nigris acerrimis eorum adversariis Civitatis statum reformarunt; ac paulò post turres, arces, & magna Alborum palatia diruerunt, & usque adeò diruerunt, ut longè major talium ædificiorum ruina fuisse putaretur, quam ea, quæ ab Albis, sic variante fortuna vices, adversùs Nigros facta antea fuerat. Primi Præsides fuerunt pro Florentinis Pazinus Pazius Eques. Pro Lucensibus verò Dominus Lippus Caratella.

Non multo post Albi, qui Urbe depulsi sese in Pitecium confugiendi causâ contulerant, tanto hominum numero convenerunt, ut nonnumquam diripiendi gratiâ Pistorium invadere auderent. Quod Pistorienses usque adeò molestè ferebant, ut auxilii petendi gratiâ missis Florentiam & Lucam Oratoribus, præsidium militum utrinque impetrare meruerint. Rainerius Bondelmontes Eques Florentinus fortè ea tempestate Pistoriensium Prætor (nam Pazino in Prætura successerat) ejus belli Dux deligitur. Is magna militum manu

manu raptim comparata, præsidioque Florentinorum, & Lucensium suscepto, versùs Pitecium iter arripuit, atque Castellum obsidere cœpit. Oppidani verò, licèt primò ab hostibus oppugnantibus sese egregiè defenderent, cùm deinde auxilii viam undique interclusam esse intelligerent, ac iam fame urgerentur, Oppido relicto ad Sambucæ Arcem, quæ in Apennino sita est, incolumes confugerunt. Pistorienses itaque, Castello per hunc modum suscepto, victores læti & alacres in patriam remearunt; fugitivi verò, qui sese, ut diximus, in Sambucæ arcem contulerant, quemadmodum Pitecii antea fecerant, sic nunc ex arce quotidie egredientes multa & varia damna Pistoriensibus inferebant. Sed cùm Philippus Vergellensis Eques Pistoriensis fugitivorum princeps, Vir prudens & cautus, hæc & hujusmodi à suis diutius fieri non posse animadverteret, cum Rainerio copiarum ductore ita convenit, ut commemoratam Sambucæ arcem, acceptis undecim librarum millibus, Pistoriensibus traderet.

Prima Florentinorum Lucensiumque in Pistorienses imperia ita iniqua, itaque sæva & inhumana esse videbantur, ut æquo animo ferri ac tolerari non possent. Sed Lucensium longè sæviora erant. Proinde universus Pistorii Populus, magna quadam indignatione adversùs Lucenses commotus, electionem Toniuccii cujusdam Sandonis Scribæ, ut Urbi præsideret, ferre non potuit; sed quasi fato quodam ac divina providentia agerentur, ad adventum prædicti Præsidis designati, altis vocibus magnisque vociferationibus clamabant: *proficiscamur, atque Urbem nostram muniamus.* Unde omnes utriusque sexus cujuscumque ætatis pro viribus certatim ad mœnia & fossas muniendi & purgandi gratiâ concurrebant: quo viso Toniuccius non cunctandum ratus, versùs Lucam iter assumsit. At Lucenses de Civis sui repulsa certiores facti, multis raptim comparatis militibus, novisque delectibus ad Pistorium ulciscendi gratiâ celeriter contenderunt. De quo Pistorienses admoniti, arma corripiunt, armatique populariter Lucensi porta egressi hostibus promti & alacres obviam prodibant. Verùm Lucenses versùs Pistorium, quemadmodum diximus, contendentes, ad Pontem cognomine Longum castra posuerunt; quo nonnulli Cives nostri, qui eo tempore Pistorii commorabantur, concordiæ faciendæ causâ venerunt. Hi cum Lucensibus ita egerunt, ut retro castra moverent; atque hoc ipsum Pistorienses, ut sese à Lucensibus defenderent, favore Florentinorum adjuti faciliùs fecisse videntur. Lucenses enim paulò ante ad delendum funditus Pistorium Florentinos provocare & irritare non desistebant. Florentini verò Lucensium iræ non modò consentire recusabant, sed Pistorienses etiam ad defensionem suam multum admodum exhortabantur. Ita Pistorienses demto Florentinorum metu, non viri solùm, sed fœminæ quoque, & pueri, & Religiosi, omnis denique sexus atque ætatis homines die noctuque quisque pro viribus certatim assiduis operibus incumbebant, fossas purgabant, Urbis mœnia semiruta reficere conabantur. Unde hac tanta diligentia tantoque labore ita Urbem munierunt, ut eam ab oppugnantibus Lucensibus, qui paulò post infestis exercitibus reverterunt, egregiè admodum defenderent. Ac per hunc modum Pistorium è Florentinorum & Lucensium servitute in pristinam eorum libertatem redegerunt, suique juris effecerunt.

Pistorienses paulò post Legatos ad Senenses miserunt, orantes, quatenus lites suas cum Lucensibus componerent. Senenses Pistoriensibus morem gerere ac gratificari cupientes, egregios Oratores hujus rei gratiâ delegerunt, atque cum magna ornatorum juvenum manu Lucam destinarunt. Lucenses suasionibus Oratorum auditis, omnes suas cum Pistoriensibus lites eorum virtutibus commiserunt. Unde cum hujusmodi mandatis & commissionibus Pistorium reversi, quod Lucæ effecerant, Pistorienses admonuerunt. Proinde concione advocata, variæ & diversæ consultorum sententiæ dicebantur. Erant namque, qui compositionem faciendam palàm & apertè inficiarentur; & versa vice non deficiebant, qui concordiam multis rationibus suaderent. Sed cùm diutius quod agendum esset hinc inde consultaretur, tamdem vicit sententia eorum, qui compositionem suadebant; eaque de causa nova quædam inter Cives nata est divisio ac dissensio. Ex principibus enim eorum, qui compositionem faciendam esse negarent, Cancellarii ob novitates post eorum relegationem Florentiæ subsecutas in Patriam reversi, Tavianique; qui verò suadebant, Ricciardi, Lazarii, Tedicii, Rubei, & Siniboldi in primis ferebantur. Itaque Senensium Oratores, accepta à Pistoriensibus componendi, ut eis videbatur, auctoritate, Lucam iterum contenderunt; auditisque particularibus Lucensium postulationibus, rursus Pistorium reverterunt; atque in hunc modum sententiam tulerunt: Ut vallum omnino sterneretur, stratumque auferretur, utque infra octo dies refici & reædificari non posset; atque ut Pistoriensibus Prætorem, quemadmodum eis videretur, eligere liceret, modò Civis Lucensis esset. Et eodem modo Præses è Florentinis Civibus eligeretur. Latâ sententiâ, Pistorienses illico vallum resciderunt, quòd post octo dies, ac fortiùs solito refecerunt. Senensium Legati, litibus compositis, Senas redierunt.

Nova, ut diximus, orta ex prædicta conventione inter Pistorienses Cives discordia ac dissensione, Taviani cum Lucensibus adversùs intrinsecos Pistorienses sentire & conspirare cœperunt: quod ubi illi resciverunt, confestim arma sumserunt, atque Tavianos Urbe expulerunt. Expulsi ad suam quamdam Simonis Apostoli Basilicam Urbi proximam confugerunt. Exactis Tavianis, multi eorum amici, & familiares in Civitate remanserant, qui ejus Familiæ exactionem æquanimiter ferre non poterant. Proinde captato tempore opportuno arma corripuerunt, ut eos in Urbem reducerent. Adversùs ipsos Tavianorum amicos & familiares, quatuor illæ præpotentes Familiæ resistendi gratiâ insurrexerunt: utrinque egregiè pugnatum fuit. Ad extremum Tavianis, qui de impetu suorum certiores facti, cum eorum Amicis ad fores concurrerant, non sinè multorum trucidatione fractis fugatisque, quatuor illæ Familiæ superiores evaserunt; & ita superiores fuerunt, ut omnes Tavianos & Cancellarios, eorumque complices & sequaces pellere auderent. Cùm ergo per has quatuor Familias, velut cete-

ceteris longè potentiores, universa Civitas gubernaretur, factum est, ut inter Tedicios & Lazarios de prælatione ac potentia nonnulla dissensio oriretur, quæ in dies ita invaluit, ut inter Ormanum Paccianensis Monasterii Præsulem, & Vannem Lazarium Equitem, alterum alterius Familiæ principem, maximæ simultates atque ingentes inimicitiæ nascerentur; tantoque odio invicem agebantur, ut vicissim alter de occisione alterius quotidie cogitaret. Per hujusmodi tam acrem & tam acerbam harum duarum ea tempestate principalium Familiarum dissensionem ac discordiam, Pistorienses Roberto jam Apuliæ Regi, quem inclytum Calabriæ Ducem, dum Carolus Pater viveret, fuisse diximus, liberam Civitatis donationem tribuerunt. Id ubi Robertus intellexit, Nobilem quemdam Virum ejus Vicarium Pistorium transmisit, ac per hunc modum totam Civitatem aliquot annos gubernavit. Quod Florentinis quoque, Lucensibus, & Pratensibus contigisse legimus, ut singuli Robertum memoratarum Civitatum Dominum publicis Populorum suorum decretis constituerent, ac metu ac formidine Henrici Imperatoris, qui magnis & infestis exercitibus nuper in Italiam venerat, per publicos Legatos Petrum Regis Fratrem in eorum favorem obtinuerunt, atque cum ingenti equitum peditumque præsidio in Etruriam evocaverunt.

Per hæc Millesimi Trecentesimi Tertii Decimi tempora, Uguccio quidam Fagiolanus, rei militaris peritissimus, Pisarum ac Lucæ duarum præpotentium Civitatum dominatione suscepta, principibus Albarum partium favebat. Unde Albi magnis Uguccionis, & sociorum viribus adjuti, tantos adversùs Nigros Pistorienses, qui ea tempestate Rempublicam gubernabant, impetum fecerunt, ut nisi detecta fuisset proditio quædam, quam Uguccio cum nonnullis perniciosis Pistorii Civibus, & cum aliis quibusdam nocturnis custodibus tractabat, Pistorienses ea tempestate sese pessimè habuissent; sed detecta, ut diximus, proditione, Fagiolani conatus ad nihilum reciderunt. Unde statutum est, ut ea detectionis die, quæ fuit decima Decembris mensis Millesimi Trecentesimi supra Quatuordecimum annum, Beatæ Eulaliæ festum in majori Civitatis æde ad perpetuam tantæ rei memoriam quotannis celebraretur. Florentini verò jam nimiam Uguccionis potentiam formidantes, Philippum Tarenti Principem Roberti Regis Fratrem ad sese accersiverunt. Atque cum eo, & cum Carolo filio, & cum quingentis suis equitibus, & cum aliis quibusdam copiis, & Florentiam applicuerunt, confestim ad Catinum, quod ab Uguccione eo tempore obsidebatur, opitulandi gratiâ contenderunt. Transgressi Pistoriensem agrum, ubi in conspectum hostium venêre, castra non longè ab hostilibus castris posuere. Uguccio, licèt primò satis fecisse existimaret, si suos in monitionibus contineret, atque contra tantos hostium conatus in obsidione persisteret, pugnare tamen postea coactus, ita egregiè fortiterque pugnavit, ut hostes structis aciebus mirabiliter superaret. Prœlium diu anceps ac periculosum, cruentumque fuit. Ad extremum Uguccio interemtis pluribus Nobilibus viris, in quibus Petrus Regis Frater, & Carolus ejus Nepos Philippi filius, desiderati sunt, superior evasit. Nec Uguccio incruentam victoriam reportavit. Nam inter ceteros Franciscus ejus filius major natu, cùm in hoc prœlio Antesignanus præesset, & multi alii occubuerunt. Qui verò obsidebantur, hostium victoriam, ac suorum profligationem cernentes, statim Catinum victoribus tradiderunt. Non multo post hunc tantum Florentinorum conflictum, Vintium, & Cerretum, & quædam alia eorum Oppida ab ipsis defecerunt, & Pistorienses quoque refectis mœnibus solemniores quosdam Oratores Florentiam miserunt, orantes ut Castella & loca, quæ ipsi ab eis antea abstulerant, reddere & restituere placeret. Quod Florentini super postulationibus Pistoriensium, consiliis de more habitis, libenter consenserunt, atque omnia sua illico restituerunt. A Roberto deinde Apuliæ Rege Novellum quemdam Andriæ Comitem cum ducentis equitibus impetrarunt, ut gentibus suis præesset, cui quatuor circiter menses in Præfectura commorato Robertus, ut Florentinorum petitionibus obsequeretur, Guidonem quemdam Battifollensem substituit, ejusque Vicarium Florentiæ constituit. Ac per hunc modum sese, suaque à magna Uguccionis potentia usque ad ejus ruinam egregiè admodum protexerunt. Sed antequam Petrus Regis Frater ad Catinum quemadmodum diximus, occideretur Cancellarios & Tavianos cum quatuor illis prepotentibus Familiis benivolè & amicè reconciliatos in Urbem reduxerat.

Postquam verò in Uguccionis mentionem incidimus, necessarium fore videtur propter Castrucciana bella, quæ postea subsecuta sunt, ut paucis explicemus, quemadmodum Pisarum, & Lucæ duarum illarum nobilium Civitatum dominatio ab Uguccione ad Castruccium devenerit. Castruccius erat juvenis Lucensis apprime Nobilis, & generosa Interminellorum Familia oriundus, pulchro validoque corpore, ac manu audaciaque primarius. Hunc Uguccio, dum Lucæ esset, ob nonnullorum suorum hostium trucidationem, quam in agro Lucensi antea perpetraverat, in carcerem truserat, de eo opportuniori tempore supplicium sumturus. Proinde Pisas auxilii ducendi gratiâ è vestigio contendit: unde cùm paulò post non sinè magno quodam militum præsidio versùs Lucam reverteretur, factum est, ut à Pisanis adversùs eum jam absentem populariter arma corriperentur. Idem eodem pæne tempore (mirabile dictu) à Lucensibus factum fuisse perhibetur. Proinde cùm neutrobique esset, triennio ferè quo Pisanis præfuerat, multis ac claris rebus gestis ad extremum tamquam fortunæ ludo jactatus, una atque eadem die (incredibile dictu) utriusque Civitatis imperium amisit. Castruccius primò post Fagiolanum ejectum, dominationibusque privatum, vinculis solvitur, atque è carceribus liberatur. Mox gerendis bellis Præses Lucensium deligitur, ac non multo post ductor exercituum, quibusdam victoriis habitis, solus Civitatis dominium obtinere promeruit. Castruccius igitur per hunc modum Lucæ dominationem nactus, & amplificandi Imperii cupidus, contra Florentinos repente arma commovit, à quibus veteri quodam liberorum populorum more ac consuetudine,

A ne, velut incautis, & interoſcitantibus Capianum, & Falconium, & plura alia ejus regionis Caſtella arripuit, atque eodem impetu cuncta uſque ad Emporium populandus vaſtavit. Florentini his & hujuſmodi injuriis à Caſtruccio laceſſiti, dum ipſe paulò poſt adversùs Januenſes prœliarentur, in agrum Lucenſem vaſtandi & populandi gratiâ armatis militibus contenderunt, cujus rei terrore Caſtruccius commotus, Januenſes relinquere, & Lucam, ut inde Florentinos repelleret, remeare conſtituit. Quod paulò poſt ita fecit, ut eos retro caſtra movere atque Florentiam redire compelleret, ac per hunc modum contuſis aliquatenus Florenti-B norum viribus, adversùs Piſtorienſes animum adjecit. Florentini Caſtruccii potentiam ferociamque timentes, futuræ ejus magnitudini, quoad poterant, reſiſtebant. Unde non immeritò ambigentes, ne Piſtorienſes quotidianis ejus incurſionibus agitati, tamdem aliquando manus darent, atque ad extremum ſuccumberent, Guilionem quemdam ſtrenuum virum, & rei militaris per ea tempora periſſimum, cum multis equitibus in favorem Piſtorienſium miſerunt. Is ubi Piſtorium cum ſuis applicuit, ut Caſtruccio quotidie per agrum Piſtorienſem undique populabundo refragarentur, cum eo ſæpenumero pugnabat, atque feroces ejus impetus aliquatenus retundebat. Tanta tunc erat Caſtruccii C potentia, tantaque ſolertia & ferocia, ut pæne ſinè intermiſſione per agrum Piſtorienſem hinc inde diſcurreret, ac pleraque popularetur.

Quid plura? Agricolæ, & coloni ita eum extimeſcebant, itaque ejus nomine terrebantur, ut plurimi pagi, & pleræque Villæ ſe ſe, libertatemque, & ſecuritatem ſuam, certa pecuniæ quantitate quotannis ſolvenda redimerent. Quod illi idcirco à Piſtorienſibus concedebatur, ut eorum agri faciliùs colerentur. Hac tempeſtate Pinus Toſa Eques Florentinus pro Roberto Rege Piſtorium gubernabat. Cùm igitur Piſtorienſes à Ca-D ſtruccio multis atque quotidianis calamitatibus premerentur, nonnulli egregii Cives cautè & prudenter inſtituerunt, ut cum eo de induciis faciendis ageretur. De quo Caſtruccius admonitus, hujus rei gratiâ ad Serram vênit. Ibi Oratores Piſtorienſium, Pinuſque prædictus publico populi decreto miſſi, Caſtruccium convenere. Sed paulò poſt, induciis infectis, noctu cum funalibus Piſtorium redierunt. Poſtridie juſſu Pini generale Conſilium edicitur, ubi Oratores coram omnibus enarrarunt quæ heſterna die cum Caſtruccio tractaverant: quod Optimates, & plerique egregii Populares moleſtè ferebant. Florentini quoque hujuſmodi rerum pertra-E ctationes vehementer carpebant. Proinde Pinum Florentiam evocarunt, eique injunxerunt, ne cum Caſtruccio deinceps novi aliquid moliretur. In cujus locum officio poſtea functi Piſtorienſes, ſive liberam Præſidum ſuorum electionem, ut eis videretur, à Roberto habentes, ſive ejus jugum reſpuentes, Fumum quemdam Equitem Aretinum ſubrogarunt, ut talibus agendarum induciarum ſermonibus refragaretur. Quod nonmodò non fecit, ſed Caſtruccio potiùs in eiſdem tractatibus plurimum adhæſit. Auctores induciarum erant Tedicii, & omnes eorum complices & ſequaces, & in primis Ormannus Pacianenſis Monaſterii Præſul. Ceterùm hæc res magis ad expulſionem quorumdam Nobilium & Popularium Civium, quàm ad concordiam cum Caſtruccio habendam inſtituta eſſe videbatur; tantumque valuit memorati Præſulis auctoritas, ut omnis Plebs palàm & apertè inducias proſequendas eſſe ſuaderet; atque propterea rurſus Oratores ad Caſtruccium publicè deſtinarentur. Quod & ſi prudentibus & providis Civibus plurimum diſpliceret, Plebis tunc voluntati manifeſtè reſiſtere non audebant, ſed inducias agendas clanculum recuſare videbantur, quoniam eas ſinè conſenſu Florentini Populi non faciendas eſſe dictitabant. Proinde cùm Florentini hujuſmodi induciarum pertractationem admodum deteſtarentur, Legatos ad Piſtorienſes mitti placuit, ut talia relinquenda, nec ulterius proſequenda curarent. Delecti ſunt ſex Nobiles & peregregii Cives; hi cum hujuſmodi mandatis Piſtorium venerunt, ut rogarent, & exhortarentur, ne ulterius de induciis cum Caſtruccio ageretur, vel ſaltem unanimiter & populariter ad eas peragendas procederetur, utve fallacias & Caſtruccianos dolos magnopere caverent.

Poſtquam Oratores Piſtorium acceſſerunt, Ormannus partim literis cunctos totius Piſtorienſis agri colonos & agricolas illico admonuit, ut ſi inducias cuperent, ſtatuta die Piſtorium proficiſcerentur, quoniam qui eas nolebant, jam Florentinorum Legatos impediendi gratiâ in Urbem accerſiverant. Per hanc Ormanni ſignificationem univerſus pæne Piſtorienſis ager, correptis undique armis, Piſtorium concurrit. Ormannus, licèt hæc ageret, ea tamen ſe velle diſſimulabat, quæ Florentinum Populum cupere intelligebat. Quod ut magis ab Oratoribus crederetur, ingens & opiparum convivium ſolemni Paſchatis die inſtituit, ubi & Florentini Oratores, & plerique paulò nobiliores Cives magna celebritate convenerunt. Poſtridie Ormannus in Palatio Priorum concione advocata, coram omnibus ſuaſit, ut induciæ tanto cunctorum Civium, tantoque colonorum omnium conſenſu agerentur, ut nulla exinde diſſenſio oriretur; ac paulò poſt ſua ſententia conſuluit, ut mox ſumto prandio omnes, qui in concione convenerant, ad Minorum ædem congregarentur. Hac ejus ſententia à cunctis approbata, Conſilioque per hunc modum dimiſſo, Ormannus cum ſuis partim Nobilibus, partim plebejis Civibus, & cum pleriſque etiam colonis & agricolis, propriâ prandii horâ hinc inde per Urbem his & hujuſmodi clamoribus ac vociferationibus diſcurrebat: *Moriatur, quicumque inducias negat*. Non multo poſt Palatio capto, & omnibus portarum clavibus ſuſceptis, novos quoſdam januarum ac mœnium cuſtodes, abdicatis veteribus, inſtituit; ac per hoc ſolus Civitatis gubernacula occupavit. Deinde ad domos Legatorum excuſandi gratiâ profectus, illa à pluribus Nobilibus & præpotentibus Civibus abſque ejus conſenſu facta fuiſſe dictitabat. Quod totum idcirco faciebat, ut nova concione nonnulli ex aſſiſtentibus viris cum ceteris Conſultoribus congregarentur, de quibus ultimum ſupplicium ſumere cupiebat. Duo in primis erant: hos præ ceteris trucidari & inte-

interire desiderabat: Hectolus videlicet Tavianus Eques, & Bonifacius Ricciardus, quibus incolumibus quietam ejus dominationem diuturnam fore diffidebat. Postridie advocata, ut instituerat, concione, cùm duo illi Oratorum suasionibus refragantes, quoniam de insidiis suspicabantur, nequaquam comparerent, statim de peragendis induciis decretum est, quemadmodum Ormannus consuluit. Unde paucos post dies Ormannus Castruccium per literas admonuit, quatenus cum copiis suis Pistorium proficisceretur. Quo facto varios Populi rumores, & ex adventu ejus commoveri & concitari fecit, quasi ille sponte sua Pistoriensium hostis, & non evocatus, ad Urbem accessisset. Id autem propterea faciebat, ut Legatis terrorem incuteret, ne ulterius in Urbe commorarentur. Quod paulò post facilè evenit; ipsi namque intellecta Ormanni proditione Florentiam redierunt, & cum eis Hectolus & Bonifacius contenderunt. Quos ubi Ormannus cum Florentinorum Oratoribus ex Urbe recessisse conspexit, ita solus sibi Civitatis dominus remansisse videbatur, ut de nemine amplius suspicaretur. Proinde novos Magistratus, abdicatis veteribus, constituit, atque totam Civitatem noviter reformavit. Eoque confecto, statim omnibus Tavianorum & Ricciardorum familiis, ut cautiùs ac tutiùs acquisitam dominationem tutaretur, injunxit mandavitque, quatenus ex Urbe recederent. Illi imperio parentes actutum se se Pratum contulerunt; ac paulò post inducias cum Castruccio jamdudum antea tractatas breviter absolvit, ut duas illas præpotentes Familias, ne sibi ad eam rem impedimento forent, non ut solus Civitati dominaretur, exegisse videretur. Perfectis, ut diximus, induciis, Ormannus rursus concionem advocari jussit, atque jussu Populi ritè imperium Civitatis assumsit, quòd ita gubernavit, ut non multo post ejus dominatus ab universo Populo iniquus & crudelis putaretur. Nam Philippus Eques ejus Nepos, ceterique cognati, & gentiles ea quotidie peragebant, quæ speciem Tyranni magìs, quàm legitimi Domini præbere viderentur. Ad hæc accedebat; ut Rubei, & plerique Cancellariorum, ac Lazariorum, paulò post Urbe exigerentur: quod ubi fecit, cum Castruccio varios quosdam novosque tractatus quotidie, habebat; cui verba dumtaxat dare intelligebat. Id ut Castruccius tamdem animadvertit, ira & indignatione commotus in Alpem Pistoriensem impetum fecit, ac paucis post diebus Popilio capto, facilè totius Alpis dominium acquisivit.

Philippus Ormanni Nepos à Patruo dominationem arripere, & usurpare cupiens, cum quibusdam ejus adversariis de privatione sua clandestina colloquia habere cœpit, quoniam eum cum Castruccio quotidie tractare criminabatur, ut illi Civitatis dominium tribueret. At ipse revera erat, qui hujusmodi cum Castruccio sermones per intercessionem cujusdam Cremonis Equitis Cremonensis introducebat. Illi verò Ormanni adversarii, vera esse credentes ea, quæ à Philippo adversùs Patruum dicebantur, amicos & familiares magno hominum numero designata die in unum armatos congregaverunt, atque Ormannum de egregio dignitatis gradu facilè deposuerunt, Philippoque ejus Nepoti tradiderunt. Quod Ormannus ita molestè tulit, quamquam quatuordecim duntaxat mensibus dominaretur, ut sæpe numero de ejus nece cogitaret.

Philippus igitur, licèt viribus & potentia Civitatis dominationem nancisceretur, paucis tamen post diebus, consensu & decreto Populi Urbis Dominus delectus solus regnabat. Hic Vir cautus & sagax cum Castruccio, & cum Florentinis clandestinos tractatus quotidie gerebat, ac cautè & prudenter Civitatem gubernabat. Ormannus autem id recuperare cupiens, quod ante turpiter amiserat, cum Populo Florentino ita egit, ut Oratores suos Pistorium transmitterent, qui domesticas Patrui, Nepotisque lites componerent. Delecti Oratores, quorum princeps erat Jacobus Eques Medices, ubi Pistorium venerunt, palàm & apertè de componendis domesticis litibus agebant; cum Ormanno verò de occupanda dominatione seorsum, clanculumque tractabant; & nisi Philippo novo Civitatis Domino proditionis series ex quibusdam unius Florentini Civis literis, qui sub spe accipiendæ pecuniæ ei obsequi ac gratificari cupiebat, detecta fuisset, tunc Philippus profectò Civitatis dominationem amisisset. Ille enim literæ ordinem ac tempus mittendi adversùs eum, ut Ormanno opitularentur, magna equitum peditumque auxilia continebant. Quibus admonitus Ormannum repugnantem, & invitum antea cepit, & in Palatium duxit, quàm præparatæ Florentinorum copiæ ad fores adventarent. Sed cùm paulò post ad mœnia proficiscerentur, Ormannum captum, atque in Palatium ductum esse audiverunt: unde unà cum Oratoribus Florentiam redierunt. Proinde Philippus liberam Civitatis administrationem nactus, omnes Ormanni cognatos & amicos, qui proditionem adversùs eum initam cognoverant, celaverantque, Urbe exegit; Ormannum verò solùm in Civitate, & quidem honestiori loco, honoris gratiâ retinuit, servavitque.

Non multo post Philippus Civitatis dominationem contra nimias Florentinorum Castrucciique finitimorum suorum potentias diutius retinere non posse ratus, simul cum utrisque, seorsum tamen, ita ut alter de altero ignoraret, clandestina colloquia tenebat. Nam & cum Florentinis per intercessionem memorati Cremonensis, ut supra diximus, & cum Castruccio per interpositionem Gregorii nescio cujus Augustiniani Eremitæ, quotidie tractabat. Tamdem cum Florentinis per crebras memorati Cremonensis missiones reversionesque ita egit, ut magna equitum peditumque præsidia ad custodiam Pistorii transmitterentur, ne à Castruccio, ut ab eo dissimulabatur, ullatenus occuparetur; & cum Castruccio per prædictum Eremitam ita conclusit, ut ipse noctu designata die cum magna armatorum manu ad fores à Carlino Philippi filio, & quibusdam aliis Pistoriensibus, adaperiendas profectus, Urbem ingrederetur. In quibus Minus quidam erat filius Cini illius famosissimi & generosissimi Viri ex Siniboldorum Familia oriundi, atque peritissimi & optimi utriusque Juris Interpretis. Is Minus unà cum pluribus Castruccii fautoribus à Florentinis exilio

exilio damnatur, postquam Pistorii dominationem recuperaverunt. Quo quidem, uti designabatur, confecto, equites intra mœnia per portas ingressi; cunctas Urbis regiones & vicos clamoribus ac rapinis confuderunt. Ac per hunc modum Civitatis dominium non sinè aliquorum repugnantium occisione, nec absque Florentini præsidii profligatione occupaverunt. Quod ubi Florentiæ nuntiatum est, quanto dolore Cives meritò afficerentur, dici non potest. Qui enim, mediantibus Cremonis proditoris pertractationibus, Civitatis dominationem consequi sperabant, milites suos Pistorium auxilii gratiâ antea missos à Castruccianis prædonibus omnibus impedimentis exutos fuisse cognoverunt. Nam cùm Priores nostri fortè solemne quoddam & opiparum convivium pro duobus novellis Militibus nuper creatis magno conventu hominum læti & alacres celebrarent, Pistorii capturam à Castruccio factam esse intellexerunt. Quod ubi audiverunt, ablatis illico mensis, turbatoque convivio, populariter arma corripiunt, ac versùs Pratum celeriter contenderunt. Ibi de Philippi proditione certiores facti, Florentiam reverterunt. Ea ipsa die duo contigui circuli (mirabile dictu) in Cœlo apparuerunt, qui futuras novitates, quæ postea subsecutæ sunt, portendere videbantur, ut à sapientibus illius temporis hominibus putabatur.

Per hunc igitur modum Castruccius Civitatis imperium adeptus, pluribus præconum vocibus ubique edixit, quatenus unusquisque in Urbem Pistorii incolumis, & sinè aliquo præjudicio redire posset. Hoc autem idcirco faciebat, quoniam multos ob ejus terrorem ex Urbe & ex agro jam abiisse intellexerat; ac propterea stantes, & qui remanserant, quo fugitivi faciliùs reverterentur, humanè benigneque tractabat. Mox totam Civitatem novis Magistratibus, arces omnes, Oppida, & Castella, mœnia insuper & portas fidelibus & propriis custodibus reformavit, Montaleque Castellum ante, ut diximus, à Florentinis dirutum reædificavit. Quibus omnibus peractis Philippum ejus proditionis auctorem ejus Vicarium constituit, eique Dialtam Filiam suam matrimonio conjunxit, decemque aureorum millia dotis nomine condonavit. Philippus enim, dum per commemoratum Eremitam Castruccianæ conventiones tractarentur, veneno paulò ante dato primam Uxorem idcirco peremerat, ut hanc cum Castruccio, quemadmodum antea convenerant, affinitatem contraheret. Hujusmodi nuptiæ magna omnium pæne Civium festivitate celebratæ sunt. Itaque Castruccius, occupata Pistorii dominatione, multo promtior ac ferocior effectus, Pratenses, & Florentinos quotidianis prædantium militum incursionibus agitabat. Quocirca Florentini futuræ ejus magnitudini resistere cupientes, magnam quamdam equitum peditumque manum compararunt, cui Ramondum Cardonium Ducem delegerunt. Is magnos antea exercitus Pontificali auspicio in Gallia Cisalpina ductaverat. Nunc ubi Florentini post res bello egregiè gestas tandem adverso prœlio à Mediolanensibus captum redemtumque fuisse intellexerant, Castrucciano bello, quemadmodum diximus, præfecerant. Postquam igitur Ramundus cum suis Florentiam venit, mox exinde movens, Pratum se propere contulit. Reliquas verò Florentinorum & sociorum copias ad eum convenire jussit; & cùm postridie convenissent, primò Artiminum Pistoriensium Castellum obsidere cœpit. Quo capto, & in ditionem suam redacto, Florentiam remeavit, unde quindenis circiter equitum peditumque millibus versùs Pistorium rediit. In tanto & tam magno militum numero & octingenta tentoria numerabantur, & triumphalis Currus antecedebat. Ibi campana quædam ferebatur, ad cujus continuum & perennem sonitum castra movebantur. His ergo & hujusmodi exercitibus Ramundus milites omnes suos, structis & compositis aciebus, Pistorium adversùs hostes perduxit, atque non longè ab Urbis mœnibus castra posuit. Quo loco non multo post, solemni & celebri Johannis Baptistæ die, sericeum bravium ut curreretur, edixit. Castruccius fortunam pugnæ temere experiri non ausus, modò intra mœnia suos continebat, satis fecisse ratus, si Urbem magnam duntaxat à tantis & tam infestis hostibus tutaretur. Id cùm Ramundus luce clarius conspexisset, ad vastationem & deprædationem conversus, omnia circa Urbem loca hostiliter populabatur. Sæpius & de industria castra movebat, ne ulla pars regionis remaneret incolumis. Post hæc cùm talem Urbis obsidionem parum profuturam intelligeret, retro proficisci, atque Titianum circumsedere constituit, ubi aliquot dies commoratus, vineas agebat, machinas instituebat, cuniculos deducebat; atque hæc omnia idcirco faciebat, ut Castruccium, si qua posset, ad defensionem ejus Castelli converteret. Sed cùm frustra ipsum ad Titianum aliquandiu præstolaretur, duos Præfectos, Octavianum Brunellischium, & Dandinum Rubeum, egregios Florentiæ Cives, cum parte equitatus de prima vigilia versùs Guscianensem Paludem, quæ hodie Lacus appellatur, transitus occupandi gratiâ præmittit. Paulò post eadem ipsa nocte aliam equitum partem circa Pistorii mœnia, magno cum tumultu prædatum ire jubet. Et quoniam in hujus Paludis mentionem incidimus, non alienum fore existimavimus, si Lucensis ac Pistoriensis agri situs terminosque hoc loco paucis describeremus.

Inter agrum Lucensem, ac Pistoriensem, à superiori quidem parte montes asperrimi dirimunt, dorso Apennini ita connexi, ut se se invicem conjungere videantur; ex inferiori verò regione latissima Palus, Guscianæ influentis fluvii nomen sortita, impeditissimo ubique gurgite præter unum aut alterum aditum, qui frequentibus Castellis præsidiisque muniuntur, planitiem totam intersecat. Ad hæc igitur inferiora Paludis loca improviso occupanda missi, quos diximus, Præfecti, ubi Fucetium pervenerunt, pontem ligneum de industria jam antea paratum ad altiorem Paludis partem nocte deferri jubent. Paulò deinde post cum suis moventes, ignaris hostibus, copias traducunt: de quo Ramundus mox ab eis certior factus, à Titiano signa movere, quàm in obsidione persistere maluit. Itaque exinde abiens cum reliquis exercitibus, protinus Paludem transmisit. Mox Capianum proximum Castellum oppu-

oppugnare adortus, octavo ferè post cœptam oppugnationem die in deditionem accepit. Paulò post Falconium Paludi finitimum aggressus, facilè occupavit. Ubi verò cunctas arces & turres trans Paludem positas in ditionem suam redegit, demum ultra profectus, Topalsium obsedit. Id erat Castellum fossis ac turribus munitissimum, & quingentorum insuper militum præsidio tenebatur. Quocirca cùm oppugnatio diutiùs traheretur, exercitus palustrium locorum more, & insolita ac malefica Cœli gravitate confectus, plerumque ægrotabat. Unde plurimi vacationem militiæ valetudinis causâ flagitabant. Ramundus, licèt hæc omnia moleftè ferret, in firmo tamen obsidendi proposito permanere, & quasvis difficultates tolerare, quam cœptam obsidionem relinquere malebat. At obsessos versa vice quædam Castelli sui munitiones, & Castruccii spes ac præsentia sustentabat. Is enim, ubi subitum Ramundi à Titiano discessum, atque transmissas Paludes intellexit, non ultra cunctandum ratus, Lucam venire constituit. Ante tamen quàm è Pistorio recederet, plerisque Pistoriensibus, de quorum fide suspicabatur, palàm & apertè indixit, ut secum in expeditionem proficiscerentur. Itaque Nobilitatem omnem, atque optimum quemque Popularem, & plebejum secum adducens, ad tuendam & custodiendam Urbem nonnullas alias fideles suorum copias dimisit. Transgressus ergo montium fauces, per Nebulam fluvium brevissimis itineribus, excelsum quemdam Collem nomine Vivianum inter Lucam, & Ramundi castra occupavit. Inde ad Paludem militari opere fossam ducere conabatur. Amicorum præterea auxilia undique rogabat, ac die noctuque semper aliquid agebat. Atque hæc & hujusmodi militaria facinora in exercitu moliebatur. Foris verò ab his, qui Pistorii ad custodiam remanserant, in Pratensem atque in Florentinum agrum crebras incursiones fieri ordinabat, incendiisque & rapinis cuncta misceri ac turbari providebat. Post nonnullas faustas & felices eorum incursiones, demum factum est, ut à præsidio Florentinorum militum atque agrestium circumvenirentur, ac tanta prædantium strages efficeretur, ut Castruccius multum admodum debilitaretur.

At Topalsini spe favoris destituti, Oppidum, præservata personarum incolumitate, Ramundo tradunt. Is Topalsio capto, victoriâque de Castruccianis prædonibus habitâ, quid deinceps agendum esset, deliberandi gratiâ consultabat. Sed quamquam diversæ sapientum militum sententiæ de agendis haberentur, ipse tunc faustis ac felicibus castris Lucæ mœnia temere nimis, ne dicam audacter, petere non dubitavit. Unde è Topalsio signa movens, prope Pozeverense Monasterium ad Sextianam Paludem castra posuit. Paucis post diebus novum errorem, ut ait quidam Chronicorum Scriptor, veteribus adjungens, centum circiter equitum cohortem cum agrestibus colonis complanandi causâ præmisit, ut scilicet cepta quædam loca, intercisaque complanarent. Quod ubi Castruccius intellexit, partem equitatus adversùs cohortem illam de superiori loco mittere non detrectavit. Conveniunt equites, qui in cohortis præsidium venerant, atque cum Castruccianis manus conseruerunt; prœlium equestre in subjecta valle committitur. Quod licèt ab initio magnum non fuerit, paulò tunc post multis utrinque concurrentibus ita crevit, ut ingens efficeretur. Pugna fuit maxima, anceps, & periculosa, ac sinè ullo pedite ab infestis & adversariis dumtaxat equitibus fortiter ferociterque commissa. Nam sic acriter dimicatum fuit, ut per aliquot horas acies totæ hinc inde pugnantes miscerentur; atque tantis animorum ardoribus utrinque dimicabatur, ut quater se se invicem profligarent, atque profligarentur. Castruccius verò cùm de superiori loco pugnam conspicaretur, suis laborantibus opitulari cupiens, cum reliquis ejus equitibus in prœlium descendit, ac tanto impetu in confertissimos hostes incurrit, ut eos fugere ac terga dare compelleret. Nam Ramundus, dum fortiter utrinque dimicaretur, locorum ignarus, se se cum reliquo equitatu in difficiles & salebrosos saltus ita conjecerat, ut non facilè expediri, atque laborantibus ejus militibus succurrere potuerit. Prœlium fuit atrox, & admodum cruentum. Strenuus enim quisque in pugna aut interfectus est, aut graviter vulneratus. Castruccius verò cominus pugnans, accepto vulnere victor evasit. Ramundus autem tametsi suos fugisse conspexisset, atque se se in asperrimis saltibus conjectum videret, tubis tamen continuè cani jubebat, ne priùs ex ipsa pugna, quàm Castruccius recessisse videretur. Nocte tamdem adventante diremti exercitus in sua quique castra rediere, & ceu hoc prœlium Ramundo & Florentinis adversum, eos multo segniores, quàm antea erant, ad bellica studia reddidit, debilitavitque, sic idem versa vice Castruccio, & sociis secundum ac prosperum, ipsos in maximam quamdam futurarum victoriarum spem erexit atque extulit.

Per hunc igitur modum Castruccius novarum victoriarum spe sublatus, alios militum delectus comparare meditabatur. Amicorum insuper præsidia, quoad poterat, instantius undique accersebat; præsertim Galeatii Vicecomitis Mediolanensium Præsidis favorem atque opem per Oratores suos implorabat: ei namque amicitia & partium studio jungebatur. Galeatius igitur prædictis Castruccianorum Oratorum rationibus adductus, Accium ejus filium ætate juvenem, naturâ acrem & promtum, & plurimis quoque bellis exercitatum, ad Castruccium opitulandi gratiâ cum octingentis equitibus è Gallia Cisalpina in Etruriam his fœderibus & conditionibus misit, ut ab eo certam promissæ pecuniæ mercedem acciperet. Interea Castruccius astu & fallaciis usus, cautè dolosèque agebat, ut Ramundus cum suis per nonnullas falsas finitimorum Oppidanorum interpositiones in eisdem locis eo usque commoraretur, donec Accii copiæ ad Lucam adventarent. Quem ubi Ramundus paulò post Apennini juga superasse, & jam Lucæ appropinquasse cognovit, retro castra movit, atque Topalsium rediit. Sed cùm in muniendo Castello diem integrum consumsisset, iterum postridie signa movebat, ac versùs Fucetium remeabat; atque hæc omnia sub ortu Solis agebat. Eo die Accius in castris Castruccianis cum equitibus suis expectabatur. Itaque Castruccius Ra-

Ramundi & sociorum copias per hunc modum sic incolumes & sinè pugna abire ægrè ferens, speratamque & quasi certam victoriam in ipso articulo, vel temporis momento, è manibus delabi cernens, ipse cum plerisque suis è colle, quem antea occuparat, repente descendit, atque abeuntes acies multis tumultibus & implicationibus impedivit. Quod cùm paulò ferocius atque ardentius efficeret, Ramundum ipsum in magnam quamdam difficultatem conjecit, inopemque & incertum consilii reddidit; non enim ei planè apparebat, expectaretne, an abitionem prosequeretur. Abire namque & turpe, & dedecoris plenum, & insuper periculosum videbatur; commorari verò, & oppugnantibus resistere, ob repentinum novorum hostium adventum formidolosum putabatur. In his rerum angustiis Ramundus constitutus, id commorandi ac resistendi consilium, quod quidem magìs decorum arbitrabatur, longè profectioni & abitioni prætulit, ac se sese unà cum suis ancipiti pugnæ fortunæ commisit. Et levia quidem prœlia statim ab ipso dimicandi initio committi cœperant. Duces verò quasi mox totis agminibus conflicturi, se se & suos egregiè admodum ad pugnam comparabant. Castruccius verò ex occupato colle non penitus cum omnibus descendebat; sed minabundus, & velut repente aggressurus, rem in longum protrahebat, congressumque differebat, donec Accius cum equitibus superveniret, qui opportuno post tempore in Castrucciana castra profectus, dicto citiùs copias cum Castruccio conjunxit.

Ramundus, licèt ex adventu Accii, quem ex castrensibus rumoribus jam adventasse cognoverat, aliquantulum turbaretur, acies tamen suas egregiè admodum struxit, ac se se ad fortunam prœlii pro viribus comparavit. Tres namque totius agminis acies ordinavit. Prima, quæ in fronte undique visebatur, ita fortiter ac ferociter dimicavit, ut per plures hostium cuneos strenuè transcurrens, usque ad Accii equites dilaberetur. Verùm ubi ad secundam aciem pugnando perventum est, cui Bornius quidam Ramundi Præfectus præerat, sive ignavia, sive proditione (utraque enim de eo fama vulgabatur) referre illico pedem ac signa convertere cœpit. Unde non proprium solum agmen, quod ab eo ductabatur, sed tertium quoque, quod in subsidio sequebatur, totis, ut dicitur, artubus trepidare, ac de fuga & de salute sua magìs, quàm de victoria vel dimicatione, cogitare compulerat. Per hunc igitur modum nostri turpiter fugientes, fugâque dumtaxat evasioni & incolumitati suæ consulere credentes, ab insequentibus tamdem & opprimentibus hostibus omnes præter eorum opinionem profligantur; & quamquam non multi in eo certamine cecidissent, in fuga tamen longè majora, quàm in prœlio, detrimenta subsecuta sunt. Nam ubi Castruccius victoriam nactus est, è vestigio nonnullos ejus equites misit, qui transitus memoratæ Paludis præoccuparent, ne hostes in pugna superati ullatenus evadere possent. Quippe qui in præsidio pontis remanserant, metu ac timore perculsi, jam sponte sua custodiam antea deseruerant. Ex quo factum est, ut quicumque exinde fugientes transirent, ab equitibus, qui pontem custodibus vacuum occupaverant, vel opprimerentur, vel saltem caperentur. Itaque multi mortales inter occisos captivosque recensebantur. Ad extremum Ramundus ipse, exercitus ductor, unà cum adolescente ejus filio, impedimentisque omnibus & castris in potestatem Castruccii Victoris incolumis pervênit. Castruccius verò victoriâ habitâ, ac triduo ferè in his locis commoratus, Capianum postea, Falconium, & Topalsium facilè recuperavit; quæ quidem Castella priùs, ut diximus, amiserat. Paulò post hostilibus spoliis, captivisque omnibus Lucam transmissis, cum cunctis victricibus copiis Pistorium rediit.

Hæc omnia, quæ ab ipsa primæva Pistorii ædificatione hactenus enarravimus, partim ex pervulgatis Villani Annalibus, partim ex quibusdam fragmentis & intercisis Pistoriensium Chronicis, partim denique ex integris ac solemnibus Leonardi nostri Historiis, quæque digniora, & locis suis opportuniora videbantur, continua rerum serie in hos Libros congessimus. Nunc verò quoniam Leonardus ab hac ipsa tam fausta & tam felici Castruccii in Pistorium reversione usque ad ejus mortem continuato quodam memoratarum Historiarum ordine gravissimè simul atque elegantissimè prosequitur, plerumque propria ejus verba ponere curabimus, ut singula quæque suis locis congruere & convenire videbuntur. Castruccius igitur Pistorium, ut redeamus unde digressi sumus, cum victoria reversus, inde Florentinum agrum magno terrore populabundus ingreditur, ac sexta post victoriam die apud Signiam castra posuit. Ejus loci, utpote Urbi finitimi, opportunitas studia Civium ad Signiam muniendam incenderat. Proinde equites peditesque eo missi, postquam adventare Castruccium intellexere, præsentia victoris conterriti, munitionibusque diffisi, fugâ saluti suæ consuluere. Itaque Castruccius Signiâ captâ, secundis inde castris ad Peretolam constitit.

Peretola est pagus quidam satìs celebris, satisque opulentus, tribus circiter millibus passuum ab Urbe distans. Ibi dum triduum in magnis Gerii Spini Equitis Florentini ædibus commoraretur, factum est, ut usque ad Urbis mœnia proficisceretur. Quocirca his & hujusmodi infestis & turbulentis incursionibus cuncta tumultibus ac terroribus confundebat; omnes enim coloni & agrestes magno pavore ac terrore perculsi, & quasi perditis rebus conterriti, pecora, parvosque natos longis agminibus trahebant, atque intra Urbem confugiebant. Mox structis ante portam aciebus nemo ingredi egredive audebat. Unde Castruccius ad vastationem & populationem conversus, omnes Villas, cunctaque illius regionis paulò majora ædificia incendit. Ludicrum etiam cursus, in ultionem hujus, quod Ramundus prope Pistorium paucis ante annis effecerat, indignabundus, victoriâque elatus viâ publicâ edidit. Et ut paulò latiùs ulcisceretur, primò equites, mox pedites, scorta demum, illudendi & irridendi gratiâ decurrere jussit, atque singulis horum certaminibus singula bravia fericea victoribus proposuit. Ac triduo, quemadmodum diximus, ad Peretolam castrametatus, inde in viam Pratensem copias duxit, ac totam regionem insigni Villarum celebritate

tate amœnissimam unico terrore vastavit. Missis post hæc trans Arnum copiis per proximum Signiæ pontem, à sinistra fluvii ripa usque ad Urbem omnia populatus est. Quibus, ut cupiebat, peractis, onustos multiplici præda milites, ingentibusque rapinis locupletatos, idcirco Lucam traduxit, ut promissam Accio pecuniam persolveret, quæ erat summa auri viginti quinque millium. Accius solutione, ut convenerant, accepta, cum suis, & cum quibusdam aliis Castruccianis militibus populandi gratiâ rursus Florentiam contendit, atque Signiam primò infestis exercitibus vênit, ubi nocte una commoratus, postridie instructa insigniter acie ad Urbem accessit, vexillisque è proximo ostentatis, ac nemine obviam prodeunte, ludrica militari more prope Arni fluvium agere curavit; ac paulò post inclinante jam Sole Signiam rediit; mox inde profectus Lucam primò, deinde in Galliam transiit.

Post Accii discessum Castruccius jam ipse per se copias omnes circa Pratum deducebat; sed cùm ejus Castelli oppugnationem paulò post frustra tentasset, ad vastationem conversus, omnia ferro igneque novem ferè dierum intervallo populabatur. Signiam deinde cum exercitu regressus ultra citraque Arnum portas ad usque ita infestis agminibus discurrit, ut si quid incolume à priori vastitate remanserat, rursus incenderet fœdaretque. Post hæc per Marinam fluvium in agrum Mugellanum conatus, cùm ab accolis concursu ad Comblactem vetustum Oppidum facto longè arceretur, circa fluvium diffusus, hominum pecudumque magnâ coactâ prædâ, nocte una in his locis commoratus est. Quod ubi Florentini resciverunt, ducentos equites, ac duo peditum millia ad præoccupandum fluvii transitum, qua redeundum erat, mittere decreverunt. Quod si opportuniori tempore fecissent, Castruccius profectò evadere non potuisset; ipse namque parvo ante veniens spatio cum tota præda, ac longo captivorum agmine ad fluvium prævenerat. His peractis, vastatisque Florentinorum regionibus, & satis insuper grandi præsidio apud Signiam relicto, Lucam rediit. Non multo post reversionem suam Castruccius per proximos agnatosque captivorum de pace cum Florentinis agere cœpit. Ejus rei causa cùm parentes propinquive multi per gratiam conarentur, ac pro se quisque operam navaret, tamdem in suspicionem venere, ne per speciem pacis proditionis colloquia quærerentur. Itaque omissa ejus rei mentio est, salubrique Civitatis decreto provisum, ne cui proximo cognatove captivi alicujus Arcis aut Oppidi custodia committeretur. Ne autem aperto bello licentiùs vagari posset, duo præsidia, unum ad Comblactem, alterum apud Bonum Montem collocarunt, ac stationibus militum firmarunt, quo nec per Mugellanum agrum, ut antea fecerat, nec per Gravem fluvium transiret.

Interea Castruccius, copiis Lucam reductis Murlum Oppidum non longè à Prato obsidere constituit, exercitumque exinde obsidendi gratiâ permovit, ac machinis & cuniculis, atque omnium expugnandarum Arcium apparatibus Murlum accessit, in cujus præsidio centum quinquaginta milites unà cum Johanne Adimare, & Rainerio Pactio, duobus Florentinorum Præfectis, reperiebantur. Horum tanta providentia atque magnitudo animi fuisse scribitur, ut Castruccii conatus longo tempore frustrarentur. Unde cùm Castruccius circa obsidionem longiùs immorandum esse intueretur, quàm antea ab initio cogitaverat, nonnulla juxta Oppidum præsidia communivit, ac cuniculos in ipsam Arcem agere perrexit. Quid plura? neque die neque nocte ullo unquam tempore ab oppugnatione cessabat. Qua de re Præfecti lassitudinem militum timentes, rem Florentinis nuntiare, & opem atque auxilium postulare decreverunt. Interea dum ea Florentinorum prædictorum postulatio negligeretur, Castruccius quotidie fossam vallumque circumducebat, atque omnem ferendæ opis spem obsessis præcidebat. Cùm hæc igitur & hujusmodi Florentini tunc gravia, & in futurum graviora arbitrarentur, tamdem ad salutem suam respicientes, Carolum Roberti Regis filium in Etruriam evocare, eique Civitatis imperium tradere constituerunt. Hujus rei gratiâ Legati quinque peregregii Cives cum talibus popularibus decretis Neapolim ad Carolum venerunt. Juvenis igitur (nam tunc ætate florebat) ex sententia patris Civitatis dominatione suscepta, se se copiasque parabat, ut proxima æstate in Etruriam transiret. Castruccius igitur, dum hæc agebantur, Murlum summis viribus oppugnabat, jamque non parvam murorum partem cuniculi everterant; reliquas verò machinæ quassaverant. Defessis ad extremum vulneratisque militibus, nulla ampliùs durandi ratio videbatur: proinde Murlenses, Oppidanis forensibusque dumtaxat incolumibus, abire pactis, Oppidum Castruccio tradunt. Murlo capto Castruccius quassata ac semiruta mœnia refecit, ac præsidio militum communivit.

Per hæc ipsa tempora Petrus quidam Gallus, copiis Florentinorum Præfectus, cum Gallis quibusdam, qui apud Castruccium militabant, clam tractatu habito, Castruccianam necem, ac Signiæ receptionem multis magnisque pollicitationibus procurabat. Ea res demum, modo nescio quo patefacta, nihil aliud præter turbationem ac suspicionem quamdam per exercitum Castruccii vulgo hinc inde jactatam peperisse videtur. Hanc sive turbationem, sive suspicionem, sive utrumque simul, nova quædam ac repentina prædicti Petri ad Signiæ portas incursio mirum in modum adauxit. Qua de re Castruccius duobus peditum millibus ac sexcentis dumtaxat equitibus Pistorio movens, Signiam petiit. Ibi amotis è præsidio iis, de quorum fide suspicabatur, cum memoratis copiis agrum Florentinum ingreditur, ac via Senensi Cassianum usque pervênit; & quo dolorem hostibus augeret, incendia longè latèque exercuit. Jam fama vulgarat, Carolum Roberti Regis filium magnis cum exercitibus proxima æstate in Etruriam esse venturum. Quod cùm Castruccius sæpenumero animadverteret, Signiam deserere statuit. Ante tamen quàm id faceret, ne postea terrore fecisse videretur, structo agmine ad Peretolam vênit. Ibi parumper commoratus, reductis Signiam copiis, postridie Oppidum incendit, copiasque à Signia Carminianum tra-

traducit, qui locus deinceps certa quædam belli sedes fuit. Inde per Florentinum, Pratensemque agrum discurrens, cuncta bellicis cladibus vastabat. Interea Castruccius Petrum Florentinorum Præfectum pro tentata in se proditione, ut supra diximus, ulcisci cupiens, nova quædam hujusmodi machinabatur. Putabat enim, ipsum ex anteacta proditione alios quosdam novos proditionis modos continuè machinaturum, dummodo prodendi occasio aliqua præberetur; proinde nonnullos amicos ac familiares suos subornare constituit, qui clam cum Gallo tractarent, quatenus ei Carminianum dederent. Gallus per hunc modum, auditis clandestinis, eorum familiarium colloquiis, atque vera esse credens, quæ ab illis dicebantur, temerè magis quàm cautè Carminianum cum præsidio militum accessit. Itaque cùm ad recipiendum Oppidum statim proficisceretur, in insidias ad hoc ipsum institutas præcipitatur, ac cum multis suorum capitur. Hunc Castruccius protinus ad se ductum securi percuti jussit. Quamobrem accelerata Caroli evocatio est, atque ad accelerandum illius adventum tres Oratores rursus creantur.

Per ea tempora Summus Pontifex Johannem Ursinum Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Legatum in Etruriam misit. Is ergo Pisas navibus devectus, inde Florentiam petens, Caroli adventum expectavit, qui eodem ferè tempore in Etruriam ingressus, ad Florentinos adventare ferebatur. Carolus mense ferè post Legati ingressum cum magno exercitu, & cum quibusdam ejus Proceribus Florentiam venit, in quorum numero Gualterius ille Dux Athenarum recensebatur, qui Florentinorum dominationem paucis post annis occupavit. Hic paulò post quàm eo applicuerat, maximis à Florentinis honoribus susceptus, paratas ejus copias circa maturationem segetum adversùs Castruccium præmisit. Ipse enim Florentiæ remanens, Novellum quemdam Comitem, unum ex ejus Proceribus, exercitui præfecit. Non multo post Novellus exercitui Præfectus è Florentia movens, prima prope Signiam castra posuit; triduoque ibidem commoratus, per sinistram Arni ripam nocturno silentio proficiscens, Fucetium pervenit; inde subitaneo ponte raptim fabricato, transmissisque paludibus, ad Oppidum ejus regionis munitissimum (Montem incolæ vocant) cum omnibus copiis consedit. Expugnationem ejus aggressus, cùm equites peditesque capere niterentur, tamdem summis militum viribus expugnatum capit. Arx sola restabat, quam ejus custodes octo dierum inducias pacti, postea dedere promiserunt, nisi Castruccius intra præscriptum dierum terminum succurrisset. Castruccius igitur ad ea loca profectus, cùm impar copiarum suarum numero hostibus videretur, auxilium tentare noluit, obsessisque opitulari cupiens, manus cum obsessoribus conserere formidavit. Proinde arcis custodes eam, ut convenerant, Novello Caroli Præfecto tradiderunt. Florentini Oppido integrè potiti, mœnia refecerunt, propugnacula præpararunt, ac præsidium in eo posuerunt. Inde adversùs Castruccium profecti, nec longè ab eo castrametati, pugnæ impigrè se se obtulerunt; quam cùm ille detrectaret, atque intra munitiones copias suas contineret, triduo commorati retro castra moverunt, transmissisque paludibus in agrum Pistoriensem ingrediuntur; .... quod licèt ab Oppidanis egregiè admodum defenderetur, ad extremum tamen incolumes abire pacti Castellum dedidere. Carminianum deinde eodem incendii ardore obsedissent, nisi Carolus ob adventum in Etruriam Ludovici Bavariæ Ducis jam ad Imperium delecti, ejus copias Florentiam revocasset. Castruccius verò, ubi appropinquare Ludovicum intellexit, obviam cum equitatu profectus, summis illum honoribus excepit, donisque & muneribus magnificè prosecutus est. Ludovicus itaque Pisas primò proficiscens, à Castruccio deinde rogatus, Lucam, mox inde Pistorium venit, ut Florentiam ex propinquiori loco conspicaretur. Unde Pisas reversus, cùm omnia tamdem parata forent, iter per maritimam regionem non sinè magnis equitum peditumque copiis versùs Romam contendit. Castruccius quoque (sic enim ab eo fieri oportebat) præsidio mille equitum Lucæ relicto, cum quingentis dumtaxat equitibus, ac mille sagittariis, vestigia Ludovici sequutus Viterbii se se cum illo conjunxit. Inde Romam venerunt, ubi paulò post Ludovicus magno Populorum omnium applausu coronam Imperii assumsit. Carolus verò, ubi Ludovicum Castrucciumque versùs Romam iter arripuisse cognovit, Florentinis in concionem advocatis, necessitatem profectionis suæ coram omnibus ostendit, ac Philippum quemdam Equitem, unum ex suis Præfectis, Virum consilio viribusque præstantem, cum mille equitibus in eorum præsidio dimittere ac relinquere pronuntiavit. Cives deinde ad fortitudinem & constantiam cohortatus, cum ceteris copiis Senas primò, deinde Perusiam, post in Regnum abivit.

Interea dum Ludovicus, & Castruccius, & Summi Pontificis exercitus adversùs Robertum Apuliæ Regem totis animi & corporis viribus converterentur, res memorabilis, & cunctis seculis celebranda in Etruria geritur. Philippus enim, quem copiarum Præfectum Florentiæ remansisse ostendimus, rem magnam audacemque adoritur. Pistorium namque capere cupiens, in ea re duorum exulum præcipuè, Bonifacii cujusdam Ricciardi, exhortationem sequebatur, qui locorum urbanorum non ignari intromittere Florentinorum copias promittebant. Scalis igitur machinisque in Pratensi arce clanculum fabricatis, ubi tempus rei gerendæ visum est, Philippus cum equitibus, primis ferè tenebris, Florentiâ egreditur, Pratumque contendit, nemine Florentinorum Civium præter unum solum harum rerum conscio. Is erat Simon Tosa Eques splendidus, quem ex omni Nobilitate solùm hujus consilii participem delegerat. Cùm itaque Pratum venisset, sumtis celeriter machinis, profectioneque indicta duobus peditum millibus, equitibusque sexcentis, ad ipsa Pistorii mœnia ea nocte pervenit. Hæc fuit quarta Florentinorum adversùs Pistorienses expeditio. Ibi duo exules Pistorienses per glaciem (asperrima namque hyems erat) fossas transgressi partem murorum, qua in Alpem itur, ea tempestate maximè neglectam, paratis scalis ascenderunt, ac centum ferè milites

lites eorum vestigia paulò post secutos exceperunt. Cùm plures quoque pedetentim fossas transgrederentur, mœnia malleis, catapultis, & hujusmodi bellicis instrumentis quatiebant. Dum ista fierent, Præfectus vigilum, ambita reliqua Urbe, fortè in hæc ipsa loca devenerat, atque dum custodes, ut fit de more, excitaret, deprehenso strepitu accurrit, clamoremque extollit. Ad eam vociferationem experrecti qui loco vicini erant, rem ipsam sensisse videntur; celeriterque diffusus per totam Urbem clamor dormientes passim homines excitabat. Interea Philippus ponte super fossas injecto, crebros & frequentes subsidiarios transmittebat; ac simul mœnia binis locis effracta transitum equitibus, nedum peditibus, dabant. Ipse verò Philippus jam introierat, ac summa ferocitate, maximaque animi constantia grandia ac magnifica incœpta sequebatur. Deinde qui super mœnibus erant, in proximam evadentes Turrim, semisopitos custodes opprimebant. Ignem insuper in subjectam portam urendi gratiâ conjiciebant, quo faciliùs multitudo militaris ingrederetur.

Erant Pistorii in præsidio milites Castrucciani numero circiter septingenti, qui cùm hostium ingressum ex crebris & continuatis clamoribus ac vociferationibus audirent, trepidi primò convenerunt, de voluntate Civium ambigentes, proditionemque formidantes; sed postquam Cives integris & constantibus animis corripere arma adversùs hostes conspexerunt, Urbem defendere ac tutari posse sperantes, partem suorum apud forum reliquerunt, ceteros verò ad arcendos hostium conatus cum multitudine Civium transmiserunt. Prœlium fuit atrox, quantum umquam antea, & aliquandiu anceps. Tandem Castruccianis prævalentibus, ac nostros usque ad ipsas murorum fracturas repellentibus, qui ingressi fuerant, repelluntur; multi conterriti excedebant Urbe; multi etiam eorum, qui pro mœnibus stabant, rebus quasi desperatis locum deserebant, ad suosque extra Urbem refugiebant. Unde incertitudo quædam, & quasi vacillatio similis procellæ resultabat; alii namque per fossas & præpedita loca intrare, alii verò evadere properabant. Sed Philippus dux ipse acerrimè dimicans, pugnam restituebat, certamenque restaurabat; is enim ante mœnium fracturas cum turma equitum assistebat, atque equestrem appropinquantium hostium procellam, ac unumquemque venientem pedem referre compellebat. Per hunc modum fluctuante prœlio, cùm acriter tamen Castrucciani dimicarent, atque ad extremum prævalituri viderentur, per portam interim crematam ac refractam multitudo equitum peditumque irrupit. Tubæ tunc, & classica, ac militum clamores (hæc enim & hujusmodi majoribus tumultibus ab ea parte audiebantur) demum Castruccianos fregere, qui quasi victi, paulatimque cedentes, in forum reverterunt. Ibi susceptis duobus Castruccii filiis, cum eis ad arcem Castruccianam evadendi gratiâ confugerunt, quam in extrema Urbis parte antea communiverant. Cives autem dimisso certamine quique domos suas reversi, arma ponebant, victoresque per Urbem discurrere patiebantur. Posthac nusquam, nisi ad arcem, dimicatum est, & quidem non sinè ingenti periculo eorum, qui vicerant. Philippus enim statim hostium vestigia secutus, contra ipsam arcem militaria signa constituerat; milites autem ad prædam dilapsi, Ducem omnibus pæne nudatum copiis cum paucis reliquerant. Eam igitur paucitatem conspicati hostes, eruptionem subitò fecerunt, tantoque mentis & corporis impetu in nostros irruerunt, ut non multum abesset, quin Ducem ipsum, signaque opprimerent. Nec usquam ea nocte majori discrimine certatum ferunt; nam deletis qui cum Duce remanserant, ceteros per Urbem populandi gratiâ dispersos opprimere haud difficile videbatur. Sed egregiis quibusdam Philippi Ducis virtutibus ea nocte res Florentina stetit. Ipse namque facinora faciens fortia, egregiè fortiterque pugnavt; & simul aurora jam apparuerat, militesque intellecto periculo ad signa recurrebant. Quare Castrucciani, desperatis ad extremum rebus, Urbem reliquerunt, arcem deseruerunt, atque dicto citius aufugerunt, fugâque saluti suæ consuluerunt. Milites victores Urbem totam, sinè aliqua amicarum vel inimicarum partium exceptione, militari more diripuerunt, à Civium tamen corporibus abstinuerunt. Philippus, his egregiè peractis, atque rebus, ut ea tempestate fieri poterat, raptim compositis, decimo ferè postquam recesserat, die Florentiam rediit, tanto, & tam magno honore publicè ac populariter susceptus, ut triumpho similis ejus in Urbem ingressio videretur. Societates enim cum vexillis, ceterique Magistratus, cunctique Ordines suis quisque apparatibus certatim obviam prodibant.

At Castruccius ubi celerius quàm credi posset amissum Pistorium rescivisset (celeres enim nuntii per mare delati nec die nec noctu navigationem intermittebant; quin imò ita celeriter navigarunt, ut triduo, mirabile dictu, illius Urbis amissionem ad eum deferrent) cum Ludovico gravissimè querebatur, quòd se pericula sua ob ejus absentiam prævidentem, Romam invitum traxisset. Quocirca repente acceptâ licentiâ recedens, cum his, quas adduxerat, copiis versùs Pisas redire properavit. Sed cùm agmen tardius incederet, quàm sibi opus esse videretur, relictis post se copiis, ipse cum duodecim dumtaxat comitibus die noctuque quasi sinè ulla intermissione equitantibus Pisas pervenit. Ibi præsentiam suam ostendens, magnitudinemque animi afflictis rebus adjungens, cetera in fide retinuit. Post hæc collectis undique copiis, ac cum Galeatio Vicecomite, qui post res Mediolani amissas perditasque opes ad eum confugerat, in agrum Pistoriensem profectus, in arcem Murli, quæ media inter hostes relicta erat, frumentum simul præsidiumque induxit. Lucam mox, Pisasque regressus, Pisanos quasi pro arbitrio suo administrabat, pecuniasque ad bellum inde sumebat, nec aliquid omittebat, quòd recuperationem amissæ Urbis ullatenus pertinere arbitraretur; cujus recuperandæ non parvam spem nata inter Florentinos ac Philippum nuper dissensio præbebat. Post captum enim direptumque Pistorium cùm Urbs planè rebus omnibus spoliata fuisset, contentio quædam inter Philippum & Florentinos de divisione prædæ coorta videbatur. Nam Philippus Floren-

rentinis injunxerat, ut de frumento ac de ceteris, quæ ad tutelam Urbis necessaria erant, propriis eorum sumtibus provideretur. Quod illi permolestè ferentes, facere recusabant; etenim injustum simul atque iniquum esse putabant, ut qui Urbem totam omnibus, ut dicitur, bonis exuisset, eamque in propriam militum suorum utilitatem convertisset, is postea mandare auderet, ut de necessariis, & exutæ Urbis provisionibus, alienis sumtibus provideretur. At Philippus contra differens, cuncta in bello parta ipso bellorum jure militum esse contendebat; atque satis superque satis à se factum esse dicebat, ut Urbs tam magna, & tam finitima, ex Castruccii acerrimi Florentini nominis hostis manibus adimeretur. His igitur & hujusmodi contentionibus sese invicem implicantibus, ac quæcumque ad Civitatis conservationem necessaria admodum impedientibus, nec tantum, quantum sat erat frumenti importabatur, nec cetera opportuna & utilia fiebant.

Harum igitur & hujusmodi tam magnarum dissensionum Castruccius non ignarus, in spem venerat, quemadmodum diximus, Pistorii recuperandi. Hac spe elatus à Pisanis & Lucensibus ingentes equitum peditumque manus properè ac celeriter comparavit, atque paulò post maximis copiis Pistorium obsedit. Erat intra Urbem Simon Tosa Eques Florentinus cum præsidio peditum circiter mille, & trecentis equitibus à Philippo relictus. Cives præterea Pistorienses ejusdem factionis accedebant, qui unà cum prædictis militibus egregiè Urbem tutabantur, atque interdum eruptione facta hostes invadere, hostiliaque opera turbare non dubitabant. Alia insuper manus equitum, quæ Prati consistebat, sepenumero ita Castruccianos pervadebat, ut hostes neutra ex parte quiescere posse viderentur. Castruccio verò in penuria atque inopia commeatus unica potiundæ Urbis spes erat; duorum enim non ampliùs mensium annonam intra mœnia inesse cognoverat. Itaque omisså per vim ac conatum recuperandi curâ, ad hoc unum intendebat, ut Urbem undique cingeret, facultatemque commeatus obsessis auferret. Verùm Florentini, etsi justa quidem, sed damnosa indignatione, priùs commoti fuisse viderentur, meliora tamen consilia, licèt sero, susceperunt. Nam ubi Castruccium cum tantis hostium copiis Pistorium circumsedisse intellexerunt, nullis jam sumtibus parcebant, à nullis tributorum impensionibus abstinebant, nullum denique pecuniarum respectum habebant. Proinde contractis undique copiis equitum ad tria, peditum verò supra viginti millia coëgerunt. Frumenti præterea & commeatus copiam maximis laboribus summisque impensis paraverant; quæ quidem viribus & armis intra Pistorium introducenda erant. Philippus verò omnibus affatim præparatis, cùm Prati convenire copias jussisset, inde profectus adversùs Castruccium duxit; nec longè ab illo castrametatus, hanc contentionem prœlio decernere ac dirimere flagitabat. Castruccius verò, etsi minimè sibi tentandam pugnæ fortunam statuisset, ad prœlium tamen quasi pugnaturus sese præparare dissimulabat, atque nonnumquam hostes per hunc modum vana dimicandi spe detinebat. Interim nec die nec noctu quicquam operis intermittebat; quippe castra munire, opportuna subinde loca fossis arboribusque excisis præpedire contendebat. Quod cùm tamdem Florentini animadverterent, per vim conandum rati, confestim acies struxerunt, crebrosque impetus ad hostium munitiones facere conabantur; conantes verò fossæ impedimentaque prohibebant. Præsidia insuper armatorum pro fossis valloque à Castruccio disposita, longè eos arcebant. Tamdem frustra conati, cùm nec hostes ad pugnam pellicere, nec pervadere ac perrumpere munitiones valerent, inopes consilii residebant. Ita cùm plures dies frustra commorarentur, tamdem abscedere, ac Pisanum Lucensemque agrum invadere decreverunt, si fortè ea re deterritus Castruccius, metu & pavore rerum suarum, quando aliter fieri non poterat, ad solvendam obsidionem aliquatenus compelleretur. Quo autem speciosior discessus videretur, Philippus structa in conspectu acie, tubas canere jussit, ac per hunc modum Castruccium rursus ad prœlium provocare constituit. Postquam neminem è munitionibus hostium prodire conspexerunt, confestim signa moverunt, ac ad varia & diversa loca venerunt; alii enim Pratum reverterunt, alii Pisas versùs profecti infesto agmine portas ad usque contenderunt. Fuerunt etiam, qui agrum Lucensem ingrederentur, atque magnum Lucensibus terrorem inferrent.

Castruccius ad hæc & cetera hujusmodi hostium suorum incœpta non magìs propterea Pistorii obsidionem reliaquebat, nihil ab eis præter damna & prædas recipere posse arbitratus, quando non tam capiendorum Oppidorum spem, quàm certam quamdam Urbis recuperandæ Philippum ad sua loca ducere intelligebat. At hi, qui Pistorii obsidebantur, absumto jam pæne omni, quod intus erat, frumento, ac etiam fame urgente, desperatisque ex inutili & vano suorum recessu ad extremum rebus, Pistorium Castruccio dedunt, tertio ferè, postquam obsideri cœptum erat, mense; atque his conditionibus dedunt, ut militaribus præsidiis incolumibus abire liceret. Admirabile porrò cunctis intuentibus videri poterat, Castruccium cùm longè pauciores milites circa Urbem magnam per loca plana circumfusos haberet, & intus simul extraque ab adversariis oppugnaretur, industriâ solùm, ac scientiâ rei militaris usque adeò hostibus præstitisse, ut eorum conatus omnes impetusque arceret, ac tamdem victor Urbe, ampla quidem & magna, & tantis hostilibus copiis munita potiretur: quo facto non multo post è vita decessit. Postquam enim Pistorium, ut dictum est, vi & armis recuperaverat, & quibus erat opus præsidiis commeatibusque firmaverat, dum Lucam ad cetera paranda proficisceretur, in valetudinem incidit adversam, ac paucis post diebus è vita migravit. Ægritudinis suæ causam ex nimiis castrensibus laboribus, immodicisque corporis & animi fatigationibus in obsidione Pistorii die noctuque susceptis exantlatisque evenisse putant. Arrigum, Johannem, & Galeranum tres filios legitimos, & quartum spurium nomine Altinum, moriens superstites dereliquit, quos quia teneræ adhuc ætatis erant, sub Matris, ac Rainerii cujusdam Saginensis, aliorumque amicorum tutela dimisit. Tutores igitur, celato aliquot dies Castruc-

ſtruccii obitu, Piſas, Lucam, ac Piſtorium novis copiis occupare conabantur, veriti, ne commemorati Populi, cognita Tyranni morte, rebellandi conſilium caperent. Paulò poſt cùm prædictarum Civitatum dominatus vi & armis adoleſcentulis confirmaſſent, tunc demum mortem patefactam, & funus omni magnificentia celebratum fuiſſe legimus. Nam magna hominum multitudo primò atris veſtibus induta in funerali pompa incedebat; decem deinde ſupra ſeptem catafracti equites cum totidem inſignibus ſericeis hac ſerie & hoc ordine apparebant. Decem namque Imperatoriis, duo Ducalibus, duo quoque propriis ac ſuis, unus Piſanis, alter Lucenſibus, reliquus denique Piſtorienſibus ſignis ornati viſebantur. Poſtremò alia hominum manus partim pedites, partim equites, cuncti nigris paludamentis veſtiti, has magnas tanti funeris pompas ſequebantur. Demum his admirabilibus pomparum apparatibus Trecenteſimo Vigeſimo Octavo ſupra Milleſimum Chriſtianæ ſalutis anno Lucæ in Minorum æde ſepultus eſt, Vir profectò magni animi, ac robuſti & formoſi corporis, ætatiſque adhuc floridæ; quadrageſimo enim ſeptimo nativitatis ſuæ anno vita defungitur, qui ſi diutiùs vixiſſet, præclara nimirum facinora edidiſſet, & magnum, ut creditur, ſibi imperium comparaſſet. Ingentem enim jam trium inclytarum Civitatum cum trecentis circiter Caſtellis potentiam nactum, virum ætate adhuc juvenem, conſilio, induſtriaque præſtantem, manu audaciaque primarium, in re militari fauſta & felici fortuna uſum, ambitioſum inſuper, & quatuor denique adoleſcentibus filiis ſuffultum, non immeritò grandia & memoranda facinora, ſi diutiùs in vita perſtitiſſet, ipſum facturum fuiſſe auguramur, & credimus: quandoquidem eum quindecim duntaxat annos Lucæ dominatum adeptum, multa memoratu digna feciſſe videmus.

Hoc loco mirabile quoddam ſilentio præterire non poſſumus, quod Villanus in Chronicis ſuis quaſi miraculi loco deſcribendum curavit. Cùm enim ipſe, res à Caſtruccio non ſinè magnis Florentinorum detrimentis jam proſperè ac feliciter geſtas conſpicaretur, atque in manifeſtam quamdam eorum perniciem, niſi divinitus provideretur, deinceps futuras veriſimilibus conjecturis augurareturad Dionyſium Burgenſem ſingularem & præcipuum ejus temporis Theologum tunc fortè Pariſius commorantem, cujus familiaritate, dum Florentiæ erat, vel plurimum utebatur, Epiſtolam quamdam ſcripſit, in qua de Florentinorum adverſitatibus amicè ac familiariter querebatur; & quemnam exitum tantæ eorum calamitates eſſent habituræ, devotè ac fideliter percontabatur. His literis ſibi à Dionyſio in hunc modum reſponſum fuiſſe traditur. *Equidem Caſtruccium defunctum proſpicio. Vos verò in fine belli cum magnis laboribus, immodicis ſumtibus, ingenti veſtræ Reipublicæ dedecore Lucæ dominatione parvo tempore potiemini*. Hujuſmodi Dionyſii literas cùm Villanus ea tempeſtate recepiſſet, qua Caſtruccius victor Piſtorium occupaverat, ſeſe continere non potuit, quin ad ipſum de Caſtruccianarum proſperitatum cumulo reſcriberet. Ad ea Dionyſius, ſe illa eadem confirmare reſpondit, quæ prioribus literis futura prædixerat, atque his pæne verbis uſus: *Niſi Deus,* inquit, *aſtrorum curſum ac ortum, obitumque ſignorum, & judicii noſtri nomen normamque mutaverit, Caſtruccium defunctum atque humatum video*. Villanus has ultimas Dionyſii literas paucis poſt Caſtruccii mortem diebus ſibi redditas prioribus Collegis ſuis oſtendiſſe confirmat; ac tanti eo tempore factas fuiſſe dicit, ut Prophetiæ loco haberentur.

Ceterùm Florentini de vero & indubitato Caſtruccii obitu certiores facti, promti & alacres non ampliùs de refellendo, ſed potiùs de inferendo bello cogitabant. Unde paulò poſt adverſùs Carminianum arma moverunt. Id Caſtellum à Piſtorienſibus tenebatur, & à Caſtruccio paulò ante munitum, præſidioque militum firmatum fuerat. Comparatis igitur octingentis equitibus, ac quinque circiter peditum millibus mercede conductis, Carminianenſes obſederunt, & cum eis ita fortiter mirabiliterque pugnarunt, ut Oppidum vi & armis diriperent; ac mox arcem, deditione à cuſtodibus facta, cum certis recipiendæ pecuniæ conditionibus ſuſceperunt. Quod Florentini propterea facilè conſenſerunt, quoniam commemoratus Ludovicus Bavariæ Dux jam Piſas adveniſſe ferebatur, ne quid fortè novi emergeret pacti, ut cum his, quæ aſportare ſinguli poſſent, incolumes abirent. Et pauca inſuper mille ducentorum aureorum pecunia equitibus addita, arcem ad extremum receperunt. Ludovicus igitur ſumma Piſanorum gratulatione receptus, quo benevolentiam ſibi faciliùs conciliaret, ac ſpem dominatus Caſtruccianis auferret, Tarlatum Equitem Aretinum, fratrem Guidonis Præſidis, cui amicitia cum Piſanis, & odium adverſùs Caſtruccium fuerat, Civitatis gubernationi præfecit. In ceteris quoque ſatis irato animo in Caſtruccii filios eſſe videbatur. Quamobrem illi primò ſubverentes, Lucæ portas claudebant, nec quemquam ab illo proficiſcentem intrare Urbem patiebantur. Demum lenitâ irâ cùm Adoleſcentum mater magnis muneribus Piſas ad eum veniſſet, natoſque ſuos illius fidei commendaſſet, ipſe paulò poſt Lucam proficiſcitur. Ibi propter ejus præſentiam inſurgente plebe, ac tyrannidem Caſtruccianorum incuſante gubernationem adoleſcentibus ademit, & Porcarum quemdam, unum ex Proceribus ſuis, Lucæ Præſidem impoſuit, ac etiam magnam pecuniæ quantitatem quaſi mercedem tyrannidis ſublatæ Piſanis Lucenſibuſque imperavit.

Dum hæc in Etruria geruntur, Carolus Roberti Regis filius, morbo correptus apud Neapolim defunctus eſt. Ludovicus igitur Caſtruccianis dominatione privatis, Porcaroque in eorum locum ſubrogato, novum Civitatis ſtatum reformavit; ac poſtea Ramundum Cardonium, & ejus filium, antea à Caſtruccio, quemadmodum diximus, prœlio captos è carceribus liberavit, ac paulò poſt Piſas remeavit. Dum itaque Piſis moraretur Porcarus, contracta cum Caſtruccianis affinitate, illis Lucæ gubernationem reſtituit, ac ſimul cum eis Civitatis & totius agri dominatum tenere cupiebat. Quo Ludovicus audito, è Piſis Lucam celeriter contendens, Porcarum omni dominatione privavit, Urbeque exegit; Caſtruccianis verò cunctos Ducatus titulos eripuit, eoſque cum matre exilio damnavit, ac in Pontremuli Op-

Oppidum relegavit. Per extremum hujus anni Castruccii filii, Philippusque Tedicius, quos in privatam formam à Ludovico redactos ac relegatos fuisse diximus, militibus centurionibusque, qui sub patre olim militaverant, magno numero coactis, Pistorium occupare conabantur, quod Ludovicus à Castruccianis unà cum Luca & Pisis jam antea abstulerat, præsidiumque simul cum Andrea Equite Clarevallensi intra Urbem admiserat. Non tamen ita validum præsidium erat, ut esset pertimescendum. Ingressi itaque Pistorium Castrucciani, cùm pleraque improviso pervasissent loca, insurgentibus ad extremum Civibus, maximè Panciaticis, Mulis, & Gualfreducciis, ac Vergellensibus, quatuor ea tempestatè præpotentibus familiis, repelluntur. Quæ quidem familiæ magnis opibus nuper ingentem in Republica auctoritatem comparaverant.

Per idem tempus Ludovicus ex Etruria abierat, atque in Germaniam reverterat; quo loco ubi Pistorienses bello implicatum esse audiverunt, quamquam prius variæ inter Vergellenses, & Panciaticos, diversæque de conventione & concordia cum Florentinis agenda sententiæ fuissent, demum tamen prævalentibus Panciaticis, ac Germanis Ludovici militibus Urbe depulsis, per Oratores Florentiam missos pacem quæsierunt. Per eam pacem, quæ facilè impetrata est, exules ferme omnes, Tedicis dumtaxat exceptis, parvo temporis intervallo Pistorium rediere. Præterea Murlum per eamdem pacem Florentinis restitutum unà cum Bachareto, Victolino, Carminiano, Artiminioque Pistoriensis agri Castellis, quæ antea capta eo tempore possidebant. Quoque pax illa stabilior esset, quatuor ex commemoratis Familiis delecti, equestri dignitate à Florentino Populo insigniti sunt. Insignivit autem Populi nomine Jacobus Strozza, Eques Florentinus, ad hoc ipsum cum potestate publica Pistorium missus; donoque his dati in singulis aurei nummi quingenti. Varii insuper Ludi equestres grandiori magnificentia ob eam pacem Pistorii ac Florentiæ diversis utriusque Urbis locis celebrati, quibus peractis Pistorienses cuncta Imperatoria atque Ducalia insignia deleverunt, ac Florentinis concesserunt, ut Præsidem quemdam eorum Civem deinceps quotannis bis, ut eis videretur, ad custodiam Urbis transmitterent. Hanc Pistoriensium, Florentinorumque pacem proxima Lucensium Castella, quæ erant circa Nebulæ amnem, consequuntur, interponentibus se se Pistoriensibus, concordiamque suadentibus. Non multo post Catinum Oppidum, quod nuper in fidem Florentini Populi devenerat, ad hostes defecit; Oppidanis siquidem pulsis Florentinæ pacis auctoribus, Castruccianisque militibus receptis (adhuc enim ingens circa ea loca supererat veteranorum manus) bellum subitò extulerunt. Quod cùm Florentini audirent, ac cetera illius regionis Oppida eumdem motum, nisi celeriter provideretur, secutura suspicarentur, confestim copias suas mittere decreverunt, quibus Amerigum Donatum Cursii filium eorum Equitem præfecerunt. Is igitur cum ingenti equitum peditumque manu ad ea loca profectus, rebelliones suo adventu ita compescuit, ut Victolinum, interceptis ejus Castelli principibus, ingrederetur, qui ad Catinum conventionis ineundæ gratiâ proficiscebantur. Inde Catinum aggressus, adeò circumsedisse perhibetur, ut nec commeatus importari posset, nec ingredi quisquam egredive auderet.

Per idem ferè tempus Pistorienses, qui pacis cum Florentinis antea actæ auctores fuerant, quo pax facta inter eos magis firmaretur, Serram nobile ac munitum eorum Castellum Populo Florentino per triennium tradiderunt, ut ab eis custodiretur; atque ut ipsi in certa & constante eorum fide arctiùs & securiùs confiderent, quoquo modo voluerunt, ut arcem quamdam propriis Pistoriensium sumtibus intra Urbis mœnia ædificarent: quod postea factum fuisse dicunt. Hoc pæne eodem tempore Germani equites, qui à Ludovico defecerant, atque Lucæ dominationem eo absente susceperant, Spinulæ cuidam Januensi Viro ditissimo acceptâ pecuniâ concesserunt. Spinula igitur paulò post Urbis receptionem, licèt Cives in suam voluntatem benignè admodum traduxisset, parum tamen abfuit, quin à Castruccianis filiis, veteranisque ejus militibus improviso caperetur; Urbem enim magna militum manu ingressi, per aliquot horas nemine repugnante, hinc inde vagi ac palantes discurrerunt. Nisi verò Cives cunctis viribus Castruccianis restitissent, profectò Spinula & Lucam & pecuniam amisisset. Sed quamquam illi à Civibus ceu patriæ hostes rebellesque ex Urbe depellerentur, Spinula tamen in suspicionem dominationis adductus, pacem cum Florentinis agere cupiebat; quam illi non modo inficiabantur, eam Lucæ emtionem iniquo ferentes animo. Sed Catinum etiam acrius premere, & alia Lucensis agri Castella ad defectionem hortari, auxiliaque futuris rebellionibus polliceri conabantur. Quod cùm Spinula ac Lucenses conspicarentur, Catinensibus obsessis succurrere & opem ferre statuerunt. Unde coactis undique copiis enixè opitulari nitebantur. Quo audito Florentini omnibus conatibus obsessos urgere & expugnare contendebant. Proinde aggeribus, vallis, fossis, turribus, propugnaculisque sublicìis agebant, ut Catinum caperent, atque in eorum ditionem redigerent. Quid plura? mirabilis profectò fuit hujus Castelli obsessio, ac cum Romanorum obsessionibus non immeritò comparanda; nam & obsidentes omnibus machinarum & expugnationum generibus Oppidanos oppugnabant; ac obsessi versa vice se se quo ad poterant admodum tutabantur. Ad extremum Oppidani inopia frumenti coacti, fameque oppressi, Florentinis, Alamannoque Obitio Lucensium Equiti, qui Amerigo Donato in ducatu successerat, Oppidum his conditionibus tradiderunt, ut omnes cum rebus suis incolumes abirent. Non multo post Bugianum, quod in Florentini Populi potestate antea fuerat, ad Lucenses defecit.

Quas ob res Florentini, Spinulæ, ac Lucensibus supra quam dici potest infensi, pluribus capiendæ Lucæ occasionibus adversùs Lucenses arma moverunt. Duæ inter ceteras præcipuè suscipiendi belli occasiones ante oculos versabantur. Prima, quòd Lucenses plurimis ac diuturnis bellis afflicti, vires suas admodum debilitasse putabantur; ac pro-

propterea Florentinis longè impares videbantur. Altera, quòd Ludovicus, unica Lucensium spes, jam in Germaniam abiisse ferebatur. His atque hujusmodi rationibus Florentini adducti, Lucam ipsam capere, & arcem belli obsidere constituerunt. Cum magnis igitur copiis adversùs hostes ducentes, primùm Cerulium, Viminariamque, ac cetera loca Urbi imminentia occuparunt. Mox inde descendentes, ipsius Urbis mœnibus castra admoverunt; & quamquam primò ab una parte cingerent, è vestigio tamen crescentibus amicorum & confœderatorum auxiliis, undequaque illam cinxere; & ita quidem cinxere, ut tria varia & diversa pallia in certamine cursus, equestribus, & pedestribus, atque, ut ita dixerim, meretriciis, victoribus, victricibusque præmia proponerent, ac decurri in ultionem ejus indicerent, quod Castruccius prope Florentiam antea fecerat. Cùm durior in dies redderetur obsessorum conditio, nec ulla futuri spes resideret, Spinula quasi desperans & consilii inops, cum Florentinis fœdera & pactiones tentabat; id enim solùm ea tempestate salubre remedium videbatur. Sed cùm cetera omnia ad nihilum recidissent, ecce fortuna, *quæ profectò*, ut ait Historicus, *in omni re dominatur*, repentinum quoddam & insperatum auxilium sibi ministravit.

Johannes enim erat Bohemiæ Rex, Henrici Luzimborgensis ejus, qui dudum Imperator in Etruria decesserat, filius. Hunc aliis de causis Italiæ finibus propinquantem Brixiani domesticis seditionibus advocarunt. Proinde Brixiam cum turma equitum ingressus, Bergomates quoque, Brixianorum finitimos, eadem ferè ratione suscepit, ac per veteres Patris amicos vires longè latèque extendit. Huic igitur Bohemiæ Regi Spinulæ, & Lucenses præmissis Oratoribus, Lucam his conditionibus tradidere: Ut & obsessis opitularetur, & Civitatem ab imminenti periculo liberaret: quod etsi Johannes viribus & armis agendum esse censeret, humaniorem tamen viam ingredi cupiens, Legatos Florentiam misit, qui Lucam sui juris esse dicerent, ac benignè postularent, quatenus ab obsidione recederent. Id dum sibi ex relatione Legatorum negatum fuisse intelligeret, statim ad vim & arma conversus, copias parat, expeditionem in Etruriam indicit, ac Præfectum quemdam nomine Simonem Philippi filium Equitem Pistoriensem è Familia Reali oriundum, cum magnis equitum peditumque copiis Lucensibus opitulaturum adversùs Florentinos transmittit; ac per hunc modum Civitatis dominationem suscepit. Nam ut Florentini ipsum appropinquare senserunt, ejus adventum expectare periculosum rati, obsidionem dimiserunt quinto ferè mense, postquam obsidere cœperant. Paulò post Spinula, Lucâ relictâ, ac pecuniâ simul & dominatione privatus, ad Castella sua versùs Januam remeavit. Præfectus itaque, per hunc modum Lucæ dominatione suscepta, mox in agrum Florentinum populandi gratiâ hinc inde discurrit; Lucamque reversus Pistorienses, quos cum Florentinis nova amicitia conjunctos esse noverat, per literas exhortari non dubitavit, quatenus eos, utpote acerrimos Regis inimicos, sub Regia indignatione recipere, eisque favere non auderent. Quod illi non modò non fecerunt, sed earum literarum copiam idcirco Florentiam miserunt, ut exinde forma & modus responsionis haberetur. Quo facto, responsoque obtento, atque Lucam transmisso, Pistorienses arbitrium potestatemque Civitatis Florentino Populo tradidere, commoti ob discordias Civium, quòd ii, qui dudum pulsi per Florentinam pacem in Urbem redierant, adversarios suos plus posse permolestè ferebant, ob eamque indignationem res novas molituri videbantur. Quare pervenientes Familiæ dudum honoratæ in Florentina pace, ita cum Pistoriensi Populo egerunt, ut libera Civitatis dominatio Florentinis primò per unum dumtaxat annum traderetur, quo nondum absoluto per biennium prorogatum imperium est. Unde contigisse videtur, ut Pistorienses posthac non ampliùs tamquam fœderati, nec rursus tamquam subditi haberentur, licèt ad speciem & decorem jus deligendi forenses ac domesticos Magistratus, ceteraque hujusmodi liberi Populi simulacra in deditione sua reservarentur. Atque his peractis Florentini intra Urbem prope mœnia novum quoddam Castellum ædificarunt, quod munitionis gratiâ à custodibus suis custodiretur.

Per idem ferè tempus Simon Regis Præfectus, postquam Lucam obsidione liberaverat, Florentinumque agrum populatus fuerat, ad Bargam castra posuit: quod tametsi Lucensis agri Castellum esset, à Florentinis tamen jure belli partum tenebatur. Eam obsidionem nostri à Barga amovere ac dissolvere cupientes, Bugianum ea tempestate Lucensium Oppidum adoriuntur, in quo quidem propterea nihil profuisse videntur, quoniam Lucenses opem Bugianensibus laturi prævenerant, Castellumque intraverant. Unde Florentini hac spe frustrati, paulò post magna equitum peditumque manu è Pistorio moverunt, atque ad Cerulium finitimum Urbi locum castra fecerunt, hostes metu Lucæ, obsidionem deserturos non ambigentes. Sed cùm nihil magìs exinde moverentur, omnibus demum copiis Bargam petere constituerunt. Ubi verò hostibus appropinquarunt, cum eis congredi nequiverunt, quoniam & pugnam detrectabant, & cunctos aditus ita resciderant, ut nihil in Castellum importari ad eosque iri nullatenus posset. Proinde Bargâ amissâ, quæ mox inopiâ frumenti in potestatem hostium pervênit, irrito non sinè magno dedecore Pistorium reverterunt. Paulò post Philippus Tedicius Eques Pistoriensis cum ducentis equitibus, ac mille circiter peditibus è Luca adversùs Pistorienses proditionis causâ movens, Castellum à proditoribus deditum subitò improvisòque ingreditur. Quod ceteri Oppidani ejus proditionis ignari molestè ferentes, confestim arma corripiunt, eosque magnis viribus longè à Castello repellunt. Qui verò finitimi erant coloni & agricolæ, auditis pugnantium repugnantiumque clamoribus, illico accurrunt, ac diversos saltus difficilesque aditus carpunt, ubi repulsos hostes præstolantes cunctos profligaverunt, ac Philippum solum ex omnibus, ceteris incolumibus relictis, utpote insignem Patriæ proditorem, quemadmodum merebatur, crudeliter interemerunt.

A Non multo post Johannes Bohemiæ Rex dimittere Italiam statuerat, quoniam fortuna, quæ ab initio secunda ei admodum fuerat, prospera cœpta sua deseruisse videbatur, ac nuper confœderatione cum Bononiæ Legato adversùs Mastinum Veronensium Tyrannum & socios contracta, adversarii superiores evaserant. Unde Parmam cum Carolo filio ac ceteris militibus se contulerat. Quocirca Castruccii filii, quos pro obsidibus Parmæ tenebat, occasionem recuperandæ Lucæ ex adversitatibus suis, ut arbitrabantur, nacti, è Parma clam arreptâ fugâ subitò moverunt, atque in Carfananiæ regionem celerrimè venerunt. Ubi coactis multis veteribus Patris sui amicis & familiaribus, B Lucam accesserunt, quam mox ingressi, biduum ejus dominationem, præter arcem duntaxat, in qua præsidium Regis erat, possederunt. Id cùm Johannes audiret, versùs Lucam ita celeriter iter arripuit, ut cum duobus circiter equitum millibus duorum dierum intervallo (incredibile dictu) Urbis mœnia pulsaret, quam è vestigio patentibus portis ingressus Castruccianos inde exegit, exilioque mulctavit. Postremò congregata pecunia, quantum à Lucensibus exhauriri poterat, trans Alpes ire constituit. Proinde quasi Italiæ pertœsus esset, receptis à Ruffis Parmensibus triginta quinque aureorum millibus, Lucam ac Parmam eis gubernandam C dimisit, atque in Germaniam remeavit.

Ruffi Parmenses, ut pro cognitione rerum paulò altius ab origine repetamus, ad Gualterium Athenarum Ducem pervenire cupientes, quem Florentini Populi libertatem occupasse diximus, tres erant fratres, ex quibus duo bello viribusque coacti Parmam Mastino ea tempestate Florentinorum socio dediderunt, ac etiam ut tertius, qui Lucensibus dominari videbatur, ei Lucam traderet, ultro obtulerunt. Quod non modò non repugnantibus, sed potiùs consentientibus Florentinis Mastini sociis & amicis, paulò post factum fuisse scribitur. Florentini enim per hujusmodi intercessionem facilius D Lucensi Urbe potiri posse sperabant; nam & in fœderibus initæ inter eos Societatis præcipuè expressum erat, Lucam Florentinorum esse oportere, si quando in potestatem confœderationis suæ deveniret; & ipse etiam quæcumque ageret, tractaretque, Florentinorum causa facere palàm & apertè dictitabat. Re deinde, uti Parmenses convenerant, confecta, Lucâ à Tyranno susceptâ, Florentini confestim ad eum Legatos miserunt, Urbem, quemadmodum promiserat, postulantes. Legatis responsum est, se magnam pecuniæ quantitatem pro ea susceptione Ruffis fratribus dedisse, quam repetere intendebat: proinde, si Lucam vel- E lent, pecuniam pararent. Ea erat summa trecentorum sexaginta millium aureorum. Hac tanta & tam magna pecuniæ quantitate Florentinos ab incœptis deterrere existimabat; sed cùm postea eos ex responsionibus Legatorum postulationibus suis satisfacturos cognovisset, longè alia refugia vana ac falsa quærebat; donec Oratores re infecta frustrati, Florentiam redierunt. Paulò post Legatorum recessum injuriam contumeliæ adjecisse videtur; nam quas Lucæ habebat copias, in agrum Florentinum populandi & vastandi gratiâ præmisit. Per hunc igitur modum fractis fœderibus bellum Lucense denuo nascitur. Florentini, & si diuturnis bellis jam admodum defessi essent, non tamen pristinæ dignitatis immemores, atque Romanorum majorum suorum vestigia imitari cupientes, acriùs ac vehementiùs se se viresque suas attollebant; quippe nova cum Perusinis ac Senensibus pacta instaurabant, ac cetera omnia agebant, ne gloriosum eorum nomen in hujusmodi adversùs Lucenses incœptis dedecoraretur.

Multa & varia, ac profectò admirabilia Populum Florentinum pluribus contra Lucenses bellis gessisse constat, quæ ne longius à proposito nostro digredi videamur, de industria prætermittimus. Sed profectò, ut ait eximius Orator, nihil est aliud, cum Diis, ceu in fabulis traditur, Gigantum more bellare, quàm Fato ac Naturæ repugnare. Post multa variè inter Florentinos ac Mastinum gesta, Tyrannus plerumque superatus Lucam, quanto majori pretio poterat, licitari & venumdare cogitabat. Unde Florentini, in rebus magnificis prodigi potiùs quàm avari homines, ducentis quinquaginta aureorum millibus, ut convenerant, Lucam à Mastino redemerunt; ac confestim præsidium militum transmiserunt. Quod Pisani usque adeò molestè tulerunt, ut magnis Mediolanensium, Mantuanorum, Parmensium, Patavinorum auxiliaribus copiis emtam Urbem circumsedere præsumerent. Quocirca novum bellum inter Pisanos & Florentinos originem traxit. Interea Mastinus per Legatos à Florentinis flagitabat, ut Lucam caperent, pecuniam solverent. Ea res Florentiæ agitata, demum hujusmodi, assentiente Tyranno, finem habuit, ut de priori pecuniæ quantitate ob difficultates post emtionem subsecutas septuaginta dumtaxat millia detraherentur, atque uti erat Luca, reciperetur. Prœlium deinde inter Florentinos ac Pisanos satìs atrox satisque cruentum fuit. In eo certamine Pisani Florentinos superarunt, qui etsi profligati fuisse viderentur, duo tamen equitum millia mercede conduxerunt. Ex Bononiensibus verò, ac Ferrariensibus sexcentos, à Mastino quingentos habuere. His igitur forensibus, ac quibusdam suis domesticis copiis Florentini, duce Malatesta Ariminensi, in agrum Lucensem infaustis ominibus contenderunt; atque ut in conspectum hostium venere, cum eis pugnare, ipsis pugnam detrectantibus, non potuerunt. Ad extremum cùm nihil Pisanis circumquaque obsidentibus importari posse videretur, qui intus erant necessitate coacti deditionem facere compelluntur. Quare pacti, ut incolume præsidium abducere liceret, Urbem nono, postquam à Florentinis recepta fuerat mense, Pisanis reliquerunt. Nullo umquam bello magìs dehonestatum fuisse Florentini Populi nomen, Aretinus inquit Historicus.

Hanc ignominiam repente aliud dedecus majus consecutum est. Dissensio enim ac discordia ex hujusmodi causa inter Cives ita vehemens & acerba oritur, ut Malatestæ exercitus duci Gualterium Athenarum Ducem, per Castrucciani belli tempora jam antea cognitum, & inter Caroli Roberti Regis filii Proceres, ut supra retulimus, connumeratum, substituerent. Qui postea dominium

nium Civitatis nefariè nimis occupavit, quemadmodum à commemorato Historico sexto Historiarum suarum Libro latiùs & uberiùs explicatur. Parto, ut diximus, dominatu, de servando illo jam cura supererat, unde domi & foris multa providenda fore constituit. Itaque statim per Legatos Aretii, Volaterrarum, ac Pistorii concionibus advocatis, imperium, non jam Florentini Populi nomine, sed sui ipsius titulo, earum Civitatum decretis ac deliberationibus, suscepit. Quod idcirco facere videbatur, ut benevolentia aliqua sibi commemoratos Populos devinciret. Non parvum enim beneficium se illis Civitatibus conferre putabat, si quæ dudum Florentinis subessent, eas æquis conditionibus dominatoribus suis redderet. Proinde singulis commemoratis Civitatibus, Florentiâ dumtaxat exceptâ, ubi ipse residere cupiebat, singulum Gubernatorem præfecit, qui ejus nomine gubernaret. Nam Pistorii Meliadusum quemdam equitem Esculanum ejus Vicarium constituit, ut ex pluribus suis ad Pistorienses literis palàm & apertè exprimitur. Earum literarum titulus talis erat: *Gualterius Athenarum Dux, & Dominus Florentinus*. A tergo autem ita scribebatur: *Nobilibus Viris Dominis Meliaduso Vicario, Antianis Civitatis Pistorii dilectis nostris*. Ea insuper tempestate, quando aliquod deliberan-

A

B

di causa in concione proponebatur, in hunc modum scribi consuevit: *Generali Consilio Populi Civitatis Pistorii in Palatio Populi dictæ Civitatis congregato, ubi Vicarius Serenissimi Domini Gualterii Ducis Athenarum, & Florentinorum, ac Pistoriensium Domini residebat*, & reliqua. Pacem præterea cum Pisanis sinè aliqua vel honoris, vel dignitatis cura egit, firmavitque; inter ceteras enim conditiones & pacta hæc fuisse dicuntur: Ut Pisani Lucam quindecim annis retinerent, arcem custodirent, deinde liberam dimitterent, & cetera hujusmodi, dedecoris & ignominiæ referta. Atque hæc foris, domi verò rapinis, direptionibus, exiliis, laniationibus, trucidationibus denique usque adeò desæviit, ut inhumana crudelitas non ampliùs nono mense cum dimidio tolerari potuerit. Nam Trecentesimo Quadragesimo Tertio supra Millesimum Christianæ salutis Anno Mense Quinctilis dominatione privatum, Urbeque depulsum fuisse constat, cùm anno ante instante Septembre commemoratorum Populorum imperium assumserit; atque una prope die (mirabile dictu) Pistorii & aliarum subditarum Civitatum dominatum amisit, quemadmodum Tertio hujus voluminis Libro, quod ad nostrum propositum, pertinere videbitur, breviter referemus.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

A Pistorienses, postquam Gualterium Athenarum Ducem Florentiæ in Palatio, ubi residebat, inclusum circumsessumque fuisse intellexerunt, ne ab armatis Civibus interficeretur, qui ob nefarii Tyranni in unumquodque hominum genus scelera ac facinora congregati, ejus sanguinem sitiebant, confestim & ipsi populariter arma corripiunt, atque in forum magnis vociferationibus raptim contenderunt, Palatiumque ambientes, à Roberto Adimare Equite Florentino, qui Meliaduso primo Ducis Præfecto in Præfectura successerat, portarum B claves efflagitarunt. Quo facilè à probo & sapiente Viro, & qui motum, vel furorem potiùs, Florentini Populi adversùs Tyrannum noverat, impetrato, custodibusque pro arbitrio dispositis, è vestigio ad arcem expugnandi gratiâ concurrunt. Ibi Tornaquincius quidam Florentinus Civis, qui pro duce arcis custodibus præerat, aliquandiu resistere ac repugnare conabatur; sed cùm diutiùs atque fortiter restitisset, demum per commemorati Roberti intercessionem unà cum Civitatis Antistite conventione facta, ut de mercede jam sibi acquisita integrè solveretur, Castellum Pistoriensi Populo tra- C dit. Per hunc igitur modum Pistorienses, recuperata divinitus libertate, quemadmodum in quodam eorum illius temporis Decreto ac deliberatione latiùs & uberiùs continetur, forensia & externa Oppida, quibus Præfecti Ducales præsidebant, in ditionem suam, ut integra libertate potirentur, redigere cupiebant. Quocirca ad Serram primò armatis militibus proficiscuntur, atque à Prætore, quamquam ab initio parumper repugnasset, acceptis tamen paulò post portarum clavibus Castellum simul cum arce capiunt. Eodemque modo de ceteris omnibus agri sui Oppidis paucis diebus efficiunt; quæ D ubi cuncta ad votum, ut cupiebant, in ditionem suam redegisse vident, confestim ad reformandum omnem Reipublicæ statum totis animi & corporis viribus convertuntur. Unde prædictum Robertum ante omnia, quoniam in principatu suo humanè optimèque se gesserat, cujus contrarium Meliadusum ejus prædecessorem fecisse constabat, pro Prætore in sex menses delegerunt, ut jus in Civitate diceret, simul atque Urbem à facinorosis hominibus custodiret, donec opportuniori tempore de custodiente Præside provideretur. Ei deinde unà cum illius E temporis Prioribus plenam, liberam, & integram instar totius Populi auctoritatem ac potestatem, cunctorum Magistratuum, duorumque generalium Consiliorum, Popularis scilicet, atque Communis, ut ei videretur, creandorum liberalissimè atque largissimè concesserunt.

Quo facto cùm paulò post delecti viri ea auctoritate probè integrèque uti vellent, omnes forenses & urbanos Magistratus ad determinatum & statutum tempus creaverunt; ac duo insuper Consilia constituerunt, quibus novam quamdam circa electionem cunctorum Magistratuum auctoritatem paulò post concessam fuisse manifestum est. Quod per aliquot postea annos Romanorum more, non sortitionibus, ut nunc, sed electionibus, ut olim, fieri consueverat, diligenter & accuratè servaverunt. Gustata deinde Libertatis dulcedine, de illa conservanda sola cura restabat. Quocirca ad id dumtaxat cum mente conversi, Prioribus primò Civitatis, deinde Præsidibus, ac Prætoribus, ac cunctis denique forensibus & urbanis Magistratibus solemnia quædam juramenta præbebant, in quibus primæ & principales conditiones ferebantur, ut partam Pistoriensis Populi Libertatem cunctis viribus conservarent. Non multo post cùm de quibusdam præpotentibus Familiis admodum suspicarentur, instar Florentinorum, qui adversùs plerosque grandiores Cives suos statutis & ordinamentis pro tuitione Libertatis jampridem processerant, eas omnes dedecore, ignominia, ac novis & asperis legibus adnotarunt. Duodecim dumtaxat Familias hac Magnatum lege adnotatas fuisse novimus, quarum nomina silentio præterire maluimus, ne fortè inveteratum vulnus, & pœnæ diuturnitatem jamdiu oblivioni mandatam recenti commemoratione nostra, ceu infamiæ notam aliquatenus refricaremus, ac per hunc modum recrudesceret.

Per hæc tempora novæ quædam dissensiones inter nonnullos magnos & præpotentes Cives, præcipuè inter Cancellarios & Panciaticos, velut ceteris omnibus longè potentiores, nasci & oriri cœperunt; jamque adeò invaluerunt, ut alteri non modò de prælatione, de qua primaria & præcipua contentio esse videbatur, sed etiam de exactione & relegatione aliorum cogitaretur. Proinde Johannes, vetus ille Eques Panciaticorum princeps, adversùs Ricciardum Equitem illum veterem Cancellariorum pariter ducem, tantis suorum complicum & factiosorum viribus insurrexit, ut ipsum, quamquam multis ejus familiæ sectatoribus juvaretur, invitum tamen & repugnantem unà cum aliis quibusdam ex Urbe ipsa recedere & abire compelleret. Quo facto quasi solus in Civitate, adversariis molestè ferentibus, regnare videbatur.

Jam Johannes Vicecomes Mediolanensium Antistes & Præsul ea tempestate, sucepto à majoribus suis dominatu, latè per Galliam Cisalpinam imperabat, & ad veterem & avitam antiquorum suorum dominationem nova quædam Bononiæ, & quarumdam aliarum Civitatum addiderat incrementa. Unde omnium illius temporis Tyrannorum potentissimus factus, cunctis liberis Populis formidabilis apparebat. Ad tantæ insuper potentiæ magnitudinem accedebat, quòd ille astuto & sagaci consilio in adjungendis sibi quibuscumque Italiæ Principibus utebatur. Quocirca omnes per Etruriam ac Flaminiam diversæ factionis Principes Populosque in suam amicitiam tutelamque pellexerat; & ne quid à tergo relinqueretur, Mastini, quem Veronensium Tyrannum fuisse diximus filium, de-

defuncti patris in principatu Successorem, magnis aureorum montium, ut ait ille, pollicitationibus delinitum, non modò à proposito paterno averterat, verùm, & fœdere sibi amicitiaque conjunxerat. Ac per hunc modum ceteri insuper per eamdem Galliam Tyranni in ejus amicitiam benevolentiamque concesserant. Et quamquam potentiam suam hujusmodi multorum Principum adjunctionibus adauxisset, constans tamen bellandi cum Florentinis propositum callidè astutèque dissimulabat. Nam & eis amicè & benivolè loquebatur, & copias suas, quibus Bernabovem ejus Nepotem præfecerat, Imolensi bello implicatas esse ostendebat; ad Imolam verò exercitum suum paulò ante obsidendi gratiâ miserat.

Hæc omnia cùm Florentini manifesta esse cognoscerent, magnamque Tyranni potestatem, & ingentem ejus ambitionem extimescerent, de Pratensium, Pistoriensiumque finitimorum suorum fide & constantia non immeritò suspicabantur, rati si Tyrannus tam potens tamque ambitiosus, alterutro eorum Oppidorum potiretur, facilè fieri posse, ut postea propriam eorum Libertatem ac dominationem occuparet. Hanc naturalem & verisimilem Florentinorum suspicionem nonnullæ civiles memoratorum Populorum inter se dissensiones augebant; sed Pratensium dubitatione paulò post per liberam Florentini præsidii receptionem penitus sublata, Pistorienses soli restabant. Hi quoniam amplior Civitas erat, eo majora remedia postulare & efficere videbantur. Sed ea seditio nuper Pistorii coorta, qua partem Civium extorrem egisse diximus, idoneam quamdam & salubrem medicinam afferebat. Itaque Florentini per speciem officii ac veteris amicitiæ conjunctionem præsidium suum eo mittere, benignè & humanè postulabant. Quod Pistorienses non contemserunt, sed gratanter liberèque acceperunt. Tantum tamen se se intra Urbem suam recepturos esse responderunt, ut de mittendorum militum numero non formidarent. Andrea igitur Equite Lucensi, Lucaque fortè per ea tempora exacto, præsidii Præfecto unà cum centum equitibus, ac centum quinquaginta peditibus intra Urbem recepto, Pistorienses omnes ejus præsidii milites sacramento militiæ obligabant. Cùm ergo Priores Florentinæ Civitatis nihil per hanc viam hactenus fecisse arbitrarentur, atque actutum providere cuperent, ut concupitis suis potirentur, tamdem ignorante Populo turpe & vituperabile consilium susceperunt. Re enim, quemadmodum cogitaverant, cum Ricciardo Equite Pistoriensi, & cum reliquis Pistorii exulibus, qui antea ejecti Florentiam confugerant, arcanè clanculumque composita, reliquas eorum copias cum illis, velut talis conjurationis principibus & conductoribus, transmiserunt. Qui igitur missi erant, noctu progressi, primo statim adventu scalis mœnia conscendebant, ac nonnullos in Urbem dimittebant. Ipsi verò de muris clamores crebros tollebant: quæ omnia idcirco faciebant, quoniam eos, qui in præsidium venerant, unà secum magnifica & animosa incœpta sua, quemadmodum cum Prioribus convenerant, secuturos sperabant, firmèque tenebant. Ceterùm Magistratus, qui hujus rei auctor erat, Petrum quemdam conducendorum militum Scribam, eorumque perinde familiarem, præmiserat, ut milites suos de adventu prædictarum copiarum certiores redderet, ad prosecutionemque cœptorum animaret. Ille verò, sive metu, sive negligentia per viam desederat. Itaque milites totius rei ignari, ut primò clamorem è muris sublatum esse intellexerunt, integra fide unà cum universo pæne Pistoriensi Populo, qui intempesta nocte magnis vociferationibus experrecti arma corripuerant, ad mœnia concurrunt. Ibi inter pugnantes repugnantesque ingens pugna commissa est; qui enim in Urbem intraverant, & qui super mœnibus adstabant, quisque, ut poterat mirabiliter pugnabant. Qui verò defendendi gratiâ ad mœnia concurrerant, balistis, lanceis, & omni telorum genere adversùs oppugnatores utebantur. Fervidam insuper aquam, & vivum, ut dicitur, calcem fossis sub mœnibus ab interiori parte, raptim de industria factis fabricatisque furnis, in pulveris formam redactum in adversarios jaciebant. Unde qui ingressi erant, postquam diutiùs dimicaverant, tamdem per eam, qua intraverant, viam ascendentes, Urbem cum mœnium ascensoribus dimiserunt. Pistorienses ab initio pugnæ suorum exulum conatum fuisse crediderant: quæ opinio audaciam eorum plurimum juverat; sed ubi ex hostium captivis, & ex vexillis, quæ sub prima luce apparuerant, Florentinorum copias adesse intellexere, admiratione simul atque pavore perculsi, ad defensionem & tutelam Urbis vehementiùs sese suaque omnia præponebant. Hæc paulò post Florentiæ vulgata, optimum quemque & gravissimum Civem movebant; indignabantur enim, quòd Magistratus tam fœdum & tam nefarium facinus, præsertim injussu Populi, suscepisset; ignaviam verò & imperitiam auctorum omnes detestabantur; nec solùm adauctam Pistoriensium suspicionem, quam cuncti vel auferre vel minuere cupiebant, sed certum etiam in periculum rem totam conjectam esse querebantur. Pistorienses enim indignabundos & feroces homines tanta fraude tantaque injuria lacessitos, ad Tyrannum ejusque propinquas opes conversum iri non injuria putabant.

Cùm quid agendum foret diutius consultaretur, quamquam omnes nefarium cœptum improbarent, tamen quid faciendum esset, ceu in malis fieri consuevit, non immeritò ambigentes, tamdem ne Pistorienses magnitudine injuriæ lacessiti ad Tyrannum converterentur, majora auxilia ad obsidionem Pistorii mittere decreverunt. Quocirca undique copias contrahere, societates cum vexillis congregare perrexere, ut Pistorium majoribus viribus obsederetur. Pistorienses autem contra tantos Florentinorum apparatus summa ope nitebantur, ut Libertatem suam tuerentur; nam neque noctu neque interdiu à laboribus, & à vigiliis, atque lucubrationibus desistebant, quo Urbem ab oppugnantibus hostibus abundantiùs protegerent, protectamque salvarent. Militare deinde Florentini Populi præsidium idcirco incolume dimiserunt, quoniam nocte, qua invasio tentata fuerat, integrè ac fideliter sese gessisse videbantur, nec postea quicquam mali in Cives perpetraverant. Licèt verò Pistorium in hunc

A hunc modum obsideretur, non tamen colloquia prope quotidiana inter obsidentes obsessosque deerant; quibus cùm Florentini nihil ab initio profecisse intelligerent, ad hostiles & inhumanos conatus conversi, vineas agebant, turres ligneas excitabant, ceteraque id genus ad oppugnandas Urbes opportuna convehebant. Quod Pistorienses suspicati, præsertim ii, qui ceteris prudentiores erant, & qui amicitiores Florentini Populi antea fuerant, longè melius esse putaverunt cum illis convenire, præsidiumque eorum, ut ab ipsis petebatur, intra Urbem recipere, quàm cum tam potentibus, ac tam propinquis dominatoribus bello diutiùs contendere, ac vi B armisque decernere. Horum sententiam (erant enim plerique, & ii quidem Nobiliores, qui ita censebant) ceteri sequebantur.

Per hunc igitur modum res malè ab origine cœpta bonum tamdem & laudabilem exitum habuit; nam & Pistorienses cum Florentinis, servata sibi Libertate, ita convenerunt, ut militare eorum præsidium intra Urbem reciperent; & ut circa Libertatis conservationem latè abundaretur, sexaginta quatuor delectos Cives Florentiæ fuisse constat, qui Florentini Populi nomine, jurejurando adhibito, eorum Libertatem conservare Pistoriensibus promiserunt. Præsidem deinde ad suum, quemadmodum vellent, libitum C advocarent, dummodo Civis Florentinus esset, qui custodiendæ Urbi præsideret. Externa insuper ac forensia Castella, excepta dumtaxat Sambucæ arce, Florentinis custodienda committerent. Exules denique omnes paulò ante ab eis expulsos in patriam revocarent: quod non modò fecerunt, sed sese, & commemoratis exulibus, contractis pluribus & variis affinitatibus, benivolè amicèque reconciliarunt. Anno deinde post, Pistorienses juxta hujusmodi conventiones Matthæum quemdam Nerei filium è nostra Manettorum Familia (ne fortè gentilem agnatumque meum, oblata præsertim memorandi occasione, silentio prætermisisse ac neglexisse redar-D guerer) nobilitato Urbis suæ Castello præfecerunt, ut ab eo ceterorum custodum Præfecto custodiretur.

Per hunc modum Florentini Prato, Pistorioque receptis, suspicionibusque ablatis, quiescere videbantur; nec novas militum copias stipendiis suis parare, & conducere intendebant. Tyrannus verò longè diversa moliebatur; nam novas quotidie equitum manus comparabat, quòd se tum ob Imolense bellum, quod paulò ante susceperat, tum quia de Bononiensibus nuper in ditionem suam redactis parum confidebat, facere dissimulabat. Comparatis igitur magnis exercitibus, Nobiles quosdam Bononiæ Cives, quasi E conjurationis reos, capi jubet, à quibus, uti voluit, quæstionibus tantum extorsit, ut sese de jugo ejus, à cervicibus suis repellendo, liberandaque Civitate, cum Florentino Populo consilium iniisse confiterentur. Atque hinc novi adversùs Florentinos belli occasionem, & quasi ansam arripuit. Unde cùm eos ipsos belligerare statuisset, diversæ factionis Principes, quos per Etruriam sibi aliquâ benevolentiâ conjunxisse supra diximus, ad se in Galliam Cisalpinam vocat. Vocatos ut in conspectum suum convenisse vidit, multis rationibus adversùs Florentinum Populum cohortatus, mirum in modum incendit. Venisse tempus affirmans, modo viri esse velint, quo Florentinum nomen usque ad internecionem delerent. Re itaque in hunc modum composita, qui venerant, maturè discesserunt, ut ea, quæ ad bellum opus essent, celeriter atque opportuno tempore pararent. Ac Tyrannus universo ejus & sociorum exercitui, ut bellandi ordine incederet, Johannem quemdam Vicecomitem præfecerat, cui Olegiano cognomen erat, & quæ ab eo in Etruria fieri vellet, remotis arbitris mandaverat. Johannes igitur, cui belli cura demandata fuerat, copias undique in agrum Bononiensem contrahebat, ut inde postea ad jugum Apennini opportuniùs moveret. Quo facto, atque in ea parte, quæ Bononiensem agrum Pistoriensemque determinat, nocte una commoratus, postridie circa Pistorium descendit, nec longè ab hac Urbe castra posuit. Florentini quasi inermes, & velut interoscitantes, re subita pæne attoniti, quo se verterent nescire & ignorare videbantur. Mox tamen reliquos, qui eorum stipendiis militabant, raptim versùs Pistorium auxiliandi gratiâ miserunt. Hi erant quingenti equites, ac trecenti pedites. Missi Pistorium intrarunt, ac sese priori præsidio conjunxerunt. Proinde & amicos ad Urbem defendendam hujusmodi auxiliaribus copiis exhortabantur, & novarum rerum cupidos, ne ullatenus excitarentur, commodissimè comprimebant.

Legatos deinde ad Olegianum conquerendi gratiâ destinarunt, qui causas hostilis adventus sciscitarentur, & quid sibi vellet hujusmodi rerum innovatio, stantibus fœderibus, flagitarent. His in castra profectis cùm mandata exposuissent, nihil aliud in responsis retulisse potuerunt, nisi eo usque cum copiis ac gentibus venisse, ut amicis vicinisque Mediolanensis Præsulis ab illo opem quotidie implorantibus subveniret, cum pluribus & variis à Florentinis, ut dicebatur, injuriis & contumeliis lacesserentur. Legati his & hujusmodi responsionibus, dedecore indignationeque refertis, Florentiam redierunt. Johannes post Legatorum discessum quum magna spe potiundi Urbe ob eas injurias teneretur, quas Florentini nuper Pistoriensibus intulisse videbantur, copias omnes mœnibus admovit, atque intra Urbem cum suis placidè & humanè recipi postulavit. Sed ubi rejectis postulationibus suis sperni contemnique deprehendit, obsidere oppugnareque perrexit; dum verò aliquot dies frustra commoraretur, nec ullus motus intra Urbem oriretur, captis aliquibus Pistoriensium Castellis, obsidionem dissolvit, ac versùs Florentiam infestis exercitibus contendit. In hostilibus castris ea tempestate equitum supra decem, peditum verò mercede conductorum ultra sex millia numerabantur. Ad hanc tantam & tam magnam prædictorum hominum multitudinem accedebant qui sponte voluntarièque prædandi & diripiendi causâ sequebantur. His igitur copiis hostes per Pratensem agrum profecti, cuncta ferro igneque vastabant, atque omnia ut brevissimè dixerim, inimice, & hostiliter populabantur, donec supra Bisentium amnem castrametarentur. Castris per hunc modum circa fluvium dispositis, agmina armatorum usque ad Florentiæ portas interdum discurrentia cuncta magnis tumultibus infestabant.

Cùm

Cùm igitur Johannes exercitus ductor multa ac varia damna Florentino populo intulisset, atque jam commeatus, quo milites veteri eorum more prodigè nimis abutebantur, deficere videretur, retro profectus ad Marinam fluvium castra posuit: ibi Calentiano, aliisque munitis quibusdam locis expugnatis, multâque abactâ prædâ, per ipsum fluvium profectus in agrum Mugellanum transmisit. Quibus in locis Barbarinum, & alia quædam Castella non satìs contra vim hostium parata, dedentibus sese incolis, suscepit. Hìc commeatu abundè refectus, Scarpariæ copias admovit; ubi sedem belli ob opportunitatem loci constituere cupiebat, quod Oppidum ad Bononiam vergebat, Apenninique arcibus finitimum erat. Omnibus igitur copiis Scarperiam circumsedit, atque in obsidione, ut ipsam expugnaret, aliquandiu fuit. Sed cùm expugnationem frequenter cunctis viribus enixè tentasset, nec aliquid Oppidanis ac militibus, qui præsidii loco intraverant, egregiè admodum repugnantibus, multorum dierum intervallo profuisset, receptui cani jussit, atque cum omnibus castrensibus impedimentis, superato Apennini proximo jugo, versùs Bononiam incolumis remeavit. Non multo post Mediolanensis Præsul pacem cum Florentinis, & ejus confœderationis sociis & amicis (in quibus Pistorienses interfuerunt) his ferè & hujusmodi conditionibus contraxit, ut omnia militaria præsidia, quæcumque in Etruria haberet, exinde deduceret; Castella quoque, & cunctas arces, quæ in agro Pistoriensi cepisset, libera Pistoriensibus dimitteret; posthac insuper nulli Etruscæ Civitati bellum inferret. Hæc omnia usque ad commemorati Antistitis mortem, qui paucis post annis è vita discessit, integrè & immaculatè, atque ad unguem, ut dicitur, servata fuisse legimus.

Pistorienses biennio postquam cum Florentinis convenerant, Gerardum Bordonium Equitem Florentinum Urbis suæ Præsidem delegerunt. Hic dum Magistratu fungeretur, Cancellariis magìs, quàm Panciaticis adhærere videbatur; unde illi recentis injuriæ non immemores, quamquam cum adversariis suis reconciliati fuissent, reconciliationemque variis affinitatibus condivissent, cum Præside tamen ita egerunt, ut raptis opportunè repenteque armis, plerosque, & inprimis Panciaticorum Johannem Equitem Urbe exegerunt, exilioque mulctarunt. Panciatici per hunc modum Patria exacti Florentiam auxilii gratiâ confugerunt, expositisque coram Prioribus nostris querelis & conquestionibus suis, Ricciardus Eques, qui illius expulsionis auctor exstiterat, unà cum Gerardo Præside mandato Florentinorum accitus, Florentiam proficiscitur. Ibi cùm altercationes hinc inde agitarentur, diremtis tamen litibus, inimicitiisque depositis, adversarii invicem reconciliati Pistorium reverterunt. Sed quamquam jam reconciliationes intercessissent, affinitatesque secutæ essent, partium tamen studia usque adeò efficacia ac vehementia vigebant, ut omnia divina & humana jura perverterent. Duæ enim inter Panciaticos Cancellariosque dissensiones, non modò Civitatem totam, sed universum etiam Pistoriensem agrum, aliis alterutri faventibus, diviserant; & ita jam divisisse videbantur, ut nullus intra extrave Urbem reperiretur, qui non huic, vel illi parti adhæreret; & quemadmodum olim per universum pæne terrarum Orbem binæ inter Principes & Populos, Imperatoria scilicet, atque Pontificalis, seditiones ab initio provenerant; Guelforum deinde ac Gibellinorum factiones ubique successerant; ac postea Albi, & Nigri pæne universaliter irrepserant: sic ea tempestate, deletis veteribus prædictarum partium cognominibus, Panciatici, & Cancellarii in his dumtaxat regionibus mirum in modum invaluerunt, quæ usque ad tempora nostra tanta pertinacia obstinationeque perdurant, ut nisi illis, qui vel propriis oculis viderint, vel ipsis, ut dicitur, manibus tetigerint, incredibile putaretur. Et quod mirabilius videri debet, omnes Civitatis dignitates & Magistratus ita per publica Populi decreta ac suffragia inter se partiuntur, ut in duas memoratarum factionum partes æquis portionibus dividantur, quas quidem devotis Beatissimorum Sanctorum Johannis & Pauli cognominibus appellarunt. Cancellarios enim Johannis, Panciaticos verò Pauli appellationibus ac societatibus nuncupandos fuisse censuerunt.

Pistorium igitur in has duas, ut diximus, partes, & velut expressiùs dixerim, factiones divisum, inter seque partitum, certis pactis & conditionibus à Florentino Populo fideliter gubernabatur, & ita fideliter gubernabatur, ut nonnullis Civitatis nostræ mutationibus, quæ crebro illis temporibus emergebant, à Palatinis Dominis nostris numquam recessisse viderentur. Nam neque Trecentesimo Septuagesimo Octavo supra Millesimum Christianæ Salutis Anno à principali dominio dissenserunt. Quo quidem Anno dissentientibus inter se se Florentinis Civibus, Legem illam detestabilem latam fuisse ferunt, per quam quique ad libitum adversariorum infamia notabantur, & ad publica Reipublicæ munera inhabiles habebantur. Qui ea Lege notati erant *Admonitos* vulgo nuncupabant, quoniam moniti essent, ne ullum Magistratum inire suscipereve auderent. Hæc Lex quantum Civitati nostræ pernitiosa fuerit, non satìs dici aut excogitari potest. Præter enim magna civilium discordiarum semina, tantas inter Cives simultates attulisse dicitur, ut ad rapinas, ferrum, & ignem, atque hominum relegationes prosiliretur; & nisi Silvester Eques Florentinus ex ampla & Nobili Mediceorum Familia oriundus, fortè eo tempore Vexillifer Justitiæ Legem illam popularibus suffragiis abolevisset, profectò Civitas nostra in maximum Libertatis suæ discrimen ac periculum corruisset. Neque etiam triennio post, mutato pariter Civitatis statu, nec rursus elapsis quindecim circiter annis, sumtis populariter armis, se se à Prioribus Præsidentibus ullatenus abalienarunt. Quo quidem tempore tantæ Civium seditiones profluxisse videntur, ut sumtis, quemadmodum diximus, populariter armis, cuncta rapinis & cædibus miscerentur. Et nisi optimus atque sapientissimus Civis & Patriæ suæ utilissimus Verius Eques ex eadem nobilitata Mediceorum Familia furori Populi restitisset; quippe ejus metu ob singularem quamdam & præcipuam memorabilis Viri sapientiam, mirabili au-

auctoritate potestateque conditam, universa Respublica regebatur, profectò Popularis Civitatis nostræ status in plebeiorum & vilium hominum colluvionem & officinam funditus concidisset. At Vir ille, ut erat & probus & sapiens, tantam Reipublicæ indignitatem pati non potuit; sed cùm ad eum universa plebs raptis publicè armis, tamquam ad solum Civitatis Principem, & præcipuum & peculiarem ejus protectorem, domum concurrisset, atque patrocinium suum imploraret, unà cum illis armatus ad Dominicum Palatium pervênit. Ibi sedatis dissensionibus, armisque depositis, solus quietis & pacis auctor exstitisse traditur: quod à Leonardo nostro in Historiis suis prætermissum fuisse miror. Hunc Verium illum salubrem ac memorabilem Civem paucis post annis obiisse constat, atque Donati Medicis Dei gratiâ nunc Pistoriensis Ecclesiæ Præsulis Avus fuit.

In externis præterea bellis post pacem cum Mediolanensium Antistite contractam, adversùm Johannem Olegianum primò, deinde contra Bernabovem, insuper adversùs Galeatium, postremò in Johannem cognomine Galeatium hujus Philippi Mariæ nunc Mediolanensium Ducis patrem, pro conservanda Libertate susceptis, fideliter optimèque se se gessisse videntur; præsertim cùm Florentini pluribus à Galeatio Philippi patre injuriis è bello lacesserentur, quo Jacobus Vermis Veronensis, ejus militiæ Dux, Casale vetus, Pistoriensis agri Castellum, occupavit, quo quidem loco postea castrametatus est. Nostri autem, quorum ductor erat Johannes Agutus genere Anglicus, sed longâ militiâ per Italiam assuetus, ea tempestate apud Emporium consistebant; sed postquam in Pistorienses transisse hostes cognoverunt, Arnum per Signiæ pontem transgressi ad Titianum duxerunt, ibique juxta Oppidum castra posuerunt, quæ quidem ab hostilibus castris millibus passuum non ampliùs duobus distare videbantur. Unde cùm magnus equitum peditumque numerus quotidie opis ferendæ gratiâ in Florentinorum castra conflueret, atque idcirco nostri se ad pugnam præpararent, hostes magnitudine novarum copiarum deterriti abire statuerunt, cum penuria commeatus non mediocriter angerentur. Quare ante lucem moventes ad Victolinum Castellum pervenerunt, atque inde transmisso colle in subjectam planitiem circa Nebulam Fluvium descenderunt. In faucibus verò collis, qua transeundum erat, præsidia equitum ac peditum reliquerunt, qui nostros insequentes pro viribus impedirent. Postquam verò in Florentinorum castris de hostium fuga auditum est, sumtis confestim armis altis undique vocibus clamabant, ut ad internecionem usque persequerentur; sed adversùs hunc tam temerarium & tam furiosum militum motum Augutus pertinacissimè resistebat, satis sibi esse dictitans, si hostes aufugerent; proinde illos abire finerent, ac se se suis ordinibus continerent. Quo facto hostes fugâ saluti suæ consuluerunt.

Cùm itaque Pistorienses, ut ad eos aliquando revertamur, continuis inter se dissensionibus, ut est genus hominum natura ad factiones & discordias pronum, seditiosè agitarentur, factum est, ut pro salute Civitatis post aliquot annos liberam Urbis & omnium suorum Oppidorum administrationem Florentino Populo traderent. Quod post Quadringentesimo salutiferæ Nativitatis Anno penitus & omnino, vectigalibus dumtaxat exceptis, fecisse videntur. Nam antea Prætorem, quemadmodum eis placebat, eligere poterant. Hoc maximè tempore Pistorium cum omnibus ejus Castellis in Florentinorum potestatem, tamquam in securissimum quemdam & tranquillissimum cunctarum domesticarum & externarum turbationum portum concesserat, atque à veteribus & diuturnis factionum suarum jactationibus tamdem aliquando conquievisse videbatur; nisi paulò post motus quidam ex Panciaticorum, & Cancellariorum seditionibus profectus, turbationem non mediocrem toti Pistoriensium regioni attulisset. De quo pro cognitione rerum paulò altius ab origine repetemus, si priùs tamen mirabile quiddam, & vix cuiquam credibile, quod biennio ferè ante de Alborum agminibus contigerat, paucis recitaverimus, cùm ea res à Pistoriensibus in tota Etruria originem ceperit, & princeps quoque primæ congregationis, quæ à Lucensibus movit, præcipuè vexillifer & antesignanus Pistoriensis exstiterit.

Anno enim ante Quadringentesimum novum protinus miraculum, & aliàs inauditum, per universam Italiam paulatim irrepsit. Nam omnes Populi, qui ubique erant, vestes albas induebant, ac piaculis quibusdam incredibili devotionis ardore utebantur. Itaque per hunc modum longa dealbatorum agmina ad vicinas Urbes commeabant, & pacem ac misericordiam supplicibus clamoribus deprecantia. Prorsus miranda res, & incredibile spectaculum peregrinatio erat ferè dierum decem; cibus verò ut plurimum panis & aqua; lectus plerumque durum solum, vel aliquod simile; & cetera hujusmodi ita devotè & humiliter faciebant, ut acrem quamdam & asperam peccatorum pœnitentiam agere viderentur. Nulli per Urbes aliis vestibus induti conspiciebantur. Accessus in aliena Oppida, recessusque cunctis adventantibus liberi patebant. Nemo per id tempus alium fallere decipereve tentabat; nemo advenarum opprimebatur; tacitæ quædam induciæ cum hostibus apparebant. Atque is motus duos circiter menses durasse visus est. Quo quidem tempore (mirabile dictu) universa Italia hac Alborum devotione ita divinitus agebatur, ut pæne nullus alicubi reperiretur, qui se à dealbatis vestibus abstineret. Cùm igitur omnes Italiæ Populi in alienas Urbes sponte proficiscerentur, & alii in suas illorum exemplo ducti adventarent, mira ubique hospitalitas & benigna susceptio cernebatur; atque propterea vulgo Albos appellabant, quòd dealbatis vestibus induti incedebant. Unde verò initium habuerint, quoniam non satis nobis compertum est, idcirco silentio præteribimus. Ex Alpibus certè in Galliam Cisalpinam eos descendisse ab origine ferebatur, mirabilique discursu cunctos Italiæ Populos non multo post apprehendisse videbatur. Quippe Pistorium primi omnium Lucenses populariter advenere, ubi benignè & humanè suscipiuntur; tantus confestim devotionis ardor consecutus est, ut etiam illi ipsi, qui

qui hanc rei novitatem antea deridebant, primi omnium vestes mutarent, & quasi à Deo increpiti motu simili vagarentur. Lucenses deinde, ac Pistorienses è Pistorio moventes Pratum se contulerunt. Ibi quoque eadem vel majore potiùs benignitate suscepti, ex Prato Florentiam venerunt, quo in loco tanta, præter Florentinos Cives, brevi tempore finitimorum & externorum Populorum multitudo confluxerat, ut vix cuiquam credibile videretur. E Florentia insuper magnæ puerorum, mulierum, virorum cujuscumque ætatis catervæ mixtæ invicem ac confusæ simul proficiscentes, partim Aretium petebant, partim ad alia loca tendebant. Tamdem quòcumque perveniebant talia Albatorum agmina, eorum locorum incolæ & inquilini simili exemplo movebantur. Ita per hunc modum ex Alpibus in Galliam Cisalpinam, ex Gallia in Etruriam, ex Etruria in Umbriam, ex Umbria in Sabinos & Picentes & Marsos, ceterasque subinde gentes progressa, hæc mirabilis & divina commotio ad extremas usque Italiæ oras pervenerat, nullos in Populos non pervagata. Quod profectò illius temporis sapientibus & prudentibus viris certum quoddam præsagium futurarum novitatum, quæ postea subsecutæ sunt, ac maximum novarum rerum portentum fore videbatur.

Sequenti deinde Anno pestis totam pæne Etruriam pedetentim invasit; sed Florentiam ac Pistorium præ ceteris ingenti rabie aggressa, ita vacuefecit atque exinanivit, ut nisi harum Civitatum incolæ è solo patrio quærendæ salutis causâ, repentè maturèque fugissent, profectò in universum illorum hominum genus mirabiliter desævisset. In his enim duabus exinanitis desertisque Urbibus quadraginta circiter hominum millia pestifera contagione (incredibile dictu) periere. Anno deinde postquam pestis cessaverat, tota pæne Etruria partim domesticis Populorum contentionibus, partim verò externis diversorum Principum bellis usque adeò involvebatur, ut pestifero morbo prœlia ac tumultus non sine divino mysterio succedere viderentur. Nam & apud Lucenses Paulus Guinisius privatus homo, & in nulla dignitate constitutus, imperium Civitatis arripuit; & Civitas nostra, detecta conjuratione, de quibusdam conjuratis, qui adversùs Rempublicam durante adhuc peste conjuraverant, ultimum, ut decebat, supplicium sumsit; multos insuper absentes per varia & diversa loca relegavit, exilioque mulctavit. Et apud Bononienses Johannes Bentivogla Vir primarius, ac summæ apud multitudinem gratiæ, & ceu Tribunus plebis Civitatis dominationem suscepit; atque paulò post bellum à Lucensibus adversùs Astorgium Faventinum antea susceptum, cunctis suis & Amicorum viribus continuavit. Huic Albericus Comes favebat, quoniam acerbas & capitales cum Astorgio inimicitias exercebat. Astorgio verò multi Italiæ Principes, & in primis Carolus Malatesta Ariminensium ductor, opitulabantur. At per Etruriam nondum manifestum erat bellum, nec vi armisque decernebatur. Galeatii tamen Mediolanensis potentia ita in dies crescebat, ut parvo temporis intervallo, nisi ejus cœptis ac conatibus resisteretur, omnia apprehensura videretur. Unde Florentini ista cernentes, ad Robertum Bavariæ Ducem, jam ad Imperium delectum, respiciebant, sperantes, si Robertus in Italiam veniret, quoniam Galeatio infensus erat, ut Mediolanensis potentia aliquatenus reprimeretur. Quocirca magna quadam ducentorum millium aureorum largitione ejus in Italiam adventum per Oratores suos paciscuntur, cujus summæ partem Legati, priusquam è Germania proficisceretur, reliquum verò cùm in Italiam venisset, atque hostile Mediolanensium solum ingressus esset, dare illi convenerunt. Missâ igitur pecuniâ, ne fortè ejus dilatio profectionem ullatenus impediret, illius adventus summo Florentinorum desiderio expectabatur. Nec minor apud Mediolanenses providentia ad se suaque tutandum, & ad adventum Imperatoris impediendum, vigebat. Nam equites parare, pecunias cogere, Civitates & Oppida in potestate sua continere conabantur.

Dum igitur Florentinorum & Mediolanensium mentes alteris in expectationem, alteris verò in formidinem novi Principis vergentibus, variis cogitationibus agerentur, ingens seditio in Pistoriensibus oritur, cujus profectò hæc causa & hujusmodi origo fuisse perhibetur. Duæ illæ præpotentes Cancellariorum, & Panciaticorum factiones, tantis inter se contentionibus hac tempestate agitabantur, ut alteri alteros, quoad poterant, enixè, & ut à Præsidibus urbanisque Prætoribus illorum temporum juvabantur, omni injuriarum genere persequerentur. Nam non solùm in civilibus causis, & in sortitionibus Magistratuum, sed de criminalibus & condemnationibus invicem altercabantur. Unde cùm quidam Cancellariorum fautores magna pecuniæ quantitate mulctarentur, & alii quoque ultimo supplicio damnarentur, factum est, ut nova quædam de Sponsalibus agendis & perficiendis contentio oriretur. Datina erat, Stephani cujusdam Guazalotti Pratensis sic per longa tempora Pistorii commorati filia, patre paulò ante defuncto, heres in ampla hereditate instituta. Hæc puella à testamentariis tutoribus Pistoriensi Nobili ex Panciaticorum fautoribus desponsata fuerat; sed orta, antequam matrimonium consummaretur, inter Sponsum ac tutores contentione, & fractis conjugalibus vinculis, promissionibusque rejectis, alteri adolescenti Cancellariorum principi desponsatur. Cùm itaque inter duos commemoratos unius conjugis Sponsos altercationes agerentur, atque propterea commissiones ejus controversiæ in Præsidem illius temporis convenirent, Datina primo Sponso adjudicatur, eique in conjugium traditur. De hac Præsidis sententia tanta confestim indignatio consecuta est, ut omnium injuriarum præteritarum maxima putaretur. Ad hæc accedebat contumelia quædam Catharinæ Ricciardi Equitis uxori nuper illata; dum enim illa fortè, ut fit, per viam aliquando transiret, sonitus vehemens ex ore Panciatici unius cujusdam Adolescentis, quasi ludendi, deridendi, & subsannandi gratiâ, de industria factus est: qua contumelia tacti & lacessiti Cancellarii, qui Pistorii erant, ibi-

ibique commorabantur, de his & aliis multis hujusmodi injuriis Ricciardum, tunc fortè Bononiensium Prætorem, per proprium nuntium ac domesticum tabellarium certiorem reddiderunt, atque tantas & tam intolerabiles injurias & contumelias se ulterius pati non posse palàm & apertè significaverunt. Quibus Ricciardus intellectis, atque diligenter & accuratè examinatis, ea quæcumque essent usque ad reversionem suam differenda esse respondit. Paulò deinde post hæc omnia per quemdam Nuntium cum quodam Amico suo conferre non dubitavit. At ille re, modo nescio quo, cum alio amico ordine patefacta, capturæ sui ipsius causa fuit; captus est enim à Pistoriensi Præside, postquam Ricciardus jam administratâ Præturâ Pistorium reverterat. Proinde cum Amicis & familiaribus suis versùs Florentiam contendebat, ut amico capto, si qua posset, per varias Florentinorum Civium intercessiones opitularetur. In itinere verò fortè tabellarium cum quibusdam literis offendit, quibus ab amicis & necessariis certior reddebatur, ut si salvus esse vellet, fugam arriperet, atque è Pistorio longius abiret, ac per hunc modum saluti suæ consuleret. Unde retro movens in agrum Allianensem venit. Ibi complicibus quibusdam adauctus ad Montale proficiscitur, ubi crescente pariter factiosorum hominum multitudine, versùs Casim Bononiensium Castellum contendit: quo in loco comparata, & undique accita magna audacissimorum & militarium virorum manu, Sambucæ Oppidum in Apennino situm industria simul ac viribus occupavit. Mox audacior factus, quasi bellum Pistoriensibus indiceretur, agrum Pistoriensem hostilibus rapinis & continuis incursionibus infestabat.

Quod ubi Florentiæ auditum est, confestim multas equitum peditumque copias Pistorium miserunt, quibus Bernardonem quemdam Britannicum, Virum per ea tempora rei militaris peritissimum, præfecerunt. Quod idcirco fecisse videntur, ne Civitas illa ex eo tumultu cladem aliquam pateretur. Cùm verò paulò post ad Ricciardum non modò ex Pistoriensi, verùm etiam ex Bononiensi & Mutinensi agro finitimis locis, & jam pridem ob diversa partium studia variis factionibus refertis, concurreretur, ac multa quotidie damna Pistoriensibus inferrentur, copiarum parte ad custodiam Urbis relicta, cum reliquis Florentinorum peditibus (sunt enim loca aspera, ardua, & equitibus pæne invia) Sambuca obsidetur, ne obsessi licentius ad suum, ut videretur, libitum discursare & pervagari possent. Pedestrium copiarum ductor erat Rainaldus Collocardensis, qui ea tempestate toti universi agri custodiæ præsidebat. Is igitur ad obsidendum prædictum Sambucæ Castellum cum omnibus pedestribus copiis profectus, obsidionem aliquandiu ita premebat, ut pauci egredi revertique incolumes valerent; sed cùm frustra obsidionem diutiùs urgeret, atque oppugnationem incassum quandoque tentaret, Ricciardus captato tempore opportuno ex Oppido cum suis armatus animosè admodum egreditur, tantoque ardore animorum in hostes incurrit, ut eos paulò post terga vertere atque fugere compelleret. In hac Ricciardi victoria multos occubuisse, plures saucios evasisse, plerosque captos fuisse constat, in quibus Rainaldus copiarum ductor numerabatur. Partâ, quemadmodum diximus, victoriâ, Ricciardus tantâ lætitiâ exultavit, tantâque audaciâ invaluit, ut multas injurias, & plurima damna, variasque calamitates Pistoriensibus inferre auderet. Erat enim vir magni animi, ætate juvenis, corpore valido robustoque, & ob prædictas contumelias Pistorii habitas multum admodum indignatus. Quocirca non satis explicari potest, quanta & quàm diversa mala durante bello, quod tribus circiter annis durasse visum est, Pistoriensibus intulerit. Nam in hoc calamitoso atque infausto miserabilis Civitatis triennio plures à Præsidibus Urbis ob perpetrata facinora ultimo supplicio affectos, multos quotidianis prædantium incursionibus agitatos, plurimos diurnis nocturnisque incendiis cùm integris eorum donibus, ac totis familiis combustos conflagratosque, præter infinitam quamdam & pæne innumerabilem abactam cujuscumque generis prædam, universalis omnium domesticorum fama usque ad tempora nostra pervagata, per varia hinc inde loca vulgavit. Tantum enim variis interemtorum hominum cædibus, ac tam magnum cæsorum numerum vulgo exstitisse creditur, ut ex duobus armigerarum personarum millibus, quibus post memoratæ pestis cessationem, censu habito, hæc Civitas recensebatur, pace deinde facta multo pauciores Cives reperirentur, colonis & agrestibus prætermissis, quorum ingens numerus interiisse dicebatur. Quid plura? hoc Sambucense, de quo hæc scribimus, bellum perniciosum, atque, ut ita dixerim, bellicosum bellum non immeritò appellari potest. Si enim belli nomen per Antiphrasim à veteribus rectè à nulla re bella, sicut lucus à non lucendo, interpretatur, nempe hoc bellum meritò bellicosum præ ceteris cognominabitur; quoniam non solùm omni re bella carebat, sed cunctis quoque malis redundabat. Nam à valentibus, & fortibus viris, & capitalibus quoque inimicitiis, & simultatibus sibi invicem exosis infensisque, & humano insuper cruore fœdatis, tanta obstinatione animorum gerebatur, ut ex Catilinæ sanguine, quemadmodum vulgo creditur, verè nati esse viderentur.

Dum hæc & cetera hujusmodi agebantur, Florentini captata bellicosi temporis opportunitate, à Pistoriensibus postularunt, quatenus propriis & popularibus suffragiis statuerent, ut vectigalia, quæ sola eis hactenus reservata fuisse diximus, ad reliquam dominationem adhiberentur, ne aliquid Pistoriensibus relinqueretur, quo minus universale & integrum Florentinorum dominium esse putaretur. Paulò deinde post, his & ceteris hujusmodi gestis, pax tertio circiter anno, per Florentinorum Legatorum intercessionem, talibus & hujusmodi conditionibus subsecuta est. Primò ut omnes Cancellarii, & eorum complices, & sequaces, quicumque vel exilio mulctati, vel ultimo supplicio ex causa Sambucensis belli ullatenus damnati fuissent, abolitis hujusmodi condemnationibus, absolverentur. Deinde ut singula quæque manifesta


festa & evidentia damna quibuscumque privatis Civibus in toto Pistoriensi agro illata, publicis Pistoriensis Populi sumtibus compensarentur, quemadmodum quibusdam solemnibus viris videretur, quibus certa quædam harum rerum auctoritas publicè concessa ac tributa fuerat. Ob talem & hujusmodi salutiferæ pacis compositionem tota Civitas, & universus ager ex longis & diuturnis laboribus, atque variis & ingentibus periculis ita respirasse visa est, ut per quinquennium totum à bellis ac pestiferis procellis & calamitatibus conquiesceret. Ceterùm hoc quietis tempore exacto, nova rursus pestis Civitatem non sinè mediocri plurium hominum jactura invasit.

Interea Florentini urbana vectigalia, ut est prudentium hominum captus, inutilia Populo suo hactenus fuisse conspicati, ac deinceps, si diutiùs retinerentur, damnosa fuisse suspicati, sub specie officii ac benevolentiæ ea cum certis & expressis anniversariis & annualibus solutionibus restituerunt. Altero deinde quinquennio elapso, nova pestis ita Civitatem, agrumque aggressa est, ut multos intra extraque Urbem cujuscumque generis mortalium absumeret. Completis deinde sex annis alia pestis multum admodum Civitatem, Villasque exhausit. Rursus post alteros sex incolumitatis & pacis annos magnus hominum numerus contagioso morbo correptus interiit. Revolutis deinde tredecim circiter annorum curriculis, tanta & tam magna, ac tam diuturna pestis in Cives Pistorienses desævit, ut ob nimiam ejus diuturnitatem (à Trigesimo enim Sexto supra Quadringentesimum ac Millesimum Christianæ Salutis Annum per universum pæne triennium quasi continuè perseveravit) adeò ut quatuor circiter cujuscumque ætatis Urbanorum hominum millia, & intra mœnia, & variis locis quærendæ salutis gratiâ dispersa (incredibile dictu) obiisse narrentur. Quapropter nemo mirari debet, si Pistorienses tantis & tam diuturnis domesticarum seditionum, & externorum quoque bellorum, & fatalium denique pestium calamitatibus diutiùs oppressi, Civium suorum numero defraudati ac privati fuisse videantur. Nam si cuncta quæque eorum mala, & singulas adversitates suas paulò accuratius animadverterimus, primò cum domesticis & intestinis, cum externis deinde ac forensibus hostibus, postremò cum Omnipotenti Deo cunctarum gentium victore, eos diutiùs belligerasse, non injuria, nostrâ quidem sententiâ, confirmabimus.

Postea verò quàm Pistorienses liberam & integram Civitatis suæ dominationem Florentino Populo concesserunt, atque pacem ex Sambucensi & pernitioso bello, quemadmodum supra diximus, fecerunt, nihil deinceps sub aliena potestate constituti gerere potuerunt, quod præclarum ac memoria dignum haberetur. Tamdem septennio postea, hoc est Quadragesimo Sexto supra Millesimum Christianæ Salutis Anno factum est, ut Ego ad gubernationem & custodiam Pistoriensium sorte delectus, illius Provinciæ Præses proficiscerer. Quo quidem tempore cùm mecum ipse remotis arbitris de officio Præsidum ac Prætorum sæpenumero cogitarem, demum in hanc sententiam veniebam, ut cunctos Urbium, & Civitatum, ac Populorum, & Rerumpublicarum Prætores, sive Præsides, seu Præfectos, seu Gubernatores, à principalibus memoratorum locorum dominationibus missos & delegatos, atque ab Omnipotenti Deo subdelegatos fuisse, non injuria existimarem. Quocirca omnia agere, nullis omissis, constanti firmoque proposito institueram, quæ ad honorem & utilitatem omnium Populorum, cunctarumque gentium subditarum aliquatenus pertinere arbitrarer. Idque eo libentius faciebam, quòd apud Ciceronem nostrum, veterem cujusdam Sapientis sententiam fuisse legeram, quam his verbis eleganter ac sapienter expresserat: *Decet Prætorem non solùm manus, sed etiam oculos abstinentes habere*. Quod equidem in hunc modum non absurdè meâ quidem sententiâ interpretari posse videbar, ut cunctos Prætores non modò bonos esse, sed etiam ob evidens quoddam ceterorum hominum exemplum probos videri oporteret. Proinde multa ac varia præter Communem & usitatam prædecessorum Prætorum consuetudinem fecisse ac gessisse meminimus, quæ honestatis decorisque gratiâ silere, quam enarrare maluimus; hac una universali, & vera, & certa prorsus explanatione contenti. Unde cùm Priores Civitatis omnes operationes nostras ad communem subditorum omnium utilitatem penitus & omnino conversas fuisse conspicarentur, unà cum eorum Collegis quosdam egregios & præcipuos Cives suos ad maturum & solemne Consilium adhibuerunt. Ibi gestis nostris, quoad fieri poterat, summopere laudatis, demum consuluerunt, quid ad maximam quamdam Civitatis suæ utilitatem agendum esse videretur. Multis verò hinc inde agitatis, quæ ad honorem nostrum vel maximè pertinere atque spectare dicebant, postremò in hanc sententiam convenere, ut nihil sibi utiliùs fieri posse censerent, quàm ut Prætura nostra pro altero semestri prorogaretur: nam ad ordinationem & regulam civilium negotiorum suorum, quæ jampridem ob incuriam neglecta in apertam quamdam rerum omnium confusionem dilapsa fuisse cernebatur, statutum tempus nequaquam sufficere allegabant. Quid plura? quatuor primarios Cives cunctis suffragiis Legatos delegerunt, quos cum hujusmodi prorogationis nostræ mandatis Florentiam transmiserunt. Legati paucis post diebus re infecta Pistorium redierunt. Sed quoniam de his in nostra horum Librorum Præfatione opportunam & convenientem commemorationem fecisse meminimus, maledicum Soldinum omnium maledictis suis abire ac valere sinamus, atque ipsum & cunctas ejus computationes & calculos ad Apologeticum quoddam volumen remittamus, in quo quidem de fama & infamia, de honore & ignominia, de gloria & ignobilitate à Poëtis, ab Oratoribus, ab Historicis, à Philosophis, à Viris consultis, à Theologis denique, tam domesticis quàm externis Auctoribus in variis eorum Codicibus scribuntur, & quidquid de famosis libellis dici excogitarive potest, diligenter & accuratè, & non sinè justa & rationabili animi indignatione congere-

remus. In hoc nostro Apologetico, quod *adversus Soldanum* inscribi volumus, si Deus, ut speramus, insontibus, & innocentibus nobis, & propter justitiam infamiæ persecutionem patientibus, adjutor erit, magnam quamdam & ingentem famam absque aliquo conscientiæ nostræ præjudicio consequemur, ut ex fideli & integra Magistratus nostri administratione maximus gloriæ cumulus in hac peregrinatione, & æternum in Patria præmium, si omnipotenti Deo placuerit, accedere videatur.

F I N I S.



INDEX GENERALIS
RERUM, ET NOMINUM,
Quæ continentur in hoc Tomo XIX.
RERUM ITALICARUM.

A

Aqui-

C

Ei

Dein-

D

E

F

Bis

G

H

I

Ejus

L

Eam

M

N

Et

R

S

Ejus

T

F I N I S.